


ELECTA DIVI AVGVSTINI ECCLESIÆ DOCTORIS

A

CELSISSIMO PRINCIPE

CASIMIRO FLORIANO

Duce in Klevvan

CZARTORYSKI

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI.

Ex ſeptem DIVI DOCTORIS Tomis

Inter publicas Regni & Cathedræ Vladislavienſis Curas

ANNO DOMINI 1671.

Ex Catalogo librorum Domus Probationis S. JESU ad S. Mathiā. 1794.

accuratè collecta

Et Perilluſtris ac Reverendiſſimi Domini Domini

THOMÆ STANISLAI NIEMIERZA

ARCHIDIACONI VLADISLAVIENSIS CURA

In Monumentum gratæ in tantum Principem memoriæ

ANNO DOMINI 1688.

Publicæ luci expoſita.

In Typographia Collegii Poſnanienſis SOC: JESU



VNico Phænici, & facile Doctorum Principi, DIVO AURELIO AUGUSTINO multum addidit ponderis & authoritatis, duplicato Titulo, Celsissimi Sanguinis, & Sarmaticæ gentis Princeps: ILLUSTRISSIMUS & REVERENDISSIMUS CASIMIRUS FLORIANUS Dux in Klevvan CZARTORYSKI, Regni Poloniæ Primas Primusq; Princeps, hoc studioso inter publicas Regni Curas elaborato opere, ut alia non indigeat approbatione nisi tanti nominis æternatura apud seram posteritatem memoriâ.

Ita censeo authoritate Reverendissimi Officii Generalis Posnaniensis, Ego

STEPHANUS MORESKI S. T. D.
Canonicus Cathedralis, & D. Mariæ Magdalenæ
Præpositus Posnaniensis Anno Dñi 1688.
Die 3. Novemb: mpp.





AVGVSTISSIMA CÆLORVM IMPERATRIX

VT alij mille desint, (inter quos, Suprema PRINCIPIS voluntas locum habet) vel eo titulo, quem fronti impressum gerit, Tibi volumen hoc debebatur. Cui enim ELECTA, quam ELECTÆ ut Sol? ELECTA inquam AVGVSTINI, quàm Augustæ? Non igitur foliorum innocentiam, non niveum paginarum ebur aspice, Nive Purior VIRGO: *Faciem* libri lege, & Tuus etiam ex vultu est, qui, jam ex voto erat. Cælis positâ, illata sideribus, exaltata sicut Cedrus, quæ non jura usurpare potes in monumenta, Cedro sculpi digna, cælo scribi. AVGVSTINI partus est, AVGVSTA PRINCEPS: Id est, sublimis, ut cælum ferire; subtilis; ut volare, & inter nubes vestigare Te videatur.

Ita autem Olympo frontem inserit, ut vel inde Infulato Capiti Tuo acclinet, ILLVSTRISSIME VLADISLAVIENSIS ANTISTES. idq; tam facili Dignitatis Tuæ reverentiâ, quam prope Te, Sanguinis, Virtutis, Eruditionis sublimitas, cælo admovit, & tantum non intulit. Et Te jure suo Electa ambiunt; de quo scilicet Vladislaviensis Sponsa ex verò occinat: *Dilectus meus electus ex millibus.* Quidquid in Te Senatus reveretur, tegit Purpura, Infulæ coronant, Dioecesis amat, ornat Eruditio, commendat Virtus, æstimat Majestas, orbis miratur; nihil non electum est; nè Tu quidem ipse. Quanquam non ex millibus: paucissimos enim & admodum raros, aut nasci contingit, aut sperare licet, qualem Te, huic

sæculo,

ſæculo, Regno, Cathedræ, poſteritatis exemplo, Dij immortales donaverunt.

At nec ſine illuſtri Nominis veſtri comitatu in publicam lucem liber hic ibit: Purpurata Sacri Senatûs Vladislavienſis Capita; Proceresq; paulò infra Infulas, non infra merita Infularum. Reddit vobis vices Hypponenſis Præſul: Præfert vos fronte, quem corde præfertis & vitâ. Si enim parem Sanctiori jam Auguſtino, tam ſperare liceret aliquando, quam ſemper optare licet: è Sacro veſtro prodire deberet Senatu. E veſtro inquam Nido evolaret Phænix ille, uberrimis doctarum frontium laureis inſtrato. Vnicum vereor: ne ſcilicet Tituli Voluminis, ab opere abludant, & frons libri pro ſeipſa in oculis veſtris erubeſcat. Quid enim? Electa hæc apud alios; apud vos Eruditiſsimi Antiſtites, veriore titulo Lecta dici meruerunt.

Non vulgarem autem, Electo Auguſtino, in publicum prodituro, Ductorem propitia fortuna providerat. Principi ingeniorum, Dux in lucem obtigit, idem, qui in Klevvan, ILLVSTRISSIMVS CZARTORYSKI. Niſi immanſueta fata, etiam in eos ſævirent, quos nunquam denaſci è bono publico foret. Iam enim ſparſum per Tomos plurimos Auguſtinum, manu principe, itineri publico ſuccinxerat; & ex ſeptem Tomis inter curas mille (Regni ſcilicet & Cathedræ) unam quaſi medullam, ad guſtum ſæculorum, ſudoribus ſuis condierat condideratq;. Cum ſæva fata Dux ille! ſequi juſſus, quam parabat volumini, amiſit ipſe lucem; à paginis oculiſq; noſtris retractus, cum multa & ſcribenda de ſe, & à ſe ſcripta reliquiſſet.

Ex multis, unum hoc, non tam luci, aut æternitati (utramq; enim ab Illuſtriſsimo & immortali Principe habet,) quam Typo, & publicis uſibus, (mei & Regni Principis, Primatiſq; pretioſi, ardentia etiam cum extingueretur deſideria, primo & principe ante impenſas, loco ponens,) porrectum curavi, & Tuo ILLVSTRISSIME PRÆSVL Nomini, totiuſque Reverendiſsimi Collegij Honori, eruditiſsimoque Vladislavienſis Diœceſis Clero, ſacrum volui.

THOMAS STANISLAUS NIEMIERZA
A. V. S. S.


SYLLABVS TITVLORVM

Filius

Titulorum.

Virtus.





ÆTERNITAS



ANni tui dies unus, & dies tuus non quotidie, sed hodie; quia hodiernus tuus non cedit crastino, neque enim succedit hesterno. Hodiernus tuus Æternitas, ideò coæternum genuisti, cùm dixisti. Ego hodie genui te. *Tom. 1. lib. 11. Conf. c. 13.* *Anni nostri dies unus hodiernus.*

Unde ergo credendum est, animæ tribui, quod æternum est & Incommutabile, nisi ab uno æterno & Incommutabili Deo. *Tom. 1. lib. 6. Music. c. 12.*

Si tamen gustastis quàm suavis est Dominus. *1 Petr. c. 2. 3.* Non enim amor temporalium rerum expugnaretur, nisi aliqua suavitate æternarum. *Ibidem c. 16.* *Amor terrenorum suavitate æternorum expugnatur.*

Oderimus ergo temporales necessitudines, si æternitatis charitate flagramus. Diligat homo proximum tanquam seipsum. Certè enim sibi nemo est Pater, aut Filius, aut affinis, aut aliquid hujusmodi, sed tantùm homo. Qui ergo diligit aliquem, tanquam seipsum, hoc in eo diligat, quod sibi ipse est. *T. 1. l. de vera Relig. c. 46.* *Diligendus proximus, quia homo est.*

Nihil præterit in æterno, & nihil futurum est, quia & quod præterit, esse desinit, & quod futurum est, nondum esse cæpit. Æternitas autem tantummodo est, nec fuit, quasi jam non sit, nec erit, quasi adhuc non sit. Quare sola ipsa verissimè dicere potuit humanæ menti. Ego sum qui sum *Ibid. c. 49.* *Æternitas, nec fuit, nec erit.*

Sicut ergo nosti in principio Cælum & terram, sine varietate notitiæ tuæ, ita fecisti in principio cælum & terram, sine distinctione actionis tuæ. *T. 1. l. 11. Confes. c. 31.*

Fideles & pij, quorum jure sunt omnia, exercentur donec perveniant ad illam Civitatem, ubi hereditas, æternitas est, ubi non habet nisi justus locum: ubi possidebunt quicunq; ibi erunt verè sua. *T. 2. Epist. 54.* *Æternitas Hereditas.*

Psal. 264. Unam petij à Domino, hanc requiram ut inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Ibi namq; omnes dies, non veniendo & transeundo fiunt omnes; nec initium alterius est, finis alterius; omnes sine fine simul sunt, ubi nec ipsa vita habet finem, cujus illi dies sunt Propter hanc adipiscendam vitam beatam, ipsa vera vita beata, nos orare docuit *T. 2. Ep 121. c. 8.* *In æternitate dies sine successione.*

Inter temporalia atq; æterna hoc interest, quod temporale aliquid prius diligitur, quàm habeatur, vilescit autem, cum advenerit, non enim satiat animam, cui vera & certa sedes est æternitas. Æternum autem ardentius diligitur adeptum, quàm desideratum. Nulli enim desideranti conceditur, plùs de illo existimare, quàm in se habet, ut ei vilescat, cum minus invenerit. Sed quantum quisq; existimare potuerit veniens, plùs perveniens inventurus est. *T. 3. l. 1. de doctr: Chr. c, 38.* *Æternorum & temporalium discrimen.*

Et veritas liberabit vos: unde? Nisi à morte: à corruptione, à mutabilitate veritas quippe immortalis, incommutabilis, incorrupta permanet, vera autem immortalitas, vera incorruptibilitas, ipsa est æternitas. *T. 3. l. 4. de Trin. c. 18.* *Veritas à Corruptione liberat.*

Et quid est in æternis excellentius, quam Deus, cujus solius incommutabilis est natura? & quis cultus ejus, nisi amor ejus. *T. 3. l. 12, de Trin: c, 13.*

Incarnatio illuminat.

Non sicut dispensatio temporalis, ita & verbi æternitas pertransit, quæ in se ipsa manens innovat omnia. Quapropter quia fides Incarnationis temporalis non ad æterna intelligenda præparat, transeunte JESU admoniti sunt, ut illuminarentur, & ab stante illuminati sunt. Temporalia enim transeunt, æterna stant. *T. 4. l. 1. quæst. Evang: quæst. 28.*

Vita æternæ occupatio. — *1. Ioh. 5. 20.*

Hæc est vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Sicut in illa æternitate cognoscetur, quo servos perducet per formam servi, ut liberi contemplentur formam Domini. *T. 4. l. 3. de cons: Evang. in fine lib.*

Æternum cum propriè dicitur, nec quidquam præteritum quasi transierit, nec quidquam futurum, quasi nondum sit, sed quidquid est, tantummodo est. *T. 4. l. 80. quæst. quæst. 19.*

In æternitate nosse & habere idem est.

Æternum est de quo solo rectè fiditur, quod amanti auferri non potest, idq; ipsum est, quod nihil sit, aliud habere quàm nosse. Omnium enim rerum præstantissimum est, quod æternum est, & propterea id habere non possumus, nisi ea re quia præstantiores sumus, id est mente. Quidquid autem mente habetur, noscendo habetur. *Et infra* Quoniam id quod amatur, afficiat ex se amantem necesse est, fit ut sic amatum quod æternum est, æternitate animum afficiat, quocirca ea demum vita beata quæ æterna est. Quid verò æternum est, & quod æternitate animum afficiat, nisi Deus. *T. 4. l. 80. quæ. quæst. 35*

Et erunt priora tua minima, in comparatione posteriorum quæ infinita erunt. *Lib. Annot. in Iob. c. 8.*

Melior temporalis felicitas, quam misera Æternitas.

Melior est temporalis felicitas, quàm misera æternitas. *de Civit. Dei. l. 8, c. 16.*

Mensura Æternitatis.

Considerent nihil esse diuturnum, in quo est aliquid extremum, & omnia sæculorum spatia definita, si æternitati interminatæ comparentur, non exigua existimanda esse sed nulla. Ac per hoc si non quinq; vel sex, verum etiam sexaginta millia, vel sexcenta, aut sexagies, aut sexcenties millies dicerentur annorum, aut itidem per totidem toties multiplicaretur hæc summa, ubi jam nullum numeri nomen haberemus, similiter quæri posset, cur ante non fecerit; Dei quippe ab hominis creatione, cessatio retrorsus æterna, sine initio tanta est, ut si ei conferatur, quælibet magna & ineffabilis numerositas temporum: quæ tam fine conclusa, certis spatijs terminetur: nec saltim tanta videri debeat, quanta si humoris brevissimam guttam Universo mari, etiam quantum Oceanus circumfluit comparemus. Quoniam istorum duorum, unum quidem perexiguum est, alterum incomparabiliter magnum, sed utrumq; finitum. *Lib. 12. de Civit: Dei. c. 12.*

Anni stantes.

Et benedixit annos Iusti: ut cùm illo scilicet sine fine vivat, cui dictum est: Et anni tui non deficient. Ibi enim stant anni, hîc autem transeunt, imò pereunt: antequam enim veniant, non sunt, cùm autem venerint, non erunt: quia cum suo fine veniunt. *Lib. 17. de Civit: c. 4.*

Exod.

Nomen misericordiæ cæteris in Deo respectu nostri majoris dignationis.

Quid est ego sum, qui sum? nisi æternus sum; quid est ego sum qui sum? nisi mutari non possum? nulla creatura, non cælum, non terra, non Angelus, non Virtus, non Sedes, non Domitationes, non Potestates. Cum ergò sit hoc nomen æternitatis plus est, quod dignatus est habere nomen misericordiæ. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob: illud in se hoc ad nos. Si enim hoc

solum

ſolùm eſſe vellet, quod eſt in ſe, quid eſſemus nos? ſi intellexit? imò quia intellexit Moyſes cum ei diceretur. Ego ſum qui ſum. Qui eſt miſit me. Multùm hoc credidit eſſe ad homines, multùm hoc vidit diſtare ab hominibus. Qui enim hoc quod eſt, & verè eſt intellexerit dignè & qualitercunq; lumine veraciſſimæ eſſentiæ, vel ſtrictè ſicut corruſcatione afflatus fuerit, longè ſe videt infra, longè remotiſſimum, longè diſſimillimum. *T. 5. Tract. de eo. Ego ſum qui ſum.*

Sperent in te qui cognoſcunt Nomen tuum, ne ſperent in his rebus, quæ temporis volubilitate præterfluunt, nihil habentes niſi *Erit Fuit*. Quoniam quod in illis futurum eſt, cum venerit, ſit ſtatim præteritum: & expectatur cum cupiditate, amittitur cum dolore. In DEI autem natura non erit aliquid, quaſi nondum ſit; aut fuit, quaſi jam non ſit: ſed eſt tantum id quod eſt, & ipſa eſt æternitas. *T, 8, in Pſal. 9,* *Temporalium tempus Erit, & Fuit.*

In æternum confitebor tibi. Hæc eſt gloria mea Domine DEus meus ut in æternum confitear tibi: quia nihil mihi ex me, ſed omnia bona ex te, qui es DEUS omnia in omnibus. *T, 8, in Pſal, 29,*

Pſ. 33. 3. Accelera ut eximas me. Exauditur in hoc cum dicit, accelera. Ad hoc enim poſitum eſt verbum, ut hoc totum quod nobis videtur, quamdiu voluitur ſæculum, intelligas punctum eſſe. Non eſt diu quod habet extremum: ab Adam uſq; ad hodiernum diem peractum quam reſtat peragendum. Si adhuc viveret Adam & hodie moreretur; quid ei prodeſſet tamdiu eſſe, tamdiu vixiſſe? Ergo celeritas hæc quare? quia tranſvolant tempora. Et quod tibi tardum eſt, in oculis DEI breve eſt. *Ibid: Conc. 1, in Pſal: 30.* *Brevitas temporis.*

Pſ. 36. 2. Tanquam fænum citó areſcet. Quod tibi longum videtur, cito eſt DEO: ſubjunge te DEO, & tibi cito erit. Vilia quædam ſunt & ſuperficiem terræ tenentia, altam radicem non habent. Proinde per hyemem virent: at ubi ſol æſtatis ferveſcere cæperit, areſcent. Modo ergo tempus eſt hyemis, Gloria tua nondum apparet, ſed ſi alta radix eſt charitatis tuæ, ſicut multarum arborum gloria per hyemem tranſit frigus, venit æſtas id eſt Judicij dies. Tunc areſcet viror fæni, tunc apparebit arboris gloriá. Mortui enim eſtis, ait Apoſtolus: quomodo videntur arbores per hyemem quaſi aridæ, quaſi mortuæ Audi quid ſequitur. Cum CHRISTUS apparuerit vita veſtra, tunc & vos cum ipſo apparebitis in gloria. *Ibid, in Pſal, 36,* *Tardum tibi, breve in oculis DEI.* *Col. 3. 4.*

Cito erit quod tibi diu eſt. Quomodo inveniuntur deſideria ægrotorum, nihil tamdiu, quam ut calix ſitienti præparatur, utiq; feſtinatur à ſuis, ne forte offendatur infirmus: celeritas eſt in illis qui tibi ſerviunt, ſed infirmitas tua diuturnum putat, quod cito agitur. Adhuc puſillum Modicum, & non erit peccator. Recole annos ab Adam uſq; ad hodiernum diem percurre ſcripturas, heri pæne Adam lapſus eſt: tot ſæcula immenſa voluta ſunt, ubi ſunt præterita tempora. Sic pauca quæ reſtant utiq; tranſibunt. Si toto illo tempore viveres, ex quo Adam de paradyſo dimiſſus eſt uſq; in hodiernum diem, certe videres vitam tuam non fuiſſe diuturnam, quæ ſic avolaſſet. Unius autem cujuſque hominis vita quanta eſt? quantoslibet annos duc longiſſimam ſenectutem: quid eſt? nonne aura eſt matutina? Ergo longe ſit dies judicij, quando erit retributio injuſtorum & juſtorum, tuus certe dies ultimus longe abeſſe non poteſt. Adhuc te præpara qualis enim exiêris de hac vita talis redderis illi vitæ. *Ibid, in Pſal, 36.* *Annorum volubile.*

Pſ. 16 25. Non derelinquet Sanctos ſuos in æternum conſervabuntur. Tu paucos Annos eis optabas, quos eis ſi daret Dominus, non derelinqueret Sanctos ſuos, in æternum conſervabuntur. *Et infra.* Terra eſt quidem illa vivorum, regnum Sanctorum. Unde dicitur ſpes

mea es, tu portio mea in terra vivorum. Nam etsi tua vita illa est, intellige qualem terram accepturus sis. Illa est terra viventium, hæc est autem terra morientium: receptura mortuos quos nutriuit vivos. Qualis ergo illa terra, talis & ipsa vita; si æterna vita, æterna terra: Et quomodo æterna terra? Et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam. *Ibid, Con: 3. in Psal. 36.*

Terra viventium, terra morientium. *Ps. 36. 29.*

Vera sanitas quæ est? immortalitas. *T. 8. tit: in Psal. 37.*

Vera sanitas immortalitas.

Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, qui est, ut sciam quid desit mihi. Sed qui est? quid ergo? Iste numerus in quo tu es, non est? Plane si attendam bene, non est, si hæream, quasi est, si transiliam non est. Est aliquis numerus dierum, vere est & sine fine est. *Et infra.* Quid mihi de hora ista quæ nunc peragitur dabis? quid de illa mihi dabis? momentis transvolantibus cuncta rapiuntur. Torrens rerum fluit, de quo torrente in via ille bibit pro nobis, qui jam exaltavit caput. Isti ergo dies non sunt. Ante abeunt pæne quam veniant, & cum venerint stare non possunt. Jungunt se, sequuntur se, & non se tenent. Est illud simplex Quæro, est verum Quæro, est Germanum Quæro, Est quod est in illa Hierusalem Sponsa Domini mei: ubi non erit mors, non erit defectus, non erit dies transiens sed manens: quia nec hesterno præceditur, nec crastino impellitur. Hunc inquam numerum dierum meorum qui est, notum mihi fac ut sciam quid desit mihi. hoc enim mihi deest hic laboranti, & quamdiu mihi deest, non me dico perfectum: quamdiu hoc non accipio, non dico quia accepi, ut jam perfectus sim: sequor autem ad palmam supernæ vocationis DEI: hanc accipiam pro mercede ausus mei. Mansio quidem erit, & finis currendi, & in ipsa mansione propriâ sine peregrinatione sine seditione, sine tentatione. *Ibid. in Psal.* 38.

Ps. 38. 5. *Temporis nihil.* *Torrens temporis.* *Beatitudo sine crastino & hesterno.*

Sedes tua DEUS in sæcula sæculorum. O Æternitatis Divinitas! non enim posset DEUS sedem habere temporalem. *T. 8. Enarratione in Psal.* 44.

Ps. 44. 5.

Habitabo in domo Domini in longitudinem dierum. Quare in longitudinem dierum? Quia modo est brevitas dierum Omnis enim res quæ finem habet brevis est: sed regis hujus dies, super dies, ut non diebus solum istis transeuntibus, regnet CHRISTUS in Ecclesia sua: sed regnent cum illo sancti in diebus illis, qui non habent finem. Ibi dies unus est, & multi dies sunt. Quia multi dies sunt dixi jam: In longitudinem dierum: quia unus dies sic intelligitur: Filius meus es tu, ego hodie genui te unum diem dixit hodie; sed iste dies non ponitur in medio inter hesternum & crastinum, nec initium ejus finis est hesterni, nec finis ejus initium est crastini. Nam & anni dicti sunt: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Quomodo anni, sic dies, sit dies unus. Quidquid vis, dicis de Æternitate. Ideo quidquid vis dicis: quia quidquid dixeris minus dicis. Sed ideo necesse est aliquid dicas, ut sit unde cogites quod non potest dici. Dies super dies regis, adijcies annos ejus. *Ibid. in Psal. 60.*

Æternitas dies unus. *Ps. 92. 5.* *Ps. 2. 7.*

Cogitavi dies antiquos & annorum memor fui. Qui sunt anni æterni? magna cogitatio Videte quid sibi vult ista cogitatio, nisi magnum silentium, ab omni forinsecus strepitu, ab omni rerum humanarum tumultu? intus requiescat qui cogitare vult istos annos æternos. Nunquid anni in quibus sumus æterni sunt? aut in quibus fuerunt Majores Nostri, aut in quibus futuri sunt posteri nostri? absit ut æterni æstimentur. Quid tenemus de his annis? anni isti mutabiles sunt, anni æterni cogitandi sunt, anni qui stant, qui non venientibus & abeuntibus diebus peraguntur: Anni de quibus alio loco dicit scriptura DEO. Tu autem idem es & anni tui non deficient. *Ibid. in Psal. 76.*

Anni æterni. *Ps. 76. 6.*

Ps. 77. 33. Et anni eorum cum festinatione Festinatur quippe totâ vitâ mortalium, & quæ videtur prolixior, vapor est aliquanto diuturnior. *T. 8 in Psal. 77.*

Ps. 88. Et thronus ejus sicut dies Cæli. Throni Regum terrenorum si-
30. cut dies terræ. Alij sunt dies Cæli alij sunt dies terræ Dies Cæli anni sunt illi, de quibus dicitur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Dies terræ succedentibus urgentur, præcedentes excluduntur: nec qui succedunt manent, sed veniunt ut eant, & pæne antequam veniant, eunt, Ita sunt dies terræ. Dies autem Cæli qui? & unus dies Cæli & anni illi non deficientes, nec initium habent nec terminum: nec ullus dies ibi angustatur inter hesternum, & crástinum. Nemo ibi expectat futurum, nemo ibi perdit præteritum: sed dies Cæli semper præsentes sunt, ubi erit thronus ejus in æternum. *Ibid. in Psal. 88. Conc: 1ma.*

Regum Thronus dies. Alij Dies Cæli dies terræ.

Ps. 89. A sæculo usq; in sæculum tu es. Optime non ait. A sæculo tu
2. fuisti, & usq; in sæculum eris: sed præsentis significationis Verbum posuit: insinuans Dei Substantiam omni modo incommutabilem, ubi non est, *Fuit*, & *Erit*, sed tantummodo *Est*. Unde dictum est Ego sum qui sum. Ecce quæ æternitas facta est nobis refugium: ut in ea
Ps. 89. mansuri, ad eam de hac temporis mutabilitate fugiamus. *Et infra.*
4. Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præterijt, ubi sine ulla mutabilitate tu es, ideo debemus ad refugium tuum, ab his prætereuntibus labentibusq; converti, quoniam quantumlibet huic vitæ longum tempus optetur, mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesternus est qui præterijt; non saltim tanquam dies crastinus qui venturus est: ita omnia quæ temporis fine clauduntur pro transactis habenda sunt. Unde & ea Apostoli Pauli postposuit intentio, quæ retro sunt obliviscentis ubi temporalia cuncta opportet intelligi: & in ea quæ ante sunt extenti, quæ appetitio est
Ps. 85. æternorum *Et infra.* Quæ pro nihilo habentur erunt omnia eorum.
5. Pro nihilo enim habentur quæ antequam veniunt, adhuc non sunt, cum venerint jam non erunt: non enim ut adsint veniunt, sed ut non sint. *Ibid. in Psal. 89.*

Incommutabilitas Dei.

Quæ tempore clauduntur pro transactis habendæ.

Jucundati sumus in omnibus diebus nostris. Dies ille, dies est sine fine. Simul sunt illi omnes dies, ideo satiant. Non enim succedentibus cedunt, ubi non est aliquid, quod non veniendo nondum sit, & veniendo iam non sit. Omnes simul sunt, quia unus est
Ps. 33. qui stat & non transit: Ipsa est æternitas Hi sunt dies de quibus di-
13. citur. Quis est homo qui vult vitam, & diligit dies videre bonos? Hi dies & alio loco anni appellantur ubi Deo dicitur. Et anni tui
Ps. 101 28. non deficient *Ibid. in Psal. 89.*

Æternitatis simul omnes dies ideoq; satiant.

Ps. 93. Quia non repellet Dominus plebem suam. Ad tempus emen-
14. dat, non in æternum damnat. Jllis autem ad tempus parcit, in æternum illos damnabit. Elige tibi, temporalem vis laborem, an sempiternam pænam? temporalem felicitatem, an sempiternam vitam? Quid minatur Deus? sempiternam pænam. Quid promittit Deus? Sempiternam requiem. In quo flagellat Deus bonos temporale est: in quo parat malis temporale est. *Ibid. in Psal. 93.*

Exiguitas dierum usq; in finem sæculi erit. Exiguitas dierum ideo, quia totum hoc tempus non dico ab hoc hodierno die, usq; in finem sæculi, sed ab Adam usq; in finem sæculi exigua gutta est comparata æternitati. *Et infra.* Ut sit Deus omnia in omnibus: Non enim aliud anni Dei, & aliud ipse Deus, sed Anni Dei, æternitas Dei est. Æternitas ipsa Dei substantia est; quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil est præteritum quasi jam nonsit; nihil est futurum quasi nondum sit, Sed non est ibi nisi *Est*, non est ibi *Fuit*, & *Erit*; quia

Anni ab Adam gutta ad æternitatem.

In æternitate non est Erit, & Fuit.

& quod fuit jam non est, & quod erit nondum est: sed quidquid ibi est, non nisi est. *Ibid. Conc. 2. de 2da. Ptē. Psal. 101.*

Tu qui dixisti, Ego sum qui sum, idem ipse es. Et quamvis etiam ipsa non sunt nisi ex te, & per te & in te, tamen non quod ipse es: tu vero idem ipse es, & anni tui non deficient. Hæc ergo sciens exiguitatem dierum meorum quærerem à te, nisi scirem omnes dies sæculi ab initio utiq; in finem exiguos esse in comparatione æternitatis tuæ. *Ibidem.*

Anni stanses. Anni tui non deficient. Sed nos ad illos annos cum his pannosis annis quid sumus? Et illi qui sunt? Nec tamen desperare debemus. Jam enim magnitudine quadam & excellentiâ sapientiæ dixerat. Ego sum qui sum & tamen ad nos cosolandos. Ego sum inquit Deus Abraham, & Deus Isaac & Deus Jacob. Et, Nos Abrahæ semen sumus: & non quamvis abjecti; quamvis terra & cinis in illo speramus. Servi sumus sed propter nos Dominus noster formam servi accepit: propter nos mortales immortalis mori voluit, propter nos hoc exemplum resurrectionis ostendit. Ergo speremus nos venturos ad hos annos stantes, in quibus non circuitu solis peraguntur dies, sed manet quod est, sicuti est, quia hoc solum vere est. *Ibidem.* *Ps. 101 28.* *Ioa. 8. 33.* *Anni pannosi.*

Vita vitæ mortalis, spes est vitæ immortalis. *T. 8. Con, 4. de 3tia Ptē: Psal. 103.*

Adverbia Quando & Aliquãdo non habet Æternitas. Quod est, ante luciferum genui te, hoc est ante sidera: & quod est ante sidera hoc est ante tempora. Si ergo ante tempora ab æternitate. Noli quærere quando. Æternitas non habet Quando. Quando & aliquando adverbia sunt temporum. *Ibid. Exposit. Psal, 109.* *Ps. 100 4.*

Spes mea es tu portio mea in terra viventium. Ibi esse longævum quid est? nisi ibi vivere in æternum: Nam hic esse longævum quid est nisi usq; ad senectutem pervenire? Et si longa videatur ætas, cum venerit mors convincitur brevis: quia finitur. Et multi maledicentes parentibus senescunt in hac terra: multi autem obsequentes parentibus citò eunt ad Dominum. Nunquid ergo impletur ut longævus sit secundum vitam? sed longævum pro æternitate illa positum est. Longa vita est in dextera ejus. At vero divitiæ & gloria id est sufficientia vitæ hujus, ea quæ bona existimantur ab hominibus: sinistra est. *Ibid. Eposit. Psal. 120.* *Ps. 141 6.* *Quomodo longævus parentum cultor.*

Mutabis ea & mutabuntur, tu autem idem ipse es & anni tui non deficient. Ecce id ipsum cujus anni non deficient. Fratres nonne anni Nostri quotidie deficiunt? nec stant omnino? Nam & qui venerunt jam non sunt, & qui futuri sunt nondum sunt. Nam illi defecerunt, & illi defecturi venturi sunt. In hoc ergo ipso uno die Fratres Ecce modo quod loquimur in momento est. Præteritæ horæ transierunt, futuræ nondum venerunt, & cum venerint & ipsæ transibunt, & deficient. Qui sunt anni qui non deficiunt, nisi qui stant? Si ergo ibi anni stant, & ipsi anni qni stant unus annus est, & ipse unus annus qui stat unus dies est: quia ipse unus dies nec ortum habet, nec occasum, nec inchoatur ab hesterno, nec excluditur à crastino, sed stat semper ille dies. Et quod vis vocas illum diem, si vis anni sunt, si vis dies est: quodcunq; cogitaveris, stat tamen. Ipsius stabilitatis participat illa Civitas, cujus participatio est in idipsum Meritò ergò quia illius stabilitatis fit particeps. dicit iste qui illuc currit, Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem. Omnia enim ibi stant ubi nihil transit. Vis & tu ibi stare & non transire? illuc curre. *Ib. Exposit: Psal. 121.* *Ps. 101 28.* *Anni stantes.*

Æternitas spem non habet. Quousq; veniamus ad æternitatem, speremus in Dominum Deum: quia cum venerimus ad æternitatem, jam spes non erit sed ipsa res erit. *Ib. Exposit. Psalm. 130.*

O Si-

O Sion Deus tuus regnabit in æternum. Nunquid sine te regnabit Deus tuus? In generatione, & generatione. Bis dixit quia non potuit semper dicere. Nec putes quia verbis finitis, finitur æternitas. Æternitas, in verbo, quatuor syllabis constat, in se sine fine est. Non potuit tibi nisi sic commendari. Deus tuus regnabit in generatione, & generatione. Parum dixit si tota die diceret angustum esset: si tota vita sua diceret nonne aliquando conticesceret? Ama æternitatem, nullo fine regnabis. Si finis tibi Christus est, cum quo regnabis in sæcula sæculorum Amen. *Ibid. Enar. in Psal.* 145. *Bis dixit Deus pro semper.*

Æterni erimus, æquales Angelis Dei Unam cum Angelis Sanctis civitatem habebimus, à Domino possidebimur, hereditas ejus erimus, & ipse hereditas nostra erit, quoniam ipsi dicimus modò, Dominus pars hereditatis meæ. Et de nobis dictum est filio ipsius: Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam. Possidebimus, & possidebimur, tenebimus, & tenebimur. *T.* 10 *ser. de Tem. ser.* 119. *Fer. secunda post Dni. Palm. ser.* 2do. *Hereditas nostra æternitas* *Ps.* 15. 5. *Ps.* 2. 8.

Quo se miseri convertunt avertentes se ab illo, à quo facti sunt, & inhærentes illis quæ facta sunt? Cum perierit quod factum est, ubi erit amator temporis, qui perdidit æternitatem? Proinde propter illa bona, quæ non dabit Deus nisi bonis, & propter illa mala, quæ non inferentur nisi malis, quia in fine apparebunt, utraq; credi sibi vult Deus. Quæ enim merces fidei, aut quod omnino vel nomen fidei, si modo vis videre quod teneas? Non debes ergo videre ut credas, sed credere, ut videas: credere quamdiu non vides, ne cum videris, erubescas. *T.* 10. *Eorund, serm.* 245. *Dnica* 23. *post Fest. Ss. Trinit. ser.* 1. *Temporis amator perdit æternitatem.*

Panem Nostrum quotidianum da nobis hodie. Da æterna, da temporalia, Promisisti regnum, noli negare subsidium. Da nobis apud te sempiternum ornamentum, da in terra temporale alimentum. Ideo quotidie, ideo hodie, id est, hoc tempore. Cum transierit vita ista nunquid petemus panem quotidianum? Tunc enim non vocabitur quotidie, sed hodie. Nunc vocatur quotidie, quando transit dies, sed venit alius dies. Nunquid vocabitur quotidie, quando erit æternus unus dies? *T.* 10. *serm: de diversis ser.* 9. *de orat. ad Catech.* *Luc.* 11 3. *In æternitate non est nisi hodie.*

Ego sum, qui sum. Hæc dices filijs Israel. Qui est, misit me ad vos Quid est hoc? O Deus, o Domine noster quid vocaris? Est vocor dixit. Quid est, Est vocor? Quia maneo in æternum, quia mutari non possum. Ea enim quæ mutantur, non sunt, quia non permanent. Quod enim est, manet Quod autem mutatur, fuit aliquid, & aliquid erit, & non tamen est, quia mutabile est. Ergo incommutabilitas Dei isto vocabulo se dignata est intimare, Ego sum qui sum *Ibidem serm.* 17. *Exod.* 1 15. *Incommutabilitas Dei.*

Ante Abraham ego sum. Quod enim dicitur quia fuit, non est: hesterno enim die finito, incipiens hodiernus venturo crastino finitur. Ille unus dies ibi est sine tenebris, sine nocte, sine spatijs, sine mensura, sine horis. Quod vis illum dic: si vis dies est, si vis annus est, si vis anni sunt. Dictum est enim de ipso. Et anni tui non deficient. Quomodo autem dictus est dies? Quando dictum est Domino, Ego hodie genui te. Ab æterno Patre genitus, ex æternitate genitus, in æternitate genitus: nullo initio, nullo fine, nullo spatio latitudinis, quia est quod est, quia ipse est qui est, *T.* 9. *in Epist. Ioan. Tract.* 2. *de cap,* 2. *Ioa.* 8. 58. *Ps.* 2. 7. *Æternitas annus, anni, dies.*

ADULATIO

Magnus laudator magnus adulator,

CÆsari Cicero dicebat, quod nihil oblivisci soleret, nisi injurias; dicebat hoc tàm magnus laudator, aut tàm magnus adulator: sed si laudator, talem Cæsarem noverat, si autem adulator, talem esse debere ostendebat Principem Civitatis, qualem illum fallaciter prædicabat. *August. T. 2. Epist. 5.*

Adulator docet qualis esse debeas.

Ibi est á vanitate remota laudatio, ubi etiam vituperatio ab offensione secura est Docendus es, omnem istam gloriam famamq; popularem, non in ore vulgi esse laudabilem, sed in rebus ipsis; quæ etiamsi vulgo displiceant, proprio tamen fulgore ac pondere, non imperitorum commendatione pretiosæ sunt; magisq; miserandus est, qui talia improbat, quàm ille, qui de talibus improbatur, judicandus miser. Cum verò placent, & sibi debita laude, populariter quoq; prædicantur: nec sic quidem ipsæ majores melioresq; fiunt alieno judicio; quoniam integrantur intima veritate, & solius conscientiæ robore solidantur. *T. 2. Epist: 128.*

Fama popularis non in ore sed in rebus.

Nemo aliena laude melior.

Reprehensores tolerandi.

Magis optabo á quolibet reprehendi: quàm sive ab errante sive ab adulante laudari. Nullus enim reprehensor formidandus est Amatori veritatis Etenim aut inimicus reprehensurus est, aut amicus Si ergo inimicus insultat, ferendus est, amicus autem si errat, docendus, si docet audiendus. Laudator verò & errans, confirmat *Ps. 140* errorem, & adulans illicit in errorem, emendabit ergo me justus in misericordia & arguet me. *T. 3. l. 2. de Tri. in pro.*

Adulator erroris magister

In corripiente intentio spectanda.

Plerumq; crudelis fallax adulatio, sic semper misericors justa correptio. Tu ergo attende quo voceris, & unde revoceris. Nam unde nosti quo in te animo sit quem sævum putas? *T. 7. l. 2. cont. Petil. c. 67.*

Persecutor Adulator homicida.

Avertantur statim erubescentes qui dicunt mihi Euge Euge. *Ps. 69. 4.* Duo sunt genera Persecutorum; vituperantium & adulantium. Plus persequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris. Nam & ipsam, Caminum dixit: Scriptura. Certe dum de persecutionibus loqueretur scriptura, dixit: Tanquam aurum in fornace probavit il- *Sap. 3. 6.* los de Martyribus interfectis, & sicut holocausti hostiam accepit illos. Audi quia & lingua adulantium talis est. Probatio inquit argenti & auri ignis. Vir autem probatur per os laudantium eum. Argenti, inquit, & auri: ignis ille, ignis & iste, de utroq; te salvum opportet exire. *T. 8. in Psal. 69.*

Laudes Lydius lapis virtutis.

ADULTERIUM

COncubinas vobis habere non licet. Si audiant competentes, quod dico fidelibus, non habetis uxores, non licet vobis habere concubinas, quas postea duxeritis uxores; quantò magis damnatio vobis erit, si habere volueritis & concubinas, & uxores dimittatis? Non vobis licet habere uxores, quarum priores mariti vivunt. Nec vobis fæminæ, habere viros licet, quorum priores uxores vivunt: Adulterina sunt ista conjugia, non jure fori, sed jure Cæli. Nec eam *Gen.* fæminam, quæ per repudium discessit à marito, licet vobis ducere vivo marito. *T. 10 50. Homiliarum, Hom. 49. de illo.* Quis est homo qui *5.* vult vitam &c.

Adulterina conjugia non jure fori sed jure Cæli.

Zelent fæminæ viros propter animam non carnem.

Zelent viros suos, non sibi servent vanam gloriam, quâ solent à maritis impudicis matronæ laudari, quia impudicitiam virorum suorum æquo animo ferunt. Nolo autem talem patientiam habeant Christianæ mulieres, prorsus Zelent viros suos: non propter carnem suam, sed propter animas illorum, Omnino ego moneo, ego præci-

pio.

1. Cor. 7. 4. pio, ego jubeo. Episcopus jubet, CHRISTUS in me jubet. *Et infra.* Similiter & vir non habet corporis sui potestatem, sed mulier. ubi ad hoc ventum fuerit, clamate pro re vestra. Aurum tuum vendit maritus pro necessitate sua, ferto fæmina, ferto ancilla, noli litigare, noli contradicere: Contemptus auri tui, dilectio est viri tui. Si villam tuam pro necessitate sua vendat, quæ est & tua: (non enim potest esse ejus, quæ non sit tua: si est charitas in te, quæ debet esse in uxore) ferto patienter: & si dubitat, tu offer, contemne omnia propter amorem viri tui. Sed castum opta, pro castitate litiga. Patienter, pereat villa tua, non anima ipsius te patiente pereat. Non dico viris, & in hac causa zelent uxores suas. Scio, quia faciunt; novi, Quis ferat uxorem adulteram? & imperatur fæminæ ut ferat adulterum virum? O justitia! Quare rogo te. Quare? Quia ego sum vir. Vires in fortitudine tua probemus, quia vir es. Vir es? Vince libidinem. Quomodo vir? quo uxor est fortior: Tu es caput mu-

Eph 5. 23: lieris vir, verum. Si caput est, ducat, uxor sequatur. Sed ubi recta est domus, caput mulieris vir. Si caput es, duc: sequatur illa caput suum. Sed vide quo eas. Noli ire, quò non vis ut sequatur: noli ire quo times pedissequam, ne in foveam simul ruatis: ne, cum tu facis, doceas quod facis *Et infra.* Nolite autem pudicissimæ fæminæ imitari impudicos viros vestros, Absit à vobis. Aut vobiscum vivant, aut soli pereant. Impudico marito non debet mulier pudicitiam, sed DEO illam debet, CHRISTO illam debet. Non propter illum faciat, qui non meretur, sed propter CHRISTUM faciat. Pretium suum attendat. *Ibid.*

Episcopus jubet, Christus jubet. *Amor conjugalis jacturas pro lucro habet.* *Vir, unde vires probet?* *Qui facit, docet quod facit.* *Impudico non debet pudiciam mulier sed DEO.*

Unde appellatum est adulterium, quasi ad alterum. Et si egrediuntur metas matrimonialis pacti: non egrediantur metas conjugalis thori. Nunquid hoc non est peccatum, amplius quàm liberorum procreandorum necessitas cogit, exigere à conjuge debitum? Est quidem peccatum sed veniale. Apostolus dicit: Hoc autem dico secundum veniam. *T. 10. 2. par. ser. de diver. ser. 63.*

Adulterium, quasi ad alterum. *Matrimonialis pacti metæ.*

AMBITIO

FUgax animus, ab incommutabili lumine omnium regnatore id agit, ut ipse sibi regnet & corpori suo: & ideo non potest, nisi & se & corpus suum diligere. Magnum autem aliquid adeptum se putat, si etiam socijs id est alijs hominibus dominari potuerit. Inest enim vitioso animo, id magis appetere, & sibi tanquam debitum vendicare, quod uni propriè debetur DEO. *T. 3. l. 1 de Doctr Christ. c. 23.*

Ambitio soli Deo debita appetit.

Honorum porro continuandorum facultas non esset, nisi ambitio prævaleret. Minimè autem prævaleret ambitio, nisi in populo avaritiâ luxuriâq; corrupto. Avarus verò luxuriosusq; populus secundis rebus effectus est, quas Nasica ille prudentissimè cavendas esse censebat, quando Civitatem hostium, maximam, fortissimam, opulentissimamq; auferri nolebat, ut timore libido premeretur, libido pressa non luxuriaretur, luxuriaq; cohibita, nec avaritia grassaretur. *Lib. 1. de Civ. Dei. c. 31.*

Ambitio fœtus avaritiæ & luxuriæ, hæ autem Rerum secundarum.

Gen. 3. 5. Gustate & eritis sicut Dij. Appetentes quod non erant, quod acceperant amiserunt. *T. 8. Conc. 2. de 1. par. Psal. 103.*

Cupiditas nimia amittit quæ habet.

AMICITIA DEI

AMicita rectissimè & sanctissimè definita est, rerum humanarum atq; Divinarum cum benevolentia & charitate consensio. *T. 1. l. 3. con. Acad. c. 6.*

Amicitiæ indoles communicativa.

Et, si voluntatem DEI nosse quisquam desiderat, fiat amicus

Voluntatem Dei solus novit Amicus Dei.

DEO, quia si voluntatem hominis nosse quisquam vellet, cujus amicus non esset, omnes ejus impudentiam & stultitiam deriderent; non autem quisquam efficitur DEI amicus, nisi purgatissimis moribus, & illo fine præcepti, de quo Apostolus dicit. Finis autem præcepti est, charitas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, quod isti si haberent non essent Hæretici. *T. 1. l. 1. de Gen. con. Manich. c. 2.*

AMICITIA MUNDI

Amicitia inimica.

OMnis inimica amicitia, seductio mentis investigabilis. *Et infra.* Cùm dicitur Eamus, faciamus, & pudet non esse impudentem. *Lib. 2. confess. c. 9.*

De quodam Pontiano refert Sanctus Augustinus. Illum & tres alios contubernales suos, apud Treviros, cum Imperator pomeridiano Circensium spectaculo teneretur, exijsse deambulatum in hortos mari contiguos, & duos illorum seorsum digressos, irruisse in quandam casam, ubi habitabant servi DEI, & invenisse ibi codicem, ubi fuerat scripta vita Antonij. Quam legere cæpit unus eorum, & mirari, & accendi. Tunc subito repletus amore sancto, conjecit oculos in amicum, & ait illi. Dic, quæso te, omnibus istis laboribus nostris, quò ambimus pervenire? quid quærimus? cujus rei causâ militamus? Majorne esse poterit spes nostra in Palatio, quàm ut amici Imperatoris simus, & ibi, quid non fragile, plenumq; periculis? Et per quot pericula, pervenitur ad grandius periculum? & quamdiu istud erit? Amicus autem DEI esse si voluero, nunc fio. Te, si imitari piget, noli adversari. Respondit ille, se adhærere socio tantæ mercedis, tantæq; militiæ. Duo alij supervenientes, illis piè congratulati, commendarunt se orationibus eorum, & trahentes cor in terram, abierunt in Palatium, illi autem, affigentes cor cælo, manserunt ambo in casa. & habebant sponsas. Quæ postquam hæc audierunt, dicaverunt etiam ipsæ Virginitatem suam. Narrabat hæc Pontianus, Tu autem Domine, inter verba ejus, retorquebas me ad me ipsum &c. ut viderem quàm turpis essem, quàm distortus & sordidus, maculosus & ulcerosus. *Lib 8. Conf. c. 6. & 7.*

Lectio spiritualis amicos Dei format. *Gratiæ Divinæ delectus.* *Vis exempli & Inspirationis.*

Onus meum leve. Huic jugo qui subjectus est, subjecta habet omnia. Sed miseri amici hujus mundi, cujus Domini erunt, si filij DEI esse noluerint, quoniam dedit eis potestatem filios DEI fieri. Amici ergo hujus mundi, tam timent ab ejus amplexibus separari, ut nihil sit eis laboriosus, quàm non laborare. *T. 1. lib. 1. de vera Relig. c, 35.* *Mat. 11.30.*

Nihil laboriosius quàm non laborare.

O infida in voluntatibus amicorum scientia præsentium, ubi nulla est præscientia futurorum, novit enim utcunq; vix forte nunc, qualis sit, qualis autem postea sit futurus, ignorat. *T. 2. Epist. 15.*

Scientia sine præscientia inter amicos infida.

Inter quos amicos, rerum non est consensio Divinarum, nec humanarum plena esse potest ac vera. Nec tibi videatur absurdum, quod illo tempore, cum in vana hujus mundi æstuarem, quamvis me multum amare videreris, nondum eras amicus meus, quando nec ipse mihi amicus eram, sed potius inimicus. Quia scriptum est in sanctis libris: Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Cum ergo odissem animam meam, verum amicum quomodo habere poteram? ea mihi optantem, in quibus me ipsum patiebar inimicum. Nunc nobis est rerum humanarum & divinarum cum benevolentia & charitate consensio in Christo IESV, verissima pace nostra, qui duobus præceptis, cuncta præconia divina conclusit dicens. Diliges Dominum DEUM tuum, & diliges proximum tuum. In illo primo, rerum Divinarum, in hoc secundo, rerum humanarum est cum benevolen-

DEO inimici nec inter se amici.

Firmissimam amicitiam facit conjunctio cum DEO.

volentia & charitate consensio. Hæc duo si mecum firmissimè teneas, amicitia nostra vera ac sempiterna erit: & non solum nos invicem, sed ipsi etiam Domino sociabit. *T, 2. Epist, 155.*

Osculatus est Jacob Rachel: consvetudinis fuit, maximè in illa simplicitate antiquorum, ut propinqui propinquos oscularentur, & hoc hodie fit in multis locis. *T, 4. l, 1. quæst: in Gen: 87.* *Osculum.*

Tantò major in me tuæ sanctitatis est facta notitia, quantò certior amicitia. Neq; enim dedignaris, qui non alta sapis quamvis altiùs præsideas, esse amicus humilium, & amorem rependis impensum. Quid est enim aliud amicitia, quæ non aliunde, quàm ex amore nomen accepit, & nusqnam nisi in CHRISTO fidelis est, in quo solo sempiterna etiam ac felix esse potest. *T, 7. l, 1 ad Bonifac: c, 1.* *Amicitia non est nisi in Christo.*

Quidquid salubriter mente concipitur, vel ore profertur, vel de qualibet Divina pagina exculpitur: non habet fidem nisi charitatem. Hæc autem charitas non qualiscunq; est. Nam & malè viventes irretiuntur sibi societate perditæ conscientiæ, & dicuntur amare se, nolle discedere ab invicem suis collocutionibus conciliari, desiderare se absentes, gaudere ad præsentiam suam. Amor iste tartareus est. Viscum habet quo deijciat in profundum, non pennas quibus levet in Cælum. *Ibid. præfat: in Psal. 140.* *Inter malos amor tartareus.*

Matt. 8. 21. Ibo prius sepelire patrem meum. Fides cordis ejus Domino se ostendebat, sed pietas differebat. Dominus autem Christus quando parat homines Evangelio, nullam excusationem vult interponi carnalis hujus temporalisq; pietatis. *T, 10. ser: de verbis Dni, ser: 7. De tribus quorum unus dixit, Domine sequar te quocunq; ieris, & reprobatus est: alius non audebat, & excitatus est: tertius differebat & culpatus est.* *Amicitia mũdi differt obsequium Dei.*

AMOR DEI

Quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas à me, & nisi faciam irasceris mihi & minaris ingentes miserias, parvane est ipsa miseria? si non amem te. *Lib. 1. Conf. c, 5.* *Amoris Dei dignatio.*

Minùs te Domine amat, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat. O amor qui semper ardes, & nunquam extingueris, charitas DEUS meus accende me. *Lib. 10. Conf c, 29* *Amor Dei cũ altero in compossibilis.*

Da mihi te DEUS meus, redde mihi te, te enim amo, & si parum est, amem validiùs. *Lib, 13, Conf: c, 8.*

Pondus meum amor meus, eò feror quocunq; feror: Dono tuo accendimur, & sursum ferimur igne tuo. Igne tuo bono inardescimus, & imus, illic nos collocavit voluntas bona, ut nihil velimus, quàm permanere illic in æternum. *Lib. 13. Conf: c, 9.* *Amoris pondus.*

Divinæ scripturæ, tot voluminibus, & tantâ auctoritate, & sanctitate præditis nihil nobiscum aliud agunt, nisi ut diligamus DEUM, & DEUM nostrum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, & proximum tanquam nosmetipsos. Quid ergo? facile est, an amare colores & voces, & placentas, & rosas, & corpora leniter mollia? in quibus anima (*Homo*) nihil nisi æqualitatem & similitudinem appetit, & paulò diligentius considerans, vix ejus extremam umbram vestigiumq; cognoscit, DEUM autem amare difficile est? quem inquantum potest adhuc saucia & sordida cogitans, nihil in eo inæquale, nihil dissimile sui, nihil disclusum locis, nihil variatum tempore suspicatur. *T, 1. l, 6 Mus: c, 14.* *Matt. 22. 17.* *Divina scriptura unum agit ut amemus.* *Amor Dei facilis.*

DEUM diligere ac nosse beata vita est, quam se omnes clamant quærere: pauci autem sunt, qui eam verè se invenisse lætentur. *T. 1. l. de Magistro c, 14*

Non vincitur nisi cum ei eripitur ab adversario, quod amat. *Amor invinctus.*

Qui ergo amat id solum, quod amanti eripi non potest, ille indubitanter invictus est, nec cruciatur invidiâ. *T, 1. l. de ver: Relig.*

Vincit mortem, dolorem.

Anima cum se hoc amore tota in DEUM converterit, mortem non modo contemnet verùm etiam desiderabit. Sed restat cum dolore magna conflictatio? Nihil est tam durum atq; ferreum, quod non amoris igne vincatur; quia cum se anima rapit in DEUM, supra omnem carnificinam, libera, & admiranda volitabit pennis pulcherrimis & integerrimis, quibus ad DEI complexum amor castus innititur. Nisi verò amatores auri, amatores laudis, amatores fæminarum, amatoribus suis DEus faciat fortiores, cum ille non amor, sed congruentius cupiditas vel libido nominetur. In quo tamen apparet, quantus sit Impetus animi ad ea, quæ diliguntur; indefesso conatu per immania quæq; tendentis, argumentoq; nobis est, quàm sint omnia perferenda, nè deseratur DEus, si tanta illi, ut deserant, perferunt. *T, 1. l, 1. de mor: Eccl: Cathol: c, 21.*

Illecebras carnis.

Concordia civitatum custodia.

Quæ disputationes, quæ literæ quorumlibet Philosophorum: quæ leges quarumlibet Civitatum duobus præceptis, ex quibus CHRISTUS dicit totam legem Prophetasq; pendere ullo modo sunt comparandæ &c. hîc laudabilis Reip. salus, neq; enim conditur & custoditur optima Civitas, nisi fundamento & vinculo fidei firmæq; concordiæ, cum bonum commune diligunt, quod summum ac verissimum DEus est, atq; in illo invicem sincerissimè se diligant homines, cum propter illum se diligant, qui quo animo diligant occultare non possunt. *T, 2. Epist: 3.*

Deus bonum commune.

Vt Ægrotus medicinam ita iniqus odit legem.

Jlle huic doctrinæ inimicus animus, qui vel errando nescit eam esse saluberrimam, vel odit ægrotando medicinam. *Ibidem.*

In eo quod unusquisq; renuntiat omnibus quæ sunt ejus, illud etiam continetur, ut oderit Patrem suum, & Matrem, & Uxorem, & Filios, & fratres, & sorores, & animam suam. Omnia enim hæc propria ejus sunt, quæ plerumq; implicant & impediunt ad obtinenda non ista propria temporaliter transitura, sed in æternum mansura communia. *T, 2. Epist: 38.* *Lu. 14. 26.*

Abnegationis partes.

Singularia transeunt cōmunia æternant.

Quisquis diligit DEUM, hic cognitus est ab illo, Nec sic dicere voluit cognovit eum; sed dicendo cognitus est ab illo, expressiùs voluit commendare etiam hoc ab illo nobis esse, ut diligamus eum. Charitas enim DEI diffunditur in cordibus nostris: non per nos ipsos; sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. *T, 2. Epist: 120. c, 27.*

Quod invitis nobis transit, non amādum.

Invigilo & quantum queo, enitor, ut nihil amem quod abesse á me invito potest. *T, 2. Ep. 214*

Nulla vitæ pars ab amore vacet.

Diliges DEUM ex toto corde. Cum ait: toto corde, tota anima, tota mente; nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, vel quasi locum dare, ut alia re velit frui: sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit. *T, 3. l, 1. de doctr. Chr: c, 22.* *Matt. 22. 37.*

Inimicorum dilectio.

DEO perfrui beatè vivere est, à quo habent omnes, qui eum diligunt, & quòd sunt, & quod eum diligunt: de quo nihil metuimus, nè cuiquam possit cognitus displicere: & qui se vult diligi, non ut sibi aliquid, sed ut eis, qui diligunt, æternum præmium conferatur, hoc est ipse quem diligunt? Hinc efficitur, ut inimicos etiam nostros diligamus: non enim eos timemus, quia nobis, quod diligimus, auferre non possunt; sed miseremur potius, quia tantò magis nos oderunt, quantò ab illo quem diligimus separati sunt. *Ibi. c, 29.*

Rectè amans rectè credit.

Cum quæritur utrum quisq; homo sit bonus, non quæritur quid credat, aut speret, sed quid amet? Nam qui rectè amat proculdubiò rectè credit & sperat, qui verò non amat, inaniter credit, ina-

inaniter sperat, nisi & hoc credat ac speret, quod sibi petenti donari possit ut amet *T, 3. Enchir. c. 117.*

Dilectio Dei & proximi, non immerito plerumq; scriptura, pro utroq; unum ponit, sive tantùm Dei, sicut est illud; charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum. Quia & qui diligit Deum, consequens est ut faciat quod præcepit Deus, intantùm diligit, inquantum facit: consequens ergo est, ut & proximum diligat, quia hoc præcepit Deus: sive tantùm proximi dilectionem scriptura commemorat, sicut est illud: Omnis lex in uno sermone impletur, Diliges proximum tuum, in quibus sola dilectio proximi ad perfectionem præcipi videtur, & taceri de dilectione Dei; cum in utroq; præcepto lex pendeat & Prophetæ. Sed & hoc ideo, quia & qui proximum diligit, consequens est, ut ipsam præcipuè dilectionem diligat, Deus autem dilectio est, & qui manet in dilectione, in Deo manet. *T, 3. l, 8. de Trin: c, 7.*

Diligit proximum, qui Deum, & è contra.

Gal. 5. 14.

Fideles in dilectione acquiescent, illi revocati à strepitu qui foris est, ad gaudia silentij. Ecce Deus dilectio est, ut quid imus & currimus, in sublimia cælorum & ima terrarum, quærentes eum qui est apud nos, si nos velimus esse apud eum. *T. 3. ibidem.*

Sap 3. 9.

Gaudia silentij.

Quoniam egenus atq; indignus amor ita diligit, ut rebus quas diligit, subijciatur; propterea Spiritus Dei superferri dictus est, in quo ejus sancta benevolentia dilectioq; intelligitur, superferri dictus est: ne facienda opera sua per indigentiæ necessitatem potiùs, quàm per abundantiam beneficentiæ Deus amare putaretur? Cujus rei memor Apostolus, dicturus de charitate, supereminentem viam demonstraturum se ait. Et in alio loco supereminentem inquit scientiæ charitatem Christi: superferri autem non loco sed omnia superante ac præcellente potentia? *T, 3 l.1. de Gen. ad lit: c, 7.*

Quæ quis diligit, iisdem subjectus est.

Si diligenter consideratur, ista duo præcepta, ita ex alterutro connexa reperiuntur, ut nec dilectio Dei possit esse in homine, si non diligit proximum, nec dilectio proximi, si non diligit Deum. *T, 4. de Fid. & Ope. c. 10*

Dei & proximi amor connexus.

Cujus rei amor amandus est, nisi ejus quæ non potest deesse dum amatur? Id autem est, quod nihil est aliud habere quàm nosse. Porrò aurum & omne corpus, non hoc est habere, quod nosse, non itaq; amandum est. *T, 4. l 80. quæst: 35.*

Amor rerum amandarum charitas & dilectio meliùs dicitur. Quare omnibus cogitationum viribus considerandum est, saluberrimum illud præceptum, Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo &c. & illud quod ait Dominus Jesus. Hæc enim vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum *T. 4. l, 80. quæst. ead.*

Quoniam prior dilexit nos, & Filio suo unico non pepercit. Si amare pigebat, saltem nunc redamare, non pigeat. Nulla est enim major ad amorem invitatio, quàm prævenire amando. Et nimis durus est animus qui dilectionem si nolebat impendere, nolit rependere. *Et infra.* Quid superiùs Deo judicante, & quid desperatius homine peccante, qui se tantò magis tuendum & subjugandum superbis potestatibus addixerat, quæ beatificare non possunt, quantò magis desperaverat posse sui curam geri ab ea potestate, quæ non malitia sublimis est. *T, 4. l, de Cat: rud: c. 4.*

Amandus Deus quia prior amavit.

Quis non redamare affectet, justissimum & misericordissimum Deum? qui prior sic amavit injustissimos & superbissimos homines, ut propter eos mitteret unicum Filium, per quem fecit omnia: qui non sui immutatione, sed hominis assumptione homo factus, non solum cum eis vivere; sed etiam pro eis & ab eis posset occidi. *T. 4. l, de Cat: rud: c. 22.*

Amantium labores non onerosi.

Nullo modo sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant; sicut venantium, aucupantium, piscantium, vindemiantium, negotiantium, ludo aliquo se se oblectantium: interest ergò quid ametur. Nam in eo quod amatur, aut non laboratur, aut & labor amatur. Et vide quam pudendum & dolendum sit, si delectat labor, ut fera capiatur, ut cupa & sacculus impleatur, ut pila jaciatur; & non delectat, ut DEUS acquiratur? *T, 4. l, de bono viduit: c, 21.*

Philosophus amator Dei.

Quisquis fruitur eo quod amat, verumq; & summum Bonum amat, quis eum Beatum nisi miserrimus negat? Ipsum autem Verum ac summum Bonum Plato dicit DEUM, unde vult esse Philosophum amatorem DEI, ut quoniam Philosophia ad beatam vitam tendit, fruens DEO sit beatus, qui DEUM amaverit. *T. 5. l. 8. de Civit: D. c, 9.*

Finis Creationis hominum.

Neq; enim vir bonus meritò dicitur, qui scit quod bonum est, sed qui diligit. *Et infra.* Ita enim corpus pondere, sicut amicus amore fertur, quocunq; fertur Quoniam igitur sumus ad nostri Creatoris imaginem creati, cujus est vera æternitas, æterna veritas, æterna & vera charitas, estque ipse æterna & vera & chara Trinitas, neque confusa neque separata: in ijs quidem rebus, quæ infra nos sunt, quasi quædam èjus, alibi magis, alibi minùs impressa vestigia colligamus, in nobis autem ipsis ejus imaginem contuentes, tanquam minor ille Evangelicus Filius, ad nosmetipsos reversi surgamus, & ad illum redeamus, à quo peccando recesserimus. Ibi esse nostrum non habebit mortem, ibi nosse nostrum non habebit errorem, ibi amare nostrum non habebit offensionem. *T, 5 l, 11 de Civit: D: c, 28.*

Ea quæ infra nos Creatoris vestigia sunt, nos imago.

Amantes se, sacrificium, Templum.

Mihi autem adhærere DEO, bonum est. Hoc bonum quibus Ps. 72. 28.
commune est habent, & cum illo cui adhærent, & inter se Societatem Sanctam, & sunt una Civitas DEI, eademq; vivum sacrificium ejus, vivumq; Templum ejus. *T, 5. l, 12. de Civit: D. c, 9*

Amor ad tria.

Quia duo præcipua, hoc est dilectionem DEI & dilectionem proximi docet Magister DEUS: inquibus tria invenit homo, quæ diligat, DEUM, seipsum & proximum; atq; ille in se diligendo, non errat, qui diligit DEUM: consequens est, ut etiam proximo ad diligendum DEUM consulat, quem jubetur sicut seipsum diligere. Sic uxori, sic filijs, sic domesticis, sic cæteris quibus poterit hominibus. *T, 5. l. 19. de Civ. D. c. 14.*

Sine amore Creatoris creaturæ non amantur.

Amor mundi quo quisq; amicus est hujus mundi, non est à DEO: fruendi quibuscunq; creaturis, sine amore Creatoris, non est à DEO: Amor autem DEI quo pervenitur ad DEUM, non est nisi à DEO Patre per JESUM CHRISTUM cum Spiritu Sancto. Per hunc amorem Creatoris, bene quisq; utitur etiam creaturis, sine hoc amore Creatoris, nullus quisquam bene utitur creaturis. *T. 7. lib. 4. con. Iulian, c. 3.*

Amor nunquam vacat.

Quid enim de quodam homine male operatur nisi amor? Da mihi vacantem amorem & nihil operantem. Flagitia, adulteria, facinora, homicidia, luxurias omnes, nonne amor operatur? Purga ergo amorem tuum, aquam fluentem in cloacam, converte ad hortum. Quales impetus habebas ad mundum, tales habeas ad artificem mundi. Num vobis dicitur, nihil ametis? Absit, pigri, mortui, detestandi miseri eritis, si nihil ametis. Amate, sed quid ametis, videte. Amor DEI, amor proximi charitas dicitur. Amor mundi, amor hujus sæculi, cupiditas dicitur. Cupiditas refrænetur, charitas excitetur. Ipsa enim charitas bene operantis, dat ei spem bonæ conscientiæ: spem enim gerit bona conscientia. Quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe. *Ibid. præf: in Psal. 31.*

Conscientia mala in desperatione est, bona in spe.

In

Decachordum Præcepta Dei.

Ps. 143 9. In psalterio decachordo psallite ei. Serviant membra vestra dilectioni DEI & proximi, in quibus tria & septem præcepta servantur. *T, 8. in Psal. 32.*

Aliud oculis Cordis aliud Corporis amans.

Qui non amat friguit, obriguit, Ametur, sed illa pulchritudo quæ cordis oculos quærit: ametur, sed illa pulchritudo quæ laudatur. Justitia incendit animos, justitiâ accensi promunt verba; edunt voces, undiq; dicunt Bene Optime. Quid viderunt? In quo pulcher est curvus senex? non enim si procedat senex justus, est aliquid in ejus corpore quod ametur, & tamen amatur ab omnibus. Ibi amatur ubi non videtur, imo ibi amatur, ubi corde videtur. Delectet vos ergo, & rogate Dominum ut delectet. Dominus enim dabit suavitatem,
Ps. 84. 13. & terra nostra dabit fructum suum, ut per charitatem impleatis quod per timorem implere difficile est. *Ibid. Con: 1. in Psal. 32.*

Amor surdus ad Censuras.

Amatores lubrici & damnabiles fæminarum, quando amatæ ipsorum componunt illos secundum oculos suos, si ipsis placeant non curant, eos quibus displiceant, putantes sibi sufficere, quod earum oculis placeant, ad quas affectant: & plerumq; gravibus displicent: imò semper gravibus displicent, & meliori judicio reprehenduntur. Si ergo illi non curant reprehensores & veraces, ut sint formosi fallaces: nos in his rebus, in quibus placemus sapientiæ DEI, non debemus curare irrisores injustos, non habentes oculos, unde videant quod amamus. *Ibidem.*

Amoris argumentum Raptus aliorum ad amorem.

Ps. 33. 4. Magnificate Dominum mecum. Amat Dominum quisquis est iste. Et quomodo illum amat? ut non invideat amatori suo. Quisquis enim amat carnaliter, necesse est, ut cum zelo pestifero amet. *Et infra.* Si amatis DEUM, rapite omnes ad amorem DEI, qui vobis junguntur, & omnes qui sunt in vestra domo. Si amatur à vobis corpus Christi, id est unitas Ecclesiæ, rapite eos ad fruendum, & dicite, Magnificate Dominum mecum, & exaltemus Nomen ejus in id ipsum, hoc est in unum. Ergo rapite, quos potestis, hortando, portando, rogando, disputando, rationem reddendo, cum mansvetudine, cum lenitate. Rapite ad amorem, ut si magnificant Dominum, in unum magnificent. *T, 8. Exposit: in Psal. 33.* *Zeli actus.*

Morientis peccatoris diffidentia.

Domine quis similis tibi? Da si vis dare, & in hac vita quod quæro: si autem non vis, tu esto vita mea, quem semper quæro. Hinc ad te quomodo libera fronte exeam, si alium adoravero, & te offendero? cras forte moriturus sum, qua fronte te videbo? *Ibid. Con: 1. in Psal. 34.*

Tolerantiam adversorum quid levem facit.

Qui amant, eadem quidem, sed non gravia pati videntur. Omnia enim sæva & immania, prorsus facilia, & prope nulla efficit amor. Quantò ergo certiùs, ac faciliùs ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam, quantum potuit cupiditas fecit? Quàm facile toleratur quælibet adversitas temporalis, ut æterna pæna vitetur, æterna requies comparetur? Non immeritò ille vas ele-
Rom. 8 18. ctionis, cum ingenti lætitia dixit. Non sunt condignæ passiones hujus temporis. *Et infra.* Et si angusta est paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Psalmista. Propter verba labi-
Ps. 16. 4. orum tuorum, ego custodivi vias duras. Sed quæ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitescunt amantibus. *T, 10. serm: de verbis Dñi ser: 9 de illo Matt.* Venite ad me qui laboratis &c.

Deus non amatur nisi de Deo.

DEUS non amatur, nisi de DEO. Amavit ille nescio quid aliud de carne sicut homo. Quodlibet amaverit, socios suos amaverit, conscientiam scelerum amaverit, gloriam in facinoribus amaverit, quodlibet amaverit, Multum amavit, qui torqueri potuit, deficere non potuit. Si ergo ille non potuit tanta perferre sine amore: nec tu poteris communicare Christi passionibus sine amore. Sed quæro *Non communicat passionibus Christi nisi amans.*

quo

quo amore? Non sit cupiditas, sed sit charitas. Si enim inquit tradidero corpus meum ut ardeam, & charitatem non habeam, nihil mihi prodest. *1. Cor. 13. 3.* Ut prosit tibi communicatio passionum Christi, charitas adsit. Unde tibi charitas? O mendicissima infirmitas unde tibi charitas Dei? Vis, ostendo tibi, unde sit tibi? *Et infra.* Ergo unde tibi charitas, nisi quia diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. *Rom. 5. 5.* *Ibid. ser: 15. de verbis Apost: Nos enim sumus circumcisio &c.*

Invenimus forsitan aliquos, qui præponant justitiæ delectationem, voluptatibus, & delectationi corporis sui: qui autem pro illa pænas, dolores, mortemq; contemnant putas est aliquis in vobis? Saltem cogitemus, quod profiteri non audemus. Quid cogitamus? Ubi cogitamus? Millia Martyrum adjacent oculis nostris, nisi veri amatores perfectiq; justitiæ De illis dictum est, Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: scientes

Fervoris Spiritûs notæ & effectus.

quod probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet Quid addi potest, ut opus perfectum habeat? amat, ardet, fervet, calcat omnia quæ delectant, & transit: venit ad aspera, horrenda, truculenta, minantia calcat, frangit, & transit. O amare, o ire, o sibi perire, o ad Deum pervenire! Qui animam suam amat, perdet illam: & qui perdiderit animam suam propter me, *Matt. 10. 39* in vitam æternam inveniet eam. Sic amandus est amator justitiæ, sic amatus est amator invisibilis pulchritudinis. *Ibid. ser. 17.*

Si amas videre Deum tuum, si in hac peregrinatione illo amore suspiras, ecce probat te Dominus Deus tuus, quasi dicat tibi: Ecce fac quod vis, imple cupiditates tuas, extende nequitiam, dilata luxuriam: quidquid libuerit, licitum puta: non hinc te punio, non

Amoris gratuiti signum.

te in gehennas mitto, faciem meam tantum tibi negabo. Si expavisti, amasti; si hoc quod dictum est, faciem suam tibi negabit Deus tuus, contremuit cor tuum, in non videndo Deum tuum: magnam pœnam putasti, gratis amasti. Si ergo sermo meus invenit in cordibus vestris aliquam scintillam gratuiti amoris Dei, ipsam nutrite. *T. 10. eorundem ser: 19. de consi: Ep.*

Amans Dei, sui obliviscitur.

Ergo amandus erat Deus, & amandus est Deus, ita ut si fieri potest, nosipsos obliviscamur. *Ibid Hom: 34.*

Amore vincuntur tentationes.

Amator Dei, dilectissimi, mulieris amore non vincitur, castum animum incitans adolescentia non permovit, nec diligentis authoritas. *T. 10. serm: de Temp. ser: 83. Dñica 3. in Quadrag. ser: 1. de Ioseph & Domina sua.*

Motiva amoris.

Amemus, gratis amemus, Dominum enim amamus, quo nihil melius invenimus. Ipsum amemus propter ipsum, & nos in ipso, tamen propter ipsum. Jlle enim veraciter amat amicum, qui Deum

In amico ametur.

amat in amico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo. Hæc est vera dilectio: propter aliud si nos diligimus, oderimus potius, quàm diligimus. Quid enim amat? Iniquitatem. Quid odit? Forte vicinum

Amor sui odium sui.

suum, forte vicinam suam. Expavescat, odit animam suam. Odium animæ, amor nequitiæ. Ergo contra odium nequitiæ, amor animæ.

Odium nequitiæ amor Animæ.

Qui diligitis Dominum, odio habete, quod malum est. Bonus est Deus, malum est quod amas, & teipsum malum amas. Quomodo amas Deum, cum adhuc amas, quod odit Deus? Audisti enim quia Deus dilexit nos; & verum est: Dilexit nos: & quales dilexerit, si attendamus, erubescimus. Sed ideo non erubescimus, quia diligendo tales, esse fecit non tales. Erubescimus recordatione præteritorum, gaudeamus spe futurorum. *Ibid. ser: 256. de anniver. Dedic: ser. 5.*

Nos diligimus, quia ipse prior dilexit nos. Multum enim dederat homini quandoquidem de Deo loquebatur, dicendo, Nos dili-

ligi-

ligimus, Qui? Quem? Homines DEUM, mortales immortalem, peccatores, justum, fragiles immobilem, factura fabrum, nos diligimus, & hoc unde nobis? Quia ipse prior dilexit nos. Quære unde homini diligere DEUM; nec invenies omnino, nisi quia prior illum dilexit DEUS? Dedit seipsum, quem diliximus: dedit unde diligeremus. Quid enim dedit unde diligeremus? Apertius audite per Apostolum Paulum: Charitas inquit DEI diffusa est in cordibus nostris. Unde? Num forte à nobis? Non. Ergo unde? Per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Habentes ergo tantam fiduciam, amemus DEUM de DEO: imò quia Spiritus Sanctus DEUS est, amemus DEUM de DEO. *Et infra.* Erigite vos ab luculenta ista cupiditate, ut maneatis in illuminatissima charitate. DEUM non vides: ama & habes. Quàm multa in damnabilibus cupiditatibus amantur, & non habentur: sordidè quæruntur, nec tamen continuo possidentur. Nunquid hoc est aurum amare, quod aurum habere? Multi amant; & non habent. Nunquid hoc est habere latissima & lautissima prædia, quod multi amant, & non habent? *Et infra.* DEus nobis de compendio se offert: clamat nobis. Amate me, & habebitis me; quia nec potestis amare me nisi habueritis me. O fratres, o filij, o Catholica germina, o sancta & superna semina, o in Christo regenerati, & desuper nati! audite me, imò per me cantate Domino canticum novum. Ecce inquis canto. Cantas, planè cantas. Audio, sed contra linguam testimonium non dicat vita. Cantate vocibus, cantate oribus, cantate moribus. *Et infra.* Cantate Domino canticum novum. Laudes quæritis? Laus ejus in Ecclesia Sanctorum. Laus cantandi, est ipse cantor. Laudes vultis dicere DEO, vos estote quod dicatis. Laus ipsius estis, si bene vivatis. Laus enim ejus non est in Synagogis Judæorum, non est in insania paganorum, non est in erroribus hæreticorum, non est in plausibus theatrorum. Quæris ubi sit? vos attendite, vos estote. *Et infra.* Pretium tritici, nummus tuus. Pretium fundi argentum tuum. Pretium margarithæ aurum tuum. Pretium charitatis, tu. Quæris ergo unde possideas fundum, gemmam, jumentum. Fundum quæris unde emas: & quæris apud te. Si vis autem habere charitatem, quære te, & invenies te. Quid enim times dare te, ne consumas te? imò si te non dederis, perdes te. *Et infra.* Audi quid tibi dicat ex ore sapientiæ charitas? Da mihi fili cor tuum. Da mihi inquit. Quid? Fili cor tuum. Malè erat, quando à te erat, quando tibi erat: per nugas enim, & amores lascivos, pernitiososq; trahebaris. Tolle inde. Ubi trahis? Ubi ponis? Da mihi inquit cor tuum. Sit mihi, & non perit tibi. *Et infra.* Sed noli tristis esse, quasi nihil, unde gaudeas, remaneat in te. Lætetur Israel, non in se sed in eo qui fecit eum. Respondebis, & dices, si nihil mihi remansit, unde diligam me; quia ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente jubeor diligere eum qui fecit me? quomodo secundo præcepto jubeor diligere proximum tanquam me? Hoc est magis, unde debeas, ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente proximum. Quomodo? Diliges proximum tuum, tanquam teipsum? DEUM, ex toto me: proximum sicut me. Unde me, unde te? Vis audire unde diligas te? Ex hoc diligis te, quia DEUM diligis ex toto te. Putas enim DEO proficere quod diligis DEUM; & quia diligis DEUM, DEO aliquid accedit? & si tu non diligas, minus habebit? Cum diligis, tu proficis: tu ibi eris, ubi non peris. Sed respondebis & dices: Quando enim non dilexi me? prorsus non diligebas te, quando DEUM non diligebas qui fecit te. Sed cum odisses te, putabas quod amares te. Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam. *T. 10. ser: de diver. ser: 2. habita Carthag: ad majores.*

Rom 5. 5. — *Psal. 149.* — *Ps. 10. 16.*

Dilectio vices exigit.

Caritas Spiritus Sancti donum.

Amor cælestia tenet statim quod amat non item terrenus.

Cantus vita bona.

Laus Dei ipse laudator illius.

Amoris pretium ipse amans.

Cordis locus Dei proprius.

Deum amas, te amas.

Amorem terrenorũ excludit amor æternorum.

Non potest amare quod æternum est, nisi destiterit amare, quod temporale est. Intendite amorem hominis. Sic putate quasi manum animæ Si aliquid tenet, tenere aliud non potest. Ut autem possit tenere quod datur, dimittat quod tenet. Hoc dico, videte quia aperte dico. Qui amat sæculum, amare DEUM non potest: occupatam habet animam. Dicit illi DEUS, tene quod do. Non vult dimittere quod tenebat, non potest accipere quod offertur. *T. 10. ser: nov: ser. 15.*

Animæ manus furor.

Omnes scripturæ nihil te aliud docent, nisi continentiam ab amore sæculi, ut amor tuus currat in DEO. *Et infra.* Tene ergo DEUM quia nunquam vilescit, quia pulchrius nihil est. Propterea enim vilescunt ista, quia non possunt stare, quia non sunt quod ipse. Tibi enim o anima non sufficit, nisi qui te creavit. Quidquid aliud apprehendis miserum est: quia tibi solus potest sufficere, qui ad similitudinem suam te fecit. Ex ipsa voce dictum est, Domine ostende Io: 14.
nobis Patrem & sufficit nobis. Ibi tantum potest esse securitas: & 19.
ubi potest esse securitas, quodammodo ibi erit satietas insatiabilis. Nam neq; satiaberis, ut velis discedere: neq; aliquid deerit, ut quasi inopiam patiaris. *Ibidem.*

Ubi securitas, ibi satietas.

Amemus eum: dulcis est. Gustate, & videte, quia suavis est Ps. 33.
Dominus Timendus est, sed plus amandus. *T. 10. ex frag: ser: de miraculo quinq; panum.* 9.

Non ad præmium diligendus Deus.

Si gratiam ideo dedit DEUS, quia gratis dedit, gratis ama. Noli ad præmium diligere DEUM, ipse sit præmium tuum Dicat anima Ps. 24.
tua, unam petij à Domino, hanc requiram: ut inhabitem in domo 4.
Domini per omnes dies vitæ meæ, ut contempler delectationem Domini. Noli timere, ne fastidio deficias. Talis erit illa delectatio pulchritudinis, ut semper tibi præsens sit, & nunquam satieris: imò semper satieris, & nunquam satieris. Si enim dixero quia non satiaberis, fames erit: si dixero quia satiaberis, fastidium timeo. Ubi nec fastidium erit nec fames. Quid dicam nescio. Sed DEUS habet, quod exhibeat non invenientibus, quomodo dicant, & credentibus, quod accipiant. *Ib. in Evang: Ioan: Tr: 3. de c. 1.*

Esuries sine fame, satietas sine fastidio visio beata.

Orans cum fiducia non petit sed proponit.

Domine ecce quem amas infirmatur. Non dixerunt, veni: a Io: 11.
manti enim tantummodo nuntiandum fuit. Non ausæ sunt dicere, 3.
veni & sana: non ausæ sunt dicere, ibi jube, & hic fiet. Cur enim non & istæ, si fides centurionis inde laudatur? Ait enim: Non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo & sanabitur Mat 8
puer meus. Nihil horum istæ: sed tantummodo: Domine ecce 8.
quem amas infirmatur. Sufficit ut noveris, non enim amas & deseris? *Et infra.* Diligebat autem JESUS Martham, & sororem ejus Mariam & Lazarum. Jlle languens, illæ tristes, omnes dilecti: sed diligebat eos & languentium salvator, imò etiam mortuorum suscitator, & tristium consolator. *Ib. in Evang: Ioan: Tr: 49. de c. 11.*

Miseriæ, Deo amãdi Causæ.

Exclude malum amorem mundi, ut implearis amore DEI. Vas es, sed adhuc plenus es; funde quod habes, ut accipias quod non habes. *Et infra.* Quid vis? Utrum amare temporalia, & transire cum tempore: an mundum non amare, & in æternum vivere cum DEO? Rerum temporalium fluvius trahit: sed tanquam circa fluvium arbor nota est, Dominus noster JESUS Christus. Assumpsit carnem, mortuus est, & resurrexit, ascendit in Cælum. Volunt se quodammodo circa fluvium plantare: raperis in præceps, tene lignum, voluit te amor mundi, tene Christum. Propter te factus est temporalis, ut tu fias æternus: quia & ille sic factus est temporalis, ut maneret æternus. Accessit illi aliquid ex tempore, non decessit ex æternitate. Tu autem temporalis natus es, & per peccatum temporalis factus

Amor Dei & mundi excludunt se.

Incarnatus ut ex temporalibus faciat æternos.

ctus es. Tu factus es temporalis per peccatum: ille factus est temporalis per misericordiam, dimittendo peccata. Quantò interest, cum duo sint in carcere, inter reum & visitatorem ejus? Homo enim aliquando venit ad amicum suum, & intrat visitare eum, & ambo in carcere videntur, sed multum distant, & distincti sunt. Jllum causa premit, illum humanitas adduxit. Sic in ista mortalitate nos reatu tenebamur, ille misericordiâ descendit. Intravit ad captivum Redemptor, non oppressor. Dominus pro nobis sanguinem suum fudit, redemit nos, mutavit spem nostram. Adhuc portamus mortalitatem carnis, & de futura immortalitate præsumimus, & in mari fluctuamus, & anchoram spei in terra jam fiximus. *Et infra.* Sed væ tibi, si amaveris condita, & deserueris Conditorem. Pulchra sunt. Sed quanto est pulchrior qui ista formavit. *Et infra.* Coluerunt & servierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula. Non te prohibet Deus amare ista, sed non diligere ad beatitudinem: sed ad hoc probare & laudare, ut ames Creatorem. Quemadmodum fratres, si sponsus faceret sponsæ suæ annulum, & illa acceptum annulum plus diligeret, quàm sponsum, qui illi fecit annulum, nonne in ipso dono sponsi adultera anima deprehenderetur, quamvis hoc amaret quod dedit sponsus? Certe hoc amaret quod dedit sponsus. Tamen si diceret, sufficit mihi annulus iste, jam illius faciem nolo videre: qualis esset? Quis non detestaretur hanc amentiam? Quis non adulterinum animum convinceret? Amas aurum pro viro, amas annulum pro sponso. Si hoc est in te ut ames annulum pro sponso tuo, & nolis videre sponsum tuum: ad hoc arrham dedit, ut non te oppignoraret, sed averteret. Ad hoc utiq; arrham dat sponsus, ut in arrha sua ipse ametur. Ergo dedit tibi Deus omnia ista, ama illum, qui fecit ista. Plus est, quod tibi vult dare, id est seipsum, qui ista omnia fecit. Si autem amaveris hæc, quamvis illa Deus fecerit, & neglexeris Creatorem, & amaveris mundum: nonne tuus amor adulterinus reputabitur, quo amittis creatorem, qui fecit mundum? *Ibid. in Epist: Ioan: Tract: 2. de c. 2.*

Christus in carne visitator incarcerati.

Amor Creaturarum adulterinus, annulũ præ sponso amans sponsa.

Matt. 4.9.10. Hæc omnia tibi dabo si prostratus adoraveris me. De elatione regni terreni, voluit tentare Regem sæculorum, sed Dominus qui fecit Cælum & terram Diabolum calcabat. Quid magnum à Domino diabolum vinci? Quid ergo respondit diabolo, nisi quod te docuit, ut respondeas? Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Tenentes ista non habebitis concupiscentiam mundi, non vos subjugabit nec desiderium carnis, nec desiderium oculorum, nec ambitio sæculi. Et facitis locum charitati venienti: ut diligatis Deum: quia si fuerit ibi dilectio mundi, non ibi erit dilectio Dei. Tenete potiùs dilectionem Dei, ut quomodo Deus est æternus, sic & vos maneatis in æternum: quia talis est quisq; qualis dilectio ejus est. Terram diligis terra eris. Deum diligis, quid dicam Deus eris? Non audeo dicere ex me, scripturas audiamus. Ego dixi Dij estis & filij altissimi omnes. Si ergo vultis esse dij, & filij altissimi, nolite diligere mundum nec ea quæ sunt in mundo. *Ibidem.*

Mundi dilectio Dei dilectionem excludit.

Sermo Dei adversarius tuus est. Quare adversarius tuus est? Quia contraria jubet, quàm tu facis. Dicit tibi unus est Deus tuus, unum cole, tu vis dimisso uno Deo tuo, tanquam legitimo viro animæ, fornicari per multa dæmonia: & quod est gravius, non quasi aperte deserens, & repudians, sicut Apostatæ faciunt, sed tanquam manens in domo viri tui, admittis adulteros, id est, tanquam Christianus, non dimitis Ecclesiam, consulis Mathematicos, aut aruspices, aut augures, aut maleficos, quasi de viri domo non recedens a-

Sermo Dei adversarius noster est.

Creaturis adherens fornicator.

dultera anima, & manens in ejus conjugio fornicaris. *Ibid. lib: de 10. Chord: c. 3.*

Ama amantem, quia prius ille amavit non amantem: require requirentem, quia prius ille quæsivit non quærentem. Require & dic sponso tuo, ubi pascis, ubi cubas, in meridie? Ne forte fiam operta sicut greges sodalium tuorum: quam sic dilexisti, pro qua sanguinem fudisti, cujus tabernaculum in sole posuisti. *Ibid. lib. de quarta feria Tr. 3. c, 5.*

Amor gratuitus. Voluntarie sacrificabo tibi, quoniam bonum est. Sacrificium laudis honorificabit me. Quid est voluntariè? quia gratis amo quod laudo; laudo DEUM, & ipsa laude gaudeo. Ipsius laude gaudeo, quo laudato non erubesco. *Et infra.* DEus noster laudetur voluntate, ametur charitate: Gratuitum sit & quod amatur, & quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se & non propter aliud. Si enim laudas DEUM ut det tibi aliquid aliud, jam non gratis amas DEUM Erubesceres si te uxor tua propter divitias amaret, & forte si tibi paupertas accideret, de adulterio cogitaret. Cum ergo te à Conjuge gratis amari velis, tamen DEUM propter aliud amabis? Quod præmium accepturus es à DEO ô avare? non tibi terram, sed seipsum servat, qui fecit Cælum & terram. *Et infra.* Contemne omnia, ipsum attende, & hæc quæ dedit, propter dantem bona sunt: Nam dat prorsus dat ista temporalia: Et quibusdam bono eorum, & quibusdam malo eorum, secundum altitudinem & profunditatem Iudiciorum suorum. *Et infra.* Novit quando det: quando auferat, & cui auferat. Pete tu in hoc tempore quod tibi prosit in posterum: pete quod te adjuvet in æternum. Ipsum autem gratis dilige, quia melius ab eo non invenies quod det: quam seipsum: aut si invenis melius pete hoc. Voluntarie sacrificabo tibi. Quare voluntarie? quia gratis. Quid est gratis? Et confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est: ob nihil aliud nisi quia est? Nunquid ait Confitebor Nomini tuo Domine. quia das mihi fructuosa prædia, quia das mihi aurum & argentum, quia das mihi latas divitias, amplam pecuniam, excellentissimam dignitatem? Non? sed quid? quia bonum est. Melius nihil invenio, quam Nomen tuum ideo Confitebor Nomini tuo Domine, quoniam bonum est. *Ib: in Psal. 53.* *Ps. 53. 8.* *Ps. 53. 8.*

Bona temporalia bona bonis, mala malis. *Gratis dilige.* *Nomen Dei Intentio nostra.*

Et ostendam meipsum illi: si non amas parum est: si amas, si suspiras, si gratis colis eum à quo gratis emptus es (non enim eum promerueras ut te redimeret) si consideras in te beneficia ejus, suspiras & inquietum habes cor desiderio ejus: Noli extra eum aliquid ab eo quærere, ipse tibi sufficit. Quantumlibet sis avarus sufficit tibi DEus. Etenim avaritia terram quærebat possidere totam: adde & Cælum, plus est qui fecit Cælum & terram. *Et infra.* Si maritus carnalis gratis diligitur, si castè diligitur: & uxor carnalis gratis diligitur, si caste diligitur: DEus quomodo diligendus est, verus & verax animæ maritus, ad prolem sempiternæ vitæ fæcundans, & steriles nos esse non permittens? *Ibid. in Psal. 65.*

Deus Animæ maritus.

Si antequam DEUM diligeremus tantum ab illo dilecti sumus, ut æqualem sibi filium suum, hominem faceret propter nos Quid nobis servavit jam diligentibus se? *Ibid in Psal: 62.*

Amor gratuitus. Gratis amantur flagitiosi homines, & DEO præmium quæritur ut ametur. Ama DEUM gratis nulli invideas DEUM. Rapite eum quotquot potestis, quotquot possesuri estis. Non fit angustus: nullos in illo limites facietis: totum singuli possidebitis: & totum omnes habebitis. *Ibid in Psal: 72.*

Quid amas ut DEUM non ames? Dic mihi? Ama si potes aliquid

quid quod ille non fecit. Circumspice universam creaturam, vide utrum alicubi cupiditatis visco tenearis, & à diligendo Creatorem impediaris, nisi ea, re quam creavit ipse quem negligis. Quare autem amas ista, nisi quia pulchra sunt? Possunt esse tam pulchra, quam ille à quo facta sunt? Miraris hæc, quia illum non vides: sed per ea quæ miraris, ama quem non vides. Interroga creaturam: si à seipsa est, remane in illa. Si autem ab illo est, non ob aliud perniciosa est amatori, nisi quia præponitur creatori. *Ibid. in Psal: 79.* *Creatura & stimulus & remora amoris.*

Sponsus absens est, sustineamus: Veniet quem desideramus. Tantum pignus dedit, non timeat sponsa ne deseratur à sponso: non dimittit pignus suum. Quod pignus dedit? Spiritum Sanctum misit. Talia pignora dimittit ille sponsus? si non amaret, talia pignora non daret. Jam amat. O si sic amaremus Maiorem dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis. Et nos quomodo ponimus animas nostras pro illo? *Ibid. in Psal:90.* *Spiritus Sanctus pignus.*

Ps.96. 10. Qui diligitis Dominum, odite malignum. Non est dignus Christus cum quo diligas avaritiam. Amas illum, debes odisse, quod odit. Homo est inimicus tuus, hoc quod tu, creati estis ab uno Creatore in una conditione; & tamen si filius tuus loquatur cum inimico tuo, & veniat ad domum inimici tui, & assiduas collocationes habeat cum illo, exheredare illum vis, quia loquitur cum inimico tuo. Et quomodo? quia justam vocem videris tibi habere. Amicus es inimici mei & quæris aliquid de re mea. Ergo attende. Diligis Christum, inimica Christi est avaritia. Quare cum ea loqueris? Non dico loqueris cum illa: quare illi servis? Nam multa jubet Christus & non facis; jubet ipsa & facis. Jubet Christus, ut vestias pauperem, & non facis; jubet ipsa avaritia ut facias fraudem, & hoc potiùs facis. Si hæc ita sunt, si talis es noli tibi multum promittere hereditatem Christi. Sed dicis: Diligo Christum. Qui diligitis Dominum odite malignum. *Ib. in Psal: 96.* *Amans Deum odit quæ ille odit.*

Ps.44. 3. Speciosus forma præ filijs hominum. Osculari vis fœda pulchrum? sed non attendis quia tu iniquitatibus plena es. Diffusa est autem gratia in labijs tuis. *Et infra.* Ipse enim erit reformator tuus, qui fuit formator tuus. Ergo prius attende quæ sis, ne audeas ire fœda in pulchri oscula. Et quid intuens inquis me, videbo? *Mat.5 8.* Posuit tibi in speculum scripturam suam, legitur tibi Beati mundi corde quoniam ipsi DEUM videbunt. Speculum in hac lectione propositum est, vide si hoc est quod dixit: si nondum es, geme ut sis. *Et infra.* Accusando fœditatem tuam, incipis intueri, à confessione incipis decorari. Quo decorante nisi specioso forma præ filijs hominum? ut autem & decoram faceret, audeo dicere. Amavit & fœdam. Quid est amavit fœdam? Etenim Christus pro impijs mortuus est. Quàm vitam tibi servat justificato, quia suam mortem donavit & impio. *Ib Con: 1 de 1. par: Psal: 103.* *Scriptura Sacra speculum.* *Peccati Confessio ornat.*

Major in nos dilectio DEI quam nostra in illum. Nostra dilectio pennæ nostræ sunt, sed ille ambulat super pennas ventorum. *T. 8. Con: 1. de 1. par: Psal: 103.* *Dilectio Dei penna.*

Est sine fine quærendus quia sine fine amandus. Dicimus etiam præsenti alicui. Non te quæro, id est non te diligo. Ac per hoc qui diligitur, etiam præsens quæritur: dum charitate perpetua, ne fiat absens operatur. *T. 8. Enar: in Psal. 104.* *Quærere & diligere, sunt eadem.*

Ps.108 3. Et expugnaverunt me gratis. Sicut autem pij gratis amant Christum, sic impij gratis oderunt: quia sicut veritas nullo extra eam proposito commodo, sed propter seipsam experitur, ab optimis, ita iniquitas à pessimis. Unde apud Authores sæcularium litera-

 rum,

rum, dictum est de quodam pessimo: Gratuitò potiùs malus, atque crudelis erat. *Ibid. in 108.*

Quid autem diligendum diligitur, se ipsa dilectio non diligitur. *T. 8 Conc: 8. in Psal: 118.*

Causa Deum amandi Deus. DEUM non colamus nisi propter DEUM: ut sui cultûs ipse sit merces. Ipsum diligamus in seipso, ipsum diligamus & in nobis, ipsum in proximis nostris quos diligimus, sicut nosmetipos, sive habeant eum, sive non habeant eum. *Ibid. Conc: 11. in Psal. 118.*

Habet omnis amor vim suam, nec potest vacare amor in anima amantis: necesse est ut ducat. Sed vis nosse qualis amor sit? Vide quo ducat. Non enim monemus ut nihil ametis, sed monemus ne mundum ametis: ut eum qui fecit mundum libere ametis. *Pennæ Amoris.* Obligata enim anima terreno, quasi viscum habet in pennis, volare non potest. Mundata vero ab affectibus sordidissimis sæculi, tanquam extensis pennis, & duabus alis resolutis ab omni impedimento, id est duobus præceptis, dilectionis DEI & proximi, volat. Quo nisi ad DEUM ascendit volando? quia ascendit amando. Quod antequam possit, gemit in terra, si jam inest ei volandi desiderium, & dicit. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam. *Ps. 54 7.* *T. 8. Enar: in Psal. 121.*

Si vellet apud te hospitium habere aliquis Senator (non dico Senator, Procurator alicujus magni secundum sæculum) & diceret offendit me quiddam in domo tua: & si amares hoc, auferres tamen, ne eum offenderes, cujus amicitiam ambires. *Amicitiæ potentiorum insidiosæ.* Et quid tibi prodest hominis amicitia? Forte ibi non solum nullum auxilium sed & periculum invenires. Nam multi non periclitabantur, antequam majoribus jungerentur: exoptarunt majorum amicitias, ut majora pericula incurrerent. Securus opta amicitiam Christi. Hospitari apud te vult fac illi locum. Quid est fac illi locum? Noli amare teipsum illum ama. Si te amaveris claudis contra illum, se ipsum amaveris illi. Si autem aperueris & intraverit, non peribis amando tu, sed invenieris cum amato. *Ibid. Enar: in Psal: 131.*

AMOR INIMICORUM

Inimicorum dilectio magnifica bonitas. ILlud multò grandiùs & magnificentissimæ bonitatis est, ut tuum quoq; inimicum diligas, & ei, qui tibi malum vult, etsi potest facit, tu bonum semper velis, faciasq; cum possis, illius memor exempli, qui in cruce pendens, pro suis exoravit persecutoribus, suosq; admonuit dicens: Diligite inimicos vestros. *T. 3. Ench: c. 73.*

Non ignoscenti, Deus non ignoscit. Quisquis roganti, & peccati sui pænitenti, non ex corde dimittit, nullo modo existimet à Domino peccata sua dimitti, quoniam mentiri veritas non potest, dicens: si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. Ad tam magnum tonitru, qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est: & tamen potens est ille etiam mortuos suscitare. *Ibid. c. 74.*

Omnia in quibus improbitatem aliquam patimur, in duo genera dividuntur: quorum alterum est, quod restitui non potest, alterum quod potest. *Vindicta solatium inane.* Sed in illo quod restitui potest, vindictæ solatium quæri solet. Quid enim prodest, quod percussus repercutitur? Numquid propterea aliquid, quod in corpore læsum est, restituitur in integrum, sed tumidus animus talia fomenta desiderat. Sanum autem firmumq; ista non juvant. *Et infra.* Non enim metuendum est, ne odisse parvulum Filium parentes videantur, cum ab eis vapulat peccans, nè peccet ulterius: Et certè perfectio dilectionis ipsius, DEI, Patris, imitatione nobis proponitur. *Et infra.* Vindicet cui rerum,

rum ordine potestas data est: & ea voluntate vindicet, quâ Pater in Filium parvulum, quem ob ætatem odisse nondum potest. Hinc enim aptissimum exemplum datur, quo satis appareat, posse peccatum amore potiùs vindicari, quàm impunitum relinqui: ut illum in quem vindicat, non pæna miserum, sed correctione beatum velit: paratus tamen, si opus sit, æquo animo plura tolerare ab eo illata, quem vult esse correctum. Sed supra egregiè dixit. Huic vindictæ referendæ non est idoneus, nisi qui odium quo solent flagrare; qui se vindicare desiderant, dilectionis magnitudine superaverit. *T,4. l. 1. de ser. in mont: c. 20.*

Vindicari vis, ama.

Perfectio misericordiæ, quâ plurimùm animæ laboranti consulitur, ultra dilectionem inimici porrigi potest, & ideo sic clauditur. Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester qui in Cælis est. Ita tamen ut DEUS intelligatur, perfectus, tanquam DEUS, & anima perfecta, tanquam anima. *T. 4. l. 1. de ser: in mont: c. 21.*

Inimici dilectio, summa perfectio.

Matt. 5. 45. Facit solem oriri super bonos & malos. Qui propriè potest dicere sua esse omnia, quæ de nihilo creavit, ut hinc admoneremur, quanta liberalitate inimicis nostris ex præcepto ejus præstare debeamus, quæ nos non creavimus, sed de muneribus ejus accepimus. *T. 4. l. 2. de ser. in mont: in fine.*

In nulla alia sententia sic oramus, & quasi paciscamur cum DEO; dicimus enim dimitte nobis debita nostra, sicut & nos &c. in qua pactione si mentimur, totius orationis nullus erit fructus. *T. 4. l. 2. de ser: in mont: c. 11.*

Pactum cum Deo circa veniam peccatorum.

David pepercit diligens proximum, tanquam seipsum, non solum persecutum, sed & persecuturum, qui eum corrigi, quàm interfici maluit homo in veteri testamento, sed non homo de veteri testamento, quem fides futuræ hæreditatis Christi revelata & reddita, salvum faciebat, & ad imitandum vocabat. *T. 4 l. exposit: Epist: ad Galat: fol. 288.*

Non tantum persecutores, sed persecuturi etiam amandi.

Qui contemnit judicia laudantium, contemnit suspicantium temeritatem; quorum tamen, si verè bonus est, non contemnit salutem: quoniam tantæ justitiæ est, qui de Spiritu DEI virtutes habet, ut etiam ipsos diligat inimicos: & ita diligat, ut susurrones vel detractores velit correctos habere consortes, non in terrena Patria, sed superna. *T. 5 l. 5. de Civ. Dei. c. 19.*

Vitia non homines oderis.

Docetur non esse contrarium, quod in antiqua scriptura dictum est, oderis inimicum tuum; & in Evangelio, diligite inimicos vestros, quod unusquisq; iniquus homo, in quantum iniquus est, odio habendus est, inquantum autem homo est, diligendus est. *T. 6. l. 19 con: Faust: c. 25.*

Odium & dilectio inimici conciliata.

Inimici homines qualescunq; fuerint, non sunt odio habendi. Ne cum odit malos, quem patitur malum, sint duo mali. Diligat bonus & quem patitur malum: ut vel unus sit malus. Jlli inimici sunt contra quos orandum est. Diabolus & Angeli ejus ipsi nobis invident Regnum Cælorum, & quando adversum nos homines incitantur, vasa ipsorum fiunt. Proinde Paulus Apostolus admonens, ait servis DEI qui tribulationes patiebantur, utiq; seditionibus, improbitatibus, inimicitijs hominum, non est vobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, id est non est adversus homines sed adversus Principes, & Potestates, & Rectores mundi tenebrarum harum. Quarum utiq; tenebrarum nisi infidelium & impiorum. *Ibid. Con. 3. in Psal. 30.*

Qui odit malos, auget malos.

Bonorum persecutores vasa Dæmonis.

Christiane tolerare didicisti, non vindictam retribuere. Vindicari vis Christiane? nondum vindicatus est Christus: An tu passus es improbum, & ille non passus est? Nonne prior pro te passus est qui

Vindictam dissuadet Christus non vindicatus.

Tribulatio fornax.

qui non habebat quare pateretur? Nam in te tribulatio fornax aurificis est: si tamen aurum sis & non palea: ut sordibus careas non in cinerem convertaris. *Ibid. Con: 3. in Psal: 30.*

Ignominia gloriosa.

Accedite ad eum & illuminamini, & vultus vestri non erubescent. Non erubescet vultus nisi superbi: sed noli timere accede ad Pſ. 33. 6. eum & non erubesces. Quidquid fecerit tibi inimicus, videtur te superior esse apud homines, sed tu apud DEUM superior illo es. Ego

Infra sunt qui persequẽdo superiores videntur.

cæpi, ego ligavi, ego interfeci. Quàm superiores sibi videntur qui ista dicunt? Quam superiores videbantur sibi Iudæi, quando Dominum colaphisabant, quando spuebant in faciem ejus, & de canna percutiebant caput, quando spinis coronabant, quando tunicâ ignominiosâ circumdabant? Quam superiores erant? & ille videbatur inferior quia procidebat ad ostia portæ, sed ille erubescebat, lumen enim erat verum, quod illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem: sicut enim lumen non potest confundi, sic & illu-

Humilitas accessum facit ad Deum.

minatum confundi non sinit. Accedite ergo ad eum, & illuminamini. Sed dicit aliquis: quomodo ad eum accedo: tantis malis, tantis peccatis oneratus sum. Quomodo? si humiliaveris te per pœnitentiam. Sed ais erubesco pœnitentiam agere. Accede ad eum & illuminaberis, si enim timor erubescendi revocat te à pœnitentia: pœnitentia autem facit te accedere ad DEUM; nonne vides quia pœnam gestas in vultu? quia ideo erubuit vultus tuus, quoniam non accessit ad Dominum, ideo non accessit, quia non vult agere pœnitentiam: sicut attestatur Propheta. Iste inops clamavit & Dominus exaudivit illum. Pſ. 33. 7. Et quomodo clamabo inops? ut etsi habes aliquid non inde præsumas de viribus tuis: ut intelligas te indigentem, ut intelligas te tamdiu esse pauperem, quamdiu non habes illum qui facit te divitem. *Ibid. Expos. Psal. 33.*

Iustorum indoles tolerare, impiorum tolerari.

Diligite inimicos vestros. Pſ. 5. 44. Duo genera hominum: justorum, & iniquorum, in hac terra, & in hac vita commixta sunt. Habent singula ista genera proprias intentiones cordis sui. Genus justorum conatur in sublimia per humilitatem, genus iniquorum præponderat ad inferiora per elationem. Hoc enim se deprimit ut surgat, illud se extollit ut cadat. Ex eo fit ut unum genus toleret, alterum toleretur: propositumq; sit justis, ipsos etiam iniquos in vitam æternam lucrari: propositum autem iniquis eos, qui sibi vitam æternam volunt, si fieri posset, etiam vita temporali privari. Nemo dubitat

Iusti iniquorũ, iniqui justorum onus sunt.

quod isti duo alterutrum sibi oneri sunt: sed diversis intentionibus. Justus injusto oneri est, quia injustum eum esse non vult. Injustus autem sic odit justum, ut nolit eum esse, non ut bonum velit esse: Non enim justus tantum injusto oneri est, sed & duo injusti vix se patiuntur. Et quando se videntur diligere, conscientiam sibi debent

Amicitia iniquorum incõstans.

non amicitiam. *Et infra.* Ergo ad psalmum respicite. Observabit peccator justum, & stridebit super eum dentibus suis, Dominus autem irridebit eum. Pſ. 36. 12. Quem? utiq; peccatorem stridentem super justum dentibus suis. Unde autem Dominus irridebit eum, quoniam

Iniquitas sibi pœna.

prospicit quod veniet dies ejus. *Et infra.* Quid enim? Injustitia injusti tibi nocet, & illi non nocet? unde fieri potest, ut non iniquitas ejus, non prius ipsum vastet intus, quàm te tentet foris? Tuum corpus premit adversitas, illius animum putrefacit iniquitas. Nam quidquid in te profert, in illum redit. Ejus persecutio te facit purgatum, illum reum. Quis damno graviore percutitur, qui amittit pecuniam, an qui amittit fidem? Multis fulget aurum quibus non fulget fides. Et tamen quando eis frangitur fides, clamant & dicunt, O fides! ubi est fides? amas eum ut exigas, ama ut exhibeas. *Et infra.* Illos quorum corpora interficere voluerunt, securos Dominus

fecit

fecit dicens ei . Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Quale est autem sævire gladio, nec posse occidere nisi corpus inimici, & posse occidere animam suam? Desipiunt contra se, sæviunt insaniunt, non se vident, tanquam si vellet aliquis per corpus suum ferrum traijcere, ut concideret tunicam alterius. Attendis quo pervenisti, & non attendis qua trajecisti? Jllius concidisti vestem, tuam carnem. Framea ergo eorum intret in cor ipsorum. Sententia Domini est, aliter fieri non potest. Et arcus eorum conteratur. Quid est. Insidiæ ipsorum frustrentur: superius enim dixerat. Gladium eduxerunt peccatores, intenderunt arcum suum. Gladij eductionem intelligi voluit apertam oppugnationem. *Et infra.* Confirmat autem justos, Dominus. Quomodo eos confirmat? quid eis dicit? sustine Dominum. Quid est hoc? ad tempus laboras in æternum non laborabis: brevis est molestia tua, æterna erit beatitudo tua. At modicum doles sine fine gaudebis. Sed inter molestias incipis labi, proponitur & exemplum Passionis Christi. Vide quid pro te pertulit, qui quare perferret non habebat. Quantacunq; patiaris non pervenies ad illas insultationes, ad illa flagella, ad illam ignonimiosam vestem, ad illam spineam coronam, ad illam postremò crucem non pervenies, quia jam & de pœna generis humani sublata est. Cum enim sub antiquis scelerati crucifigerentur, modo nullus crucifigitur. Honorata est & finita. Finita est in pœna manet in gloria. A locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum. Qui tantum honorem dedit pœnis suis, quid servat fidelibus suis? His ergo rebus, his verbis, hoc tali exemplo confirmat justos Dominus. *Et infra.* Quid sibi ergo plaudit iniquus, quia flagellum de illo fecit sibi Pater meus? Jllum assumit ad ministerium, me erudit ad patrimonium. Nec attendere debemus quantum permittat injustis, sed quantum servet justis. Sed debemus optare etiam illis per quos flagellamur, ut convertantur & flagellentur. Sic enim suos fideles erudiebat, qui de Saulo flagellum sibi fecerat, sed postea convertit & Saulum. *T. 8 Con: 2 in Psal: 36.*

Ps. 36. 15. — Ps. 36. 17.

Dum volunt aliis, sibi nocent.

Patiendi stimulus Passio Christi.

Crux honorata.

Iniquus flagellum Dei.

Orate pro inimicis vestris, non ergo hoc orent ut moriantur inimici, sed hoc orent ut corrigantur, & mortui erunt inimici. Jam enim correcti non erunt inimici. *Ibid. Tit: Psal 37.*

Orare mortem inimicorum quomodo licet.

Quomodo ergo peccata nostra sua esse voluit propter corpus suum: sic & nos passiones ejus nostras esse velimus, propter caput nostrum. Non enim ille ex amicis passus est inimicos, & nos non? imò & nos ad hoc paremus in eodem convivari. Talem calicem non respiciamus, ut Celsitudinis ejus desiderium, per humilitatem ejus inveniamus. Respondit enim Celsitudini ejus hærere volentibus, qui ejus adhuc humilitatem non cogitabant: & ait illis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? *Ibidem.*

Matt. 20 22.

Passionibus Christi communicandum.

Tibi ea regula bonitatis præfixa est, ut imiteris bonitatem Patris tui, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos: Nunquid enim tu habes inimicum, & DEUS non habet? Tu quidem eum habes inimicum qui tecum creatus est; ille vero eum quem creavit. Ab illo enim habet quidquid boni habet. Si ille eum habet inimicum, qui ei tanta præstitit: & facit oriri solem suum super bonos & malos: tu qui nec solem potes oriri facere nec terras pluere, unum aliquid servare inimico non potes, ut sit tibi pax in terra hominibus bonæ voluntatis. Diligite inquit inimicos vestros, in hoc præcepto quomodo exerceveris, si nullum inimicum patereris? Prosit tibi ad habendam misericordiam, quia & tu forte si bonus es, ex malo factus es bonus: & si DEUS non parceret malis, nec tu qui gratias ageres, appareres. Parcat ergo alijs qui per-

Matt. 5 44.

Dilectionis inimicorum regula Deus.

Sine inimicis non servatur præcepta Christi.

percit & tibi. *Et infra.* Jlle calcat fluctus hujus sæculi, qui dililgit inimicos. *Et infra.* Jlle in terra geminat convitia, tu in Cælo vota. Sed sæviat amplius, possit & aliquid amplius. Quid te securius cui dictum est: Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Quid est ergo timendum quando pateris inimicum? *Et infra.* Duos ergo inimicos constitue tibi ante oculos: unum apertum & alterum occultum. Apertum hominem, occultum diabolum. Cum ergo sint duo, unum vide, alterum intellige: unum dilige, alterum cave. *Et infra.* Homo hominem vincis humana felicitate. Diabolum autem vincis, inimici dilectione; sæviat homo quantum potest, auferat quidquid potest: si diligitur aperte sæviens, victus & occulte sæviens. *Ibid. in Psal: 54.*

Dilectio inimici Diaboli victoria.

Si non dimiseritis peccata, hominibus neq; Pater vester dimittet vobis. Quis dicit? qui scit quid ibi agatur: qui scit quid adstans petis. Vide, quod voluit esse ipse advocatus tuus, ipse juris peritus tuus, ipse assessor Patris. Ipse Iudex tuus dixit, aliter non accipies. Quid facturus es? non accepturus es si non dicturus: non accepturus, si falsum dicturus. Ergo aut facturus & dicturus, aut quod petis non prometuriturus, venies ad Dimitte nobis debita nostra, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Et infra.* Passus es malum, ignosce, ne duo mali sitis *Ibid. in Psal: 54.*

Indulgentia Dei spes, venia inimico data. — *Mat. 6 15.*

Passus malum nec ignoscens, duo mali. — *Mat. 6 12.*

Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Quomodo potest vincere in bono malum in superficie bonus in abdito malus? qui opere parcit & corde sævit: manu mitis, voluntate crudelis? Intelligamus sanctos homines Dei suos inimicos dilexisse, nec cuiquam voluisse, nisi bonum: quod est pietas in hoc sæculo, æternitas in futuro. In pœnis autem malorum non malis eorum, sed Dei bonis judicijs fuisse delectatos. Et ubicunq; in Scripturis sanctis, leguntur in homines odia eorum, odia fuisse vitiorum, quæ ipse etiam unusquisq; hominum odire debet in se, si diligit se. *Ib in Ps. 78.*

Odia bonorum erga malos, odia vitiorum.

Non est perfecta dilectio Christiani, nisi cum implet quod Christus præcepit. Diligite inimicos vestros. *Ibid. in Psal: 93.*

Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Disce diligere inimicum, si vis cavere inimicum: In quantum autem in te charitas crescit, efficiens te, & revocans te ad similitudinem Dei, pertendit usq; ad inimicos: ut sis ei similis qui facit solem oriri, non super bonos tantum, sed super bonos & malos: & pluit non super justos tantum, sed super justos & injustos. Quantum accedis ad similitudinem, tantum proficis in charitate, & tantò incipis sentire Deum, *Ibid. Enar: in Psal: 99.*

Diligis inimicum? caves inimicum. — *Mat. 5 45.*

Sed ô vos ultores videte si non estis peccatores. Adducta est adultera mulier lapidanda ex lege, sed adducta est ad latorem legis. Sævis qui adduxisti, vide qui sævis & in quem sævias. Si peccator in peccatricem: desine sæuire, prius confiteri. *Ib. Enar: in Psal. 102.*

Vltor sit sine peccato.

Velis Nolis quotidie dicturus es, Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Vis securus dicere? fac quod dicis. *Ibid. Con. 2. de prima parte Psal. 103.*

Mat. 6 12.

Mirabilia de lege tua, hoc alio modo repetens, ait mandata tua. Nihil est autem mirabilius in mandatis Dei, quàm diligite inimicos vestros: hoc est retribuite bona pro malis. *Ibid, Con. 7. in Psal. 118.*

Inimici dilectio, mandatum mirabile. — *Ps. 118 18.* *Mat 5. 44.*

Iniquos odio habui, exposuit quare, addendo & legem tuam dilexi: ut demonstraret non se in hominibus iniquis odisse naturam quâ homines sunt, sed iniquitatem, quâ legi quam diligit inimici sunt. Deinde sequitur. Adjutor meus & susceptor meus es tu. Adjutor ad bona facienda, susceptor ad mala evadenda *Ibid. Con. 24. in Psal: 118.*

Oderis iniquitatem, ama naturam. — *Ps. 118 113.*

Non

Mat. 5. Non enim ut tu sic impunitus peccator, erit ille mendax promissor. Vis inquit ut dimittam dimitte. Et est aliud opus misericordiæ, vis ut dem, da. *Ibid. Exposit. Psal. 143.*

Audistis formam. Si septuagies septies peccata tibi Christus donavit, si hucusq; ignovit, & ultra negavit? pone & tu limitem, & ulterius noli ignoscere. Si autem Christus millia peccata peccatorum invenit, & tamen omnia donavit: noli subducere misericordiam, sed posce illius numeri solutionem. Non enim sine causa Dominus septuagies septies dixit: cum omnino nulla culpa sit, quam non debeas ignoscere. *Et infra.* Dimitte, & dimittetur tibi. Si ego prior dimisi, dimitte vel postea. Nam si non dimiseris, revocabo te: & quidquid tibi dimiseram, replicabo tibi. Non enim mentitur. Veritas non fallit, aut fallitur Christus: qui subjecit dicens: Sic & vobis faciet Pater vester, qui in cælis est. Invenis patrem, imitare patrem. Si enim imitari nos vis, exheredari disponis. *Et infra.* Si dicis dimitto, dimitte melius est, cum clamas ore, & dimittis in corde: quàm blandus ore, crudelis in corde. *T. 10 ser: de ver: Dni. ser. 15.*

Remissionis injuriarum mēsura.

Injurias non remittentibus revocat Deus quod remisit.

Luc 6, 17.

Matt. 5. 44. Quare Dominus dixit: Diligite inimicos vestros, nisi quia passuri eramus inimicos? Sed dicat aliquis, Quis potest diligere inimicos? Prius te dilexit impium Deus tuus, qui nunquam fuit impius. Tu autem etiamsi jam non es impius, fuisti tamen aliquando: quia nemo fit justus nisi ex peccatore. Sicut frequenter cantavimus. Ps. 31. 1. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, non dixit: Beati qui non fecerunt peccata; sed Beati quorum remissæ sunt iniquitates. Si enim quæris qui non fecerit, non invenies. *Et infra.* Ecce putas quia Deus quomodo tu vis, nulli malo velit parcere: quid de te facturus est, qui sine peccato esse non potes? Non attendis, ubi te inveniat? Roga ergo ut non solum alijs, sed etiam ut tibi parcat. Hoc itaq;, fratres, habent quasi proprium omnes iniqui: nolunt ut parcat Deus iniquis, & non vident, quid ipsi sint, etiam ex hoc ipso quod ita volunt. *Et infra.* Quia Deus extendit pontem misericordiæ suæ, ut tu transire posses: hoc vis, ut jam subducat, ne alius transeat? Diligamus ergo inimicos nostros, fratres charissimi Forte qui hodie est amicus tuus, talia peccata facturus est, ut in vita æterna tecum esse non possit, non enim scis quid pariat crastinus dies. *Et infra.* Non vobis ergo grave sit, per ipsius Domini misericordiam vos obtestor, quia spes nobis alia non est, nisi dimiserimus, quidquid nos læserint homines. Nemo vos fallat. Aliud majus sacrificium non est, quod debeamus Deo, nisi quidquid boni est, etiam malis hominibus, sed tamen hominibus fecerimus. Dicit tibi Deus. Ego non ex te cresco, sed tu ex me. Sacrificium volo quod prosit homini, sic ad te pervenit, quod tibi prosit. Potes mihi dicere: non habeo quod tribuam indigenti, non possum jejunare frequenter, & à vino, & à carnibus abstinere non possum. Nunquid potes mihi dicere, charitatem te habere non posse? Ipsa est, cujus possessio, tantò plus augetur, quantò amplius erogatur. Dimitte ergo quod tenebas, ne adversus te ille teneat aliquid, cui Luc. 6. 17. non habes quod dimittas. Dimittite, & dimittetur vobis, date, & dabitur vobis. Scitote fratres charissimi, quia duæ sunt eleemosynæ. Una cordis, alia pecuniæ. Eleemosyna cordis est dimittere ei à quo læsus es Nam dare aliquid indigenti, aliquando quæris, & non habes. Indulge peccatis quantum volueris, redundat tibi Aurum & argentum, vestem, frumentum, vinum, & oleum, potest fieri ut aliquoties non habeas unde pauperibus tribuas, ut autem omnes homines diligas, & hoc alijs quod tibi ipse velis, & inimicis tuis indulgeas, nunquam te poteris excusare. Quia si in cellario, & in

Tibi apud Deum veniæ causa, aliorum apud te.

Iniquis nolunt iniqui veniā apud Deum.

Remissio injuriarum sacrificium.

Omnibus facile.

Et inexcusabile.

Charitas magis ampliatur, quo magis erogatur.

Eleemosyna cordis dimittere proximo.

Si negatur, inexcusabilis.

in horreo non habes quod dare possis: de thesauro cordis tui potes proferre quod tribuas. Et cum omnibus hominibus, etiamsi sola sit bona voluntas, sufficiat; & eleemosyna cordis multò mâjor sit, quàm eleemosyna corporis, quis est, qui vel umbram excusationis possit prætendere. *Et infra.* Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis pater vester cælestis peccata vestra: In potestate nostra positum est, qualiter in die judicij judicemur: dimittamus omnibus inimicis nostris, ut libera conscientia possimus in oratione dominica dicere. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *T. 10. Quinq. Homil: Hom: 6* *Matt. 18.15.*

Iudicem Deum in potestate nostra habemus.

Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris Pactum & placitum cum DEO fecimus, & conditionem solvendi debiti in cautione subscripsimus. Dimitte nobis plena fiducia petimus: si & nos dimittimus. Si autem non dimittimus, dimitti nobis peccata non putemus: ne nosipsos fallamus. Homo se non fallat, DEUS neminem fallit. *Et infra.* Qui odit fratrem suum homicida est. Odis fratrem tuum, & securus ambulas? & concordare non vis? non agnoscis quare spatium tibi dederit DEUS? Ecce jam homicida es, & adhuc vivis Si Dominum iratum haberes, cum odio fratris subito rapereris. Parcit tibi DEUS, parce tu tibi, concorda cum fratre tuo. Aut forte tu vis, & ille non vult? Sufficiat tibi Habes vnde illum doleas; tu solvisti. Dic si vis concordare, & ille non vult Dic securus, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris *Et infra.* Quàm multi sunt, qui sciunt se peccasse in fratres suos, & nolunt dicere, Dimitte mihi. Non erubuerunt peccare, & erubescunt rogare. Non erubuerunt de iniquitate, & erubescunt de humilitate. *Et infra.* Sunt personæ humiles, pro ordine sæculi hujus, à quibus si petamus veniam, extolluntur in superbiam: hoc est quod dico, aliquando Dominus peccat in servum suum: quia si ille Dominus est, ille servus, ambo tamen alieni servi sunt: quia ambo Christiani, ambo Christi sanguine redempti sunt. Tamen durum videtur, ut hoc etiam jubeam, hoc præcipiam, ut si forte Dominus homo peccat in servum suum injustè litigando, injustè cædendo, dicat ille: Ignosce mihi, da mihi veniam Non quia debet facere, sed nè ille incipiat superbire, si pœniteat eum. Quid ergo, ante oculos DEI pœniteat eum, ante oculos DEI puniat cor suum: & si non potest dicere servo suo, quia non oportet Da mihi veniam, blandè illum alloquatur. Blanda enim appellatio, veniæ est postulatio. *Et infra.* Noli venire ad fratrem tuum, qui in te peccavit, & ultro ab illo petere veniam. Debent inter vos esse alij pacifici, qui illum objurgent, ut à te prius veniam petat, tu tantum paratus esto ignoscere, prorsus paratus esto ex toto corde dimittere. Si paratus es dimittere, jam dimisisti, habes adhuc quod ores, ora pro illo ut petat à te veniam, scis ei nocere, si non petat. Ora pro illo, ut petat: Dic Domino in oratione tua. Domine scis me non peccasse in illum fratrem meum, sed illum potius peccasse in me, & obesse illi, quod peccavit in me, si veniam non petat à me: ego bono animo peto ut ignoscas ei. *Ibid. Hom: 40. de frat: concord: &c.*

Mat. 6 12. — *1 Io. 3. 15.*

Injuriarum remissio incũbit ex pacto cum Deo.

Odium est homicidiũ in illo vivere est sub ictu vivere.

Communis omnibus servitus Dominos servis reconciliat.

Blanda appellatio veniæ postulatio.

Paratus dimittere, injuriam jam dimisit.

Induxit nobiscum DEUS pactum, & placitum, firmumq; chirographum, ut dicamus Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Qui vult dicere efficaciter. Dimitte nobis debita nostra, oportet quòd dicat veraciter, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si hoc quod est posterius, aut non dicit, aut fallaciter dicit; illud quod prius est, inaniter dicit. *Et infra.* Quod usq; ad istos dies tenuistis, *Mat. 6 12.*

Veniæ apud Deum mẽsura venia proximo data.

nuistis,

nuistis, saltem his diebus dimittite. Non debuit occidere sol super iracundiam vestram, & multi soles occiderunt. Transeat aliquando iracundia vestra, dies magni solis celebramus. Jllius solis, de quo
Mal. 4 2. dicit scriptura. Orietur vobis Sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus. Quid est in pennis ejus? In protectione ejus. *Ibid. Hom: 42. de orat: Dominica.*

Peccatores dimittite, & dimittetur vobis. Justi non peccetis, ut permaneat Christus in vobis. *Ibid. serm: detem: serm: 7. In festo Nativit: Salvat: nostri serm: 3.*

Lu. 23. 34. Quomodo Christus in cruce fixus erat, & tamen per viam charitatis currebat dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt: & nos cum patimur ab inimicis hoc clamare debemus. Quia nesciunt quid faciunt. Phrenetici enim sunt, & à contrario Spiritu possidentur, & ut nos persequantur, majorem persecutionem à diabolo patiuntur: & ideò magis ut liberentur, quàm damnentur, orare debemus. *Et infra.* Dominus quoq; in Evangelio, ut inimicos diligere debeamus, non dedit consilium, sed præceptum. *Et infra.* Amas amantes te filios, & parentes, amat & latro, amat & draco, amant & lupi, amant & ursi. Si enim amantes non diligamus, si filios vel parentes despiciamus, pejores leonibus & supradictis bestijs existere videmur. Sic & ipse Dominus dicit: Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quàm mercedem habebitis. *Et infra.* Ut ergo superiores simus & gentibus, & bestijs, etiam inimicos & adversarios diligamus. Et timeamus illud quod Dominus in Evangelio dicit.
Matt. 18. 30. Serve male omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne oportuit & te misereri conservo tuo, sicut & ego tui misertus sum? *Et infra.* Si non dimiseritis, nec Pater vester cælestis dimittet debita vestra. In potestate nostra positum est, qualiter in die judicij judicemur. Unde nescio qua fronte indulgentiam peccatorum suorum ante tribunal Christi obtinere poterit, qui DEO præcipiente inimicis suis veniam dare non acquiescit. *Ibid. ser: 60. ser: 6 post Dom: in Quinq: ser: 3*

Persecutor Phreneticus.

Magis torquetur quam torquet.

Amor amantium amor ferarum & latronum.

In potestate nostra est qualiter judicemur.

Date & dabitur vobis, dimittite, & dimittetur vobis. Ac si qui non dimiserit ipse contra se januam divinæ misericordiæ claudit, dicendo. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus. *Ibid. ser: 116 Dñica in Ram: Palm: ser: 3.*

In ipso uno qui malus est, & proximum habes, & inimicum. Nam quod homo est, proximus tuus est: quod malus est, non solum tuus, sed etiam suus inimicus est: dilige ergo in eo carnem, & animam, hoc est proximum tuum, quem DEUS fecit, & odio habe malitiam, quam ipso consentiente diabolus intromisit. Quod cum sancto & pio animo feceris, vices cælestis Medici agis, odio habens morbum, & diligens ægrotum. *Ibid. ser: 168. Dom: 3. post Oct. Paschæ serm: 2.*

Et odisse & diligere proximum potes.

Attende Magistrum, & Dominum tuum, non in Cathedra sedentem, sed in ligno pendentem, circumspectis undiq; turbis inimi-
Lu. 23 34. corum & dicentem: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Vide Magistrum audi imitatorem. *Ibid. ser: 169. Dom: in Rogat: ser: 2.*

Vide pendentem Dominum tuum, vide pendentem, & tibi deligno tanquam de tribunali præcipientem. Vide pendentem, & tibi languenti de suo sanguine medicamentum facientem. Vide pendentem, si vindicari vis. Vindicari vis? vide pendentem, audi precantem. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Sed potuit hoc Christus, dicis mihi, ego non possum. Ego enim homo sum,
Lu. 23. 34. ille DEUS: homo ego, homo ille DEUS homo. DEUS ergo ut quid homo? si non corrigitur homo? Sed ecce tibi loquor o homo,

Vindictæ cupidi aspectu Crucifixi componuntur.

multum est tibi imitari Dominum tuum, attende Stephanum conservum tuum. *Et infra.* Lapides enim mittunt lapides, dura duri. Qui in lapide legem acceperunt, lapides mittunt. *Et infra* Hoc dicto obdormivit. O felix somnus, & requies vera! Ecce quid est requiescere, pro inimicis orare. *Ibid.* 237. *Dom:* 19. *post Fest: S. Trin: serm:* 2. *Act. 7. 19.*

Injuriarum remissio somnus & requies.

Facit filios Dei.

Orate pro persequentibus vos, ut sitis filij Patris vestri, qui in cælis est. Si tibi diceret, ora pro inimico tuo, ut sis filius Patris tui, ne exheredet te Pater carnalis, quia hoc tibi relicturus est, quod hinc non es ablaturus, timeres, & faceres: promittitur tibi pro his duris, ut sis filius altissimi, cogita Patrem, & agnosce hereditatem. *Et infra.* Exercere ergo in medijs malis, o bone, si vis esse bonus: non de tuo bono, quia fuisti malus, sed de Deo bonus, qui nunquam est malus. Exercere in medijs malis. Nec mihi volo dicas. Saltem si necesse esset, propter exercitationem nostram, ut essent mali, pauci essent mali, & boni multi essent. Non attendis, quia si pauci essent, multis non nocerent? Utiq; considera vir prudens, quia si multi boni essent, & pauci mali essent: pauci mali multis bonis nocere non auderent? Si non auderent, non exercerent. *Ibid ser:* 254. *In anniver: Dedic: Eccl. ser:* 3. *Mat. 5. 44.*

Paucitas malorum damnū bonorum.

Amans inimicos Filius Dei.

Diligite inimicos vestros, ut sitis filij Patris vestri, qui in Cælis est. Elige modo quod tibi placuerit. Si inimicos dilexeris, non solum amicus, sed etiam filius Dei esse mereberis. Si verò inimicos amare nolueris, propitium Deum habere non poteris: quia scriptum est, qui odit fratrem suum, homicida est. Et iterum. Qui non diligit, manet in morte. Et iterum. Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & Pater vester cælestis peccata vestra. Rogo vos fratres, quid delicatius, quid benignius dici potest? In potestate nostra posuit Deus, qualiter in die judicij judicemur. Non dixit, vade in Orientem, & quære justitiam: naviga usq; ad occidentem, ut accipias indulgentiam. Dimitte inimico tuo, & dimittetur tibi, indulge, & indulgebitur tibi, da, & dabitur tibi, nihil à te extra te quærit. Ad te ipsum, & ad conscientiam tuam te Deus dirigit. In te enim posuit, quod requirit. Non enim medicamentum vulneribus tuis longe opus habes inquirere, peccatorum tuorum indulgentiam, si vis, intus in cellario cordis tui poteris invenire. Sed dicis: tanta mala me inimicus meus compulit sustinere, ut eum nulla possim ratione diligere. Attendis quid tibi fecerit homo, & non attendis, quid tu feceris Deo? *Ibid. ser: de San: ser:* 47. *In festis plur. Mart: ser* 3. *Matt. 5. 44. 1. Jo. 3. 14. Matt. 6. 14.*

Deus judex in potestate nostra.

Facilitas indulgentiæ apud Deum.

Parce reo, ipse reus.

Diliges proximum tuum. Ibi sunt omnes homines, etiamsi fuerint inimici. *Ibid ser: de diver: ser.* 26. *de Quatuor quæst.* *Matt. 5. 43.*

Inimicus, sibi plus nocet quā hosti.

Nullo modo nocere tibi potest inimicus sæviens, quantum tibi noces, si non diligis inimicum. Jlle enim nocere potest, aut villæ tuæ, aut pecori tuo, aut domui tuæ, aut servo tuo, aut ancillæ tuæ, aut filio tuo, aut conjugi tuæ: aut, ut multum, si illi data fuerit potestas, carni tuæ? Nunquid, quomodo tu, animæ tuæ? Extendite vos ad istam perfectionem charissimi, exhortor vos. *Et infra.* Non vobis videatur impossibile: ego scio, ego novi, ego probavi, esse homines Christianos, qui diligunt inimicos suos. *Et infra.* Quid trahis cor semper in terram? Audi, sursum cor: extende, dilige inimicos. Si non potes diligere sævientem, dilige vel petentem. Dilige hominem qui dicit tibi: Frater peccavi, ignosce mihi. Tunc si non ignoveris, non dico, deles orationem de corde tuo sed deleberis de libro Dei. Si autem vel tunc ex corde dimite, odium. Odium dico dimittas ex corde, non disciplinam. *Ibid. ser.* 48 *in orat. Dom.*

Non dimittēs delet se de libro Dei.

Odium dimittēdum non disciplina.

Quid

Quid stultius, quàm inimicorum forinsecus devitare, & multò pejorem in præcordijs intimis retinere? *Et infra.* Primitus agendum est, ut super iram non occidat iste sol: ne deserat ipsam mentem Justitiæ sol Sed in cujus pectore adhucusq; permansit, pellat eam saltem jam proximus dies Dominicæ Passionis, qui non est iratus interfectoribus suis: pro quibus in ligno pendens, & precem fudit, & sanguinem. *Ibid par: 2. ser: de diver: ser. 72 ser. 5. post Dom. 2 Quadr.* *Passio Christi expulatrix inimicitiarum.*

Negligens inimicitias finire obliviscitur: pertinax veniam non vult concedere cum rogatur: superbe verecundus, veniam petere dedignatur. His tribus vitijs inimicitiæ vivunt: sed animas in quibus non moriuntur, occidunt. Vigilet contra negligentiam memoria, contra pertinatiam misericordia: contra superbam verecundiam submissa prudentia. *Ibid. ser: 73. ser. 6. post eand Dom.* *Inimicitiarum fontes & fomenta.*

Eph 4. 26. Sol non occidat super iracundiam vestram. Considerate charissimi, utrum Christianus dicendus sit, qui saltem his diebus inimicitias non vult finire, quas nunquam debuit exercere. *T. 10. erund. ser: 74 Sabbat post eand. Dnicam.*

Mat. 5 34. Exemplum propositum est de Deo Patre, qui solem suum oriri facit super bonos & malos Dixit hoc etiam Filius Dei, post acceptionem carnis suæ, per os carnis suæ, quam, amando inimicos suos suscepit. *Ibid. ser: 92. In Nat: S. Stephani.*

Noli dicere. Si moriatur inimicus. Domine si quid à te merui, occide inimicum meum. Quod si forte dicis, non times, ne tibi respondeat. Si occidere vellem inimicum tuum, te prius occiderem? An gloriaris, quia modo invitatus venisti? cogita paululum ante quid fuisti. Nonne me blasphemasti? Nonne me irrisisti? nonne nomen meum de terra delere voluisti? Sed plaudis tibi quia invitatus venisti? Si te occidissem inimicum, quem facerem amicum? Quid ergo male orando doces me, quod non feci in te? Imò ergo dicit tibi Deus. Doceam te, ut imiteris me. In cruce pendens dixi. Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. *Et infra.* Hoc tibi dicit Deus tuus. Et ecce vindico te; occido inimicum tuum, de illo tollo quod malus est, servo quod homo, nunquid si fecero illum hominem bonum, non occidit inimicum tuum, & feci, amicum tuum? Sic roga, quod rogas, utnon homines pereant, sed ipsæ inimicitiæ pereant. *Ibid. ser: Nov: serm: 14. de Nup. filij Regis.* *Inimicus alijs, sibi inimicus.* *Inimicitiæ pereant non homines.*

Matt. 6. 12. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quotidie petitores, quotidie debitores. *Ibid. ser: 18. ser: 5 post Pascha, de alleluia.* *Petitores debitores.*

Verus pacis amator, inimicorum ejus amator est. Quemadmodum enim si lucem istam amares, cæcis non irascereris, sed eos doleres, quale enim bonum tu caperes, nosses, & ideo, quanto bono illi fraudarentur conspiciens, misericordiâ tibi digni viderentur: & si opes haberes, si artem, medicamentum, potius ad eos sanandos curreres, quàm damnandos. Ita si pacis amator es, quisquis es, miserere eum, qui non amat, quod amas, qui non habet quod habes. Talis quippe est res, quam diligis, ut non invideas compossessori tuo. Habet tecum pacem, & tibi non angustat possessionem. Quidquid terrenum amas, difficile est, ut habenti non invideas, *Ibid. serm: 35. De laude Pacis.* *Pacis amator, amat inimicos inimici.* *Amori terrenorum, comes Invidia.*

Audite qui pavetis verbum Domini. Dicite, fratres nostri estis, eis qui vos oderunt, & qui vos detestantur. Quid est? radicavit lux, ostendit fraternitatem: & adhuc dicit lippus, claude fenestram. Præbe oculos tuos luci, agnosce fratrem in tenebris non constitutum, in tenebris constitutus, & dic, dic securus verba Dei, & dicis non mea. Dicite, dicit Deus, Fratres nostri estis, quibus? eis qui

vos

vos oderunt. Nam quid mirum si dicitis eis qui vos diligunt? His, qui vos oderunt, & qui vos detestantur. Ut quid hoc? Audi, & causæ aspice fructum. Velut interrogaveris Dominum tuum, & dixeris, Domine quomodo dicam, Frater meus es, qui odit, qui detestatur? Dic quare. Ut nomen Domini honorificetur. *Ibidem*.

Diligite inimicos vestros. Ipsi sunt enim mundus, qui nos odit. Ergo & prohibemur diligere in illo, quod ipse diligit in seipso, & jubemur diligere in illo, quod ipse odit in seipso: DEI scilicet opificium, & diversas bonitatis suæ consolationes. *T. 9. in Evag. Ioan. Tr. 87. de cap. 15.*

Odium Inimici, odium Fratris.

Eja fratres mei quamdiu dicemus vobis, diligite inimicos? Videte quod pejus est, ne adhuc fratres oderitis. Si fratres solum amaretis, nondum essetis perfecti: si autem fratres oderitis quid estis? Ubi estis? Respiciat unusquisq; cor suum, non teneat odium contra fratrem pro aliquo verbo duro, pro contentione terræ, ne fiat terra. *Ibid. in Epist: Ioan: Tr: 1. de cap. 1.*

Amoris inimicorum Symbolum.

Faber optimus vidit lignum non dolatum, de sylva præcisum, adamavit, nescio, quid inde vult facere. Non enim ad hoc amavit, ut semper sic maneat. In arte vidit quod futurum est, non in amore quod est: & amavit quod inde facturus est, non illud quod est. Sic & nos DEUS amavit peccatores. Nam dicimus quia DEUS amavit peccatores? Ait enim, non est opus sanis Medicus, sed male habentibus. Nunquid ad hoc amavit peccatores, ut peccatores remaneamus? Quasi lignum de Sylva vidit nos faber, & cogitavit ædificium quoddam quod inde facturus est: non sylvam quod erat. Sic & tu respicis inimicum tuum, adversantem, sævientem, mortem verbis, exasperantem contumelijs, insectantem odijs: attendis ibi quia homo est. *Et infra.* Non amas in illo quod est? sed quod vis ut sit. Quod facis reddere malum pro malo? Unum ægrotum flebam qui te oderat: jam duos plango, si & tu odisti. Sed persequitur rem tuam, tollit tibi nescio quæ, quæ habes in terra. Noli pati angustias migra in Cælum: sursum cor ibi habebitis ubi latitudo est, ut nullas angustias patiaris in spe vitæ æternæ. Attende quæ tibi tollit: nec ipsa tibi tolleret, nisi ille permitteret, qui flagellat omnem filium quem recipit. Quedammodo ferramentum DEI est, quo saneris, ipse inimicus tuus. Si novit DEUS utile tibi ut expoliet te, permittit illum: si novit tibi utile esse ut vapules, permittit illum ut cædaris. De illo te curat opta ut ille sanetur. DEUM nemo vidit unquam. *T. 9. in Epist. Ioan: Tr: 8 de cap. 4.*

Contra angustias remediũ sursum Cor.

Inimicus ferramẽtum quo expolit suos Deus.

Æmulatio Dei oratio pro inimicis.

Sicut ille diligit inimicos suos, faciendo solem suum oriri super bonos & malos, & pluendo, super justos, & injustos: nos quia inimicis nostris non possumus, præstare temporalem solem & pluviam, præstemus lachrymas cum pro illis oramus. *Ibid. in Epist. Ioan: Tr: 9. cap. 4.*

Odisti fratrem odisti Deum.

Nota amoris observantia legis.

Magnifice dicebas diligo DEUM & odis fratrem? O homicida quomodo diligis DEUM! Non audisti superius in ipsa Epistola, Qui odit fratrem suum, homicida est. Sed prorsus diligo DEUM, quamvis oderim fratrem meum. Prorsus non diligis DEUM, si odisti fratrem. Et modo probo alio documento. Ipse dedit nobis præceptum, ut diligamus invicem. Quomodo diligis eum, cujus odisti præceptum? Quis est, qui dicat, diligo Imperatorem; sed odi leges ejus. In hoc intelligit Imperator si diligis eum, si observantur leges ejus per provincias. Lex Imperatoris quæ est? Mandatum novum do vobis ut vos invicem diligatis. *Io: 13. 14.* Dicis ergo te diligere Christum: serva mandatum ejus, & fratrem dilige. Si autem fratrem non diligis, quomodo eum diligis cujus mandatum contemnis. *Ibidem.*

Dimit-

Matt: 6. 12. Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Habetis enim quod quotidie vobis dimittatur, qui habetis, quod quotidie dimittatis. Sic ambulando securi in via non timebitis latrocinia diaboli, quia Christus viam stratam & magnam seipsum fecit, per quam ducit ad Patriam. *Ibid. lib. de 10. chord. c. 13.* *Habes quod dimittas qui dimittis.*

AMOR PROXIMI

BEatus qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te. Solus enim nullum charum amittit, cui omnes in illo chari sunt, qui non amittitur. Et quis est iste nisi DEUS noster. *T. 1. l. 4. Conf. c. 9.*

Si placent corpora? DEUM ex illis lauda, & in artificem eorum retorque amorem, nè in his quæ tibi placent, tu ei displiceas Si placent animæ? in DEO amentur, quia & ipsæ mutabiles sunt, & in illo fixæ stabiliuntur, alioquin irent & perirent. Rape ad eum tecum quas potes, & dic eis. Hunc amemus, hunc amemus: ipse fecit hæc & non est longè. Non enim fecit atq; abijt, sed ex illo, in illo sunt. *T. 1. l. 4. Conf: c. 11 & 12.* *Creaturam ducas ad amorem Dei.*

A dilectione proximi tanta, quanta præcipitur, certissimus fit gradus nobis, ut inhæreamus DEO. *T. 1. lib 6. Music. c. 14.*

Jllam enim legem amicitiæ justissimam esse arbitror, quâ præscribitur, ut sicut non minùs, ita nec plùs quisquam amicum, quam seipsum diligat. *T. 1. lib. 1. Solil: c. 3.* *Lex & mensura amoris proximi.*

Si vel ipsum hominem dilexerit homo, non tanquam se ipsum, sed tanquam jumentum vel aviculam pictam, vel garrulam, idest ut ex eo aliquid temporalis voluptatis aut commodi capiat, serviat necesse est non homini, sed quod est turpiùs, tam fædo & detestabili vitio, quo non amat hominem, sed quod est turpiùs, tam fædo & detestabili vitio, quo non amat hominem, sicut homo amandus est: Quo vitio dominante usq; ad extremam vitam vel potiùs mortem perducitur. *T. 1. ver: Relig. c. 46.* *Homo, non quæ hominis diligẽdi causa.*

Si quisquam diligat bene cantantem, non hunc vel illum, sed tantum bene cantantem quemlibet, cum sit Cantor ipse perfectus, ita vult omnes tales esse, ut tamen non desit ei quod diligat, quia ipse benè cantat. Quod multò accommodatiùs de bene vivente dici potest, quia invidere nulli potest: quò enim perveniunt bene viventes, tantundem est omnibus, nec minus fit, cum plures habuerint. *T. 1. de ver. Rel: c. 47.* *Bene vivẽtes non invident.*

Qui diligit proximum tanquam se ipsum, non invidet ei, quia nec sibi ipsi, præstat ei quod potest, quia & sibi ipsi: nec eo indiget, quia nec seipso: tantùm DEO indiget, cui adhærendo Beatus est. Nemo autem illi eripit DEUM. *T. 1. de ver. Rel. c. 47.* *Amans proximum non invidet.*

Quod ergo agis tecum, id agendum cum proximo est; hoc est ut ipse etiam perfecto amore diligat DEUM. *T. 1, lib. 1. de morib: Eccl. Cath. c. 26.*

Proximus non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est, in qua socij sunt omnes homines. Nam si pecuniæ ratio socios facit, quantò magis ratio naturæ, non negotiandi, sed nascendi lege communis. *T. 2. Ep. 52.* *Proximũ non sanguinis sed rationis societas facit.*

Cum illa dilectione, quam Divina lex imperat, debeat homo diligere DEUM & seipsum, & proximum, non tamen ex hoc tria præcepta data sunt: *Matt: 22. 24.* nec dictum est in tribus, sed in his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ: ut intelligeretur nullam esse aliam dilectionem, quâ quisq; diligit seipsum, nisi quod diligit DEUM. Qui enim aliter se diligit, potiùs se odisse dicendus est: fitq; in ipso quod veracissime scriptum est: qui autem amat iniquitatem, odit animam suam. *Ibidem.* *Odit Deum qui proximum.*

Faci-

Hominem diligendi ratio quia Homo est

Facile est atq; proclivè malos odisse, quia mali sunt: rarum autem & pium eosdem ipsos diligere, quia homines sunt, ut in uno simul & culpam improbes, & naturam approbes: ac propterea culpam justius oderis, quod ea fædatur natura, quam diligis. *T. 2. Epist: 54.*

Mali diligendi ut ægroti.

Meritò ait Seneca (qui temporibus Apostolorum fuit, cujus etiam ad Paulum Apostolum quædam leguntur Epistolæ) omnes odit qui malos odit, & tamen ideo diligendi sunt mali, ut non sint mali. Quemadmodum non ut permaneant, sed ut sanentur à Medicis diliguntur ægroti. *Ibidem.*

„ Confer te ad tuum animum, & illum in Deum leva, quantum
„ potes Ibi enim certiùs habes & nos non per corporeas imagines,
„ quibus nunc in nostra recordatione, uti necesse est, sed per illam
„ cogitationem, quâ intelligis, non loco esse nos simul. *T. 2. Epist: 115.*

Tibi prodest ipsam diligere bonitatem, quàm profecto diligit, qui eum diligit quem credit bonum: sive se ille ita, sive aliter, quàm creditur habeat. *T. 2 Epist. 126.*

Benefici quã veis non præstint quod petitur.

Non tunc benefici sumus, cum id quod à nobis petitur facimus; sed cum id facimus, quod non obsit petentibus. Medici cum vident secandam urendamq; putredinem; sæpe adversus multas lachrymas obsurdescunt misericorditer. Non sanè fideliter eos amare convincimur, si hoc solum intuemur, nè non faciendo quod poscunt, minuatur, quod amatur ab eis. *T. 2. Epist: 255.*

Qui sunt magis proximi?

Omnes homines æquè diligendi sunt. Sed cùm omnibus prodesse non possis, ijs potissimum consulendum est; qui pro locorum & temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictiùs tibi quasi quadam sorte junguntur. *T. 3 lib. 1. de Doctr. Chr: c. 27.*

Vade & tu fac similiter, ut videlicet eum esse proximum intelligamus; cui vel exhibendum est officium misericordiæ, si indiget, vel exhibendum esset, si indigeret *T. 3 Ibidem c. 30.* *Lu. 10 v. 32.*

Cum homine in Deo frueris, Deo potius, quam homine frueris. *Ibidem c. 33.*

Dilectio mors vitiorum.

Quod tibi fieri non vis, alteri nè feceris. Quæ sententia cum refertur ad dilectionem Dei, omnia flagitia moriuntur; cum ad proximi, omnia facinora: nemo enim vult corrumpi habitaculum suum. Non ergo corrumpere debet habitaculum Dei, seipsum scilicet. Et enim nemo vult sibi à quoquam noceri, nec ipse igitur cuiquam nocuerit. Sic eversa Tyrannide cupiditatis, charitas regnat justissimis legibus dilectionis Dei propter Deum, sui & proximi propter Deum. *T. 3. l. 3 de Doctr: Chr. c. 15.*

Beneficia erga invitos.

Multa bona præstantur invitis, quando eorum consulitur utilitati non voluntati; quia ipsi sibi inveniuntur esse inimici, amici vero eorum potiùs illi, quos inimicos putant, & reddunt errando mala pro bonis, cum reddere mala non debeat Christianus pro malis. *T. 3 Ench. c. 72.*

Superbia inimica Dilectioni.

Trinitas in Caritate relucet.

Magis novit dilectionem quâ diligit, quàm fratrem quem diligit. Ecce jam potest notiorem Deum habere, quàm fratrem. Planè notiorem, quia præsentiorem. Notiorem quia interiorem. Notiorem quia certiorem. Amplectere dilectionem Dei, & dilectione amplectere Deum. Ipsa est dilectio, quæ omnes bonos Angelos, & omnes Dei servos consociat, vinculo sanctitatis, nosq; & illos conjungit invicem nobis & subjungit sibi. Quantò igitur saniores sumus à tumore superbiæ, tantò sumus dilectione pleniores. Et quo nisi Deo plenus est? qui plenus est dilectione? & quantum possum eam mente conspicio, & credo scripturæ dicenti, quoniam Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet. Sed cùm illam video, nonne in ea video Trinitatem? Imò verò vides Trinitatem, si charitatem vides. *T. 3. l. 8. de Trin. c. 7. & 8.* *1. Io. 4.*

Nemo

Nemo potest diligere DEUM, quem non videt, qui fratrem quem videt non diligit. Quia hæc est illi causa non videndi DEUM, quod non diligit fratrem. Qui enim non diligit fratrem, non est in dilectione, & qui non est in dilectione, non est in DEO, quia DEUS dilectio est. Porrò qui non est in DEO, non est in lumine, quia DEUS lumen est, & tenebræ in eo sunt nullæ. Qui ergo non est in lumine, quid mirum si non videt lumen, id est non videt DEUM, quia in tenebris est. *T. 3. ibidem.*

Visionis Dei iactura ex defectu Caritatis proximi.

Nos autem ipsos tantò magis diligimus, quantò magis diligimus DEUM. Ex una eademq; charitate DEUM proximumq; diligimus, sed DEUM propter DEUM, nos autem & proximum propter DEUM. *Lib. 8. de Trin: c. 8.*

Neq; diligeret proximum tanquam seipsum, nisi recepta dilectione DEI, sine qua non diligeret seipsum. *T. 4. lib. de Fide & Oper. c. 16.*

Nunc cum in hac vita, id est in hac via simus, onera invicem nostra portemus, ut ad eam vitam, quæ caret omni onere pervenire possimus. Sicut enim de cervis nonnulli scripserunt, cum fretum ad Insulam transeunt pascuorum, gratiâ sic se ordinant, ut onera capitum suorum quæ gestant in cornibus super invicem portent. Et quia necesse est unum esse qui cæteros præcedens, non ante se habeat cui caput inclinet, vicibus id agere dicuntur. Istam fortasse cervorum naturam, intenderat Salomon, dum ait: Cervus amicitiæ, & pullus gratiarum tuarum collocantur tecum. *Prov: 5. t. 4. l. 83. quæst: 71.*

Dilectionis Idea in Cervis.

Communicatio onerum.

Nihil enim sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio. *T. 4. l. 88. quæst. 71.*

Probatio dilectionis tolerãtia amici.

Homines ergo bonos imitare, malos tolera, omnes ama, quoniam nescis, quis cras futurus sit, qui hodie malus est. Nec eorum ames injustitiam, sed ipsos ideo ama, ut apprehendant justitiam, quia non solùm dilectio DEI nobis præcepta est, sed & dilectio proximi, in quibus duobus præceptis tota lex pendet atq; Prophetæ. Quam non implet, nisi qui donum acceperit Spiritum Sanctum, Patri & Filio utiq; æqualem; quia ipsa Trinitas DEUS est, in quo DEO spes omnis ponenda est. *T. 4. l. de Catech. rud. c. 27.*

Facilius est videre quid in alio corrigas, atq; id vituperando vel objurgando corrige, quàm videre, quid in te corrigendum sit, libenterq; corigi, vel per te ipsum, nèdum per alium adde posteriorem, adde coram omnibus. Valet autem hoc ad magnum humilitatis exemplum, quæ maxima est disciplina Christiana: humilitate enim conservatur charitas; Nam nihil eam utiq; violat, quàm superbia. Et ideo Dominus non ait. Tollite jugum meum, & discite à me quoniam quatriduana de sepulchris cadavera excito, atq; omnia dæmonia de corporibus hominum morbosq; depello, & cætera hujusmodi. Sed tollite inquit jugum meum & discite à me quia mitis sum, & humilis corde. *T. 4. Exposit: Ep. ad Galat: fol: 380.*

Caeci ad nostra vitia oculati ad aliena.

Caritas, humilitate conservatur.

Matt. 11 v. 29.

DEUS magne, DEUS Omnipotens, DEUS summæ bonitatis, quem inviolabilem, atq; incommutabilem credi atq; intelligi fas est, Trina unitas quam Catholica Ecclesia colit, supplex oro, expertus in me misericordiam tuam, nè homines cum quibus mihi à pueritia, imò in omni convictu fuit summa consensio, in tuo cultu à me dissentire permittas. *T. 6. de duabus animabus c. 15.*

Augustini oratio pro amicis.

Dilectio proximi certus gradus est ad dilectionem DEI. Ex quo manifestum est, & honorem Parentum in gradu suo esse servandum, & eos tamen in Divini amoris comparatione, præsertim si impedimento sunt, nulla dubitatione oportere contemni. *T. 6. l. con. Adimañ. c. 6.*

Dilectio proximi gradus ad dilectionẽ Dei.

Zelus ad propria peccata prior sit.

Tantum te torquet injustitia aliena, quantum recesseris à tua. Cum enim fueris frumentum, ideſt herba bona de ſemine bono, filius regni: cum cæperis fructum dare, tunc tibi apparebunt zizania. Cum enim crevisset herba & fructum fecisset, tunc apparuerunt zizania. Cum cæperint apparere zizania videbis te inter malos *Ibid in Psal 98.* *Matt. 13 26.*

Unio membrorum in Corpore idea Caritatis proximi.

Omnia membra quidquid poſſunt, faciunt, ut de infimo, & exiguo loco ſpina, quæ inhæſerat educatur Si ergo Fratres quiſquis in corpore Chriſti, non poteſt reſuſcitare mortuum, non illud quærat: ſed quærat ne diſcordet in corpore: quomodo ſi auris quærat videre, diſcordare poteſt. Nam quod non accepit, non poteſt facere. *Ibid. Expoſ. Pſal. 130.*

Scit amare proximũ, qui ſcit amare ſe ipſum.

Diliges proximum tuum ſicut te ipſum Prius vide ſi jam noſti diligere teipſum, & committo tibi proximum quem diligis, ſicut te ipſum. Si autem nondum noſti diligere te; timeo ne decipias proximum tuum ſicut te. Si enim amas iniquitatem, diligis te. Pſalmus teſtis eſt Qui inquit diligit iniquitatem, odit animam ſuam Si autem odiſti animam tuam, quid tibi prodeſt quia diligis carnem tuam? Si odiſti animam tuam, & diligis carnem tuam, reſurget caro tua, ſed ut torqueatur anima tua. Ergo prius anima diligenda eſt, quæ DEO ſubdenda eſt, ut ordinem ſuum ſervitus iſta cuſtodiat, anima DEO, animæ caro. Vis ſerviat caro tua, animæ tuæ? DEO ſerviat anima tua. Debes regi, ut poſſis regere. *Ibid. ſer. de verb. Dom ſer: 43. De illo, Si ego teſtimonium perhibeo &c.* *Matt. 5. 43*

Ordo dilectionis.

Debes regi ut poſſis regere.

Hoc Dominus exigit à Petro, Petre amas me? Quaſi, quid mihi dabis, quid mihi præſtabis, quia amas me? Quid erat præſtiturus Petrus reſurgenti Domino, & eunti in cælum, atq; ſedenti ad dexteram Patris? Quaſi diceret: Hoc mihi præſtabis, ſi amas me, ut paſcas oves meas. *Ibid. ſer: 49 de mercenario &c.* *Io: 21. 15.*

Mercenarij Paſtoris notæ.

Dominus noſter JESUS Chriſtus quando dicebat Petro, Petre amas me? Quid eſt amas me? Caſtus es? Non cor tuum adulterum? Non tua quæris in Eccleſia, ſed mea? Si ergo talis es, & amas me, paſce oves meas. Non eris mercenarius, ſed eris paſtor. *Ibidem.* *Io: 21. 15.*

Corripiens proximum, ſeipſum corripit.

Proximum vis corripere: nihil eſt tibi teipſo propinquius. Quid is longè? Te habes ante te Quid enim Dominus ait per ſcripturam? Diliges proximum tuum tanquam teipſum. Si ergo te ipſum non diligis, proximum quomodo diligis? Regulam dilectionis proximi, ex te accepiſti, *Ibid Quinq: Homil. Hom: 5 De illo Apli. Prædica verbum inſta. &c.*

Amoris diviſiones.

Diliges proximum tuum tanquam teipſum. Tractemus aliquantum, de amore hominis in hominem: quia ſunt amores hominum perverſi Ipſe perverſè amat alterum, qui & ſe perverſè amat: qui autem rectè ſe amat, alterum rectè amat Verbi gratia. Sunt amores flagitioſi, deteſtabiles: amores adulterorum, amores corruptorum, immundi amores. Malos amores deteſtantur omnes leges humanæ, & leges divinæ. Remove ergo iſtos illicitos, quæramus licitos Incipit amor licitus à conjugio, ſed adhuc carnalis eſt. Videtis quia communis eſt cum pecoribus; & paſſeres illi qui perſonant, habent conjugia, & nidos faciunt, ſimul ova confovent, ſimul pullos nutriunt. Licitus quidem amor iſte in hominibus, ſed videtis quia carnalis eſt. Secundus amor filiorum eſt: ſed adhuc ipſe carnalis eſt. Non enim eſt laudandus qui amat filios, ſed deteſtandus qui non amat: pro magno enim laudaturus ſum in homine, quod video in tygride? Serpentes amant filios ſuos, leones & lupi amant filios ſuos. Noli ergo magnum putare, quod amas filios tuos Adhuc in amore hoc ſerpentibus compararis. Si non amaveris à ſerpenti- *Matt. 5 23.*

Amor ſanguinis amor ferarum.

Filiorum amor.

pentibus vinceris. Honestos amores jam dico. Illos enim flagitiosos exclusi. Altus amor, qui est propinquorum, jam iste videtur proprius hominum, si non sit consvetudinis. Nam major est amor, qui extenditur ultra propinquos, quàm qui tenetur inter propinquos. Qui amat propinquos suos, adhuc sanguinem suum amat. Amet alios qui non sunt propinqui, suscipiat peregrinum: jam multùm dilatatus est amor iste. Tantùm autem crescit, ut à conjuge ad filios, à filiis ad propinquos, à propinquis ad extraneos, ab extraneis ad inimicos perveniat. Sed ut perveniat illuc, multos habet gradus. *Et infra.* Sunt amici, exceptâ amicitiâ, quæ nec amicitia dicenda est, quàm facit mala conscientia. Sunt enim homines qui pariter mala committunt, & ideo videntur sibi conjuncti, quia conscientiâ malâ committunt, & ideo videntur sibi conjuncti, quia conscientiâ malâ ligati sunt. Exceptâ illâ nefariâ amicitiâ, est quædam adhuc carnalis, per consvetudinem cohabitandi, alloquendi, simul conversandi, ut contristetur homo, quando deseritur ab amico, cum quo solet colloqui, & habere conjunctiones. *Et infra.* Est ergo ista amicitia consvetudinis, non rationis. *Et infra.* Est & alia superior amicitia non consuetudinis, sed rationis, quâ diligimus hominem propter fidem, & mutuam benevolentiam in ista vita mortali. At superius quidquid jam invenerimus, divinum est. Incipiat homo amare DEUM, & non amabit in homine nisi DEUM. Videat enim charitas vestra primùm, amicitæ amor qualiter debeat esse gratuitus. Non enim propterea debes habere amicum, vel amare ut aliquid tibi præstet. Si propterea illum amas, ut præstet tibi vel pecuniam, vel aliquod commodum temporale, non illum amas, sed illud quod præstat. Amicus gratis amandus est, propter sese, non propter alium. Si hominem te dicis, hortatur amicitiæ regula, ut gratis diligas: quàm gratis amandus est DEUS, qui jubet ut hominem diligas? Nihil delectabilius DEO. Nam in homine sunt quæ offendant, per amicitiam tamen cogis te, ut etiam illa quæ offendunt, in homine toleres propter amicitiam. Si ergo non debes propter quædam toleranda dissolvere hominis amicitiam, DEI amicitia quibus rebus cogi debet, ut dissoluatur à te? Nihil invenis delectabiliùs DEO. DEUS non est, qui te offendat, si tu eum non offendas: nihil illo pulchriùs, nihil illo dulcius. Sed dicturus es mihi, non illum video: quomodo sum amaturus quem video. Et quomodo discis amare quem non vides? Modo ostendo unde coneris videre, quod istis oculis non potes videre. Ecce amas amicum, quid in illo amas? Gratis eum amas. Sed forte amicus iste tuus, ut alia omittam, senex homo est: Fieri enim potest, ut habeas amicum senem. Quid amas in sene? Incurvum corpus, album caput, rugas in fronte, contractam maxillam? Si corpus quod vides, nihil deformius præ senectute: & tamen aliquid amas, & corpus quod non vides, non amas, quia deforme est: unde vides quod amas? Si enim quæram à te, Quare amas? responsurus es mihi, Homo est fidelis. Ergo fidem amas. Si fidem amas, quibus oculis videtur fides, ipsis oculis videtur DEUS. Incipe ergo DEUM amare, & amabis hominem propter DEUM. *Et infra.* Adulteri. Et unde adulteri. Quæris unde? Nescitis inquit, quia amicitia hujus mundi, inimica est DEO? Quicunq; ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus DEO constituitur. Expressit quid dixit, adulteri. Anima deserto creatore, amans creaturam adultera est. Nihil enim illius amore castius, nihil delectabilius. Illo deserto, hoc amplectendo efficeris immunda. O anima ut illius amplexibus digna sis, dimitte ista & illi inhære gratis. Nam inde dixit Psalmus: mihi autem adhærere DEO bonum est.

Amor hominum proprius.

Gradus amoris proximi.

Amicitiam non facit mala conscientia.

Amicitia alia consvetudinis, alia rationis.

Amor gratuitus.

Veræ amicitiæ non officit etiam quod offendit.

Amoris causa occultæ.

In sene quid amatur?

Amans Creaturam anima, adultera.

Verſu priore ſic dixit: Perdidiſti omnes qui fornicantur abs te Et Pſ. 72. 27.
Amor gratuitus quaſi oſtenderet quæ ſit fornicatio, ſubjecit. Mihi autem adhærere DEO bonum eſt: nihil aliud volo, ſed ipſum. Adhærere illi hoc eſt meum bonum, hoc eſt gratuitum bonum meum. Ideò & gratia dicitur, quia gratis conſtat. Cum ergo cæperis amare gratis. Securitas eſt: quia amicum gratis amas, & ad hoc eum amas, ut tecum amet DEUM *Ibid. Hom: 38.*

Proximorum claſſes. Si forte quislibet quærat, quia ſit proximus, ſciat omnem Chriſtianum recte proximùm dici, quia omnes in baptiſmo Filij DEI ſanctificantur, ut fratres ſimus ſpiritualiter in charitate perfecta. Nobilior eſt generatio ſpirtualis quàm carnalis, de qua in Evangelio ipſa veritas dicit. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum DEI Qui autem taliter diligens, proximum diligit, ſine dubio charitatem veram in ſemetipſo tenebit. *T. 10 ſer: de Temp. ſer: 53 Dom: in Quinq. ſer. 1.*

Proximi omnes ratione Nativitatis. Proximus eſt omnis homo, proximus tuus ille eſt, qui tecum natus eſt ex Adam & Eva. Omnes proximi ſumus ratione nativitatis, & alter alteri frater. Jlla ſpe cæleſtis hereditatis proximum tuum debes putare omnem hominem etiam antequam ſit Chriſtianus. Non enim noſti qualis futurus ſit apud DEUM aliquando, quem rides idolum adorantem, convertetur ut adoret DEUM fortaſſis religioſiùs, quàm tu qui eum paulo ante ridebas *Apoſtatæ occulti.* Multi qui videntur Chriſtiani malè agendo, & in malo opere perſeverando ab Eccleſia excludendi ſunt, *Et boni & mali ſpecies fallit.* Multi qui foris eſſe videntur, ita credituri ſunt, & in bono opere permanſuri, ut in æternum ſocientur Eccleſiæ. *T. 10. ſer. 221. Dñica 13. poſt Feſt. S. Trinit: ſer. 1.*

Amas amicum, ſi noxia illi odiſti. Noli propter hominem diligere vitium, nec propter vitium diligas hominem. Homo proximus eſt tuus. Vitium inimicum proximo tuo. Tunc amas amicum, ſi oderis quod nocet amico. Si credis facis, quia juſtus ex fide vivit. *Et infra.* Tres enim eratis. Tres eratis, duo cæperunt eſſe diſcordes, remanſiſti tu. Si huic te junxeris, illum habebis inimicum: ſi illi, iſtum: ſi ambobus, anbo murmurabunt. Ecce tentatio: ecce ſpinæ in vinea quo conducti ſumus. Expectas forte à me audire quid facias Permanè *Interdiſcordes duos cui adhæreas?* amicus amborum. Qui diſcordant inter ſe, concordent per te. Mala ſi quæ audis ab altero, noli prodere alteri: ne forte ſint poſtea amici, qui modo ſunt inimici, & proditores ſuos prodant ſibi. *Et infra.* Eſto ergo ſimilis medico. Medicus non amat ægrotantem, ſi non odit ægritudinem. Ut liberet ægrotum, perſequitur febrem. *Amici ſine vitiis amandi.* Nolite amare vitia amicorum veſtrorum, ſi amatis amicos veſtros. *Ibid. ſerm: 237. Dom. 19 poſt idem Feſt: ſer: 2.*

Abſtinentiæ ſpecie, mutantur potius non reſecantur deliciæ? In ſpiritualibus bonis tuum deputa: quod amas infra Suum deputet quod amat in te. Nemo ſub abſtinentiæ ſpeciè mutare affectet potius, quam reſecare delicias: ut pretioſos cibos quærat, quia carne non veſcitur, & inuſitatos liquores quia vinum non bibit: ne per occaſionem quaſi domandæ carnis magis agat negotium voluptatis. *T. 10. par: 2. ſer: de diver: 68. Dñica 1. Quadr.*

Utilitati publicæ, privata cedat. Ego autem non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis ut ſalvi ſint. Hoc Petrus nondum intelligebat, quando in monte vivere cum Chriſto deſiderabat. Servabat tibi hoc Petre poſt mortem. Nunc autem ipſe dicit: Deſcende laborare in terra: ſervire in terra: contemne crucifigi in terra. Deſcendit vita ut occideretur: Deſcendit panis ut eſuriret: deſcendit via ut in itinere laſſaretur: deſcendit fons, ut ſitiret: & tu recuſas laborare? Noli tua quærere. Habe charitatem, prædica veritatem: tunc pervenies ad æternitatem, ubi invenies ſecuritatem. *Ibid. ſer: 69. Sab: poſt 1. Dom: in Quadr.*

Dili-

Diligite proximos tanquam vos ipsos. Quis est inquit, mihi proximus? Omnis homo proximus tuus est. Nonne duos parentes habemus omnes? Proxima sunt sibi cujusq; generis animalia, columbus, columbo, pardus pardo, aspis aspidi, pecus pecori, & non est proximus homo homini? Recolite institutionem creaturæ. *T. 10. ser. nov. ser: 14. de Nuptiis filij Regis.* *Proximus omnis homo.*

Io. 15. 12. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem. Diligunt invicem qui histriones simul spectant, diligunt invicem, qui simul se in popinis inebriant, diligunt invicem mala sibi conscientia sociati. Cum ergo dixisset Christus, hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, debuit distinguere dilectionem. Fecit utiq;. Audite. Cum enim dixisset, Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, mox addidit, sicut ego dilexi vos Sic diligite invicem propter regnum Dei, propter vitam æternam, amate simul. *Ibid. ser: 28. in Natali Martyrum.* *Diligentium se diversitas.*

Quod non videtur hoc plus amatur: constat enim plus amari hominem interiorem, quàm exteriorem. Unde hoc constat? Unusquisq; in seipso probet. Quamvis enim qui male vivunt animos suos corpori addicant, vivere tamen volunt quod non est nisi animi: magisq; seipsos indicant qui regant, quàm illa quæ reguntur. Regunt enim animi, reguntur corpora. Gaudet quisq; voluptate, & capit de corpore voluptatem. Sed separa animum nihil restat in corpore quod gaudeat: & si de corpore gaudet, animus gaudet. Si gaudet de domo sua de se non debet gaudere? Et si habet animus unde delectetur extrinsecus, sine delicijs manet intrinsecus? Omnino constat plus amare hominem animam suam, quàm corpus suum: sed in alio homine plus amat homo animam quàm corpus. Quid enim amatur in amico? ubi est amor sincerior & castior? Quid amatur in amico, animus an corpus? Si fides amatur? animus amatur: si benevolentia amatur? benevolentiæ sedes animus est. Si hoc amas in altero? quia & ipse amat te, animum amas, quia non caro sed animus amat. Ideó enim amas quia te amat: quære unde te amet & vides quod amas. Plus ergo amatur & non videtur. Aliquid etiam volo dicere ubi magis appareat dilectioni vestræ quantum ametur animus & quemadmodum corpori præponatur. Jlli ipsi lascivi amatores qui pulchritudine corporum delectantur, & forma membrorum accenduntur, tunc amant amplius quando amantur. Nam si amet & sentiat quia odio habetur, magis irascitur quàm diligit. Quare magis irascitur quam diligit? Quia non ei redditur quod impendit. Si ergo ipsi amatores redamari se volunt, & hoc magis eos delectat si amentur, quales sunt amatores animorum? Et si magni sunt amatores animorum, quales sunt amatores Dei? qui pulchros animos facit? Sicut enim animus facit decus in corpore, sic Deus in animo. *T. 9. in Evang: Ioan. Tract. 32. de cap. 7.* *Spiritualium amor connaturalis.* *Et iam in voluptatis amore animus amatur.*

1. Cor. 12. 12. Alij fides in eodem spiritu: alij donatio curationum in uno spiritu: alij operatio virtutum in eodem spiritu. Multa enim dantur ad manifestationem sed tu forsitan eorum omnium quæ dixi nihil habes: si enim amas unitatem. etiam tibi habet, quisquis in illa habet aliquid. Tolle invidiam, & tuum est quod habeo: tollam invidiam & meum est, quod habes. Livor separat, sanitas jungit. Oculus solus videt in corpore, sed nunquid soli sibi oculus videt? Et manui videt, & pedi videt, & cæteris membris videt: non enim si aliquis ictus in pedem veniat avertit se oculus inde, ut non præcaveat. Rursus sola manus operatur in corpore. Sed nunquid sibi soli operatur. Et oculo operatur, nam si ictus aliquis veniens non eat in manum, sed tantum in faciem, nunquid dicit manus, non me moveo quia *Amor aliena sua facit.* *Livor unitati inimicus.* *Membrorum inter se amor.*

non

non tendit ad me? Sic pes ambulando omnibus membris militat: membra cætera tacent & lingua omnibus loquitur. Habemus ergo Spiritum Sanctum, si amamus Ecclesiam: amamus autem, si in ejus compage & charitate consistimus. *T 9. ibid.*

Signum habitatis in nobis Spiritus, caritas mutua.

Io. 13. 14. Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis: non sicut se diligunt qui corrumpunt, nec sicut se diligunt homines, quoniam homines sunt, sed sicut se diligunt, quoniam Dij sunt, & filij altissimi omnes, ut sint filio ejus unico fratres, ea dilectione invicem diligentes, quia ipse dilexit eos producturus eos ad illum finem, qui sufficiat eis, ubi satietur in bonis desiderium eorum. Tunc enim aliquid desiderio non deerit, quando omnia in omnibus DEUS erit. Talis finis non habet finem. Nemo ibi moritur quo nemo pervenit, nisi huic sæculo moriatur: non morte omnium qua corpus ab anima deseritur, sed morte electorum, qua, etiam cum in carne mortali adhuc manetur, cor sursum ponitur. De qua morte dicebat Apostolus, mortui enim estis & vita vestra abscondita est cum Christo in DEO. Hinc fortasse dictum est, valida est sicut mors dilectio: hac enim dilectione fit, ut in isto adhuc corruptibili corpore constituti moriantur huic sæculo, & vita nostra abscondatur cum Christo in DEO. Imò ipsa dilectio est mors nostra sæculo, & vita cum DEO. Si enim mors est, quando de corpore anima exit, quomodo non est mors, quando de mundo amor noster exit? Valida est ergo sicut mors dilectio. Quid ea validius qua vincitur mundus? *Et infra.* In hoc cognoscentur inquit omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Tanquam diceret. Alia munera mea habent vobiscum, etiam non mei, non solum naturam, vitam, sensum, rationem, & eam salutem quæ hominibus, pecoribusq; communis est, verum etiam linguas Sacramenta, prophetiam, scientiam, fidem, distributionem rerum suarum pauperibus, & traditionem corporis sui, ut ardeant, sed quoniam charitatem non habent, ut cymbala concrepant, nihil sunt, nihil illis prodest. *T. 6. in Evang: Ioan: Tract. 65. de cap 13.*

Ad vitam non veniunt nisi sæculo mortui. *Col. 3. 3.* *Dilectio mors.* *Cant. 8* *Io 15. 35.* *Discipulorum Christi character Dilectio.*

Ut quid diligit nos Christus, nisi ut regnare possimus cum Christo? Ad hoc ergo & nos invicem diligamus, ut dilectionem nostram discernamus à cæteris, qui non ad hoc se invicem diligamus, quia nec diligunt. Non est hæc dilectio in omnibus hominibus: pauci se propterea diligunt, ut sit DEUS omnia in omnibus. *Ibid. Tract: 83 de cap. 15.*

De hominibus quidem fieri potest, ut eos sæpe quos nunquam vidimus, diligamus: ac per hoc nec illud è contrario impossibile est, ut eos quos nunquam vidimus oderimus. Fama quippe de aliquo sermocinante seu bene, seu male fit non immerito, ut amemus vel oderimus ignotum. Sed si fama sit verax, quomodo est, de quo vera didicimus, dicendus ignotus? An quia ejus faciem non vidimus? Quam cum & ipse non videat, nulli tamen notior potest esse quàm sibi. Non igitur in ejus facie corporali nobis intimetur cujusq; notitia. Sed tunc nobis ad cognitionem patet quando ejus mores & vita non latent: alioquin nec seipsum nosse quisquam potest, qui videre faciem suam non potest. *Ibid Tract: 90 de cap. 15.*

Fama amoris vel odij causa. *Videtur sæpè qui non videtur.*

Io: 21. 14. Petre amas me? Non sic debemus amare homines, quomodo audimus gulosos dicere, amo turdos. Quæris quare? Ut occidat & consumat. Et amare se dicit & ad hoc illos amat, ut non sint: ad hoc amat ut perimat. *Ibid. in Epist: Ioan: Tract: 8. cap. 4*

Amor perimens.

Quid ergo? Qui diligit fratrem, diligit & DEUM? Necesse est ut diligat DEUM, necesse est ut diligat ipsam dilectionem. Nunquid potest diligere fratrem & non diligere ipsam dilectionem? Necesse

Dilectio proximi dilectio Dei

eſt ut diligat dilectionem. Quid ergo? Quia diligit dilectionem, ideo diligit & DEUM? Utiq; ideo. Diligendo dilectionem, DEUM diligit. An oblitus es quod paulò ante dixiſti. DEus dilectio eſt. *Ibid. Ioan: Tract: 9. de cap. 4.*

Gal. 6. 2. Invicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Ipſa eſt conſummatio omnium operum noſtrorum, dilectio. Ibi eſt finis: propter hoc currimus. Si ad ipſum currimus: cum venerimus requieſcemus. *T. 9. in Epiſt. Ioan: Tract: 10. de cap: 5.* *Operũ noſtrorum finis, Dilectio.*

Tolera, ad hoc enim natus es, tolera quia forte toleratus es. Si ſemper bonus fuiſti, habeto miſericordiam: ſi aliquando malus fuiſti, noli perdere memoriam. Et quis eſt ſemper bonus? Facilius, ſi te DEus diſcutiat diligenter, inveniet te etiam nunc malum, quàm tu te ſemper bonum. *Ibid. l. de ovibus in cap. 34. Ezech: cap. 5.* *Tolerantiæ neceſſitas.*

Proximum dilige & ſufficit. Sed dilige quomodo teipſum diligis, non quomodo teipſum odiſti Dilige proximum tuum tanquam teipſum, ſed prius eſt ut diligas teipſum. Quærere habes quomodo diligas teipſum: & audire habes: Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota anima tua. *Ibid. l. de diſcip. Chriſt. cap. 9.* *Diligens proximum minus ſeipſo, odit.*

Totum quidquid homines poſſident in terra, omnia quorum Domini ſunt, pecunia vocatur. Servus ſit, vas, ager, arbor, pecus, quidquid horum eſt pecunia dicitur. Et unde eſt primum vocata pecunia? Ideo pecunia, quia antiqui, totum quod habebant in pecunia habebant. A pecore pecunia vocatur. Legimus antiquos Patres, fuiſſe divites paſtores. Ergo pecuniam diligis o homo: unde putas te fieri beatum, pecunia eſt, & multum eam diligis. Volebas diligere proximum tuum tanquam te ipſum, divide cum illo pecuniam tuam. *Ibidem.* *Dilectio proximi omnia communia habet.*

AMOR SUI

NImis perversè ſe ipſum amat, qui & alios vult errare, ut error ſuus lateat, *T. 2. Epiſt: 7.* *Amans ſui vult alios errare.*

Ne ſeipſo quiſquam frui debet, ſi liquidò advertas, quia nec ſe ipſum debet propter ſe ipſum diligere, ſed propter illum, quo fruendum eſt. Tunc quippe optimus eſt homo, cum tota ſua vita pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi. Si autem ſe propter ſe diligit ad ſeipſum converſus, non ad incõmutabile aliquid convertitur. Et propterea jam cum defectu aliquo ſe fruitur, quia melior eſt cum totus hæret, atq; conſtringitur incommutabili bono; quam cum inde vel ad ſeipſum relaxatur. *T. 3. lib. 1 Doctr. Chriſt. c. 22.* *Diligendi ſeipſum modus.*

Modus diligendi præcipiendus eſt homini, id eſt quomodo ſe diligat, ut proſit ſibi. Quin autem ſe diligat & prodeſſe ſibi velit, dubitare dementis eſt. *T. 3. l. 1. de Doctr. Chriſti c. 25.*

Exterius conantur ire, & interiora ſua deſerunt, quibus interior eſt DEus. *T. 3. lib 8. de Trinit. c. 7.*

Conceptum verbum & natum, id ipſum eſt, cùm voluntas in ipſa notitia conquieſcit, quod fit in amore ſpiritualium; Qui enim verbi gratia amat juſtitiam, jam juſtus eſt. In amore autem carnalium temporaliumq; rerum, alius eſt conceptus verbi, alius partus. Cupiendo concipitur, adipiſcendo naſcitur: quoniam non ſufficit avaritiæ noſſe, & amare aurum, niſi & habeat, neq; noſſe & amare honores, & imperia, niſi proveniant. Quæ tamen omnia nec adepta ſufficiunt: qui enim biberit ex hac (inquit) aqua, ſitiet iterum, ideoq; & in pſalmo concepit (inquit) dolorem & peperit ini- *Temporalium amorem non ſatiant terrena.* *Virtutem qui amat habet.*

Io: 4 v. 13. *Pſ. 7. 15.*

quitatem. Inardescit atq; ægrotat animus indigentiâ, donec ad ea perveniat, & quasi pariat ea. Unde eleganter in latina lingua parta dicuntur, & reperta atque comperta, quæ verba quasi à partu ducta resonant. *T. 3. lib. 9. de Trin: c 8. & 9.*

Id amare, alienari est. *Ibid: lib. 11. de Trin: c. 5.*

Amror sæculi Hydria Samaritanæ sitiens. Neq; hoc quod relictâ hydriâ (intellige de Samaritana) discessit, negligenter prætereundum est. Hydria enim fortasse amorem sæculi hujus significat, id est cupiditatem, quâ sibi homines de tenebrosa profunditate, cujus imaginem puteus gerit, hoc est de terrena conversatione hauriunt voluptatem, quâ percepta, iterum in ejus appetitum inardescant, sicut de aqua illa qui biberit (inquit) sitiet iterum. *T. 4. lib. 83. quæst: 64.* *Ioa: 4.*

Hoc colitur quod diligitur. Qui propter beneficia terrena DEUM quærebant, non utiq; DEum, sed illa quærebant: quià eo modo timore servili, non liberali dilectione DEUS colitur. Sic ergo DEUS non colitur, hoc enim colitur, quod diligitur. Unde quia DEUS rebus omnibus major & melior invenitur, plus omnibus diligendus est, ut colatur. *Ib. in Ps. 77.*

Terrenorum amor perit cũ ipsis. Quod amas ad tempus quid prodest? Aut subduceris illi, aut subducitur tibi. Cum fueris tu subtractus, perit ipse amor: cum fuerit illud subtractum, perit quod amasti. Ubi ergo aut amator perit, aut quod amatur, non est amandum. Sed quid est amandum. Quod nobiscum potest esse in æternum. Sed si vis animam tuam in æternum habere salvam, oderis eam ad tempus. Ergo odium rectum ab amore venit, perversus amor ab odio venit. Quis igitur modus diligendi animam? Putatis, Martyres non amabant animas suas? Videtis certe modo, si cujus vita præsentis sæculi periclitetur, quomodo amici ejus currunt pro ea: quomodo curritur ad Ecclesiam, rogatur Episcopus, ut intermittat, si quas habet actiones, currat, festinet. Quare? Pro anima. Et omnes contremiscunt, omnibus cæteris rebus intermissis, festinandum esse decernunt. Omnis festinatio laudatur, omnis tardatio accusatur. Quare? Pro anima. Quid est pro anima? Ne moriatur homo. Non noverant Martyres amare animas suas? & tamen hoc est pro anima, ne moriatur homo. Mors hominis, iniquitas est. Si curris pro hac vita centum millia, quot millia debes currere pro vita æterna? Et tamen propter hanc pigri sunt homines. *Et infra.* Amores omnes & dilectiones prius sunt in hominibus de se, & sic de alia re quam diligunt. Si diligis aurum, prius te diligis & aurum: quia si tu mortuus fueris nullus erit qui aurum possideat. Ergo dilectio unicuique à se incipit; & non potest nisi à se incipere, & nemo monetur, ut se diligat. Hoc enim non solum inest hominibus, sed & pecoribus. Videtis enim fratres, quemadmodum non tantum ingentes bestiæ, & magna animalia, ut sunt boves aut cameli, vel elephanti, sed & muscæ, sed & vermiculi minimi, quomodo nolunt mori & diligunt se. Omnia animalia mortem fugiunt. Ergo diligunt se, custodire se volunt: alia velocitate, alia latebris, alia resistendo, & repugnando. Omnia tamen animalia pro vita sua pugnant, mori nolunt, custodire se volunt. Amant ergo se. Incipit & aliud amari. Sed quid est ipsum aliud? *Et infra.* Primum ergo dilige DEUM, deinde te ipsum: post hæc dilige proximum tuum sicut te ipsum. Priùs tamen disce amare te ipsum: sic dilige proximum tuum sicut te ipsum. Nam si teipsum non nosti amare, quomodo proximum poteris in veritate diligere? Putant enim nonnulli homines legitimo se ordine amare, quando res alienas rapiunt, quando se inebriant, quando libidini serviunt, quando per diversas calumnias, injusta lucra conquirunt. Isti tales audiant scripturam dicentem: Qui diligit iniquitatem odit

Odium animæ salutare, quid? *Amor animæ Martyrũ, per odium.* *Amor à se incipit.* *Amor sui communis bestiis.* *Ordo dilectionis.* *Amoris ordo legitimus.* *Ps. 10. 6.*

dit animam suam. Si ergo amando iniquitatem, te ipsum non diligis, sed etiam odio habes: quomodo aut DEUM aut proximum diligere poteris? *Ibid. Homil: Quinq. Hom: 37.*

Prima hominis perditio fuit amor sui. Si enim se non amaret, & DEUM sibi præponeret, DEO esse semper subditus vellet. Non autem converteretur ad negligendam voluntatem illius, & faciendam voluntatem suam. Hoc est enim amare se, velle facere voluntatem suam. Præpone his voluntatem DEI, præpone melioris voluntatem: disce amare te, non amando te. Nam ut sciatis, vitium esse se amare, sic Apostolus dicit: Erunt enim homines seipsos amantes. Et nunquid qui amat se, fidit in se? Incipit enim deserto DEO, amare se, & ad ea diligenda, quæ sunt extra se, pellitur à se: usq; adeo ut cum dixisset idem Apostolus, Erunt homines seipsos amantes, continuò subjiceret, amatores pecuniæ. Jam vides quia foris es. Amare te cœpisti: sta in te si potes. Quid is foras? Nunquid pecunia dives factus es amator pecuniæ? Cæpisti diligere quod est extra te, perdidisti te. Cum ergo pergit amor hominis, etiam à seipso ad ea quæ foris sunt, incipit cum vanis evanescere, & vires suas quodammodo prodigus erogare. Exinanitur, effunditur, inops redditur, porcos pascit, & laborans in pastione pecorum, aliquando recordatur & dicit: Quanti Mercenarij Patris mei panem manducant, & ego fame hic pereo? *Ibid. de diver: serm: 47. De illo Si quis vult me sequi &c.*

Amor sui perditio sui.

Quid est amor sui.

2. Tim. 3. 2.

Amans se extra se.

Luc: 15. 17.

Omnium victor est cupiditatum, qui tanquam tyrannum subjugat amorem vitæ hujus: cujus satellites sunt omnes cupiditates. Nec est omnino quo in hac vita vinculo teneatur, quisquis vitæ ipsius amore non tenetur. *Ibid. par: secun: ser: de diver: ser: 113. de Nat. Ss. Perpetuæ & Felicitatis Mart.*

Cupiditates amoris, vitæ satellites.

Quisquis dimisso DEO amaverit se, DEumq; dimiserit amando se, non remanet nec in se, sed exit & à se. Exit exul pectoris sui, contemnendo interiora, amando exteriora. *Et infra.* Erunt homines seipsos amantes. Hoc est caput mali. Videamus ergo si remanent vel in se amando se: videamus, audiamus quod sequitur. Erunt enim homines seipsos amantes, amatores pecuniæ. Ubi es qui te amabas? Nempe foris es. Rogo te, pecunia nunquid tu es? *Et infra.* Pone in una parte pecuniam, in altera animam. Jam tu appendis, & ex cupiditate fraudulentos digitos adhibes: vis ut mergat pars, quæ habet pecuniam. Pone, noli appendere: fraudem vis facere contra te: video quid agas. Præponere vis pecuniam animæ tuæ? mentiri propter illam, perdere istam? Pone, DEus appendat, qui nescit falli, nec fallere, ipse appendat. Ecce ipse appendit, vide appendentem, audi renuntiantem. Quid prodest homini, si totum mundum lucretur. Vox divina est, vox est, vox est appendentis, nec fallentis, renuntiantis, admonentis. Tu in una patte pecuniam ponebas, & in altera animam: vide ubi posuisti pecuniam. Quid respondet, qui appendit: Tu pecuniam posuisti. Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur. Animam appendere volebas cum lucro, appendere cum mundo. Volebas eam perdere, ut abs te acquireretur terra. Plus habet ista ponderis, quàm cælum & terra. Sed facis hoc, quia dimittendo DEUM, & amando te, existi & à te: & alia jam, forinsecus quæ sunt, pluris æstimas, quàm te. Redi ad te: sed iterum sursum versus cum redieris ad te, noli remanere in te. *Et infra.* Redi ergo, esto filius ille junior, qui suâ substantiâ vivens prodigè, dispersa & perdita eguit, porcos pavit, fame fatigatus respiravit: recoluit memoria patrem suum. Et quid de illo Evangelium dicit? Et re-

Amans se, exit à se.

2. Tim. 3. 2.

Pecuniæ amor, in statera cũ anima.

Mat. 16. 26.

Conversionis ad Deum forma.

Peccans cad. versus ad semetipsum, qui dimiserat & semetipsum. Reversus ad semetipsum, videamus si remanserit in semetipso. Reversus in semet *Luc. 15. 17.* ipsum dixit, Surgam. Ergo ceciderat. Surgam inquit & ibo ad Patrem meum. *Ibid. serm. Novo: ser: 29 In Nat: plur: Mart:*

Væ tibi si amaveris condita, & deserveris conditorem *Ibid Ex frag: fragm. 4. ser: de Kalend. Ian.*

ANGELUS

Angeli Lux. FOrtasse quod quærunt homines, quando Angeli facti sunt? qui significantur hac luce, brevissimè quidem, sed tamen convenientissimè, & decentissimè, & vidit lucem quia bona est. *T 3 l de Gen. ad Lit: imperf: c. 5.*

Neq; enim, sicut nos ad percipiendam sapientiam proficiebant Angeli, qui ex quo facti sunt, ipsa verbi æternitate, sancta & pia contemplatione perfruuntur, atq; inde ista despicientes secundum id, quod intus vident, vel rectè facta approbant, vel peccata improbant. *T. 3 l. 2. de Gen: ad Lit: c. 8*

Angeli custodes singularũ creaturarum. Una quæq; res visibilis in hoc mundo, habet potestatem Angelicam sibi præpositam sicut aliquot locis Divina scriptura testatur. *T 4. lib: 83 quæst Quæst: 79.*

Sanctorum invocatio. Miseremini mei, miseremini amici, Angelos videtur postulare, *Iob. 19. 21.* ut pro eo deprecentur, vel certè sanctos, ut pro pænitente orent. Manus enim Domini est, quæ tetigit me. Manu Domini tactum se dicit, ut doleret vulnus suum, quod sine sensu ei fuit. *Ib. Annot in Iob: c. 19*

Angelorũ & Dæmonum scientiæ, discrimen. Angelis bonis omnis corporalium temporaliumq; rerum Scientia, quâ inflantur Dæmones, vilis est, non quod earum ignari sint, sed quod illis DEI, quâ sanctificantur, charitas chara est, præ cujus ineffabili pulchritudine, cujus sancto amore inardescunt, omnia quæ infra sunt, & quod illud est non sunt: seq; ipsos inter illa contemnunt, ut ex toto quod boni sunt, eo bono ex quo boni sunt, perfruantur, ideo certius etiam temporalia & mutabilia ista noverunt, eorum Principales causas in Verbo DEI conspiciunt, per quod factus est mundus; quibus causis quædam probantur, quædam reprobantur, cuncta ordinantur. Dæmones autem, non æternas temporum causas, & quodam modo Cardinales, in DEI sapientia contemplantur, sed quorumdam signorum nobis occultorum, majore experientia multò plura, quàm homines futura prospiciunt, dispositiones suas aliquando prænuntiant. Deniq; sæpe ipsi, nunquam illi, omnio falluntur. *T. 5. lib 9 de Civit: Dei. c. 22.*

Angeli Templum Dei. Nam & cum exaudiunt Angeli ejus, ipse in eis exaudit, tanquam in verò non manu facto Templo suo, sicut in omnibus Sanctis ejus, quæ temporaliter fiunt jussa: æterna ejus lege conspecta. *Ibid. lib 10. de Civit: Dei c 12*

Fideles æquales Angelis futuri. Quis Catholicus Christianus ignorat, nullum novum Diabolum ex bonis Angelis ulterius futurum? sicut nec istum in societatem bonorum Angelorum ulterius rediturum: Veritas quippe in Euangelio sanctis Fidelibus promittit, quod erunt æquales Angelis DEI: quibus etiam promittitur, quod ibunt in vitam æternam. *Ibid. lib. 11. de Civit. Dei. c. 13.*

Angeli creati cum lux creata. Non mihi videtur ab operibus DEI absurda sententia, si cum *Gen 1. 3.* lux illa prima facta est, Angeli creati intelliguntur, & inter Sanctos Angelos & immundos fuisse discretum, ubi dictum est; & divisit DEUS inter lucem & tenebras *Et infra.* Et ideo sola lux ibi placuit Conditori: tenebræ autem Angelicæ & si fuerant ordinandæ, non tamen fuerant approbandæ. *Ib. l. 11. de Civit: D. c. 19. & 20.* Jlli

Jilli quippe Angeli Sancti, non per verba sonantia discunt DEUM, sed per ipsam præsentiam immutabilis veritatis, hoc est Verbum ejus unigenitum, non tres Deos esse, sed unum DEUM, ita noverunt, ut eis magis ista sit nota (intellige veritas) quàm nos ipsi nobis cogniti sumus. Multum enim differt, utrum in ea ratione cognoscitur aliquid, secundum quàm factum est, an in seipso. Sicut aliter scitur rectitudo literarum, seu veritas figurarum, cum intellecta conspicitur, aliter cum in pulvere scribitur. *T.* 5. *lib.* 11. *de Civ: D. c.* 29. *Notitia Trinitatis in Angelos.*

Nuntium quippe, græcè Angelum dici, quis illa lingua vel tenuiter tinctus, ignorat. *T* 6 *lib* 16. *con: Manich. c.* 20.

Sancti ac sublimes Angeli habent contemplationem & actionem suam, id enim sibi agendum imperant, quod ille quem contemplantur, jubet: cujus æterno imperio liberaliter, quia suaviter serviunt. *T.* 6 *lib.* 22. *con: Faust: c.* 27. *Suavis servitus si liberalis.*

Matt. 25. 34. Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, & quia ibi sunt Sancti Angeli, quilibet in eis minor, major est, utiq; quolibet Sancto & justo, inter natos mulierum non surrexit major, Ioanne Baptista, qui autem minor est in Regno Cælorum, major est illo. *T.* 5, *lib:* 2. *con: Adversarium Legis & Prophet: c* 6. *Angeli, Sancti aliis majores in cælo.*

Quisquis Angelorum, diligit hunc DEUM, certus sum quod etiam me diligat. Quisquis in illo manet, & potest humanas preces sentire, in illo me exaudit. *T.* 1. *de ver: Relig. c.* 55. *Angelorum erga nos certa dilectio.*

Angelos honoramus charitate, non servitute. Nec eis templa construimus. Nolunt enim sic honorari à nobis, quia nos ipsos cum boni sumus. Templa DEI summi esse noverunt. *Ibid: supertius.* *Boni templa Dei.*

Ps. 45. 12. Susceptor Noster DEUS Jacob qui misit Angelos, venit post Angelos, venit ut ei inservirent Angeli, venit ut homines faceret æquales Angelis. Magna gratia! *Ibid in Psal:* 45. *Incarnatio Christi.*

Angeli habent magnas facultates, qui habent magnas facilitates *T.* 10. *de diver: ser:* 1. *In Festo Paschæ de Alleluia.* *Angelica facultas ibi, ubi facilitas.*

Quanquam non desint qui etiam nos Angelis præferant: quia pro nobis inquiunt non pro Angelis mortuus est Christus. Id, quid est aliud, quàm de impietate velle gloriari? Etenim Christus sicut ait Apostolus, juxta tempus pro impijs mortuus est. Hic ergo non meritum nostrum, sed DEI misericordia commendatur. Nam quale est ideo se velle laudari, quia vitio suo tam detestabiliter ægrotavit, ut non posset aliter quàm Medici morte sanari? Non est hæc nostrorũ gloria meritorum, sed medicina morborum. *Et infra* At quæri posset hic, utrum fuisset ideò factum quod steteramus excellentius, an quod desperatius jacebamus. *Ibid. in Ev. Ioan: Tra.* 110. *c.* 17. *Rom.* 5 6. *Iactantiæ materia humiliat nos.*

ANIMA

QUando factus est homo in animam vivam, an semper ita fiant singulis singulæ, nec tunc sciebam, nec adhuc scio. *T.* 1. *lib. Retract. c.* 1. *Animarũ origo difficilis investigantibus.*

De origine animarum, quæ singulis hominibus dantur, cunctationem meam, & multos errores atq; pravitates præsumptionis ejus (loquitur de quodam, cum quo disputans, tandem resolvit, singulis hominibus singulas dari & creari à DEO) ostendi. *Ib. l,* 2. *c.* 56.

Quaqua versum se vertit anima hominis, ad dolores figitur, alibi præterquam in te. Tametsi figitur in pulchris extra te, & extra se, quæ tamen nulla essent, nisi essent abs te. *Ib l.* 4. *Conf c* 10

Nulla anima unquam potuit poteritvè cogitare aliquid, quod sit te melius, qui summum & optimum bonum es *T* 1. *l.* 7. *Conf. c.* 4.

Anima mea, sicut terra sine aqua tibi. Quia sicut se illumina-

re de se non potest, ita se satiare de se non potest: Sic enim apud te est fons vitæ, quomodo in lumine tuo videbimus lumen. *Ib. l. 13. Conf: c. 16.*

Solus honorat DEus animam beatam, faciens in occulto coram se justè & piè viventem. *Ib. l. 6. Music. c. 10.*

Animæ appetitus egestas. Nec mirere (intellige de anima) quòd eò egestatem patitur magìs, quò magis appetit plura complecti. Ut enim in circulo, quamtumvis amplo, unum est medium, quo cuncta concurrunt, quod centron Geometræ vocant, sic animus à seipso fusus, immensitate quadam diverberatur, & vera egestate conteritur, cum eum natura sua cogit, ubiq; unum quærere, & multitudo invenire non sinit. *Ib. l. 1. de Ord: c. 2.*

Animus melior corpus deterius. Summum bonum est, melioris partis optimum. Summum autem malùm, pessimum deterioris. Est enim optimum in anima, sapientia, est in corpore pessimum, dolor. *T. 1. solil. 1. c. 12.*

Animæ immutationes unde. Aut secundùm corporis passiones, aut secundùm suas, anima dicitur immutári, secundùm corporis ut per ætates, per morbos, per dolores, labores, Offensiones, per voluptates, secundùm suas autem, ut cupiendo, lætando, metuendo, ægrescendo, studendo, discendo. *T. 1. l. de Immort: animæ. c. 5.*

Anima non modo universæ moli corporis sui, sed etiam unicuiq; particulæ illius, tota simul adest. *Ib. l. de Immort: An: c. 16.*

Quemadmodum fatendum est, animam humanam non esse quod DEus est; ita præsumendum, nihil inter omnia, quæ creavit, DEo esse propinquius. *Ib. l. de quant: An: c. 34.*

Cupiditas Tyrannus. Num ista parva existimanda est? quod ei (animæ) libido dominatur, expoliatamq; virtutis opulentia, per diversa inopem & indigentem trahit, & post plura præclara addit: Cum interim cupiditatum illud regnum tyrannicè sæviat. *T. 1. l. 1. de Liber: arbit: c. 11.*

Animæ in creata dominium. Perversi animi est & inordinati, eis sequendis subjici, quibus ad nutum suum ducendis potiùs, divino ordine, ac jure prælatus est: *Ib. l. 1. de Lib: arbit: c. 16.*

Mens animi oculus. Oculus ad hoc tantum factus est, ut videat: sed animus perversè judicat, cui ad contemplandam pulchritudinem mens, non oculus factus est. Jlle autem vult mentem convertere ad corpora, oculos ad DEum. Quærit enim intelligere carnalia, & videre spiritualia, quod fieri non potest. *Lib. de ver: Relig: c. 33.*

Corporis bonū Anima. Est ergo summum corporis bonum, non voluptas ejus, non indolentia, non vires, non pulchritudo, non velocitas, & si quid aliud in bonis corporis numerari solet, sed omninò anima. *T. 1. l. 1. de morib: Eccl: Cathol: c. 5.*

Anima hominis immortalis est, secundùm quendam modum suum, non enim omnimodo sicut DEus: de quo dictum est: quia solus habet immortalitatem. Non est pars DEI anima. Incorpoream quoq; esse animam, & si difficilè tardioribus persuaderi potest; mihi tamen fateor esse persuasum: Certus etiam sum animam nullâ DEI culpâ, nullâ DEI necessitate vel suâ; sed propriâ uoluntate in peccatum esse collapsam: nec omninò esse animam unam in genere humano, cui non sit necessarius ad liberationem Mediator DEI & hominum, Homo Christus JESUS. *T. 2. Ep. 28.*

Deus in opere creationis cōtinuus. Sentis quod singulas animas, singulis nascentibus etiam modò DEus faciat? cui sententiæ nè objiciatur, quod omnes creaturas sexto die consummaverit DEus, & septimo die requieverit, adhibes testimonium ex Evangelio: Pater meus usq; nunc operatur, & ego operor. Ecce volo ut illa etiam sententia mea sit, sed nondum esse confirmo. *Ib. Augustinus Hieronymo Epist. 28.* Joh. 5. 17.

Quos-

Quosdam calumniari, DEUM dare animas adulterinis conceptibus videtur indignum. Respondisti, non esse vitium sementis in tritico, quod furto dicitur esse sublatum, sed in eo qui frumenta furatus est; nec idcirco, terram non debuisse gremio suo semina confovere, quia sator immundâ ea projecerit manu: Elegantissima similitudo est: & generaliter intuenti, multa bona DEUM facere, etiam de nostris malis, nostrisq; peccatis. Et quid dignius, quàm ut bona faciat bonus DEUS, quæ nemo potest facere nisi DEUS. *Ibid. Augustinus Hieron: Epist.* 28. *Deus bona facit, de malis et peccatis.*

Animus velut pondere, amore fertur quocunque fertur. Jubemur itaq; detrahere de pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus charitatis, donec illud consumatur, hoc perficiatur. Plenitudo enim legis est charitas. *T. 2. Epist. 89* *Amor animi pondus.*

Anima mea ipsi vivet. Ipsi utiq; non sibi; sicut superborum, privato bono suo lætantium, & á communi omnium bono quod DEUS est, inani elatione resilientium. *Ib. Epist: 120. c. 28.*

Jlli qui animas, ex una propagari asserunt, quàm DEUS primo homini dedit, atq; ita ex Parentibus eas trahi dicunt: si Tertuliani opinionem sequuntur, profectò eas non Spiritus, sed corpora esse contendunt, & corpulentis seminibus exoriri: quò perversiùs quid dici potest? neq; hoc Tertulianum somniasse mirandum est: qui etiam ipsum Creatorem DEUM, non esse nisi corpus opinatur. *Ibid. Epist.* 157. *Animæ non propagantur.*

Recole obsecro quas dicat scriptura Divina, animas mortuas, profectò invenies injustas, impias, infideles: non ob aliud amissâ justitiâ dicuntur mortuæ; nisi quia & animarum, verior & major vita justitia est; tanquam vita vitarum. Est planè ille summus DEUS vera justitia, quàm profectò esurire & sitire, ea nostra est in hac peregrinatione justitia, & quâ postea saturari, ea nostra est in æternitate plena justitia. Cavendum est nè justititiæ nostræ similem putemus DEUM; quoniam lumen quod illuminat, incomparabiliter excellentiùs est, illo quod illuminantur. *T. 2. Epist: 222.* *Animæ impiorum mortuæ.*

Quid tam intimè scitur seq; ipsum sentit, quàm id quo etiam cætera sentiuntur id est ipse animus. *T 3. l. 8. de Trinit: c. 6.*

Non enim reformare seipsam potest: sicut potuit deformare: induite ait novum hominem, cum qui secundùm DEUM creatus est. *Ib. l. 14. de Trinit: c, 16.*

Jllam sententiam quâ nonnulli putant, alibi peccasse magìs minusq; animas, & pro diversorum meritis peccatorum, in diversa corpora esse detrusas, Apostolicæ non convenire sententiæ; cùm apertissimè dictum sit, nihil egisse nondum natos, seu boni seu mali. *T, 3 l, 6. de Gen. ad lit. c 9.* *Animarum in corpora intrusio, error.*

Nos credimus DEI naturam atq; substantiam, quæ in Trinitate creditur à multis, intelligitur à paucis omninò esse incommutabilem. Porrò autem animæ naturam, vel in deterius, vel in meliùs commutari posse, quis ambigit? ac per hoc sacrilega opinio est, eam & DEUM unius esse substantiæ. *Ib. l 7. de Gen: ad lit: c. 2.* *Deum & Animam unius substantiæ esse Sacrilega opinio.*

De anima quàm DEUS inspiravit homini sufflando in ejus faciem, nihil confirmo, nisi quia ex DEO sic est, ut non sit substantia DEI, & sic incorporea, ut non sit corpus sed Spiritus, non de substantia DEI genitus, nec de substantia DEI procedens sed factus à DEO. *T. 3. l. 7. de Gen. ad lit: c. 28.*

Quia non dixit ex anima viri factam esse animam mulieris, convenientiùs creditur, similiter datam esse mulieri: cum præsertim esset evidentissimæ occasionis locus, ut si non tunc, quando formata est, postea certè diceretur, ubi ait Adam, hoc nunc os ex ossibus *Anima Adami & Evæ an una?*

meis

meis, & caro de carne mea. Quanto enim chariùs amantiùsq; ...ce-ret, & anima de anima mea. *Ib. l. 10. de Gen. ad lit: c. 1*

Si neq; de corpore, neq; de anima irrationali, neq; de seipso animam hominis Deus fecit, restat ut aut de nihilo eam faciat, aut de aliqua Spirituali, tamen rationali creatura. *Dubitabat tum temporis Augustinus de animæ creatione, quod postea altis rationibus egregiè resolvit. Ibid. l. 10. de Genesi ad lit: c. 4.*

Error de anima. Tertullianus quia corpus esse animam credidit, non ob aliud, nisi quod eam incorpoream cogitare non potuit, & ideò timuit nè nihil esset, si corpus non esset. Nec de Deo valuit aliter sapere, qui sanè quoniam acutus est, interdum contra opinionem suam visa veritate superatur. Quid enim verius dicere potuit, quàm id quod ait quodam loco. Omne corporale passibile est, debuit ergo mutare sententiam, quâ paulo superius dixerat, etiam Deum corpus esse. *Ib. l. 10. de Gen: ad lit: c. 25.*

Multùm lugenda mens humana, si vincitur à corpore suo, siquidem in illo homine non reformata est, in quo ipsum corpùs humanum, jam dignitatem formæ cælestis accepit. *Ib. de agone Chr: c. 19.*

Motus animæ Moveri per se animam sentit, qui sentit in se esse & voluntatem. Nam si volumus, non alius de nobis vult. Et iste animæ motus spontaneus est, hoc enim ei tributum est à Deo; qui tamen motus non de loco in locum est, tanquam corporis. Localiter enim moveri, corporis proprium est. *T. 4. l. 80. quæst 8.*

Eadem animæ natura & prudentiam carnis habet, cum inferiora sectatur, & prudentiam spiritus, cum superiora eligit, diligit. Quemadmodum eadem aquæ natura, & frigore congelascit, & calore resolvitur. Sic ergo dictum est: *Legi Dei non est subjecta prudentia carnis, nec enim potest*; quomodo rectè diceretur, nivem non posse calefieri, nec enim potest, sed cum adhibito calore solvitur & calescit aqua, jam nemo potest eam nivem dicere. *Ib. Exposit: quarund: proposit: ex Epist. ad Rom: fol. 371.*

Quis dubitet melius esse habere bonam mentem, quàm memoriam quantumlibet ingentem? nemo enim malus qui habet bonam mentem. *Memoria reddit deteriores.* Quidam verò pessimi, memoriâ sunt mirabili, tantò pejores, quantò minus possunt, quod malè cogitant, oblivisci. *T. 5. l. 7. de Civit: Dei. c. 3.*

Optimè igitur anima humana, adhuc terrenis desideriis infirma, ea ipsa quæ temporaliter exoptat bona, infirma atq; terrena, non nisi ab uno Deo expectare consuevit, ut ab illius cultu, etiam in istorum desiderio non recedat, ad quem contemptu eorum, & ab eis aversione perveniat. *Ib. l. 10. de Civit: Dei. c. 14.*

Exi de terra, & de cognatione tua. Non ut corpus inde eiiceret, quod jam fecerat, sed ut animam evelleret, dicitur. *T. 5. l. 16. de Civ: Dei. c. 15.* *Ge. 12. 1.*

Vita carnis anima, animæ Deus. Quocirca ut vita carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est, de quo dicunt sacræ literæ: Beatus populus cujus est Dominus Deus ipsius. Miser igitur populus ab isto alienatus Deo, diligit tamen ipse etiam quandam pacem suam non improbandam, quàm quidem non habebit in fine, quia non ea bene utitur ante finem. *Ib. l. 19. de Civit: Dei. c. 26.*

Animam non esse partem Dei, nec de substantia, & natura ejus creatam sive prolatam, sed ex nihilo factam dubitare fas non est. *Ib. l. 1 contra Adversar. Legis & Prophet: c. 14.*

Anima signaculum Dei. *Anima ex nihilo.* Signatum est in nobis lumen vultus tui Domine. Hoc lumen est totum hominis, & verum bonum, quod non oculis sed mente conspicitur. Signatum autem dixit in nobis; tanquam denarius signa- *Ps. 4. 7*

gna-

gnatur Regis imagine. Homo enim factus est ad imaginem, & simi-
Matt. 20,21. litudinem DEI, quam peccando corrupit. Et ad hoc credo pertine- *Anima nummus.*
re: Reddite Cæsari quod Cæsaris est, & DEO quod DEI est: tanquam si diceret. Quemadmodum Cæsar à vobis exigit impressionem imaginis suæ, sic & DEUS: ut quemadmodum illi redditur nummus, sic DEO anima lumine vultus ejus illustrata atq; signata. *Ibid. in Psal.* 4.

Ps. 21, 11. Erue ab impijs animam meam. Frameam tuam ab inimicis manus tuæ. Quod superius dicit, animam meam: hoc sequenti versu frameam meam. Quid est ipsa anima nostra, aut quid potest nisi DEUS illam teneat, & repugnet de illa. Nam quælibet optime facta framea, si non habeat bellatorem jacet. Ecce animam justi, dixit frameam DEI. Iterum dicit Animam justi esse sedem DEI, animam justi sedem sapientiæ. Ergo quidquid vult facit de anima nostra cum in manu ejus est. utatur & quemadmodum vult. *Ib. Con: 1. in Psal: 34.* *Anima framea Dei. Sedes Dei.* *Facit de illa Deus quod vult cum in ejus manu est.*

Ps. 46, 9. Sedet super Sedem sanctam suam. Cæli sunt sedes sancta ejus. Vis & tu esse sedes ejus? Noli putare te esse non posse. Para illi locum in corde tuo: venit & libenter sedet. Ipse certe est DEI virtus, & DEI sapientia. Et quid dicit scriptura de ipsa sapientia? Anima justi sedes sapientiæ. Si ergo anima justi sedes est sapientiæ: sit anima tua justa, & erit regalis sella sapientiæ. *Ib. Enar: in Psal: 46* *Est sedes Dei.*

Ps. 61, 2. Nonne DEO subjecta erit anima mea? Quantumcunq; accedam, quantumcunq; ascendam, quantumcunq; transiliam, sub DEO ero non contra DEUM. Securus ergo transcendo cætera, quando ille me sub se tenet, qui est super omnia. *Ib. in Psal. 61.*

Ps. 41. 5. Hæc meditatus sum, & effudi super me animam meam. Quærens DEUM meum, effudi super me animam meam, ut illum attingerem, non in me remansi. Ergo sperate in eum omne concilium plebis, effundite coram illo corda vestra deprecando, confitendo, sperando. Nolite corda vestra retinere intra corda vestra. Non perit *Ps. 40, 12.* quod effunditis. Jlle enim susceptor meus. Si suscipit, quid times effundere? Quid timetis inter susurrones, detractores DEI odibiles palam oppugnantes, occulte insidiantes, falso laudantes, vere inimicantes? DEUS Adjutor noster. An æmulantur DEUM? Nunquid fortiores illo sunt? DEUS adjutor est, securi estote. *Ib. in Ps. 61.* *Cor extra cor fit si Deo vult inhærere.*

Malus est somnus animæ. Bonus somnus corporis quo reparatur valetudo corporis. Somnus autem animæ est, oblivisci DEUM suum. Quæcunq; anima oblita fuerit DEUM suum, dormit. Ideo dicit DEUS quibusdam oblitis DEUM suum. Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Ergo secundum ipsas vigilias dicit iste. DEUS DEUS meus ad te de luce vigilo. Non enim vigilares in te, nisi oriretur lux tua, quæ te de somno excitaret. *Et* *Oblivio Dei somnus animæ.*
Ps. 62, 2. *infra.* Sitivit tibi anima mea. Sunt qui sitiunt sed non DEO: ipsum desiderium sitis est animæ. Et quanta desideria sunt in cordibus hominum? sitiunt homines sæculo, & non se intelligunt in deserto esse, ubi debet sitire anima ipsorum DEO. Omnes dicamus quia in concordia Christi omnes una anima sumus. Sitivit tibi inquit anima mea, quàm multipliciter tibi & caro mea. Parum est quia sitivit anima mea; sitivit & caro mea. *Ib. in Ps. 62.* *Desiderium sitis animæ.*

O Anima Ecclesiæ pretiosa, redempta sanguine Agni immaculati, attende quanti valeas: quid pro te datum sit cogita. Dicamus ergo & optemus, Jlluminet vultum suum super nos. Gestamus vul-
Ps. 66, 1. tum ejus; quomodo dicuntur vultus Imperatorum. Vere quidem sacer vultus DEI est in imagine ipsius, sed iniqui non cognoscunt in se imaginem DEI. DEUS meus illuminabis tenebras meas. Sum in te- *Pretium animæ vultus in illa Dei.*

nebris peccatorum, sed radio sapientiæ tuæ discutiantur tenebræ meæ Appareat vultus tuus, & si forte appareat, per me aliquantulum deformis effectus, à te reformetur, quod à te formatum est. *T. 8. in Psal. 66*

Deus animæ panis. Quærite Dominum & vivet anima vestra. Quæritis panem ut vivat caro vestra, Dominum quærite, ut vivat anima vestra. *Ib: Con: 2 in Ps. 68.* *Ps. 68. 11.*

Qui sedes super Cherubim. Cherubim sedes est gloriæ DEI, & interpretatur plenitudo scientiæ: ibi sedet DEUS in plenitudine scientiæ. Licet intelligamus Cherubim, sublimes esse Cælorum potestates atq; virtutes: tamen si vis eris Cherubim. Si enim Cherubim sedes est DEI, audi quid dicit scriptura. Anima justi Sedes est sapientiæ. Quomodo inquis ero plenitudo scientiæ? Quis hoc implet? Habes unde impleas: Plenitudo legis charitas. Noli per multa ire atq; distendi. Terret te ramorum diffusio: radicem tene & de magnitudine arboris noli cogitare. Sit in te charitas, & necesse est, plenitudo scientiæ consequatur Quid enim nescit, qui charitatem scit? Quandoquidem dictum: DEUS Charitas es, qui sedes super Churubim appare. Ideo enim erravimus, quia non apparebas. *Ib. in Psal 79.* *4. Reg. 19.* *Si vis, eris Cherubim.* *Ro. 13. 10.* *Quid nescit qui scit Charitatem?*

An forte ita dictum est. Anima mea in manibus meis: Tanquam eam vivificandam offerret DEO. *Ib. Con: 23. in Psal. 118.* *Ps. 118. 109.*

Quare sicut passer Anima. Anima nostra sicut passer eruta est de Muscipula venantium. Quia in ipsa anima Dominus erat, ideo sicut passer eruta est anima de muscipula venantium. Quare sicut passer? quia incauta ceciderat sicut passer: & poterat dicere postea: Ignosce mihi DEUS. O passer instabilis! fige potius fidei sedes in petra, noli ire ad muscipulam! Capieris, consumeris obtereris. *Ib exposit in Psal. 123.* *Ps. 123 7.*

Anima Corpori, sicut aurũ plumbo præstat. Non vobis hoc quasi mirabile videatur, quia & vilis anima quælibet peccatrix, melior est quolibet magno & præstantissimò corpore. Non est melior meritis, sed naturâ. Et quidem anima peccatrix est quibusdam concupiscentiarum sordibus inquinata: tamen melius est, etsi sordidum aurum, quàm purgatissimum plumbum. *Ib: Enar. in Psal. 145.*

Infidelium sepultura. Sine inquit mortuos sepelire, mortuos suos. Infideles cadaver quando sepeliunt, mortui mortuum sepeliunt. Illius corpus animam perdidit: illorum anima DEUM Sicut enim anima est vita corporis: sic vita animæ DEUS. Sicut exspirat corpus, cum animam emittit, ita exspirat anima, cum DEUM amittit. DEUS amissus, mors animæ: anima amissa mors corporis. Mors corporis necessaria: mors animæ voluntaria. *T. 10. ser. de ver. Dom. ser 6 De puero Centur.* *Mat. 8. 22.* *Deus amissus mors animæ.*

Unde vivit caro tua? De anima tua. Unde vivit anima tua? De DEO tuo. Unaquæq; harum secundum vitam suam vivat. Caro enim sibi non est vita, sed anima carnis est vita. Anima sibi non est vita, sed DEUS est animæ vita. *T. 10. ser: de verb. Ap: ser. 13.*

Anima Cibus verbum Dei. Certissime scitote fratres charissimi, quia qualis est caro quæ multos dies non percipit cibum, talis est anima quæ assidue non pascitur verbo DEI. Et quomodo caro per famem & inopiam tenuis & sicca, velut quoddam simulachrum efficitur: ita & anima si verbi DEI cibo non pascitur, arida & inutilis, & ad nullum opus bonum congrua invenitur. *Ib. ser. de Tempore. ser. 55. Fer. 4. in cap. jejun: serm. 2*

Animæ sitis. Sitivit anima mea ad DEUM vivum. Multæ enim sunt sites. Sitiunt justi, sitiunt & peccatores. Illi justitiam, illi luxuriam. Justi sitiunt DEUM, peccatores sitiunt aurum. Sitivit ergo populus aquam, qui debuit sitire justitiam. Dixit ergo ad Moysen Dominus: *Ps. 41. 3.*

Ex. 17. 6 Tolle virgam, & percute Petram, ut educas populo aquam. Ecce est petra, & habet aquam. *Et infra.* Percussus enim Christus in cruce, novi testamenti fontes eduxit. Necesse enim erat ut ille percuteretur. Nisi enim ille percussus fuisset, & de Sacro ejus latere sanguis, & aqua manasset, universus mundus sitim Verbi Dei patiens, interijsset. *Et infra.* Quid est hoc, quod non semel sed bis virga percussa est Petra? Ideo secunda vice petra percutitur, quia duo ligna in crucis patibulo eriguntur, quia in uno ligno sacras manus expandit; in alio verò à capite usq; ad pedes immaculatum corpus extendit. Bibit ergo de Petra populus, & statim bellum init contra Amalech. Videte fratres quia posteaquam quisq; de Petra biberit, id est Christi Sacramenta susceperit, necesse est illi ad pugnam procedere. Tamdiu enim aliquis diabolum contra se pugnantem non sentiet, quamdiu opera illius exercere voluerit. Qui ergo illum reliquerit, & de Petra bibens Christum sequi elegerit, necesse est ut illum patiatur infestum, cui justo judicio voluit præponere Christum. Quisquis ergo Christo conjungitur, non ad delicias, non ad voluptates, sed ad prælium præparetur: quia omnes qui volunt piè vivere in Christo, persecutionem patiuntur. *Ib. ser. 93. Fer. 6. post 3. Dom. Quadr. ser. 2.*

Sitis justorum & peccatorum. *Christus in cruce petra.* *Ligni Crucis forma.* *Eucharistia ad prælia vocat.* *Diabolus non impugnat impios.* *Christo adhærentes ad prælia parati.*

Si tantam curam impendimus corpori, quod velimus nolimus, in pulverem redigendum est, quantam solicitudinem, & curam erga salutem animæ debemus apponere: ut sicut dicit Apostolus, sine macula vel ruga mereamur ante tribunal æterni judicis apparere? *Ib. ser. 102. Fer. 4. post 4. Dom. Quadr.*

Corporis Cura evincit curã animæ.

Ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus.
Io. 14. 23. Quam beata est illa anima, in qua Pater & Filius venientes, non solum habitare, vel manere, sed etiam cænare dignantur. *Ib. ser. 255. In anniver. Dedic. templ. ser. 4.*

Vita corporis anima est: vita animæ Deus est: Sicut adest vita corpori, id est anima, ne moriatur corpus, sic debet adesse vita animæ hoc est Deus, ne moriatur anima. *Ib. ser. 17. ser. 13. De Mart. &c.*

Vita Animæ Deus.

Fieri non potest, ut panem suum caro nostra non haberet, panem suum anima non haberet. Etenim anima nostra in quadam egestate in hoc sæculo eget pane suo, sicut caro suo. Nam qui non eget pane Deus est. Ergo solus panis non eget pane, Ipse enim panis animæ nostræ, qui pane altero non eget, sed sufficiens nutrit & nos. Manifestus est itaq; panis cælestis, quo pascitur anima nostra. *T. 10. ser. Nov. ser. 40.*

Animæ panis. *Qui non eget pane, Deus est.*

Aliud est in anima, unde corpus vivificatur, aliud unde ipsa vivificatur. Melius quippe est quàm corpus, sed melius quàm ipsa est Deus. Est ergo ipsa etiam si sit insipiens injusta & impia vita corporis. Quia verò vita ejus est Deus, quomodo cum ipsa est in corpore, præstat illi vigorem, decorem, mobilitatem, officia membrorum, sic cum vita ejus Deus, in ipsa est, præstat illi sapientiam, pietatem, justitiam, charitatem. Aliud est ergo quod præstatur corpori de anima: aliud quod præstatur animæ de Deo. Vivificat & vivificatur: mortua vivificat, sed ipsa non vivificatur. Veniente itaq; verbo, & infuso audientibus, factisq; illis non solum audientibus, sed etiam obedientibus resurgit anima à morte sua ad vitam suam: hoc est ab iniquitate, ab insipientia, ab impietate ad Deum suum, qui est illi sapientia, justitia, claritas. Resurgat ad illum illu-
Ps. 33. 6. minetur ab illo. Accedite inquit ad Deum. Et quid nobis erit? Et illuminamini. Si ergo accedendo illuminamini, & recedendo tenebramini: Non erat in vobis lumen vestrum sed in Deo vestro. Accedite ut resurgatis: si recesseritis moriemini. Si ergo acceden-

Quomodo officia animæ in corpore ita Dei in anima. *Quod anima in corpore, hoc Deus præstat in anima.*

do vivitis recedendo morimini, non erat in vobis vita vestra. Ipsa
est enim vita vestra quæ est lux vestra. Quoniam apud te est fons vi- Ps. 35. 10.
tæ & in lumine tuo videbimus lumen. *T. 9. in Evang. Ioan. Tract 19. de cap. 5.*

Sapere carnaliter, est recedere à Deo.

Illi qui sapiunt carnem, quàm longè sunt à sapiendo quod DEus est? quia non ibi essent etiamsi animum saperent. Recedit homo multùm à DEO, quando sapit carnaliter, & multùm interest inter carnem & animum: plus tamen interest inter animum & DEUM. Tu si in animo es, in medio es. Si infra attendis, corpus est, si supra attendis DEUS est. Attolle te à corpore; transi etiam te. *Et infra.* Et effudi super me animam meam Ut ergo attingerem DE- Ps. 41. 5.
UM meum, de quo mihi dicebatur, ubi est DEUS tuus? Non effudi animam meam super carnem meam: sed super me. Transcendi me ut illum tangerem Ille enim est super me, qui fecit me: nemo eum attingit nisi qui transierit se. *T. 9. in Evag: Ioan: Tract: 20. de cap. 5.*

Conscientia cordis venter interioris hominis

Decus corporis, animus: decus animi DEus. Clamat ergo DEus, ut veniamus & bibamus, si intus sitiamus, & dicit quia cum biberimus, flumina aquæ vivæ fluent de ventre nostro. Venter interio- Ioa. 7. 38.
ris hominis, conscientia cordis est. Bibito ergo isto liquore, reviviscet purgata conscientia, & hauriens fontem habebit: etiam ipsa fons erit.

Abundat semper, liberalis in proximum.

Quid est fons & quid est fluvius, qui manat de ventre interioris hominis? Benevolentia qua vult consulere proximo. Si enim putet quia quod bibit, soli ipsi debet sufficere: non fluit aqua viva de ventre ejus. Si autem proximo festinat consulere: ideo non siccat quia manat. *Ib Tract 32. de cap. 7.*

Deus cum satiat, famem sui excitat.

Quærite DEUM & vivet anima vestra. Quæramus invenien- Ps. 68. 33.
dum, quæramus inventum Ut inveniendus quæratur, occultus est: ut inventus quæratur, immensus est. Unde alibi dicitur. Quærite fa- Ps. 104. 4.
ciem ejus semper. Satiat enim quærentem inquantum capit: & invenientem capaciorem facit, ut rursus quærat implere, ubi plus capere cæpit. *T. 9. in Evang Ioan; Tract: 63. de cap. 13.*

Te invoco in animam meam, intra in eam & coapta eam tibi ut possideas eam sine ruga, & sine macula. Mundissimo namq; Domino, mundissima debetur habitatio. *Ib. l. b. Medit: cap. 35.*

APOSTOLUS

Apostoli Luminaria.

FActa sunt luminaria, in firmamento cæli, verbum vitæ habentia: ubiq; discurrite ignes sancti, ignes decori. Vos enim estis lumen mundi. Exaltatus est cui adhæsistis & exaltavit vos. Discurrite & innotescite omnibus gentibus. *T 1 l 13. Conf. c. 19.*

Sanctorum inter prospera et adversa æquanimitas.

Credant potius (animales intellige homines) Apostolos nostros, nec cum suspicerentur ab hominibus inflatos fuisse, nec cum despicerentur elisos. Neutra quippe tentatio defuit illis viris. Nam & credentium celebrantur præconio, & persequentium maledictis infamabantur. *T. 3 l. 3. de Doctr: Christ c. 20.*

Seneca clarus Apostolorũ temporibus.

Annæum Senecam, quem nonnullis indicijs, invenimus Apostolorum nostrorum claruisse temporibus. *Ib. l. 6. de Civ: Dei. c. 10.*

Electio Apostolorum.

Elegit Discipulos quos & Apostolos nominavit humiliter natos, inhonoratos, illiteratos: ut quidquid magnum essent & facerent, ipse in eis esset & faceret. Habuit inter eos unum, quo malo utens benè, & suæ passionis dispositum impleret, & Ecclesiæ suæ tolerandorum malorum præberet exemplum *Ib l.18. de Civ: Dei c. 49.*

Conversio gentium miraculum.

Si per Apostolos Christi, ut eis, crederetur resurrectionem atq; ascensionem prædicantibus Christi, etiam ista miracula facta esse non credunt, (loquitur de Paganis) hoc nobis unum grande miraculum

culum sufficit, quod eam terrarum Orbis, sine ullis miraculis credidit. *T. 5. l 22. c 5.*

Omne genus humanum, tanquam pauperem & pupillum, commendat Scriptura Divina, dicens Deo, tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor. Adhibeamus huic pupillo idoneos defensores, & Apostolorum, tanquam Iuris peritorum, cælestium ei patrocinium subrogemus. Quid est agendum apud tales pro tali, apud vos itaq; Petre, Paule, Ioannes, cæteriq; sancti Consiliarij veri Judicis, amici summæ potestatis, causam exponimus, quam optimè nostis, hujus pauperis & pupilli generis scilicet humani. Quid itaq; in hoc negotio serenitati vestræ videatur, pro hujus miseri libertate ex cōmuni tractate, utinam pro eo dignemini proferre sententiam Et vos enim adstrinxerat hæc obligatio, nisi vobis gratia Christi subveniret, liberati liberate, consilium, quod à Judice accepistis, promite. Hæc est vox omnium: quod fecimus faciat. Quid obsecro facturus est? renuntiet Diabolo, pompis & Angelis ejus, hæc est illa damnosa hæreditas, cui renuntiare compellimur. *T. 6 Concion ad Catechum. c. 3.*

Ps. 10, 14 — *Homo pupillus.* — *Apostoli Iuris periti cælestes.* — *Genus humanum pupillus*

Quod erat Apostoli Pauli Evangelium, hoc etiam cæterorum Apostolorum & omnium fidelium dispensatorum tanti Sacramenti. Hoc enim alibi dicit, sive ergo ego, sive illi; sic prædicamus, & sic credidistis. Non enim omnes illi Evangelium conscripserunt, sed tamen omnes Evangelium prædicaverunt. Narratores quippe Originis, factorum, dictorum, Passionum Domini Nostri Iesu Christi propriè dicti sunt Evangelistæ. Nam & ipsum nomen si quæramus, quid latinè interpretetur, bonum nuntium dicitur Evangelium, vel bona annuntiatio. *Ib. l. 2. Con. Faust. c 1.*

Evangelistæ diversi, unum Evangelium. — *Evangelium bonum Nuntium*

Neq; enim deerat illis Evangelicis Patribus per omnes Christi Ecclesias fama præclara, tot linguis laudantibus comparata: imò verò tanta aderat, ut major hominibus ab hominibus honor & gloria deferri non debeat. Hanc in Ecclesia gloriam, perversa voluntate Simon perditus concupivit, quando ab eis pecuniâ voluit cæcus emere, quod illi divinâ gratiâ, eademque gratuita meruerunt. *Ib l. 22 contra Faust. c. 48*

Fama doctrinæ Apostolicæ.

Sancti Apostoli, Auditoribus admirantibus doctrinam suam condelectabantur, non aviditate consequendæ laudis, sed charitate seminandæ veritatis. *Ib. l. 22 Con. Faust. c. 48.*

Concionatores quomodo gloriâ afficiantur?

Evangelium, fur quoq; Iudas, sine detrimento fidelium prædicavit, *T. 7 l. 2. Con. lit. Parmeniani. c. 11*

Concionatoris malitia, fidei non officit.

Si non exprimatur quis Apostolus, non intelligitur nisi Paulus, quia pluribus est epistolis notior, & plùs omnibus illis laboravit. *Ib. l 3, ad Bonif. c, 3.*

Paulus antonomasticè Apostolus.

Ps. 18. 4 In omnem terram exivit sonus eorum. Ideo sonus in omnem terram exijt, ut in Cælum intres. *Ib exposit: 2 in Psal: 18:*

Ubi cæperunt tubæ cælestes, personare Iudicem venturum, quem primo viderant judicatum. Conturbati sunt omnes qui videbant eos. Et timuit omnis homo. Qui non timuerunt, nec homines fuerunt. Timuit omnis homo: id est omnis utens ratione ad intelligenda quæ facta erant. Unde illi qui non timuerunt, pecora potius nominandi sunt, bestiæ potius immanes & truces. Leo rapiens & rugiens, ille ad huc populus. *Ib. in Psal: 63.*

Ps. 63. 10 — *Iudicium non timens, pecus est non homo.*

Ps. 64. 10. Visitasti terram & inebriasti eam. Misisti nubes tuas, pluerunt prædicationem veritatis. Inebriata est terra. Multiplicasti ditare eam. Unde multiplicasti eam ditare? Fluvius Dei repletus est aquâ. Quid est fluvius Dei? populus Dei. Primus populus repletus est, unde & cætera terra rigaretur. Crediderunt multi Israelitæ, & impleti

Ps. 64 10. — *Fluvius populus.*

Doctrina cælestis proportionata discipulis. pleti Spiritu Sancto. *Et infra.* In stillicidijs suis lætabitur. In stillicidijs, id est antequam sit forte idonea capacitati fluminis, cum exoriretur in stillicidijs suis, id est sibi congruis, lætabitur. Parvvulis enim adhuc & infirmis stillantur quædam de Sacramentis, quia non possunt capere plenitudinem veritatis. Audi quomodo stillet parvulis dum exoriuntur. Apostolus dicit: Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, quasi parvvulis in Christo. *Ib. in Psal: 64.* *Ps. 64 11.*

Lac parvulis.

Electio humilium Apostolorum. Quæ stulta mundi prius elegit DEUS. Elegit ergo Dominus postea & Oratores, sed illi superbirent, si non prius eligeret piscatores. Elegit divites: sed dicerent merito divitiarum suarum causa se electos esse nisi primo elegisset pauperes. Elegit Imperatores postea: sed melius est, ut Romam cum venerit Imperator, deposito diademate ploret ad memoriam piscatoris, quàm ut piscator ploret ad memoriam Imperatoris. Et quid sequitur? quid ait? Conclusit Apostolus, ut non glorietur coram Domino omnis caro. Videte quemadmodum nobis abstulit gloriam, ut daret gloriam. Abstulit nostram, ut daret suam. Abstulit inanem ut daret plenam. Abstulit nutantem, ut daret solidam. Tanto ergo gloria nostra fortior & firmior, quia in DEO. *Ib. in Psal: 55.* *1. Cor. 1. 28.* *1. Cor. 1. 31.*

Apostoli Columnæ. Ego confirmavi columnas ejus. Quas columnas confirmavit? Columnas Apostolos dicit, sic Paulus de Coapostolis suis: Qui videbantur inquit columnæ esse. *Ib. in Psal. 74.* *Ps. 74: 4.*

Apostoli Cæli. In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: quia etsi assumpti hic sunt, antequam impleret Ecclesia orbem terrarum, tamen verba eorum pervenerunt usq; ad terminos orbis terrarum. *Ib. Con: 1. in Psal: 88.* *Ps. 18. 4.*

Cæli enarrant gloriam DEI. Qui sunt Cæli? qui facti sunt sedes ipsius. Quomodo enim in Cælis sedet DEUS, sic sedet in Apostolis, sic sedet in prædicatoribus Evangelij. Et tamen si vis Cælum eris Si vis esse Cælum, purga de corde tuo terram. Si terrenas concupiscentias non habueris, & non frustra responderis sursum te habere cor: Cælum eris. Si resurrexistis cum Christo, fidelibus Apostolus loquitur: Quæ sursum sunt quærite. *Ib. in Psal: 96.* *Ps. 18. 1.*

Si vis, cælum eris.

Peccator terra, cælum Apostoli. Quomodo peccator factus est terra, cui dictum est; Terra es & in terram ibis; sic justificati facti sunt Cælum. Portaverunt DEUM, & de ipsis DEUS coruscabat miracula, tonabat terrores, pluebat consolationes. Erant ergo illi Cælum, & enarrabant gloriam DEI. Nam ut noveritis ipsos dictos Cælum, ibi ait in ipso Psalmo: In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quæris quorum, & invenies, Cælorum. Si ergo Cælum sedes DEI, Apostoli autem Cælum: & ipsi facti sunt sedes DEI, ipsi thronus DEI. *Ib. exposit: in Psal: 121.* *Gen. 3. 19.* *Ps. 18. 4.*

Apostoli sagittæ. Ecce hereditas Domini filij: merces fructus ventris. Excussi sunt quidam de manu Domini tanquam sagittæ, & ierunt longè, & totam terram impleverunt, unde pullulant Sancti. Nam ipsa est hereditas de qua dicitur: Postula à me & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam, terminos terræ. Et quomodo ista possessio protenditur & crescit usq; ad fines terræ? Quia sicut sagittæ in manu potentis, sic filij excussorum. De arcu excutiuntur sagittæ, & quantò fortior excusserit, tanto longius vadit sagitta. Quid autem fortius excutiente Domino, de arcu suo mandat Apostolos suos? Non potuit esse residuum quo non perveniret sagitta à tam forti excussa, pervenit usq; ad fines terræ. Ideo non ultra, quia nihil est ultra, generis humani. *Ib. exposit: Psal: 125.* *Ps. 126 4.* *Ps. 28.* *Ps. 126*

In Christo majora videntur fecisse Apostoli, quam ipse Dominus.

nus.

nus. Sed unde fieri poteſt, ut plus valeant ſarmenta quam radix? *Apoſtoli videntur majora Christo feciſſe.*
Act. 5. 15. Quomodo autem majora videntur feciſſe illi, quam ille? Ad vocem Domini ſurrexerunt mortui, ad umbram tranſeuntis Petri ſurrexit mortuus. Majus hoc videtur quam illud. Sed Chriſtus facere ſine
Jo. 15. 5. Petro poterat: Petrus niſi in Chriſto non poterat: quia ſine me inquit nihil poteſtis facere. *T. 8. exp: ſit: Pſal: 130.*

Ipſe eſt Dominus Deus noſter qui elegit Apoſtolos ex Iudæa, Eccleſiæ paſtores, per quos congregaret ſalvandos etiam peccatores. *T. 10, ſer: de Temp: ſer: 34 In Epiph: ſer: 6.* *Apoſtolicæ Electionis fines.*

Supra cæteras turbas fidelium, nec non antiquorum juſtorum, & Prophetarum eminentes, Apoſtolos ſuos volens Dominus oſten-
Lu. 10. 23. dere, dixit ad eos. Beati oculi qui vident, quæ vos videtis, & aures, quæ audiunt, quæ vos auditis *Ib ſer: de Sanct: ſer: 43. De Apoſt: ſer: 2.* *Apoſtolorum eminentia ſupra turbas.*

Act. 1. 8. Apoſtolis dictum eſt. Et eritis mihi teſtes, fidelibus dicitur, vaſis Dei dicitur, vaſis miſericordiæ dicitur. Eritis mihi teſtes. Ubi? In Hieruſalem ubi occiſus ſum, & in tota Iudæa, & Samaria, & uſq; in fines terræ. *T. 10, ſermonum decem & ſeptem à Pariſienſibus additorum ſer: 6. in ipſo die Aſcenſ: Dñi.* *Miſericordes Christi teſtes, vaſa Dei.*

Ille qui diſcipulos fecit piſcatores hominum, intra retia ſua omne genus auctoritatis incluſit. Si multitudini credendum, quid copioſius Eccleſiâ toto orbe diffuſa? Si divitibus credendum eſt: attendant quot divites cepit. Si pauperibus credendum eſt: attendant pauperum millia. Si nobilibus: intus eſt jam pæne tota nobilitas. Si Regibus: videant omnes ſubditos Chriſto. Si eloquentioribus, doctoribus, prudentioribus: intueantur quanti oratores, quanti periti, quanti Philoſophi hujus mundi ab illis piſcatoribus irretiti ſunt, ut ad ſalutem de profundo attraherentur: cogitantes eum qui magnum malum animæ humanæ, id eſt, ſuperbiam, ſuæ humilitatis exemplo ſanare deſcendens, infirma mundi elegit, ut confunderet fortia. *Ib. pars 2. ſer: de diver: ſer: 63.* *Rete Apoſtolorum claudit omne genus piſcium.*

Cogitate fratres, quale fuit mitti homines per orbem terrarum, prædicare hominem mortuum reſurrexiſſe, in cælum aſcendiſſe, & pro iſta prædicatione perpeti omnia, quæ inſaniens mundus inferret: damna, exilia, vincula, tormẽta, flammas, beſtias, cruces, mortes. Hoc pro neſcio quo? Nunquid enim fratres mei Petrus pro ſua gloria moriebatur, aut ſeipſum prædicabat? Alius moriebatur, ut alius honoraretur: alius occidebatur, ut alius coleretur. Nunquid hoc faceret, niſi flagrantia charitatis de conſcientia veritatis? *Et infra.* Non retardavit illecebra ſæculi feſtinantes, tranſitura migrantes, quantumlibet aut quomodolibet fulgens felicitas, hîc dimittenda, ad aliam vitam non transferenda, aliquando hic & à viventibus relinquenda. Contemnite ergo ſæculum Chriſtiani, contemnite ſæculum. Contemnite: contempſerunt Martyres: contempſerunt Apoſtoli. *Et infra* Contemne & tu: & intra poſt illum. Patet quà intres: Chriſtus eſt janua. Et tibi eſt oſtium apertum, quando eſt latus ejus lanceâ perforatum. Quid enim manavit recole, & elige qua poſſis intrare. De latere Domini pendentis, & morientis in ligno, poſteaquam eſt lancea perforatum, aqua ſanguiſq; profluxit. In uno eſt mundatio tua, in altero redemptio tua. Amate, & nolite amare. *Et infra.* Quod amas in terra impedimentum eſt: viſcum eſt pennarum ſpiritualium, hoc eſt virtutum quibus volatur ad Deum. Capi non vis, & viſcum amas? Nunquid non caperis ideo, quia dulciter caperis? Quantò magis delectat, tantò magis ſtrangulat. *Ib ſer: 115. de Feſto S. Cypriani Mart: ſer: 3.* *Apoſtolica prædicatio Chriſtum non ſe prædicat.* *Sæculi contẽptus.* *Latus Chriſti janua.* *Amor terrenorum viſcum ſpiritualium pennarum.* *Quod magis delectat magis ſtrãgulat.*

Si Apoſtoli increduli quis fidelis? quid faciunt agni ſi titubant arietes? Nec tamen eos miſericordia Domini deſpexit incredulos: *Vis exempli majorum.*

los: sed arguit, nutrivit, perfecit, coronavit. Nam & ipsi memores infirmitatis suæ, quodam loco in Evangelio, sicut legimus dixerunt ei, Domine auge nobis fidem. Domine inquiunt auge nobis fidem. Prima utilitas erat scientia, scire quod minus habebant; major felicitas, scire unde petebant. Domine inquiunt auge nobis fidem. Videte si non corda sua, quasi ad fontem portabant, & ut eis unde implerent aperiretur, pulsabant. Pulsari ad se voluit, non ut repelleret pulsantes, sed ut exerceret desiderantes. *Ib. serm: Nov: ser: 34. De orat.*

Deus sæpe non audit, ut exerceat.

Ecce vere Israelita in quo dolus non est. Magnum testimonium. Hoc nec Andreæ dictum, nec Petro dictum, nec Philippo, quod dictum est Nathanaeli: Ecce vere Israelita in quo dolus non est. Quid ergo faciamus fratres? Deberet iste primus esse in Apostolis. Et non solum primus non invenitur in Apostolis, sed nec medius, nec ultimus inter duodecim Nathanael, cui tantum testimonium perhibuit filius Dei dicens: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. Quæritur causa: quantum Dominus intimat probabiliter invenimus. Intelligere enim debemus ipsum Nathanaelem eruditum & peritum legis fuisse: propterea noluit illum Dominus inter discipulos ponere, quia idiotas elegit, unde confunderet mundum. *Et infra.* Dominus noster Iesus Christus volens superborum frangere cervices, non quæsivit per oratorem piscatorem: sed de piscatore lucratus est Imperatorem. Magnus Cyprianus orator, sed prius Petrus piscator, per quem postea crederet non solum orator, sed & Imperator. Nullus nobilis primo electus est, nullus doctus: quia infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia. *T. 9, In Evang: Ioan: Tract: 7. de cap. 1.*

Ioa. 1. 47. *Idiotæ præ sapientibus electi à Deo.* *Infirma mundi elegit Deus* *1. Cor. 1. 28.*

Nonne duodecem horæ sunt diei? Quia ut diem se esse ostenderet, duodecim discipulos elegit. Si ego sum inquit dies, & vos horæ, nunquid horæ diei consilium dant? Horæ diem sequuntur, non dies horas. Si ergo illi horæ, quid ibi Iudas? Et ipse inter duodecem horas? Si hora erat, lucebat. Si lucebat quomodo diem ad noctem tradebat? Sed Dominus in hoc verbo non ipsum Iudam, sed successorem ipsius prævidebat. Iuda enim cadente, successit Matthias, & duodenarius numerus mansit. *Ibid: Tract: 49. de cap. 11.*

Apostoli 12. Horæ 12. *Io. 11. 9.* *S. Matthias inter Apostolos à Christo ipso electus.*

Apostolos suos certe ipse Dominus misit, quod eorum etiam nomen indicat: nam sicut græce Angeli, latine nuntij vocantur, ita græce Apostoli, latine missi appellantur. *Ibid: Tract: 54. de cap. 12.*

Apostoli Legati.

AVARITIA

Cyprianus cum per impiorum gentilium persecutionem, vastata Ecclesia multos plangeret lapsos, malis hoc moribus tribuens eorum, qui in ipsa Ecclesia damnabili conversatione vivebant, de collegarum suorum moribus gemit, nec suum gemitum silentio tegit, sed dicit, eos in tanta cupiditate fuisse progressos: ut ab esurientibus etiam in Ecclesia fratribus habere argentum largiter vellent, fundos insidiosis fraudibus raperent, usuris multiplicantibus fænus augerent. *T. 2, Epist: 256.*

Avaritia etiam ex pauperibus vult ditescere.

Et ait Balaam asinæ, quia illusisti mihi, etsi habuissem gladium in manu mea, jam transfixissem te. Nimirum iste tanta cupiditate ferebatur, ut nec tanti monstri miraculo terreretur, & responderet, quasi ad hominem loquens, cum Deus utiq; non asinæ animam in naturam rationalem vertisset, sed quod illi placuerat, ex illa sonare fecisset ad illius vesaniam cohibendam. Illud fortasse præfigurans, quia stulta mundi electurus erat Deus, ut confunderet sapientes pro illo

Apostolorum figura, Asina Balaam. *Nū 22. 30.*

illo spirituali & vero Israel hoc est promissionis filijs. *T. 4. super Numeros. Quæst: 50.*

Ps. 7. Lacum aperuit & effodit illum. Fraudator pecuniæ, verbi gra-
16. tia dum cupit alium damno lacerare: ipse avaritiæ vulnere sauciatur. Quis autem vel demens non videat, quantum inter hos distet, cum ille patiatur damnum pecuniæ, ille innocentiæ? Incidet ergo in foveam quàm fecit. *Ib. in Psal: 7.*

Vanus dum lacerat aliũ, seipsum sauciat

Ps. 25 Dextera eorum repleta est muneribus. Munera, non solum pe-
10. cunia est, non solum aurum, & argentum: neq; omnes qui accipiunt ea, accipiunt munera. Aliquando enim accipiuntur ab Ecclesia. Quod dico, Petrus accepit, Dominus accepit: loculos habuit, ea quæ mittebantur Judas auferebat. Sed quid est accipere munera? Propter munera laudare hominem, adulari homini, palpare blandiendo, judicare contra veritatem propter munera. *Ib. Enarrat: 2. in Psal: 25.*

Quod Petrus accepit Dominus accepit.

Ps. 38. Thesaurizat & non cognoscit cui congregavit ea. O insana va-
7. nitas? Beatus cujus est Dominus spes ejus, & non respexit in vanitates, & insanias mendaces. Delirare tibi videor avare, cum hæc loquor, anicularia tibi videntur hæc verba. Tu enim, videlicet homo magni consilij, magnæq; prudentiæ, excogitas quotidie genera acquirendæ pecuniæ, nihil prætermittis omnino, unde nummus supra nummum, & in occulto diligentius acquiratur. Deprædaris hominem, caves deprædatorem, quod facis, times ne patiaris. Dic mihi cui servas? Prorsus colligis, thesaurizas, non dico, ne forte cum colligis, colligaris, non dico, ne forte cum vis esse prædosis præda: prædo minoris, præda majoris. Dicturus es, filijs meis servo. Hæc est vox pietatis, excusatio iniquitatis. Servas transiturus transituris, imò verò, transiens transeuntibus. Nam transiturum te sic dixi, quasi nunc maneas. Agitur ætas transvolans in intelligentibus, & non in sentientibus, & in aliud male occupatis. Transis tu & servas transeunti filio tuo. *Primò* hoc à te quæro, scis eum possessurum cui servas? *aut si nondum natus est*, scis eum nasciturum? servas filijs incertum est an futuris, an possessuris: nec reponis thesaurum ubi reponendus est. *Et infra.* Hic in terra si velles servare diuitias, quæreres horreum, non forte crederes domi tuæ propter domesticos tuos. *Et infra.* Agnosce illum, non solum Paterfamilias est, sed & Dominus tuus est. Nolo inquit serve meus, perdas peculium tuum; agnosce ubi ponas. Quare ibi ponis ubi possis amittere; ubi etsi non amittas, ibi perpetuò permanere tu non potes? Præcedat te quod habes, noli timere, ne perdas: Dator ego eram, custos ego ero. *Et infra.* Credis in DEUM & non credis ipsi DEO? securus es de servo tuo, & solicitus es de Domino tuo? securus es de domo tua & solicitus es de Cælo? Dedi tibi consilium ubi ponas, ad Cælum quomodo perveniat, nolo scias. Pone in manibus pauperum, da egentibus, quid ad te, quomodo perveniat? Non perdes quod ego acci-
Matth.25. pio. An oblitus es: Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi feci-
40. stis. *Ib. in Psal: 38.*

Thesaurizātium Filiis incertitudo, error, cæcitas.

Avarus nescit cui cõgregat.

Pauperes arcæ fideles opum.

Ps. 46. Relinquent alienis divitias suas. Ergo felices ipsi qui relin-
11. quunt filios in possessione sua. Quid filij ipsius? Et ipsi servant quod eis reliquerunt parentes sui: Parum est quia servant, & augent. Quibus & ipsi servant? Filijs suis, & illi filijs, & tertij filijs. Quid Christo? quid animæ tuæ? omnia filijs. Inter filios suos quos habent in terra, computent unum fratrem, quem habent in Cælo: cui totum dare debebant, vel dividant cum illo. Sed tamen, ait mihi aliquis. Dixit scriptura: Beatus qui suis relinquit. Et quid putatis scripturam intelligere fratres, nisi quia omnes tales alienis relinquunt

Cura nimia Filiorũ excludit Christum.

Qui tuorum nihil tibi prodest, alienus est. quunt divitias suas? Quomodo alieni sunt filij? Iniquorum filij alieni sunt, nam invenimus quendam extraneum propinquum factum, quia profuit. Si quis tuorum tibi nihil prodest, alienus est. Ubi invenimus nescio quem exterum propinquum factum, quia profuit? In Evangelio. Jacebat quidam vulneratus à latronibus. Transierunt propinqui, Judæus enim erat, ideo de Hierusalem descendebat in Jericho. Samarithanus nescio quis extraneus erat, ipse ad illum accessit, inspexit miseriam ejus, & misericordia motus curavit vulnera ejus. Si ergo extraneus Samarithanus, faciendo misericordiam, & subveniendo proximus factus est, quicunq; tibi in tribulatione subvenire non possunt, alieni à te facti sunt. Jam attendamus illos divites, qui male vixerunt, qui superbe egerunt, mortui sunt, & reliquerunt, non dico extraneis, sed filijs reliquerunt divitias suas, & filij ipsorum viam parentum suorum sequuntur. Sicut illi superbi, ita & isti, sicut illi rapaces, ita & isti, ut illi avari, & isti, alieni ab illis sunt. Nam ut noveritis quia illi alieni sunt, subvenirent illi diviti qui ardebat in flamma, divitiarum ipsius successores. Sed forte non habuit qui illi succederent, & alieni possederunt divitias ipsius. Invenimus in ipso Evangelio quia habuit, ait enim: Habeo quinq; fratres. Quid tibi diceret dives? Habeo quinq; fratres. Unum fratrem mihi amicum non feci, qui jacebat ante januam. Jlli mihi fratres subvenire non possunt, qui possident divitias meas, alieni à me facti sunt. *Et infra.*

Lu: 17. 16. *Post mortem propinqui fiūt extranei.* *Hæres oblivio* *Lu: 16. 18.*

Quando cogitat sibi memoriam marmoratam aut exculptam facere, quasi de domo æterna cogitat, quasi ibi maneat ille dives. Si ibi maneret, non arderet apud inferos. Ubi maneat spiritus male agentis, non ubi ponatur corpus mortale cogitandum est, sed domus eorum sepulchra eorum in æternum. Tabernacula eorum in generationem & generationem, in quibus temporaliter manserunt, domus in quibus quasi in æternâ manebunt, id est sepulchra. *Et infra.* Jam generatio & generatio, puta filij sunt, nepotes erunt & pronepotes. Quid faciunt? Quid prosunt tabernacula eorum? Quid? Audi: Invocabunt Nomina eorum, in terris ipsorum. Quid est hoc? Tollunt panem & merum ad sepulchra, & invocant ibi Nomina mortuorum. Putas quantum invocatum est Nomen illius Divitis, postea quando inebriant se homines in memoria ipsius, nec descendebat una gutta super linguam ipsius ardentem? Ventri suo serviunt homines, non spiritibus suorum. At spiritus mortuorum non pervenit, nisi quod secum vivi fecerunt. *Et paulo superius.* Non attendunt quàm malam vitam habuerit cum viveret, sed quam pompam cum moreretur. O felix quem tanti plangunt! Iste vero sic vixit ut pauci plangant. Omnes deberent plangere tam male viventem. *Ib. in Psal:* 48.

Ps. 48. 12. *Funebris pompæ vanitas, animæ inutilis, noxia.* *Lu. 16. 24.*

Ibi trepidaverunt timore ubi non erat timor. Redde pecuniam. Parum dico redde: perde pecuniam, ne fidem perdas, Tu autem reddere pecuniam timuisti, & fidem perdere voluisti. Martyres non aliena tulerunt: sed etiam suam fidem ne amitterent, propria contempserunt. O stultitia & imprudentia dicens in corde suo non est Deus. Timuisti perdere terram, & perdidisti Cælum. *T. 8. in Psal:* 52.

Ps. 13. 5.

Emere vult villam, prægnans est: nondum enim factum est, tum et uterus in spe. Emit, peperit, adeo lactat quod emit. Væ prægnantibus & mammantibus, væ qui habent spem in sæculo, væ qui hærent his rebus quas de sæculo pepererunt. Quid ergo debet facere Christianus? Uti mundo, non servire mundo. Quid est hoc? Habentes tanquam non habentes. *Ib. in Psal:* 95.

Uti mūdo, non servire mūdo.

Facta

Facta est amica avaritia, inimicus Deus. *Et infra.* Quia avaritia imperat servis: quia Deus jubet, odisti. *Ib. in Psal: 128. Enar.*

Amica avaritia, inimicus Deus.

Multiplicatus est ille auro, ille argento, ille pecoribus, ille familia, ille possessionibus, ille his omnibus. Multæ sunt terrenæ multiplicationes, felicior autem filiorum: Quanquam hominibus avaris, etiam ipsa fæcunditas molesta est. Timent enim ne pauperes relinquantur, qui multi nasci potuerunt. Quæ solicitudo plerosque ad impietatem coegit, ut obliviscerentur quod parentes essent, omniq; humanitatis affectu expoliati, exponerent filios suos, ut eos facerent alienos: projiceret quæ peperit, colligeret quæ non peperit: illa contemneret, illa diligeret: illa frustra mater carne, illa verior voluntate. *Ib. Enarrat: in Psal: 137.*

Avaris ipsa fæcũditas molesta.

Inexplebilis est sola avaritia divitum. Semper rapit, & nunquam satiatur: nec Deum timet, nec hominem reveretur; non patri parcit, non matrem agnoscit: nec fratri obtemperat, nec amico fidem servat: viduam opprimit, pupilli rem invadit: liberos in servitium revocat, testamento falsum profert. Res mortui occupantur: quasi non & ipsi qui hoc faciunt, moriantur. Quæ est ergo ista animarum insania, amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere cælum? Sed quia nemo cogitat Deum, ideò manet in morte judicium. Meritò dictum est diviti. Quia percepisti
Lu.16. 25. bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Audiant ista divites, qui nolunt esse misericordes. *Et infra.* Memento inquit fili, quia percepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Pensantur pro divitijs pænæ, refrigerium pro paupertate, pro purpura flamma, refectio pro nuditate, ut salva sit æquitas stateræ, & non mentiatur modus illius mensuræ: In qua inquit mensi fueritis mensura, ita remetietur vobis. *Et infra.*

Avaritiæ insatiabilis, vitiu.

Statera supplicij avarorum.

Dives & pauper duo sunt sibi contraria: sed iterum, duo sibi sunt necessaria. Nullus indigeret, si inuicem se supportarent: & nemo laboraret, si se ambo juvarent. Dives propter pauperem factus est, & pauper propter divitem factus est Pauperis est, orare, & divitis erogare; Dei est pro parvis magna pensare. De misericordia ejus parva, magna nascitur copia. Fæcundus est ager pauperum, citò reddit dominantibus fructum. Via cæli est pauper, per quàm venitur ad Patrem. Incipe ergo erogare, si non vis errare. *Et infra.*

Dives et pauper, contraria sibi necessaria.

Ager pauperum fæcũdus.

Dives propter pauperem.

Via Cæli pauper.

Da petenti, ut possis ipse accipere: tribue pauperi, si non vis flãmis exuri. Da in terra Christo, quod tibi reddat in cælo. Obliviscere quod es, & attende quod futurus es. Præsens vita fragilis est, & in mortem proclivis. Nemo potest stare, sed omnes cogitemur transire. Nolentes imus, inviti eximus, quia mali sumus. Si autem ante nos mitteremus aliquid, non ad inane hospitium veniremus. Quod enim pauperi damus, ante nos præmittimus; quod autem rapimus, hîc totum dimittimus. *Ib. ser: de ver: ser: 25. De Divite & Lazaro.*

Eleemosina nõ ad inane hospitiũ à morte ducit.

Quod erogas pauperi, ante te præmittis.

Lu.16. Erat quidam dives, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Dives inquit erat: non dixit calumniator; non dixit pauperum oppressor; non dixit rerum alienarum raptor, aut delator, aut receptor; non dixit pupillorum spoliator; non dixit viduarum persecutor. Nihil horum: sed erat quidam dives. Quid magnum est? Dives erat, de suo dives erat. Cui aliquid tulerat? an forte illi auferret, & Dominus de illo reticeret, & personam ejus acciperet, si crimina ejus absconderet, qui nobis dicit, nolite personaliter judicare? Si vis verò audire crimen divitis illius, noli amplius, quærere, quàm audis à veritate. Dives erat, induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. Quod ergo ejus crimen? jacens ante januam ulcerosus & non adjutus.

Divitis peccatum, pauper non adjutus.

Hoc enim apertè de illo dictum est, quod immisericors erat. Nunquid enim charissimi, si pauper ille ante januam jacens, sufficientem panem à divite acciperet, diceretur de illo, quia cupiebat saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis. Propter hanc solam inhumanitatem, qua contemnebat pauperem ante januam suam jacentem, nec congruè digneq; pascebat, mortuus & sepultus est. Et cum apud inferos in tormentis esset, levavit oculos suos, & vidit pauperem in sinu Abrahæ. Et quid pluribus immorer? Desideravit guttam, qui non dedit micam. Nonne accepit justam sententiam, qui non dedit crudeli avaritiâ? Si ergo hæc pœna est avarorum, quæ pœna raptorum? *Et infra.* Dicit tibi Deus: Stulte jussi ut dares, sed non de alieno. Si habes, da de tuo: si non habes quod des de tuo, melius nulla dabis, quàm alteros spoliabis. *Et infra.* Si ergo in ignem æternum ibit cui dicturus est Christus, nudus fui, & non vestisti me: quem locum in igne æterno habebit, cui dicturus est, vestitus fui, & spoliasti me? *T. 10 ser: de ver: Apost: ser: 19.*

Eleemosyna fit de proprio.

Ma: 25. 36. *Ma: 25. 36.*

Avaritiæ pondus.

Vide hominem oneratum sarcina avaritiæ, vide illum sub hac sarcina sudantem, anhelantem, sitientem, & laborando sarcinam addentem. Quid expectas o avare! amplectens onus tuum, & catenis cupiditatis alligans malam sarcinam sub humeros tuos? Quid expectas? quid laboras? quid inhias? quid concupiscis? Nempe satiare avaritiam. O vota inania, & facta nequissima! Expectas ergo satiare avaritiam? Jlla te potest premere, tu illam non potes satiare. An forte non est gravis? Usq; adeo sub hac sarcina sensum etiam perdidisti? Non est gravis avaritia? Quare ergo te de somno excitat, quæ te aliquando etiam dormire non sinit. Et fortasse habes cum illa alterum onus pigritiæ, & ista duo onera nequissima, secumq; pugnantia premunt te, & dilaniant te. Non enim paria imperant: non enim similia jubent. Pigritia dicit, Dormi: avaritia dicit, Surge. Pigritia dicit, noli pati frigidos dies: avaritia dicit. Tolera in mari etiam tempestates. Jlla dicit, Quiesce: illa non sinit quiescere. Jubet, non solum procede, sed & naviga trans mare, quære terras, quas ignoras: merces in Indiam deportandæ sunt: non nosti linguam Indorum, sed intelligibilis videtur sermo avaritia. Venies ignotus ad ignotum, das, accipis, emis, portas, periclitatus pervenisti, cum periculis redis, exclamas in mari exagitatus tempestate, Deus libera me. Non audis respondentem. Quare? Misi te? Avaritia tibi jussit ut acquireres, quod non habebas: ego tibi jussi ut sine labore ante ostium tuum pauperi dares, quod habebas. Jlla te ad Indos misit ad reportandum aurum, ego tibi, ad ostium Christum posui, à quo emeres regnum cælorum. Laboras in jussione avaritiæ, in jussione mea non laboras. Ambo jussimus non audisti me, cui obaudisti, liberet te. Quàm multi has sarcinas portant, quanti mihi modo contra ipsas sarcinas loquenti sub ipsis positi exclamant. Cum sarcinis intrarunt, cum sarcinis exeunt: avari ingressi sunt, avari discedunt. *Et infra.* Venite inquit ad me qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Do veniam præteritorum peccatorum, tollam quod premebat oculos vestros, sanabo quod nocuit humeris vestris. Tollam quidem sarcinas sed inanes à sarcinis non dimittam. Tollam sarcinas malas, & imponam bonas. Cum enim dixisset. Et ego vos reficiam: adjunxit Tollite jugum meum super vos. Malè te subjugaverat cupiditas, salubriter te subjuget charitas. Tollite jugum meum super vos & discite à me. Si vobis viluit humanum qualecunq; magisterium, discite à me. Christus clamat magister, unicus filius Dei, solus verax, solus veritas clamat. Discite à me. Quid? Quia in principio erat verbum, & verbum erat apud

Pigritiæ & Avaritiæ certamen.

Ma. 11 28. *Ma. 11* *Jo: 1.*

Conversi ad Deum jugum non exuunt sed permutant.

apud DEUM, & DEUS erat verbum: & omnia per ipsum facta sunt. Nunquid hoc ab eo discere poterimus, mundum fabricare, cælum luminibus implere, diei noctisq; vicissitudines ordinare, tempora & sæcula jubere percurrere, seminibus vim tribuere, animalibus terram replere? Nihil horum nos jubet discere magister cælestis: illa facit ut DEUS. *Et infra.* Jugum meum leve est, & sarcina mea levis. Quid est, Levis est? Quid si habet pondus? sed minus. Plus habet avaritia, minus justitia. Nolo sic intelligas. Hæc sarcina non est pondus onerati, sed alæ volaturi. Habent enim & aves pennarum suarum sarcinas. Et quid dicimus? Portant illas, & portantur. Portant illas in terra, portantur ab illis in cælo. *T. 10. ser: de ver: Apost: ser: 22.*

Iugum Christi ala volaturi.

Portat & portatur.

1. Tim. 6. 10. Quia radix omnium malorum est cupiditas, & radix omnium bonorum est charitas, & simul ambæ esse non possunt: nisi una radicitus evulsa fuerit, alia plantari non poterit. Sine causa ergo aliquis conatur ramos incidere, si radicem non contendit evellere. *T. 10. Quinq: Homil: Hom. 8. &c.*

Victum & tegumentum habentes, his contenti simus. Pereat avaritia, dives est natura. *Ib Hom: 42. De Orat: Dnica.*

Pereat avaritia, et dives est natura.

Lu. 12. 20. Stulte anima tua auferetur à te hac nocte: quæ præparasti cujus erunt? O vanitas hujus divitis! nescit si vivat, & de fructibus cogitat, nocte moriturus, fabricare disponit. *Et infra.* Si quæcunq; habes, tua esse dicis, si potes, constitue propter fures in domo tua vigiles, fode foveas, absconde divitias, fac tibi loculos, & arcas ubi reponas, contra DEI voluntatem tene, habe, vive si potes. *T. 10. Ib. Hom: 47. de remediis peccatorum.*

Avarus stultus.

Lu. 12. 20. Stulte hac nocte à te exposcitur anima tua: ea quæ congregasti cujus erunt? O cæcitas avari fratres dilectissimi: una nox ei supererat, & de multorum annorum vita satagebat! Gaudebat, quia multum sibi nascendum videbat, & non sciebat, quia nihil secum tollebat, sed hic omnia dimittebat. Nox ei vitam fugabat, & de crastino cogitabat. Quod in alijs spectabat, in se non sperabat. Utiq; viderat & ille morientes, viderat possidentes, viderat neminem secum tollere terram. Quanti sunt & modo qui dicunt. Tantum habeo, tantum facio, tantum valeo. Quibus respondendum est. Stulte hac nocte anima tua auferetur à te: quæ congregasti cujus erunt? Lætatur dives stultus, nocte moriturus. *Et infra.* Sed dicturus es: Habeo filios, quibus laborem, quibus prospiciam, habeo quibus curam maximam geram. Quam curam geris filiorum, ut eos obruas lachrymis miserorum? Non est hoc filios amare, sed potius necare. *Et infra.* Si ergo DEI est, pauperem facere, DEI est, & ditare, cum providus filiorum existis? Cur rapis qui post te ne forte maneant nescis, & tibi perpetuam pænam nutris, & filijs tuis dolorem dimittis? Dicit enim sapientissimus Salomon. Qui congregat aliena relinquit filijs dolorem. *Et infra.* Thesaurizat, & nescit cui congregat ea. Quid thesaurizas avare quod nescis? Quid auri argentiq; pondere delectaris, condis? Quid imaginem Regis sculptam servas in solidis, & imaginem DEI in hominibus detestaris? Redde, dictum est, Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & DEO quæ sunt DEI. Majores nostri ideo copijs omnibus abundabant, quia DEO decimas dabant, & Cæsari censum reddebant. Modo autem quia discessit devotio DEI, accessit indictio fisci. Noluimus partiri cum DEO decimas, modo autem totum tollitur. Hoc tollit fiscus quod non accipit Christus. Hoc magis datur quod pauperibus non erogatur. *Et infra.*

Cupiditatis remediũ mammona mortis.

Qui Filios, amãtes necant.

Solicitudo pro filiis noxia.

Tollit fiscus, quod non accepit Christus.

Tu nihil habebis, quia ante te nihil misisti. De filijs curam gessisti, tibi autem non profuisti. Ecce post te transierunt & isti filij, sine cau-

causã cucurristi, cum Apostolus dicat: Nihil intulimus in hunc
Vis fænerari? mundum, verum nec auferre possumus. *Et infra.* Vis fænerari, vis
minus dare, & plus accipere. Ecce mihi da, dicit Dominus: ego
accipio minus, & dabo plus. Quem quæris unde crescat pecunia?
Fæneratorum indoles. Hominem quæris. qui quando accipit gaudet, quando reddit, plangit. Ut accipiat, precatur: ne reddat, calumniatur. *T. 10. Ib. Hõ: 48.*

Vanè inquit conturbabitur. Doleo: thesaurizat, & ignorat Ps:18. 7.
cui congregabit ea. Sibi ea? Non Quia moritur homo perdurante
thesauro. *Et infra.* Conturbatur, thesaurizat, cogitat, laborat, cu-
Sacello nummis impletur, anima Curis. ris invigilat. Per diem vexaris laboribus, per noctem agitaris timoribus. Ut saccellus tuus impleatur nummis, anima tua febricitat
curis. Video, doleo: conturbaris, & sicut dicit, qui fallere nescit,
vanè conturbaris. Thesaurizas enim, ut bene proveniat quidquid
Thesaurizans Filiis vanitas agis, ut damna taceamus, ut tanta pericula, ut in singulis lucris, singulas mortes (mortes dico non corporum, sed malarum cogitationum,) ut accedat aurum, perit fides, ut foris vestiaris, intus expoliaris: ut ista omittamus, & alia taceamus, ut adversa prætereamus, prospera sola cogitemus. Ecce thesaurizas, ecce undiq; lucra confluunt, & more fontium nũmi currunt. Ubiq; ardet inopia.
Vanitas thesaurizat filiis *Et infra.* Magna pietas, thesaurizat Pater filijs: imo magna vanitas,
thesaurizat moriturus. *Et infra.* Omitto dicere, qualibus filijs ne
forte quod congregavit avaritia, perdat luxuria. *Et infra.* Quàm
multa quæ congregavit finis vanitas, parata invenit hostilis crudelitas. *Et infra.* Forte inquam furi, forte latroni, forte prædoni. Non
dixi certè, sed forte. Inter fortè fiet, fortè non fiet: nescis quid fiet
ergo vane conturbaris. Vides quàm verum dixerit veritas, quàm
inaniter conturbetur vanitas. *T. 10. serm: de Temp: ser: 50. Dom: in Septuag: de lapsu primi hominis &c.*

Fænus Deo plus accipere quàm dare. Avarus es, dicit tibi DEUS. Me conveni, ego filium divitem
pauperem propter te feci. Propter nos enim pauper factus est, cum
dives esset. Aurum quæres, ille fecit, argentum quæris, ille fecit.
Familiam quæris, ille fecit. Pecora quæris, Ille fecit. Possessiones
Incarnatio Verbi, Divites fecit. quæris, ille fecit. Quid quæris tantùm quæ fecit? Ipsum accipe,
qui fecit: cogita quemadmodum te dilexit. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Omnia per ipsum, & ipse inter omnia. Qui fecit hominem factus est homo: factus est quod fecit, ne periret quod fecit. Qui fecit omnia, factus est inter omnia. Ma. 19 21.
Attende divitias: quid ditius eo, per quem facta sunt omnia? *Ibid. ser: 146 Fer: 3. Paschæ.*

Decimarum neglectus. Domos tunc venundabant, & thesauros sibi in cælo reponentes, distribuenda in usus indigentium pretia Apostolis offerebant:
at nunc de patrimonio nec decimas damus. Et cum vendere jubeat Dominus, emimus potius, & augemus. Sic in nobis emarcuit vigor fidei, sic credentium robur elanguit. *Ib. ser: 166. Dñica 2. post Octav: Paschæ.*

Abscessit tristis ac mæstus sicut audistis: habebat enim multas
Evangelium os Christi. divitias. Quod audivit ille, audivimus & nos Os Christi Evangelium est. In cælo sedet: sed in terra loqui non cessat. Non simus
surdi: nam ille clamat. Non simus mortui: nam ille tonat. Si majora non vis facere, minora fac. Onus majorum ad te multum est, vel
Magni debitores sumus, Creditor Deus parvis contentus. minora prende. Quid ad utraq; piger es? Quid utrisq; adversaris?
Majora sunt, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere
me. Minora sunt. Non homicidium facias, non adulteres, non falsum testimonium quæras, non fureris, honora patrem & matrem, Ioa. 14
diliges proximum tuum tanquam teipsum. Ista fac. Quid ad te clamo ut vendas res tuas, qui extorquere non possum, ne rapias alienas?

Audi-

Audisti, non furaberis, tu rapis: Ante conspectum tanti Judicis jam te non furem teneo, sed raptorem. Parce tibi, miserere tui. Adhuc vita ista dat tibi dilationem, noli abjicere correctionem. Fuisti heri fur, noli & hodie. Jam forte & hodie fuisti, cras noli. Aliquando finias malum, & pro mercede exige bonum. Bona habere vis, & bonus esse non vis? Contraria est vita tua votis. Si magnum bonum est habere villam bonam, quantum malum est habere animam malam? *Et infra.* Neq; sperare in incerto divitiarum. Apostoli verba sunt, sed in DEO inquit vivo. Fur tibi tollit aurum, quis tibi tollit DEUM? Quid habet dives si DEUM non habet? Quid non habet pauper si DEUM habet? Noli ergo in divitijs sperare, ait, sed in DEO vivo, qui præstat nobis abundanter omnia ad fruendum, cum quibus omnibus & seipsum. *Ib. ser: 2c5. Dnica 5. post 5. Trinit: ser: 1.*

Conversio non differenda.

1. Tim. 6. 17.

Dives pauper pauper dives.

Non timetis? Audite quod sequitur. Quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Non times? Radix est omnium malorum avaritia. Avaritia est, esse velle divitem, non jam esse divitem. Ipsa est avaritia. Mergi non times in interitum & perditionem? Non times radicem omnium malorum avaritiam? De agro tuo extirpas radicem spinarum, & non extirpas de corde tuo radicem malarum cupiditatum? Purgas agrum tuum unde fructum capiat venter tuus, & non purgas cor tuum ubi habitet DEus tuus. *Ibid.*

1. Tim. 6. 9.

Avaritia spina.

Ventris quam cordis cura major.

Primitias rerum & decimas, dignatur petere, & negas avare. Quid faceres, si novem partibus sibi sumptis tibi decimam reliquisset. Quod certè jam factum est, cum messis tua pluviarum benedictione subtracta, jejuna deficit, & vindemiam tuam, aut grando percussit, aut pluvia decoxit. Quid avidè supputas? Novem tibi partes retractæ sunt, quia decimam dare noluisti. Constat quidem quod ipse non dederis, sed tamen DEus exigit. Hæc enim est Domini justissima consuetudo, ut si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam revoceris. *Et infra.* Dabis impio militi, quod non vis dare Sacerdoti. *Et infra* Redime te homo dum vivis: redime te ipse dum potes: redime inquam te dum pretium in manibus habes, redime te, ne dum te mors avara prævenerit, & vitam simul & pretium perdas. Sine causa hoc dimittis uxori, quæ forsitan alterum habebit maritum. Sine causa hoc marito dimittit mulier, quia aliam sine mora cupit habere uxorem. Frustra parentibus ac propinquis curam tuam injungis, nemo te post mortem tuam fideliter redimet, quia in vita, tu te redimere noluisti. *Et infra* Quidquid enim nobis DEus plus quàm opus est, dederit, non nobis specialiter dedit, sed per nos alijs erogandum transmisit: quod si non dederimus, res alienas invasimus. *Ibid. 219 Dom: 12 post Trinit: ser: 1.*

Decimas negantes, ad Decimas revocãtur.

Liberalitas Dei, ad mensuram nostræ erga se.

Eleemosyna redemptrix.

Testamentorũ executor optimus, Testator.

Eleemosynam negans alieni invasor.

Vestibus nimium pretiosis indutus incedis, & pauperi nudo nec vilissimum tribuis vestimentum. Domum tuam in omni pompa componere, vel ornare intendis, forsitan nec in angulo ejus peregrinum vel pauperem recipis. Sed qui talis est, cum ei irrevocabilis advenerit finis, si pœnitentia non subvenerit, perget ad inferos nudus bonis operibus, remanente domo cum omni ornatu suo, in testimonium avaritiæ suæ. *T. 10. Eorund. ser: 225. Dom: 14. de Beato Iob ser: 2.*

Opes post mortem relicta, testimonium avaritia.

Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo. Non enim dixit, perde, sed serva, & veni sequere me. Jlle qui delectabatur divitijs, & propterea quærebat à Domino quid boni faceret, ut vitam æternam consequeretur, quia à delicijs ad delicias migrare cupiebat, & has quibus delectabantur relinquere formidabat, abscessit tristis ad thesauros suos

Mt. 19 21

Avari cum congeriis perdunt.

suos terrenos. Noluit credere Domino, qui potest servare in cælo, quod periturum erat in terra. Noluit esse verus amator thesauri sui. Male tentando perdidit: multum diligendo amisit. *Ibid. ser: 245. Dom: 33. post Trin: de Continentia, & sustinentia.*

Et lutum ad cor trahunt. Si terra tibi caderet in oculum, & velles ut ostenderem tibi lucem: prius tui oculi quærerent mundatorem. Tanta immunditia est in corde tuo: ubi avaritia, non parva immunditia est. Congeris, quod tecum non tollas. Nescis quia cum congeris, ad cor tuum lutum trahis? Unde, videbis ergo quod quæris? Tu mihi dicis ostende mihi DEUM tuum: ego tibi dico. Attende paululum ad cor tuum. Ostende inquis mihi DEUM tuum. Attende inquio paululum ad cor tuum. Quidquid ibi vides, quod displicet DEO tuo, tolle inde. *Et infra.* Quid fecisti quod DEUS jussit? Quid non fecisti quod avaritia jussit? Quid fecisti? Ego ostendo quis habitet in corde tuo, qui vis videre DEUM. Hoc enim dixeram, est quod ostenderem, sed cui non est. Quod DEUS jussit, quid fecisti? Quod avaritia jussit, quid distulisti? Jussit DEUS ut nudum vestires, tremuisti: jussit avaritia ut vestitum expoliares, insanisti. *Et infra.*

Dum habent nil habent. Scio, dicturus es mihi. Habeo quidquid abstuli. Ergo auferendo habes. Habes aliquid apud te, qui perdidisti te? Habeo inquis. Ubi, ubi rogo te? Certè aut in cubiculo, aut in sacculo, aut in arca: nolo amplius dicere. Ubicunq; habes modo certè tecum non habes. Certè modo cogitas in arca te habere: forte perijt, & nescis: forte cum redis, non invenis quod dimisisti. Cor tuum quæro: ibi quid habeas interrogo. Ecce implesti arcam tuam, & fregisti conscientiam tuam. *T. 10. ser: de diver: ser: 12. In die Quadrag: Dnicæ Ascensionis.*

Pecunia major, avaritiam ascendit. Videmus quosdam cum haberent parvam pecuniam parcis lucris fuisse lætatos: sed posteaquam cæpit eis abundare, verum quidem corpus auri & argenti, sed tamen falsæ divitiæ, cum parva obtuleris jam recusant. Credis eos, jam esse satiatos: sed falsum est. Nam major pecunia fauces avaritiæ non claudit, sed extendit: non irrigat, sed accēdit. Poculum respuūt, quia fluvium sitiunt. Utrum ergo ditior an egentior dicendus est, qui cum ideo voluit aliquid habere ne indigeret, ideo plus habet, ne minus indigeat? Sed non

Alius avaro, alius misericordi divitiarum usus. est hæc auri culpa & argenti. Fac enim misericordem aliquem invenisse thesaurum: nonne operante misericordia præbetur hospitalitas peregrinis, aluntur famelici, nudi vestiuntur, inopes adjuvantur, captivi redimuntur, construuntur Ecclesiæ, reficiuntur lassi, paceantur litigiosi, reparantur naufragi, curantur ægroti, corporales opes dispertiuntur in terra, spirituales reconduntur in cælo? Quis hæc facit? Misericors, & bonus. Unde facit? De auro & argento. *Et infra.* Nam si propterea vituperatur aurum & argentum, quia homines avaritia depravati, neglectis præceptis Omnipotentis Creatoris in ea quæ condidit detestabili cupiditate rapiantur, vituperetur etiam omnis DEI creatura, quia sicut Apostolus dicit, perversi quidam homines coluerunt, & servierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori; qui est benedictus in sæcula. Vituperetur etiam iste sol: quem certe ijdem Manichæi, quoniam non intelligunt esse creaturam, tanquam ipsum Creatorem, vel tanquam aliquam ejus partem, colere atq; adorare non desinunt. *T. 10. Eorund: ser: 15. Tract. 2. contra Manich. &c.*

Deus plus dat quàm postulamus. Domine dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem. Petebat in terra dimidiam: & in cælo Dominus offerebat totam. Plus Dominus dabat, quàm ille postulabat. *Et infra.* Ego dico vobis, cavete ab omni cupiditate. Forte inquit tu avarum & cupidum diceres, *Lu. 12. 13.*

ceres,

res, si quæreres aliena: ego autem dico, cupide & avare non appetas nec tua. *Et infra.* Cavete ab omni avaritia. Non solum avarus est, qui rapit aliena, sed & ille avarus est, qui cupidè servat sua. *Et infra.* Ecce Christus, ecce veritas, ecce severitas. Cavete dicit veritas: cavete dicit severitas. Si non amas veritatem, time severitatem. *Et infra.* Quid enim est iniquius homine, qui multa bona vult habere? & bonus ipse esse non vult? Indignus es qui habeas: qui non vis esse, quod vis habere. *Et infra.* Et ipsa idololatria dicta est avaritia: quia & in ipsa divinitate avarus est, cui non sufficit DEUS unus & verus. Quæ sibi facit multos DEOS nisi avara anima? *Et infra.* Parum est avaritiæ pecunia: cave avaritiam vitæ. Horrenda avaritia, metuenda avaritia! *T. 10 Eor: ser: 28. De omni avaritia cavenda.*

Rapiens aliena, & sua cupide servans æque avarus.

Idololatra avarus.

Avaritia vitæ.

Stulte quia valde tibi videris cordatus: nosti enim destruere vetera, & ædificare nova, & tu in vetustate ruinæ remansisti, qui vetera in teipso destruere debuisti, ut jam terrena non saperes. Stulte quid dixisti? Cur dixisti? Animæ tuæ dixisti: Jucundare habes multa bona. Hac nocte repetetur anima tua, cui talia promisisti. quæ promisisti cujus erunt? *T. 10. Par: 2. ser: de diver: ser: 19. De lite & concordia cum Donatistis.*

Mt. 6. 28. Thesaurizate vobis thesauros in cælo, ubi nec erugo, nec comestura exterminat, ubi fures non effodiunt, nec furantur. Tu in terra thesaurizas, ille in cælo jubet dicens tibi: Mihi da, ibi habeto thesaurum, ubi ego sum custos: Mitte ante te. Quid servas in terra? Quod custodit Christus, non tollit Gothus. Tu contra prudentior scilicet & sapientior Domino tuo, condis in terra. *T. 10. Eor: ser: 106. Festo Ss Apost: Petri & Pauli.*

Eleemosyna ne amittas præmissis.

Ecc: 31 10. Qui potuit transgredi & non est transgressus: qui post aurum non abijt. Post te debet ire aurum, non tu post aurum. Nam bonum est aurum. Non enim aliquid mali creavit DEUS. Tu noli esse malus: & bonum est aurum. Ecce pone aurum inter bonum hominem & malum. Tollat malus, inopes opprimuntur, judices corrumpuntur, leges pervertuntur, res humanæ perturbantur. Quare? aurum tulit malus. Tollat bonus, pauperes pascuntur, nudi vestiuntur, oppressi liberantur, captivi redimuntur. Quanta bona de auro quod habet bonus: quanta mala de auro quod habet malus. *Ib. ser: 115. De S. Cypriano Mart: ser: 3.*

Aurum inter bonos & malos medium, diversa operatur.

Nescio quomodo id agit avaritia in cordibus hominum, ut omnes, vel ut veriùs & cautiùs dicam pæne omnes verbis eam constituant ream, & factis velint habere susceptam. Dixerunt in illam multi, multi & multa, & magna, & gravia, & vera, & Poëtæ & Historici. & oratores, & Philosophi, & omne literarum & professionum genus multa dixit in avaritiam. *Et infra.* Tu autem homo DEI hæc fuge, sectare verò justitiam, fidem, charitatem, cum his qui invocant nomen Domini de corde puro. Talia nullus dixit illorum. Longe est à crepantibus buccis, soliditas pietatis. *Et infra.* Turpe est enim & nimis pudendum, & dolendum, si cultores idolorum, inventi sunt avaritiæ domitores, cultor DEI unius ab avaritia subjugetur, & fiat avaritiæ mancipium: cujus sanguis fit pretium. *Et infra.* Tu autem homo DEI hæc fuge. Non enim ait, relinque recedere, sed fuge quasi hostem. Quærebas fugere cum auro, fuge aurum: cor tuum fugiat. *Et infra.* Servum autem te fecit cupiditas, liberum charitas. Inde servus si non fugeris. Tu autem homo DEI hæc fuge. In hac causa si non vis esse servus, esto fugitivus. *Et infra.* Sectare ergo justitiam, fidem, pietatem, charitatem. Hæc te divitem faciant. Eæ divitiæ intus sint, fur ad eas non accedit, nisi mala voluntas ei dederit locum. *Et infra.*

Avaritiam ipsi qui insectātur sectantur.

Terrenorum fuga & contemptus.

Servum facit cupiditas, Liberū Caritas.

 Lau-

Inanis auro plenus Deo. Laudabilis ista plenitudo, ingentes divitiæ, inanis auro, plenus Deo, inanis omni transitoria facultate, plenus sui Domini voluntate. Quid quæritis aurum tantis laboribus, & peregrinationibus? *Cor clavis fidei.* Amate has divitias & modo implemini, fons earum non latet, si cor petet, aperit cor clavis fidei, & aperit, & mundat ubi ponas. Noli tibi angustus videri. Divitiæ tuæ Deus tuus, quando intravit ipse dilatavit. *Et infra.* Sed quæ res decipit hominem ad avaritiæ computum? Quid si diu vivo? Quid ad vitam? Datur unde vita, detur, postremo sint reditus, quare quæritur & thesaurus? redit aliquid de negotio, redit aliquid de artificio, redit aliquid de pretio, sufficit, *Divitiæ Cor usurpant.* non thesaurizetur, ne ubi pones thesaurum tuum, ibi remaneat & cor tuum, & ut sursum sit, frustra audias, falsumq; respondens. *Et infra.* Ubi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Tu dicis, *Ma. 6. 11.* non illic erit. Veritas dicit, illic erit. Sed non illic erit, quia non *Avaritia hydrops.* amo, factis proba non amas, sed dives es. *Et infra.* Volendo dives esse, æstuat, sitit, & tanquam hydropysis morbo plus bibendo plus sitit. Mira ista similitudo est in corporis morbo, omnino avarus in corde hydrops. *Et infra.*

Videtur aliud esse uti, aliud, frui, utimur enim pro necessitate, *Temporalibus utendum non fruendum.* fruimur pro jucunditate. Ergo ista temporalia dedit ad utendum, se ad fruendum. Si ergo se, quare dictum est omnia? nisi quia scriptum est, ut sit Deus omnia in omnibus? Ergo ibi cor ad fruendum, ut sit sursum cor, solve te hinc, sed alliga ibi, periculosum est tibi in his tentationibus sine vinculo remanere. Non sperare in incerto divitiarum, non tamen nusquam, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum. Quid tam omnia, quàm qui fecit omnia? *Et infra.* Omnia Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Merito solus sufficit. Si avari sumus, ipsum amemus, si opes desideramus, solus nos satiare poterit, de quo dictum est. Qui satiat in bonis desiderium tuum. *T. 10. Homil: 11. de diver: serm: 10. de verbis Apostoli, Nihil in hunc mundum intulimus.* *Ps. 102 5.*

Lucra damnosa. Tolle, collige lucra damnosa. Ecce arcam implesti, multum aurum acquisisti, arcam cordis discute, fidem perdidisti. *T. 10. serm: Nov. ser. 5.*

O si Deum dignè amemus, nummos omnino non amabimus. *Pecuniæ usus bonus.* Erit tibi numus instrumentum peregrinationis, non irritamentum cupiditatis: quo utaris ad necessitatem, non quo fruaris ad delectationem. Deum ama si aliquid in te egit, quod audis & laudas. Utere mundo, non te capiat mundus. Quod intrasti iter agis, exiturus *Vita stabulũ stabuli usus.* venisti, non remansurus. Iter agis, stabulum est hæc vita. Utere nummo quomodo viator in stabulo utitur mensa, calice, urceo, lectulo, dimissurus non permansurus. Si tales fueritis erigite cor. *T. 9. In Evangel: Ioan: Tract: 40. de cap. 8.*

S. AUGUSTINUS

Natalis dies Augustini. IDibus novembris mihi dies natalis erat, post tam tenue prandium, ut ab eo nihil ingeniorum impediretur, omnes non solum, qui illo die sed quotidie convivabamur ad balneas, ad consedendum vocavi. *T. 1. lib. de beata vita. c. 1.*

Antistitis ignorãtia Lex defectuosa. Nostra mater, cujus meriti, credo esse omne quod vivo. *Ibidem.*

Utcunq; absq; detrimento cultus Divini in alijs Sacerdotibus toleratur inscitia; at cùm ad Antistitem Augustinum venitur, legi deest quidquid contigerit ignorari. *T. 2. Volusianus August: Epist: 2.*

Labor juvenũ preces Senum. Peto in fine Epistolæ, ut quiescentem senem olimq; veteranum militare non cogas, & rursum de vita periclitari. Tu qui juvenis es,

& in

& in Pontificali culmine constitutus, doceto populos, & novis Africæ frugibus, Romana tecta locupleta. Mihi sufficit cum auditore & lectore pauperculo, in angulo Monasterij susurrare. *Ib. Hieron: August. Epist.* 11.

Non enim convenit, ut ab adolescentia usq; in hanc ætatem, in Monasteriolo cum Sanctis Fratribus labore desudans, aliquid contra Episcopum cõmunionis meæ scribere audeam: & eum Episcopũ quem ante cæpi amare, quam nosse; qui me prior ad amicitiam provocavit: quem post me, orientem in scripturarum eruditione lætatus sum. *Ib. Hieron: August. Epist:* 14. *c.* 2. *Augustini ac Hieronymi amicitia.*

Macte virtute. In orbe celebraris. Catholici te conditorem antiquæ fidei rursum venerantur, suscipiunt: & quod signum majoris gloriæ est, omnes Hæretici detestantur: & me pari prosequuntur odio, ut quos gladijs nequeunt, voto interficiant. *T.* 2. *Hieronymus August. Epist:* 25. *Hæreticorum odium gloriæ materia.*

Certè quidquid dici potuit, & sublimi ingenio de scripturarum Sanctarum hauriri fontibus, à te positum atq; disertum est. *Ib. Hieron: August: Epist:* 30.

Sume itaq; Fili mi, sume inquam libros, quos desiderasti Confessionum mearum, ibi me inspice, nè me laudes ultra, quàm sum; ibi non alijs de me crede, sed mihi, ibi me attende, & vide quid fuerim in me ipso per me ipsum. Et si quid in me tibi placuerit, lauda ibi mecum, quem laudari volui de me: neq; enim me, quoniam ipse fecit nos, & non ipsi nos: non autem perdideramus nos, sed qui fecit refecit. Cum autem ibi me inveneris, ora pro me nè deficiam, sed proficiam, ora fili, ora. *T.* 2. *Epist:* 265. *Augustini Humilitas.*

Credant qui volunt male me legendo, quàm legenda dictando laborare. *Et infra.* Græcæ autem linguæ non sit nobis tantus habitus, ut talium rerum libris legendis, & intelligendis ullo modo reperiamur idonei. *Et infra.* Noli meas literas ex tua opinione vel intentione, sed ex divina lectione, vel inconcussa ratione corrigere. Si quid in eis veri comprehenderis existendo, non est meum, at intelligendo & amando & tuum sit & meum: si quid autem falsi conviceris, errando fuerit meum, sed jam cavendo nec tuum sit, nec meum. *T.* 3. *l.* 3. *de Trinit: in Proëmio ad initium.* *Censuræ se subijcit Augustinus.*

Augustinus Episc: servus servorum Dei, Religiosæ famulæ Dei Julianæ in Domino Dnorũ salutem. in titulo lib. de Bono viduitatis. *Quam antiqua est non recens in Ecclesia ejusmodi humilis inscriptio T.* 4.

Agebam rem plurimùm necessariam: nam retractabam opuscula mea, & si quid in eis me offenderet, vel alios offendere posset, partim reprehendendo, partim defendendo, quod legi deberet & posset, operabar, & duo volumina jam absolveram, retractatis omnibus libris meis, quorum numerum nesciebam eosque ducentos triginta duos cognovi. Restabant epistolæ, & tractatus populares, quas Græci Homilias vocant. *T.* 6. *Epist:* 3. *ad Quodvultdeum de Hæres.* *Retractatio operum S. Augustini.* *Librorum ejus Numerus.*

Ego Græcæ linguæ perparum assecutus sum, & propè nihil. *T.* 7 *l.* 2. *contra literas Petiliani c.* 38. *Græcæ linguæ ignarus.*

Si & ego tibi vellem pro maledictis maledicta rependere, quid aliud quàm duo maledici essemus; ut ij qui nos legerent, alij detestatos abijcerent sana gravitate, alij suaviter haurirent malevola voluntate: ego quando cuiq; vel dicendo vel scribendo respondeo, etiam contumeliosis criminationibus lacessitus, quantum mihi Dominus donat, frenatis atq; coërcitis vanæ indignationis aculeis, auditori lectorivè consulens, non ago ut efficiar homini conviciando superior, sed errorem convincendo salubrior. *Ib. l.* 3. *con liter: Petiliani c.* 1. *Calumnias refellendi modus.*

Ecclesiæ laboris Apostolici partus.

Ego in Ecclesia sum, cujus membra sunt illæ omnes Ecclesiæ, quas ex laboribus Apostolorum natas atq; firmatas simul in literis Canonicis novimus, earum quantum me adjuvat Dominus sive in Africa, sive ubicunq; non deseram, verbo & disciplinâ Domini emendo quos possum, tolero quos emendare non possum, fugio paleam, ne hoc sim; non aream, nè nihil sim. *Ib. l. 3. con. Crescon. Grammt: c. 35*

Donatistarum Conversio.

Donatistas in nomine CHRISTI, in gremium Catholicum jam magna ex parte suscepimus, ita, ut penè omnes communioni Catholicæ sociatos esse gaudeamus. *T. 7. l. de gestis cum Emerito Donatist. Episcopo.*

Augustini de suis scriptis censura.

Ego me doctissimum ac peritissimum nescio imò verò me non esse certissimè scio, & fieri posse non ambigo, ut aliquid imperito & indocto cuipiam scire contingat, quod aliquis doctus & peritus ignoret. Neq; negare debeo sicut in ipsis moribus, ita multa esse in multis opusculis meis, quæ possint justo judicio, & nulla temeritate culpari. *Et infra.* Si enim posses me docere, quod nescio, non solùm te verbis, sed & pugnis cædentem, deberem patientissimè sustinere. *T. 7. l. 4. de anima c. 1.*

Discentium patientia.

Domino Beatissimo Papæ, ineffabiliter mirabili, incomparabiliter honorando, præstantissimo Patrono Augustino, *Prosper. Epist: ad August. Vide quanta fuerit apud homines reputationis Beatus August: etiam cum viveret.*

Confessionũ Augustini libri.

Quid meorum opusculorum frequentius & delectabilius innotescere potuit, quam libri confessionum mearum, cum & ipsos ediderim, antequam Pelagiana hæresis extitisset. *T. 7. l 2. de dono Perseverantiæ c. 20.*

Ego autem cum per eos, qui meos labores legunt, non solùm doctior, verùm etiam emendatior fio, propitium mihi DEUM agnosco: & hoc per Ecclesiæ Doctores maximè expecto, si & in ipsorum manus venit, dignenturq; nosse quod scribo. *Ibid c 24.*

Augustinus Episcopatum fugiens.

Usq; adeo timebam Episcopatum, ut quoniam cæperat esse alicujus jam momenti inter DEI servos fama mea, in quo loco sciebam esse Episcopum, ne illo accederem cavebam. Et hoc agebam quantum poteram, ut in loco humili salvarer, ne in alto periclitarer. Sed, ut dixi, Domino servus contradicere non debet. Veni ad istam Civitatem, propter videndum amicum, quem putabam me lucrari posse DEO, ut nobiscum esset in monasterio. Quasi securus perveni, quia locus habebat Episcopum. Apprehensus, Presbyter factus sum, & per hunc gradum perveni ad Episcopatum. Non attuli aliquid, non veni ad hanc Ecclesiam, nisi cum illis indumentis quibus illo tempore vestiebar. Et quia hic disponebam esse in monasterio cum fratribus, cognito instituto & voluntate mea, beatæ memoriæ senex Valerius, dedit mihi hortum illum in quo nunc est monasterium. Cæpi boni propositi fratres colligere compares meos, nihil habentes, sicut nihil habebam, & imitantes me: ut quomodo ego tenuem pauperculam meam vendidi, & pauperibus erogavi, sic facerent & illi qui mecum esse voluissent, ut de communi viveremus. Commune autem nobis esset, magnum & uberrimum prædium DEUS ipse. Perveni ad Episcopatum, vidi necesse habere, Episcopum exhibere humanitatem assiduam quibusq; venientibus, sive transeuntibus. Quod si non fecissem Episcopus inhumanus dicerer. Si autem consvetudo ista in monasterio permissa esset, indecens esset, Et ideò volui habere in ista domo Episcopi mecum monasterium Clericorum. Ecce quomodo vivimus. Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium, sed forte aliqui habent.

Vitæ Communis prædium Deus.

Proprietarij.

Nulli

Nulli licet: si qui habent, faciunt quòd non licet. *T. 10 ser: de diver: ser: 49. De com: vita Cler: ser: 1.*

Ecclesia non fit heres, ubi excluditur heres.

Quicunq; vult exheredato filio, heredem facere Ecclesiam, quærat alterum qui suscipiat non Augustinum: imò Deo propitio neminem inveniat. Quam laudabile factum Sancti & venerandi Episcopi Aurelij Carthaginensis, quomodo implevit eos omnes qui sciunt laudibus Dei? Quidam enim cum filios non haberet, neq; speraret, res suas omnes retento sibi usu, fructu, donavit Ecclesiæ. Nati sunt illi filij, & reddidit Episcopus, nec opinanti quæ ille donaverat. In potestate habebat Episcopus non reddere, sed jure fori, non jure poli. *T. 10. Ibidem.*

Aliud Ius Fori, aliud Poli.

Non quod decet Episcopum, decet Augustinum.

Offeratur mihi v. g. byrrhum pretiosum, forte decet Episcopum, quamvis non deceat Augustinum. *Et infra.* Fateor enim vobis, de pretiosa veste erubesco: quia non decet hanc professionem, hanc admonitionem, hæc membra, hos canos. *T. 10. Eoru: ser: 50. de eodem ser: 2.*

Vestis pretiosa non omnes ornat.

Ego, quoniam ille seminat, quid sum? Vix cophinus seminantis. Ipse in me dignetur ponere quod vobis spargat. Nolite ergo attendere ad utilitatem cophini, sed ad charitatem seminis, & potestatem seminatoris. *T. 9. de disciplina Christiana cap. 7.*

Concionatores Dei Cophini.

AURUM

Non aurum sed usus auri culpabilis.

NUm autem argentum aut aurum, propter avaros accusandum putas; aut cibos propter voraces, aut vinum propter ebriosos. Cum præsertim videas, & igne bene uti medicum, & pane sceleratè veneficum; verissimum enim est non res ipsas sed homines, qui eis malè utuntur, esse culpandos. *T. 1. l. 1. de lib: arbitr: c. 15.*

Eleemosyna recõditorium Calum.

Qui diligunt aurum, nunquid perdunt quando recondunt? Nonne tunc de illo, quantùm fieri potest, securiores fiunt, cum remotum à suis oculis, locis tutioribus servant: Itanè verò terrena cupiditas non minùs tutò se habere putat, si non videat id, quod amat, & cælestis dolet tanquam amiserit, quod in horrea superna præmiserit. *T. 2. Epist. 248*

Nolite portare aurum neq; nummos in zonis vestris, quæ omnia spiritualiter perscrutanda sunt, nè ipse Dominus hominibus impijs, contra sua præcepta fecisse videatur, qui etiam loculos habebat, quibus ad necessarium victum pecunia portabatur; nisi fortè dicturi sunt, in zonis habere pecuniam peccatum esse, in loculis autem non esse peccatum. *Et infra.* Quis non intelligat non esse culpabile habere ista sed amare, & spem in eis ponere, & ea præferre, aut etiam conferre veritati, justitiæ, sapientiæ, fidei, bonæ conscientiæ, charitati Dei & Proximi, quibus omnibus anima pia Deus est in secretis suis coram oculis Dei: sed ut diligatur Deus, qui diligentibus se ista cuncta & visibilia & æterna largitur, id est seipsum, his omnibus plenum, donat Dilectoribus suis. *T. 6. lib: con. Adamant: c. 10.*

Divitiæ inculpabiles

Aurum fecit ad subsidium tuum, & te ad imaginem suam. Vide quod supra te est, & calca quod infra te est. *Ib. Exposit: Ps. 123.*

Non aurum malum sed usus auri.

Non enim aurum malum est, quod Deus condidit, sed homo malus est avarus relinquens creatorem, conversus ad creaturam. *Ib. Enarrat: in Ps. 136.*

B.

B.

BAPTISMUS

Piè recteq; creditur prodesse parvulo eorum fidem, à quibus consecrandus offertur, & hoc Ecclesiæ commendat saluberrima authoritas. *T. 1. l: 3. de lib: arbit: c. 23.*

Baptismo parvulos Sancti præsentant.

Offeruntur quippe parvuli ad percipiendam spiritualem gratiam non tam ab eis quorum gestantur manibus (quamvis & ab ipsis si boni, sunt & ipsi fideles) quàm ab universa societate Sanctorum atq; fidelium *T. 2. Epist: 23.*

Baptismo Hæreticorum validus.

Christiani baptismi Sacramentum, quod unum atq; id ipsum est etiam apud hæreticos valet, & sufficit ad consecrationem. *Ibid. Epist: 23.*

Itaq; parvulum, & si nondum fides illa, quæ in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius fidei Sacramentum fidelem facit. Nam sicut credere respondetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipsam mente annuendo; sed ipsius rei Sacramentum percipiendo. *T. 2, Epist: 23.*

Cypriani defensio in sententia de Baptismo.

Cyprianus sensisse aliter de baptismo, quàm forma & consvetudo habebat Ecclesiæ, non in Canonicis, sed in suis & in Concilii literis invenitur. Quanquam non desint, qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendant; sed sub ejus nomine à mendacibus fuisse confictam. Neq; enim potuit sic integritas atq; notitia literarum unius, quamlibet illustris Episcopi custodiri, quemadmodum scriptura Canonica: contra quam tamen non defuerunt, qui sub nominibus Apostolorum multa confingerent. Accessit huc etiam, quod tanquam sarmentum fructuosissimum, si quid in eo fuerat emendandum, purgavit Pater falce passionis. *Ib. Epist: 48.*

Nullus vitam, in qua natus est benefiniet, nisi renatus antequam finiat. *Ib. Epist: 57.*

In baptismo Christus regenerat.

Plus præstat Christus regeneratis, quàm Adam eis nocuerat generatis *Ib. Epist: 89.*

Privatam hominum impietatem detestamur in Schismate; Baptismum verò Christi veneramur ubiq;, quia si desertores secum Imperatoris signa traducant, illis vel damnatione punitis vel indulgentia correctis, salva signa recipiuntur, si salva manserunt. *Ibid. Epist: 164.*

Ipse est qui baptizat. Proinde homo quilibet Minister baptismi ejus, qualemcunq; sarcinam portet, non iste sed super quem columba descendit, ipse est qui baptisat. *Ib. Epist: 167.*

In baptismo peccato morimur.

A parvulo recens nato, usq; ad decrepitum senem sicut nullus prohibendus est à baptismo; ita nullus est qui non peccato moriatur in baptismo Sed parvuli tantùm Originali, Majores autem istis etiam omnibus moriuntur peccatis, quæcunq; malè vivendo addiderunt ad illud, quod nascendo traxerunt *T. 3. Enchi: c. 43.*

Baptismus Christi nō necessitatis sed humilitatis.

In aqua voluit baptisari à Joanne, non ut ejus iniquitas illa dilueretur, sed ut magna commendaretur humilitas. Ita quippe nihil in eo baptismus quod ablueret; sicut mors nihil quod puniret, invenit: ut Diabolus veritate justitiæ, non violentiâ potestatis oppressus & victus quoniam ipsum sine ullo peccati merito iniquissimè occiderat per ipsum justissimè amitteret, quos peccati merito detinebat. Utrumq; igitur ab illo, id est & baptismus, & mors non miseranda necessitate, sed miserante potius voluntate susceptum est, ut unus peccatum tolleret mundi, sicut unus peccatum

misit in mundum. Nisi quod ille unus unum peccatum misit in mundum, iste verò unus, non solùm unum illud, sed cuncta simùl abstulit, quæ addita invenit. Unde dicit Apostolus, non sicut per unum peccatum ita est donum. *Ad Rom: 5. t. 3, Enchi: c. 50.*

A mortuis operibus pænitentiam agant, omniumq́; se omnino præteritorum remissionem in baptismo accepturos esse non dubitent: non ut peccare liceat, sed ut peccasse non noceat, ut sit factis remissio non permissio faciendi. *T. 4, lib. de fide & opere c. 20.*

Non solùm Catechumenos, verum etiam ipsos, qui viventium conjugijs copulati retinent adulterina consortia, cum salvos corpore in his permanentes, non admittamus ad baptismum, tamen si desperati, & intra se pænitētes jacuerint, nec pro se respondere potuerint baptisandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. *Et infra.* Quæ autem baptismatis eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet Mater Ecclesia. *T. 6. l. 1. de adulter. conjugiis c. 28.*

Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lavatio ejus? Paganorum baptismata esse denotata, qui homines & à justitia, & ab ista vita mortuos colunt, in quorum nomine baptizantur. *T. 7. l. 2. contra Epist: Parmen: c. 10.*

Utrumq́; Sacramentum est & quadam consecratione utrumq́; homini datur, illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur, ideoq́; in Catholica utrumq́; non licet iterare. *Ib. ibidem c. 13.*

Nemo ergo accipit sine dante: sed quod pertinet ad baptismi sanctitatem, adest Deus qui det, homo qui accipiat, sive per seipsum, sive donante Deo sive per Angelum, sive per hominem sanctum, sive per Petrum, sive per Ioannem, sive per hominem iniquum, siue per tam multos vel latentes, vel manifestos, quos ante tempus de messe colligere, servi patrisfamilias prohibentur. *Et infra.* Nec à Pharizeis (loquitur de Christo) dedignaretur ille baptizari, si haberent hujusmodi baptizmum Pharizæi, à quo ille certi Sacramenti gratiâ voluit baptizari. Nam & cum circumcidendus esset, nunquid Joannes quæsitus est? & cum pro illo esset offerendum legale Sacrificium, nunquid devitatum est illud templum, quod ab eo vocatur spelunca latronum, quo certè boni intrabant & mali. *Ib. c. 15. & 16.*

Baptismus per pessimos, conferri potest.

Deus per pessimos quosque nobis benefacit.

Amat Deus Templa etiam quæ mali intrant.

Locus non obest virtuti.

Videntur sibi argutissimè quærere: utrum generet filios baptismus in parte Donati, an non generet? ut, si consenserimus quod generet, suam esse asseverent Ecclesiam Matrem; si autem dixerimus non generat, cur ergo ajunt apud vos non renascuntur per baptismum qui transeunt à nobis ad vos. Quasi verò ex hoc generet, unde separata est, & non ex hoc unde conjuncta est: separata est enim à vinculo charitatis & pacis, sed adjuncta est in uno baptismo. Neq́; enim separatio earum generat, sed quod secum de ista tenuerunt, quodsi & hoc dimittant omnino non generat. *Et infra.* Itaq́; una est Ecclesia quæ sola Catholica nominatur, & quidquid suum habet in communionibus diversorum à sua unitate separatis, per hoc quod suum in eis habet, ipsa utiq́; generat non illæ. *Ib. l. 1. de Bapt: con: Donat: c. 9 & 10.*

Validus Hæreticorum. Baptismus sed infamis.

Non paptismum vestrum acceptamus (alloquitur Donatistas) quia non est ille baptismus Hæreticorum vel Schismaticorum, sed Dei Ecclesiæ, ubicunq́; fuerit inventus, vel quocunq́; translatus. Vestrum autem non est, nisi quod pravè sentitis, & sacrilegè agitis & impiè separamini. *Et infra.* Ecclesia quippe omnes per baptismum

Hæretici validè baptizãt.

parit,

Discordia separat à populo Dei. *Vxor regna conferens.* *Nil obest genus humile felicitati.* *Concordia cælum confert.*

parit, sive apud se, id est ex utero suo, sive extra se de semine viri sui, sive de se, sive de ancilla. Sed & Esau de uxore natus, propter fraternam discordiam separatus est à populo DEI. Et Asser per uxoris quidem potestatem, sed ex ancilla natus propter fraternam concordiam terram promissionis accepit. *Ib. c. 14. & 15.*

Conciliorum sententia tenenda. *Hanc sequitur S. Augustinus.* *Baptizati à Hæreticis non sunt rebaptizandi.*

Jllis temporibus, antequam plenarij Concilij sententia quid in hac re sequendum esset, totius Ecclesiæ consensio confirmâsset, visum est ei, (loquitur de Cypriano) cum fermè octoginta Coëpiscopis suis Africanarum Ecclesiarum, omnem hominem, qui extra Ecclesiæ Catholicæ communionem baptizatus fuisset, oportere ad Ecclesiam venientem, denuo baptizari. Ad quam objectionem post multa præclara ita respondet. Quod ille vir Sanctus de baptismo aliter sentiens, quàm se res habebat, quæ postea pertractata, & diligentissima consideratione firmata est, in Catholica unitate permansit, & charitatis ubertate compensatum est, & passionis falce purgatum. *Ib. c. 18.*

Sanatis labi contingit.

Non me terret authoritas Cypriani, quia reficit humilitas Cypriani. Magnum quidem meritum novimus Cypriani Episcopi & Martyris, sed nunquid majus, quàm Petri Apostoli & Martyris? Si potuit Petrus contra veritatis regulam, quàm postea Ecclesia tenuit *Gal. 2. 14.* cogere gentes judaizare, cur non potuit Cyprianus contra regulam veritatis, quàm postea tota Ecclesia tenuit, cogere hæreticos vel Schismaticos denuo baptizari? puto quod sine ulla sui contumelia Cyprianus Episcopus Petro Apostolo comparatur, quantùm attinet ad Martyrij coronam. Cæterùm magis vereri debeo, nè in Petrum contumeliosus existam: quis enim nescit illum Apostolatus principatu cuilibet Episcopatui præferendum. *T. 7. l. 2. de bapt. coñ. Donat: c. 1.*

Baptismus per malos cõferri potest.

Non est autem aqua profana & adultera, super quam nomen Domini invocatur, etiamsi à profanis & adulteris invocetur, quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est. Baptismus autem Christi verbis Evangelicis consecratus, & per adulteros & in adulteris sanctus est, quamvis illi sint impudici & immundi; quia ipsa ejus sanctitas pollui non potest, & Sacramento suo Divina virtus assistit, sive ad salutem benè utentium, sive ad perniciem malè utentium. An vero solis vel etiam lucernæ lux, cùm per cænosa diffunditur, nihil inde sordium contrahit? & baptismus Christi potest cujusquam sordibus inquinari? *Et infra.* Catholica verò propterea non debet iterare baptismum, qui apud Hæreticos datus est, nè judicare videatur ipsorum esse quod Christi est, aut eos non habere, quod intus cùm acceperint, amittere utiq; foras exeundo non possunt. *Ib. l. 3. con: Donat: c. 10.*

Hæreticorum legitimus baptismus.

Nos hæreticorum esse baptismum dicimus, verbis Evangelicis *Gen: 2. 6.* consecratum, commoti factis eorum, etiam quæ DEI sunt, eis tribuere nolumus quæ DEI sunt, quia ipsi DEI esse noluerunt. *Ib. c. 19.*

In sola Ecclesia confertur Gratia per baptismum. *Vera beatitudo ipsâ in patria.*

Nam & flumina de fonte Paradisi, sicut scriptura testatur, etiam foras largiter manaverunt. Nominatim quippe commemorantur, & per quas terras fluant, & quia extra paradisum constituta sunt, omnibus notum est: nec tamen in Mesopotania vel in Ægypto, quò illa flumina pervenerunt, est felicitas vitæ, quæ in Paradiso commemoratur. Ita fit, ut cum Paradisi aqua sit extra Paradisum, beatitudo autem non sit, nisi intra Paradisum. Sic ergo baptismus Ecclesiæ potest esse extra Ecclesiam, munus autem beatæ vitæ nonnisi intra Ecclesiam reperitur, quæ super Petram etiam fundata est, quæ ligandi & solvendi claves accepit. Hæc est una, quæ tenet & possidet omnem sui sponsi & Domini potestatem. *Ib. l. 4. coñ. Don: c. 1.*

De baptismo non esse cogitandum quis det, sed quid det, aut quis accipiat, sed quid accipiat, aut quis habeat, sed quid habeat. *Ibid. c. 10.* *Baptismus Hæreticorum validus.*

Potest igitur nobis & hæreticis baptisma esse commune, cum quibus potest & Evangelium esse commune, quamvis à fide nostra error distet illorum, sive aliud de Patre vel Filio, vel de Spiritu Sancto sentiant, quàm veritas habet, sive ab unitate præcisi, non colligant cum Christo, sed spargant, quia potest nobis si frumenta Dominica sumus, etiam intùs cum avaris, cum raptoribus, cum ebriosis & cæteris ejusmodi pestibus, de quibus dicitur: Regnum DEI non possidebunt. & baptismatis Sacramentum esse commune, & tamen vitia, quibus á DEI Regno separantur, non esse communia. *Ibid. c. 17.* *Idem*

Nec si unus sit bonus, alius malus, in malo malus est baptismus; & in bono bonus. sed in utroq; est bonus, sicut lumen solis vel etiam lucernæ, non utiq; deterius est in oculis deterioribus, quàm in melioribus, sed idem in utrisq; quamvis illos diversè pro illorum diversitate vel lætificet, vel excruciet. *Ibid. c. 20.* *Et malis & per malos conferri potest valide Baptismus.*

Ita potest hæreticus & Catholicus baptisma unum habere, & unam Ecclesiam non habere, sicut possunt in Catholica, Innocens & homicida unum habere baptisma, & vnum spiritum non habere; quia sicut unum est baptisma, sic unus est Spiritus, & una Ecclesia. *T. 7. l. 5. de baptis: con. Donat: c. 12.* *Baptismus validus Hæreticorum.*

Sacramentum gratiæ dat DEUS etiam per malos; ipsam verò gratiam non nisi per seipsum, vel Sanctos suos: & ideo remissionem peccatorum vel per seipsum facit, vel per illius columbæ membra, cujus ait: sicut dimiseritis dimittentur, sicut tenueritis tenebuntur. *Ibidem.* *Gratia in Ecclesia & per Sanctos confertur.*

Sicut non alia sed eadem aqua, in arca positos salvos fecit, & extra aquam positos interemit; sic non alio sed eodem baptismo, & boni Catholici salvi fiunt, & mali Catholici, vel hæretici pereunt. *T. 7. ibid c. ult.* *Idem Baptismus et apud Hæreticos & Catholicos.*

Quis nesciet non esse baptismum Christi, si verba Evangelica quibus Symbolum constat illic defuerint? sed facilius inveniuntur hæretici, qui omnino non baptizent, quàm qui non illis verbis baptizent. *Ib. l. 6 con: Donat: c. 25.*

Planè si non est baptismus Patris, & Filij & Spiritûs Sancti nomine consecratus, hæreticorum deputetur, & iniquus à nobis omni contestatione refutetur: si autem hoc in eo nomen agnoscimus, melius verba Evangelica hæreticorum errore distinguimus, & quod in eis probum est approbamus, quod mendosum est emendamus. *Ibid. c. 36* *Idem*

Cur ergo non suscipiunt aliquid cæleste vel Schismatici vel Hæretici, sicut spinæ sive zizania pluviam, sicut ipsi qui extra arcam fuerunt, aquam de catarractis cæli venientem: susceperunt quidem sed ad perniciem non ad salutem. *Ibid. c 40.* *Optima quæq; noxia malis*

Hermes Trismegistus unum DEUM loquitur. Si ergo in ipsis ethnicis potest aliquid divinum inveniri, recteq; approbari, non oportet nos ita moveri, etiam pejores sint Hæretici, ut quod in eis malum ipsorum est velimus corrigere, & quod in eis bonum est Christi, nolimus agnoscere. *Ib. l. 6. de Bap: con: Donat: c. 44.* *Omnia patent fructui.*

Ubi neq; societas ulla esset ita credentium, neq; ille qui ibi acciperet ita crederet, sed totum ludicrè & mimicè, & localiter ageretur, utrum approbandus esset baptismus qui sic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum concordi oratione, & impensis supplici devotione gemitibus implorandum esse censerem. *Ib. l. 7. de Bap: con. Donat: c. 53.*

Baptismus validus extra Ecclesiam.

Plùs est unus Deus quàm unus baptismus. Neq; enim baptismus Deus est, sed ideo magnum est aliquid, quia Sacramentum est Dei, & tamen ipse unus Deus etiam extra Ecclesiam ab ignorantibus colebatur. Sic ergo & unus baptismus etiam extra Ecclesiam ab ignorantibus datur. Qui dicit fieri non potuisse, ut unus Deus & verus ab ignorantibus extra Ecclesiam coleretur, videat non quid mihi sed quid ipsi Apostolo valeat respondere dicenti: Quem vos ignorantes colitis, hunc ego annuntio vobis. *T. 7. l. de unico Bapt: con. Petil: c. 6.* Ps. 17. 23.

Baptismus Ioannis & Sacramenta veteris legis.

Baptismus Ioannis non erat baptismus Christi, sed tamen militans Christo, sicut legis vetera Sacramenta præcursorio quodam & præfiguratorio fungebantur officio. *Ibid. c. 7.*

Validus Hæreticorum baptismus.

Qui dicit destruendum esse baptismum Christi, quando illū Hæretici baptizant, consequens est ut dicat, negandum esse etiam ipsum Christum, quando eum Dæmones confitentur. Petrus quando dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi, laudatus est: Expulsi sunt Dæmones, hoc ipsum dicentes, scimus quis sis Filius Dei. Ergo ista confessio Petro fructuosa, Dæmonibus perniciosa, in utrisq; tamen non falsa sed vera: non neganda, sed agnoscenda, non detestanda est. Sic & baptismi veritas datur à rectis Catholicis tanquam à Petro illa confessio: datur à perversis hæreticis, tanquam à Dæmonibus. Eadem ipsa confessio illos adjuvat, hos condemnat. *Ibid. c. 10.* Ma. 16 16.

Quod bonis prodest malis obest.

Dispar boni usus.

Verus absq; vera fide baptismus.

Prorsus fieri potest, ut aliqui verum habeant baptismum, & non habeant veram fidem: sicut fieri potest, ut habeant verum Evangelium, quod non rectè intelligēdo falsi aliquid credant de Deo. Nunquid propter ipsam fidei falsitatem, etiam Evangelium quod verum apud illos invenitur detestandum aut emendandum putamus *T. 7. ibid. c. 11*

Bona à Deo.

Neq; aquâ nostrâ inquinamur, neq; vestrâ mundamur, sed aquâ baptismi, in Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, cum datur alicui nec nostra, nec vestra est, sed illius de quo Joanni dictum est: super quem videris Spiritum sicut columbam, descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. *Ibid. l. 2. con. liter: Petil: c. 2.*

Peccator baptizans.

Homo hominē non reddit innocentem.

Baptizando non obest malitia baptizantis.

Omnis homo, etiamsi non sit suis criminibus reus, alterum non facit innocentem, quia non est Deus: alioquin si ex innocentia baptizantis expectatur, ut fiat innocentia baptizati, tantò erit quisq; innocentior, quantò innocentiorem à quo baptizatur invenerit; & tantò ipse minùs erit innocens, quantò & ille à quo baptizatur. Et si fortè contra aliquem tenet odium, qui baptizat, hoc & illi qui baptizatur, imputabitur: Ut quid ergo miser currit ad baptismum? ut illi dimittantur peccata sua, an ut imponantur aliena? aut sicut navis mercatoris alia ponat, alia suscipiat. *Ib. l. 2. con. lit: Petil: c. 6.*

Et Hæretici & peccatoris validus baptismus.

Sic approbamus in hæreticis baptismum, non hæreticorum, sed Christi, sicut in fornicatoribus, immundis, luxuriosis, idololatris, veneficis, inimicitiarum retentoribus, contentiosis, æmulis, animosis dissensionum studiosis, invidis, ebriosis, comessatoribus, & his similibus approbamus baptismum, non eorum sed Christi. Omnes enim isti inter quos & hæretici positi sunt, sicut dicit Apostolus Regnum Dei non possidebunt, & ideo ad sinistram partem cum Diabolo pertinebunt. *Ib. c. 108.*

Est aliquid boni inter pessimos.

Cum hoc datur quod Dei est, sanctum dat etiam non sancta conscientia. Nullo quippe modo legitur uva de spinis, quia nunquam de spinarum radicibus oritur, sed cum se spinosis sepibus palmes vitis implicuit, non ideo fructus qui illic pendet horretur, sed

spina

ſpina cavetur, una decerpitur. Itaq; ut ſæpe dixi, & vehementer inculco, ſecuri eſtis qui DEUM Patrem, & ejus Eccleſiam Matrem habetis. Quamvis enim ſimul hædi cum ovibus paſcantur non ſtabunt ad dexteram, quamvis ſimul, palea cum tritico trituretur, non intrabit in horreum: quamvis ſimul piſces mali cum bonis intra retia Dominica natant, non mittuntur in vaſcula. Nemo glorietur, nec in homine bono, nemo bona DEI fugiat, nec in homine malo. *T. 7. l. 3. con: lit. Petil: c. 8. & 9.*

Mala in malo rejice, bona conſidera.

Nil prodeſt malis conſortium bonorum.

Nemo in malo homine fugiat bona ejus

Neq; dicturi ſumus Judam non baptizâſſe, cùm adhuc inter diſcipulos fuerit, quando fiebat quod ſcriptum eſt: ipſe non baptizabat, ſed diſcipuli ejus. Aut ſi non baptizavit, certè fatemini quia Evangelizavit. Quod ſi hoc minimum & leve dicitis, videte quid de ipſo Paulo Apoſtolo ſentiatis, qui dixit, non miſit me Chriſtus baptizare, ſed Evangelizare. *Ib. c. 55.*

1. Cor. 1. 17.

Malus Judas validè baptizat.

Laus muneris Concionatorij. Forè majus eſt Evangelizare quam baptizare

Quomodo ſi mihi concederes bonum eſſe aurum, concederes etiam latrones habere aurum, non opinor velles, ex his duobus conceſſis concluderem, eum qui habere aurum velit, in latronum ſocietate eſſe oportere: ita, cum & ego cõcedo bonum eſſe baptiſmum concedo etiam Donatiſtas quoq; habere baptiſmum, non debet ex his duobus conceſſis quaſi ſequatur concludere eum qui habere baptiſmum velit, in ſocietate Donatiſtarum eſſe debere. *Ib. l. 1, contra Creſcon: Grammat: c, 22.*

Time malorũ conſortium et qui ſpeciem boni præferant.

Circumciſionem certè præputij in figura futuri baptiſmi Chriſti, ab antiquis obſervatam eſſe negare, ut arbitror non audetis. Nunquid apud Samaritanos circumciſus, ſi fieri tunc vellet Judæus poſſet iterum circumcidi? ſic cum ad nos venerit, non debet iterum baptizari. *T. 7. ibid: c. 31.*

Baptizatus ab Hæretico non rebaptizandus.

Si autem quæris quomodo baptizant quos damnavit Eccleſia? ℞ Sic eos baptizare quomodo baptizant, quos damnavit DEUS, antequam de illis quidquam judicaret Eccleſia. Qui enim mente perverſa videtur intùs eſſe cum foris ſit, ab ipſo Chriſto jam judicatus eſt. Ipſe quippe ait: non credit jam judicatus eſt. Paulus autem Apoſtolus dixit. Eccleſia ſubdita eſt Chriſto. Non igitur debet Eccleſia ſe Chriſto præponere. *T. 7. l. 2. contra Creſconium Grammat. c. 21.*

Idem.

Sicut peccator ſi jus ſibi prædicandi teſtamenti Divini uſurpaverit, ſibi nihil prodeſt, audientibus autem & facientibus, non ipſe ſed quod prædicat, prodeſt; ita & ille, qui jus baptiſmatis ſibi uſurpare non debuit, ſibi nocet qui bonum malè uſurpavit, non ei qui bonum benè percepit. *Ibid. c. 29.*

Malus aliis non ſibi prodeſt.

Non accipio quod de baptizandis hæreticis & Schiſmaticis Beatus Cyprianus ſenſit, quia hoc Eccleſia non accipit, pro qua Beatus Cyprianus ſanguinem fudit. *Ibid. c. 32.*

Error de rebaptizatione.

Unde colligitur, verum jam non eſſe quod conſcientia dantis abluat accipientis conſcientiam, ſed fama ejus abluit ſecundùm te: quæ utiq; fallit intuentem, cum de peſſimo loquitur bona, de adultero caſta, de ſacrilego religioſa. Tunc enim abluit quando mentitur: Nam ſi de occulto ſcelerato fama verum loquatur, tunc non abluit. Ac per hoc fama iſta quam patronam tam malæ cauſæ adhibere voluiſti, vide qualis ſit, quæ mendax abluit, & verax polluit. *T. 7. l. 4. con. Creſcon: Gram: c. 12.*

Malus validè baptizat.

Fama humana pauca confert.

Verbis Evangelicis in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti per qualemcunq; linguam & conſcientiam conſecrata eſt aqua, non mendacem ſed veracem agnoviſtis atq; accepiſtis (intellige ablutionem baptiſmi.) *Ibi. c. 13*

Omni linguâ validè formari poteſt baptiſmus.

Quando rebaptizabat Cyprianus ab hæreticis venientes Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopus, tunc Eccleſiæ Romanæ Stephanus

Bona fides diverſa operantium.

Episcopus in eodem baptismo quem foris acceperant, suscipiebat hæreticos, & ambo hæc diversa facientes in unitate Catholica permanebant. *Ibid. l. 2. con: Gauden. c. 8.*

Validus Hæreticorũ baptismus. Vir malo bonis abutenti. Captivitas nõ obest virtuti.

Non vobis blandiamini, quod baptismum non rescindimus, rescindimus vestrum, nam vasa Dominica etiam apud alienigenas sancta permanserant. Unde Rex qui eis contumeliosè uti ausus est, *Dã 5. 2.*
DEO irascente punitus est. Et arca testamenti ab hostibus capta nequaquam virtutem suæ sanctificationis amisit. *Ibid. c. 10.* *1. Reg. 4. 11. 17.*

Baptismus regenerat.

Sacramentum baptismi profecto Sacramentum regenerationis est. *T. 7. l. 2. de pecc: meritis & remiss: c. 72.*

Parvulis non adultis tantũ conferendus bapt.

Baptismum parvulorum more pijssimo atq; materno universa frequentat Ecclesia. *Ib. lib. 3. de pecc: meritis & remiss: c. 1.*

Octavo die baptizamus. Baptismus hominis est resurrectio Christi.

Quocunq; die suæ nativitatis infans baptisetur in Christo, tanquam in octavo die circumciditur; quoniam in illo circumciditur, qui tertio quidem ex quo crucifixus est, sed octavo in hebdomadis resurrexit die. *Ibid lib. 2. con: Pelagium de pec: Orig: c. 32.*

Passiones civile bellum. Baptismus nõ extirpat passiones funditus.

Jamnè discernis? jamnè perspicis? jamnè resipiscis? & in baptismate fieri omnium remissionem peccatorum, & cum baptizatis quasi Civile bellum interiorum remanere vitiorum? *Ibid. l. 2. contra Iulian. c. 3.*

Parvuli baptizandi.

Non est ergo lex Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & *Io: 3.*
Spiritu non potest intrare in Regnum DEI? quàm legem vides, etiam ad parvulos pertinere. Verum tu dic potius, parvulus cujus anima interibat de genere ejus, si die non circumcideretur octavo, cujus prævaricationis arguebatur ut tali supplicio plecteretur? *T. 7. lib. 2. con Iulian: imperfecto. c. 161.*

Circumcisio figura bapt.

Circumcisio quæ fuit illius temporis Sacramentum, præfigurabat nostri temporis baptismum. *Ibid. lib. 2. de anima c. 11.*

Maris rubri transitus figura Baptismi.

Nihil aliud significabat transitus per mare nisi Sacramentum *Ex: 14.*
baptizatorum. Nihil aliud insequentes Ægiptij, nisi abundantiam *14.*
præteritorum delictorum. Videtis evidentissima Sacramenta? Premunt Ægiptij, urgent, instant ergo peccata, sed ad aquam. Qui ergo times qui nondum venisti; venire ad baptismum Christi. transire per mare rubrum? Quid est rubrum? sanguine Domini conseeratum. Quid times venire? Conscientia forte aliquorum immanium delictorum stimulat, & excruciat in te animum, & dicit tibi tam magnum esse illud quod commisisti, ut desperes tibi dimitti. Time ne remaneat aliquid peccatorum, si vixit aliquis Ægiptiorum. *Ibid. in Psal: 80.*

Baptismi gratia, necessitas

Pro magno commendantur Episcopis patrimonia pupillorum, quanto magis gratia pavulorum? Pupillum tuetur Episcopus, ne mortuis parẽtibus, ab extraneis opprimatur. Clamet plus pro parvulo, cui timet ne à parentibus occidatur: clamet cum Apostolo, *1 Ti. 4. 9.*
fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus JESUS venit in mundum, nullam aliam ob causam nisi peccatores salvos facere. Qui venit ad Christum, habet quod in eo sanetur: qui non habet, non est causa quare Medico offeratur. *T. 10. ser: de ver: Apost. serm: 10.*

Christi adventus peccatorũ salvatio. Veniens ad Christũ habet quod in eo sanetur.

Infantes credentes. Credit in altero, qui peccavit in altero.

Utiq; prodest Christus parvulis baptizatis. Prodest ergo non credentibus? Sed absit ut ego dicam non credentes infantes. Jam superius disputavi, credit in altero, qui peccavit in altero: dicitur credit & valet, & inter fideles baptizatos computatur. Hoc habet authoritas Matris Ecclesiæ, hoc fundatus veritatis obtinet Canon: contra hoc robur, contra hunc inexplebilem murum quisquis arietat ipse confringitur. *Ibid. ser: 14.*

Ego inquit debeo à te baptizari, quia tecum exhibes, & in te *Mt. 3. 14.*
possi-

possides puritatis munera, & baptismatis Sacramenta: & quod ego dabo te largiente per gratiam, tu obtines per naturam. Attactu membra tinguntur, & fluenta ditantur. Vitalem gratiam non corpus ex flumine, sed flumen mutuatur ex corpore. Descendere in se fontem suum felix unda miratur, sub uno momento remedia æterna concipiens, & nova DEUM regenerationis fæcunditate parturiens, quod acceperat hoc reddens, & quod non habebat accipiens. Inter hæc mirum esset, quod se Dominus servi subdidit benedictioni, nisi & cruci se subdidisset & morti. *T. 10. serm. de Temp: serm: 79. in Epiph: Dni ser: 1.* *Baptismus momento remedia æterna concipit.*

Ergo Christo suffecit baptismus Joannis? Quomodo non sufficeret quando nec ipsi erat necessarius? Illi enim nullus baptismus erat necessarius, sed ad hortandos nos ad baptisma suum suscepit baptismum servi. Et præponeretur baptismus servi baptismo Domini, baptizati sunt alij baptismate conservi. Sed qui baptizati sunt baptismate conservi opportebat ut baptisaretur baptismate Domini. Qui autem baptizantur baptismate Domini, non opus habent baptismate conservi. *Et infra.* Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Baptizavit ergo Paulus tanquam minister, non tanquam ipsa potestas. Intendite, & potuit hanc potestatem servis dare & noluit. Si enim daret hanc potestatem servis, id est ut & ipsorum esset, quod Domini erat, tot essent baptismi, quot essent servi: ut quomodo dictum est baptisma Joannis, sic diceretur baptisma Petri, sic baptisma Pauli, sic baptisma Jacobi, baptisma Thomæ, Matthæi, Bartholomæi. Illud enim baptisma Joannis dictum est. Sed forte aliquis resistit & dicit: proba nobis quia illud baptisma Joannis dictum est. Probabo ipsa veritate dicente, quando interrogavit Judæos, Baptisma Joannis unde est, de Cælo an ex hominibus? Ergo nec tot baptismata dicerentur quot essent servi, qui baptizarent, accepta potestate à Domino: sibi tenuit Dominus baptizandi potestatem servis ministerium dedit. *Et infra.* *Christus cur baptizatus?* *1. Cor: 1. 13.* *In Ministris ipse baptizat Christus.* *Mar: 11. 30*

Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam & manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu Sancto: non ait ipse est Dominus: non ait ipse est CHRISTUS: non ait ipse est DEUS, non ait ipse est JESUS, non ait ipse est qui natus est de Virgine MARIA, posterior te, & prior te: non ait hoc: jam enim hoc noverat Joannes. Sed quid non novit? Tantam potestatem baptismatis ipsum Dominum habiturum, & sibi retenturum, sive præsentem in terra, sive absentem corpore in Cælo, & præsentem Majestate, sibi retenturum baptismatis potestatem: ne Paulus diceret baptismus meus: ne Petrus diceret baptismus meus. Ideo videte & intendite voces Apostolorum. Nemo Apostolorum dixit baptismus meus: Quamvis unum omnium esset Evangelium, tamen invenis dixisse, Evangelium meum: non dixisse baptisma meum. Hoc ergo didicit Joannes fratres mei. Quod didicit Joannes per columbam, discamus & nos. *T. 9. in Evang: Ioan: Tract: 5. de cap: 1.* *Ioan: 1. 32.* *Baptismi potestatē sibi soli Christus reliquit.* *Rom: 2. 16*

Per lapideum canalem transit aqua, transit aqua ad areolas in canali lapideo nihil generans, sed tamen hortis plurimum fructum affert. Spiritualis enim virtus Sacramenti ita est ut lux: & ab illuminandis pura excipitur, & si per immundos transeat, non inquinatur. Sint plane Ministri justi, & gloriam suam non quærant, sed illius cujus Ministri sunt. Non dicant baptisma meum est, quia non est ipsorum. *Et infra.* Et quod dabatur à Paulo, & quod dabatur à Petro Christi est; & quod datum est à Juda Christi erat. Dedit Judas & non baptizatum est post Judam: dedit Joannes & baptizatum est *Baptismi Ioannis & Christi comparatio.*

post Joannem. Quia si datus est à Juda, baptismus Christi erat, qui autem à Joanne datus, Joannis erat. Non Judam Joanni sed baptismum Christi etiam per manus Judæ datum, baptismo Joannis etiam per manus Joannis dato recte præponimus. *Et infra.* Quamvis ipse non baptisaret sed discipuli ejus. Ipse & non ipse. Ipse potestate, illi ministerio servitutem ad baptizandum illi admovebant, potestas baptizandi in Christo permanebat. Ergo baptizabant discipuli ejus, & ibi adhuc erat Judas inter discipulos ejus. Quos ergo baptizavit Judas non sunt iterum baptizati; & quos baptizavit Joannes, iterum baptizati sunt? Plane iterum sed non iterato baptismo. Quos enim baptizavit Jonnes, Joannes baptizavit: quos autem baptizavit Judas Christus baptizavit. Sic ergo quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter: si baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timebo adulterum, non ebriosum, non homicidam: quia columbam attendo per quam mihi dicitur. Hic est qui baptizat. *Ibid.*

In baptismo colũbam non ministrum attende.

Ioã: 1. 32.

Ascendit Dominus ab aqua sicut in Evangelio legimus: Et ecce aperti sunt ei cæli, & vidit Spiritum descendentem velut columbam & mansit super eum. Et statim vox consecuta est. Tu es filius meus dilectus in quo mihi complacui. Apparuit manifestissima Trinitas: Pater in voce, filius in homine, Spiritus in columba. *Et infra.* Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto: Petrus baptizet, hic est qui baptizat: Paulus baptizet hic est qui baptizat: Judas baptizet, hic est qui baptizat. Non pro diversitate meritorum baptisma sanctum est, quia diversa sunt merita, diversa erunt baptismata: & tanto quisque aliquid melius putatur accipere, quanto à meliore videtur accepisse. *Ibid. Tra: 6 de cap: 1.*

Mysterij Trinitatis revelatio.

Mar 1 10.

Merita baptismo valorem nec addũt nec minuunt.

Quomodo inquit potest homo cum sit senex iterum nasci? Nunquid potest in uterum Matris suæ iterum introire & nasci. Non noverat iste nisi unam nativitatem ex Adam & Eva; ex Deo & Ecclesia nondum noverat. Non noverat nisi eos parentes qui generent ad vitam: non noverat nisi eos parentes qui generant successuros; nondum noverat eos, qui semper viventes generant permansuros. Cum ergo sint duæ Nativitates, ille unam intelligebat. Una est de terra, alia de Cælo: una est de carne, alia de spiritu: una est de mortalitate, alia de æternitate: una est de masculo & fæmina alia de DEO & Ecclesia. Sed ipsæ duæ singulæ sunt, nec illa potest repeti, nec illa. *Ibid. Tra. 11. de cap: 3.*

Ioã: 3. 5.

Regeneratio spiritualis.

Irrepetibilitas baptismi.

Regeneratio spiritualis una est, sicut generatio carnalis una est. *Ibid. Tract: 12. de cap: 3.*

Quomodo non caruit populus Israel populo Ægyptiorum nisi cum venisset ad mare rubrum: sic pressuris peccatorum nemo caret, nisi cum ad fontem baptismi pervenerit. *Ibid. Tr. 13. de cap: 3.*

Ex: 15. 10.

Status ante baptismũ aliis, figura, mare rubrum.

Quid est baptismus Christi? Lavacrum aquæ in verbo. Tolle aquam non est baptismus: tolle verbum non est baptismus. *Ibid. Tr: 15. de cap: 4.*

Materia & Forma baptismi.

Jam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis. Quare non agit, mundi estis propter baptismum quo loti estis, sed ait propter verbum quod locutus sum vobis: nisi quia & in aqua verbum mundat? Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum etiam ipsum tanquam visibile verbum. *Et infra,* Dilexit Ecclesiam & seipsum tradidit pro ea. Lege Apostolum & vide quid adjungat. Ut eam sanctificaret inquit, mundans eam lavacro aquæ in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo. Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia DEI, ut

Io: 15. 3.

Verbi Dei efficacia.

Ephes. 5. 26.

Vis baptismi.

ut per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem: quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem. Totum hoc fit per verbum de quo Dominus ait: Jam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis. *Ibid Tr: 80. de cap: 15.*

Quantum vis tantum proficis.

Ætas corporis non est in voluntate. Ita nullus secundum carnem crescit quando vult: sicut nullus quando vult nascitur. Ubi autem nativitas in voluntate est: & incremẽtum in voluntate est. Nemo ex aqua & spiritu nascitur nisi volens. Ergo si vult crescit, si non vult decrescit. Quid est crescere? Proficere. Quid est decrescere? Deficere. Quisquis novit natum esse se, audiat quia puer est & infans, avidè inhiet uberibus Matris, & cito crescit. Est autem Mater Ecclesia: & ubera ejus duo testamenta scripturarum divinarum. Hinc sugatur lac omnium Sacramentorum, temporaliter pro æterna salute nostra gestorum: ut nutritus atq; roboratus, perveniat ad

Profectus.

4. 1. manducandum cibum, quod est, In principio erat verbum, & ver-
1. bum erat apud DEUM, & DEUS erat Verbum. Lac nostrum Christus humilis est: cibus noster idem ipse Christus æqualis Patri. Lacte te nutrit, ut pane pascat: non corde contingere JESUM spiritualiter, hoc est agnoscere quia etiam æqualis est Patri. *Ibid. in Epist: Ioan: Tr: 3. de cap: 2.*

Christus lac, cibus.

Non omnis aqua mundat: sanctificatur hæc per consecrationem verbi: Tolle verbum & quid est aqua nisi aqua! Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum. Virtus verbi per aquam mundavit nos, quia super aquas ambulavit. *Ibid. lib. de Cataclysmo Tract: 4. cap: 2.*

BEATITUDO

Beatus Dei notitia.

Beatus qui te novit etiamsi illa nescit. Qui verò & te & illa novit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus est. *T. 1. lib. 5 Confess: cap. 4.*

Delectatio est pōdus Animæ.

Delectatio quippe, quasi pondus est animæ. Delectatio enim ordinat animam. Ubi enim thesaurus tuus, ibi est cor tuum, ubi delectatio ibi thesaurus, ubi autem cor, ibi beatitudo, aut miseria. *T. 1. lib: 6. Music: cap. 11.*

Beatè vivere, est omnia animæ subijcere.

Quid aliud censes beatè vivere nisi secundùm id, quod in homine optimum est vivere. Quis autem dubitaverit nihil esse aliud hominis optimum, quam eam partem animi, cui dominanti obtemperare convenit, cætera quæque quæ in homine sunt? hæc autem mens & ratio dici potest. *T 1. lib: 1. contra Academ. cap: 2.*

Beatum facit boni æternitas.

Beatitudo est Dei possessio.

Videturnè vobis beatus esse, qui quod vult, non habet? negaverunt. Quid? illud conceditis, omnem qui beatus non est miserum esse? non dubitaverunt. Quidquid mortale aut caducum est non potest à nobis quando volumus, & quamdiu volumus haberi. Etiamsi securus sit, ea se omnia non esse amissurum, tamen talibus satiari non poterit. Ergo & eo miser quo semper indignus. Id ergo semper manens, nec ex fortuna pendulum, nec ullis subjectum casibus esse debet. DEUS vobis æternus semperq; manens videtur? pia devotione conticuerunt, DEUM igitur qui habet, beatus est. *T. 1. lib. de vita beata.*

Beatitudo boni veritas.

6. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui Quid enim petis amplius, quàm ut beatus sis? & quid beatius eo, qui fruitur inconcussa & incommutabili & excellentissima veritate? *T. 1. lib: 2. de lib. arbit: c 13.*

Beatus quantùm existimo nec ille dici potest, qui non habet quod

Qui sit verè beatus. quod amat, qualecunq; sit, nec qui habet quod amat, si noxium sit; neq; qui non amat, qui habet etiamsi optimum sit. Nam & qui appetit, quod adipisci non potest, cruciatur & qui appetit quod appetendum non est fallitur, & qui non appetit quod adipiscendum esset, ægrotat, nihil autem horum contingit sine miseria, nec miseria & beatitudo in homine uno habitare consveverunt. Nullus igitur illorum beatus est. *Ib. lib. 1. de morib: Eccl. Cathol: c. 3.*

Qui facit bonum, facit beatum. Neq; facit beatum hominem nisi qui fecit hominem, nam qui tanta creaturæ suæ bona bonis malisq; largitur, ut sint, seipsum bonis dabit ut beati sint, quia etiam ejus hoc munus est, ut boni sint. *T, 2. Epist. 52.*

Qui sibi prodest, cælo prodest. Qui gloriatur, in Domino glorietur, hoc nobis velimus, hoc Civitati cujus cives sumus, non enim aliunde beata Civitas, aliunde homo cum aliud Civitas non sit, quàm concors hominum multitudo. *Ibid. Epist: 52.* *2. Cor. 10.*

Mors requies. Duo quippe sunt, quæ justorum beatitudinem, & omnis miseriæ finem sperari faciunt: Mors & resurrectio mortuorum. In morte requies est, de qua dicitur per Prophetam. Plebs mea intra in cellaria tua, abscondere pusillum, donec pertranseat ira Domini. *Resurrectio perfecta felicitas.* In resurrectione autem, in homine toto, id est in carne & Spiritu perfecta felicitas. *T. 2. Epist: 86.*

In cælo omnis locus honoratus. Si corpus Domini quod de sepulchro excitatum levavit in Cælum, nonnisi specie humana membrisq; cogitamus: non tamen ita putandum est sedere ad dexteram Patris, ut ei Pater ad sinistram sedere videatur. In illa quippe beatitudine, quæ omnem superat humanum intellectum, sola dextera est, & eadem dextera ejusdem beatitudinis nomen est *T. 2. Epist: 222.* *Dextera nomen beatitudinis.*

Virtus media poscit. Beati omnes esse volumus, hoc est appetimus, nec tamen omnes qui volumus, possumus, hoc est, quod appetimus, adipiscimur. Jlle ergo adipiscitur, qui viam tenet, non solùm quâ id appetit, sed quâ etiam pervenitur, relinquens alios in itineribus appetendi, sine fine adipiscendi. *Ibid. Epist: 255.*

Ipsa spes gloriæ, solatio est. Quod propter se diligendum est, in eo constituitur vita beata, cujus etiamsi nondum res, tamen spes ejus nos hoc tempore consolatur. *T. 3. lib. 1. de doctr: Christi c. 20.*

Moderatio votorum. Sapienter dixit Terentius, quoniam non potest id fieri quod vis, id velis quod possis. Sed consilium datum est misero, nè esset miserior. Beato autem quales se omnes esse volunt, non rectè nec verè dicitur, non potest fieri quod vis. Si enim beatus est, quidquid vult fieri, quia non vult quod fieri non potest. Sed non est mortalitatis hujus hæc vita, nec erit, nisi quando & immortalitas erit, quæ si nullo modo dari hominibus posset; frustra etiam beatitudo quæreretur, quæ sine immortalitate non potest esse. *T. 3. lib. 13. de Trinit: cap. 7.* *Beatum est voto non excedere.*

Beatitudo Immortalitatis. Qualiscunq; beatitudo quæ potius vocetur, quàm sit in hac vita, quæritur imò verò fingitur, dum immortalitas desperatur, vera beatitudo esse non potest. Nemo malè vult immortalitatem, si ejus humana capax est DEO dante natura, cujus si capax non est, nec beatitudinis capax est; ut enim homo beatè vivat, oportet ut vivat, quem porro morientem vita ipsa deserit, beata vita cum illo manere quomodo potest? *Ib. lib. 13. de Triv: c. 8.*

Deo subditus subditū quoq; habet corpus. Hoc placuit Optimo & Sapientissimo Creatori, ut Spiritus hominis DEO piè subditus habeat feliciter subditum corpus, & sine fine permaneat ista felicitas. Ibi veritatem sine ulla difficultate videbimus, eáq; clarissimâ & certissimâ perfruemur: in illa luce nulla erit quæstio. *Ib. lib: 15. de Triv: c. 25.* *In cælo nulla quæstio.*

Con-

Corpus Sanctos ornat non onerat.

Constituuntur purgati ab omni cogitatione corruptionis in placidis sedibus, donec recipiant corpora sua, sed jam incorruptibilia, quæ ornent non onerent. *Ib. superiùs.*

Dextera Patris est beatitudo perpetua, quæ sanctis datur, sicut sinistra ejus rectissimè dicitur miseria perpetua, quæ impijs datur; ut non in ipso Deo, sed in creaturis hoc modo quo diximus intelligatur dextera & sinistra. *Ib. lib de agone Christi c. 26.*

Interceuntia hominem quoque faciũt interire.

Verè fratres illa magna & vera beatitudo est, quæ in futuro sæculo Sanctis promittitur. Omnia verò visibilia transeunt, & omnis sæculi hujus pompa & delitiæ & curiositas interibunt, & secum ad interitum trahunt amatores suos. *T. 4. lib. de Catech: rud. c. 26.*

Gratis colendus Deus.

Deus vera beatitudo.

Jlle justificatur apud Deum, qui eum gratis colit; non scilicet cupiditate aliquid appetendi ab ipso præter ipsum aut timore amittendi. In ipso enim solo vera nostra beatitudo, atq; perfecta est, & quoniam invisibilis est oculis carneis, fide colitur, quàmdiu in hac carne vivimus sicut supra dixit. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filij Dei. *T. 4. lib. exposit: Epist: ad Gal: fol. 381.*

Tribulatio potior paradiso.

Quantùm pertinet ad delectationem præsentis boni, beatior erat in Paradiso primus homo, quàm quilibet justus in hac infirmitate mortali. Quantùm autem ad spem futuri boni, beatior quilibet in quibusvis cruciatibus corporis: cui non opinione sed certa veritate manifestum est, sine fine habiturum omni molestia carentem societatem Angelorum, in participatione summi Dei quàm erat ille homo sui casus incertus, in magna illa felicitate Paradisi. *T. 5. lib. 11. de Civit: Dei c. 12.*

Vera beatitudo æterna est.

Quomodo vera beatitudo est, de cujus nunquam æternitate confiditur, dum anima venturam miseriam aut imperitissime in veritate nescit, aut infelicissimè in beatitudine pertimescit. *T. 5. lib 12. de Civit. Dei. c. 13.*

Peccatum corrumpit corpus.

Non ergo ad beatitudinem consequendam omnia fugienda sunt corpora, sed corruptibilia, molesta, gravia, moribunda, non qualia fecit primis hominibus bonitas Dei, sed qualia esse compulit peccati pœna. *Ibid. lib. 13. de Civit: Dei. c. 17.*

Nemo beatus nisi justus.

Justus non vivit ut vult.

Nisi beatus non vivit ut vult, & nullus beatus nisi justus: sed etiam ipse justus non vivit, ut vult, nisi eo pervenerit, ubi mori, falli, offendi, omninò non possit: eiq; sit certum, ita semper futurum. *Ibid lib. 14 de Civit: Dei. c. 25.*

Æterna vita summum bonum.

Æterna mors summum malum.

Si ergo quæratur à nobis quid civitas Dei de finibus bonorum malorumq; sentiat? Respondebit, Æternam vitam esse Summum Bonum, æternam verò mortem summum esse malum, proinde ad illam adipiscendam ipsamque vitandam, rectè nobis esse vivendum. Propter quod scriptum est, Justus ex fide vivit. *Ibid. lib. 19. de Civit: Dei. c. 4.*

Beatus nihil tolerat.

Omnia erunt quibus ineffabiliter delectemur, nihil autem erit, quod jam tolerare debeamus: Talis salus quæ in futuro erit sæculo, ipsa erit etiam finalis beatitudo. *Ibid. lib. 19. de Civit: Dei. c 4.*

Spes facit ipsa beatos.

Erit Deus omnia omnibus, æternitate certa & pace perfecta. Et supra. Non abundè dici etiam nunc beatus potest, spe illa potiùs, quàm re ista. Res vero ista sine spe, illa beatitudo falsa & magna miseria est. *Ibid. lib. 19. de Civit: Dei. c. 20.*

Gloriam cælestem Script. clarè asserit.

Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors
Ap. 21 jam non erit, neq; luctus. Tanta luce dicta sunt de futuro sæculo &
4. immortalitate atq; æternitate Sanctorum, ut nulla debeamus in literis sacris quærere vel legere manifesta, si hæc putaverimus obscura. *Ibid. lib. 20. de Civit: Dei. c. 17.*

Cur volente Deo non poterit terrenum corpus in cæleste cor-

Qui potest esse malus, potest esse & bonus. pus attolli, si animus omni; ac per hoc etiam Cælesti corpore præstantior, terreno corpori potuit alligari. *Ib l. 22. de Civit. Dei c. 4.*

Celanda gloria. Justi fulgebunt sicut sol in Regno Patris sui. Quæ claritas in Christi corpore, cum resurrexerit ab oculis discipulorum potiùs abscondita fuisse, quàm defuisse credenda est. Non enim eam ferret humanus itaq; infirmus aspectus, quando ille à suis ita deberet attendi, ut posset agnosci. Quò pertinuit etiam, ut contrectantibus ostenderet suorum vulnerum cicatrices: ut etiam cibum potumq; sumeret: non alimentorum indigentia. Sed ea quâ & hoc poterat potestate. *Ib. lib. 22 de Civit: Dei. c. 19.* *Infirmus infirma respicit. Sui, nil splendidi aspiciūt.* Sap. 3. 7.

Talio virtutis. Erit ergo Spiritui subdita caro spiritualis, sed tamen caro non Spiritus, sicut carni subditus fuit Spiritus ipse carnalis, sed tamen Spiritus non Caro. *Ibid. lib. 22: de Civit. Dei. c. 21.*

Beatitudo Epicuri, Stoici, Christiani. Dic Epicuree quæ res faciat beatum? Respondet voluptas corporis. Dic Stoice, virtus animi. Dic Christiane, Donum Dei. *T. 6, Tract: de Epicur: & Stoicis c. 6.*

Gloria non pungit. In illa felicitate Paradisi quis possit ut certum est, indagare, quis ut dignum est, explicare? Ubi absit ut credamus, fuisse aliquid unde sensum nostrum sive intrinsecùs, sive extrinsecùs aut dolor pungeret, aut labor fatigaret, aut pudor confunderet, aut ardor ureret, aut algor stringeret, aut horror offenderet. *T. 7. lib. 5. con. Julian: cap. 5.* *Non cōfundit.*

Beati multitudo miserationis. Ego autem in multitudine miserationis tuæ, introibo in domum tuam. In multitudine miserationis, fortasse in multitudine hominum perfectorum & beatorum dicit. *Ibid. in Psal: 5.* Ps. 5. 8.

Justi templum Dei. In æternum exultabunt & inhabitabis eis. Ipsa erit æterna habitatio, cum templum Dei fiunt justi. Et erit gaudium ipsorum ipse incolatus eorum. Et gloriabuntur in te omnes Tanquam cum adest eis ad fruendum quod diligunt. Et bene in te tanquam possidentes hereditatem. Quoniam tu benedices justo. Hæc est benedictio gloriari in Deo, & inhabitari à Deo. *Ibid. in Psal: 5.* Ps. 5. 12.

Malitiæ individua Comes miseria. Beata gens. Quis est qui non hoc audito erigat se? Amant enim omnes beatitudinem; & ideo perversi sunt homines, qui mali volunt esse, miseri nolunt. Et cum sit malitiæ individua comes miseria, isti perversi non solum mali esse volunt, & miseri nolunt, fieri non potest: sed ideo volunt mali esse, ne sint miseri. *Et infra.* Ergo ne miser sit, malus est: & ideo miserior est, quia malus est. Depellendæ ergo miseriæ causa, & acquirendæ beatitudinis causa faciunt omnes, quidquid vel boni faciunt vel mali: semper ergo beati esse volunt. *Et infra.* Fieri non potest res deterior, te faciat meliorem. Homo es, deterius est quidquid capis, quo beatus esse desideras. Aurum, argentum, quælibet corpora quibus inhias acquirendis, possidendis, fruendis, inferiora sunt te. *Et infra.* In animo est quod quæris, ipso animo tuo quære quid sit melius. *Et infra.* Si corporis tui bonum animus est tuus, quia corpore tuo melior est: cum quæris bonum tuum illud quære, quod melius est animo tuo. *Et infra.* In animo tuo est imago Dei mens hominis capit eam. Accepit eam, & inclinando se ad peccatum decoloravit eam. Ipse ad eam venit reformator, qui erat ejus ante formator: quia per verbum facta sunt omnia, & per verbum impressa est imago. Venit ipsum verbum, ut audiremus ab Apostolo. Reformamini in novitate mentis vestræ. Jam ergo superest ut quæras quid sit melius quam animus tuus? Quid erit obsecro nisi Deus tuus? Non invenis aliquid melius animo tuo, quia cum perfecta fuerit natura tua. Angelis æquabitur. Jam supra non est nisi Creator. Ps. 32. 12. *Animus imago Dei.* Ro. 12. 2.

Erige te ad illum noli desperare, noli dicere: Multum est ad

me.

me. Magis multum est ad te habere aurum quod quæris. Aurum etsi volueris forte non habebis; DEUM cum volueris habebis, quia & antequam velis, venit ad te, & cum aversa voluntate esses vocavit te, & cum conversus esses terruit te, & cum territus confitereris, consolatus est te. Jlle qui tibi præstitit omnia, iste qui fecit ut esses, qui his qui tecum sunt, etiam mali, præstat solem, præstat pluviam, præstat fructus, fontes, vitam, salutem, tantas consolationes, servat tibi aliquid quòd non det, nisi tibi. Quid est autem quod tibi servat nisi se? Pete aliud si melius inveneris, se tibi servat DEUS. Avare quid inhias Cælo & terræ? Melior est qui fecit Cælum & terram: ipsum visurus, ipsum habiturus es. Beata gens cujus est Dominus DEUS eorum. Hoc ama, hoc posside, hoc cum vis habebis,

Dei circa hominem solicitudo.

Ps. 32. 22. hoc gratis habebis. Beata gens cujus est Dominus DEUS eorum. Noster DEUS. Cujus enim non est DEUS? Non planè omnium eodem modo. Noster magis, noster qui vivimus ab illo tanquam de pane nostro. Ipse sit hereditas nostra, possessio Nostra. Dominus

Deus non omnium eodem modo Deus

Ps. 15. 15. pars hereditatis meæ. Ergo unde beati erimus? DEUM possidendo. Quid ergo? nos possidebimus eum, & ille nos non possidebit? Unde ergo Esaias: Domine posside nos? Possidet ergo & possidetur, & totum propter nos: ut enim nos ex illo beati simus possidetur à nobis: ut autem ille beatus sit non possidet nos. Possidemus eum & possidet nos, quia colimus eum, & colit nos. Colimus eum tanquam Dominum DEUM, colit nos tanquam terram suam. *Et ibidem paulo superius* Et incumbentibus in eum velut in domo tua. Ecce Dominus tuus factus est tibi quasi baculus: securus homo incumbit. *Ibid. Con: 1. in Psal 33.*

Colimus Deū colit nos Deus

Deus quasi baculus.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ. Coronam ubi audis,
Ps. 64 11. gloria victoriæ significatur. Vince Diabolum, & habebis coronam. *Ibid. 8. in Psal: 64.*

Quæ sint itaq; transilienda ut ad illum finem pervenire possimus, ubi jam quod transiliamus non habemus, psalmi textus ipse demonstrat. Etenim tamdiu transilire debemus, quidquid nos impedit, quidquid irretit, quidquid visco quodam illigat, & onere aggravat volatum nostrum, donec perveniamus ad id quod sufficit, ultra quod nihil est, infra quod sunt omnia, & ex quo sunt omnia. *T. 8. Enar: Psal: 76.*

Transiliēdo venis ad Deum.

Beati qui habitant in domo tua. Unde beati? quid habituri?
Ps. 38 5. quid acturi? Omnes qui beati dicuntur in terra, habent aliquid, & agunt aliquid. Beatus ille, qui tot prædijs, tanta familiâ, tanto auro, & argento habendo, beatus dicitur. Beatus est, qui ad illos honores pervenit, ad Proconsulatum, ad præfecturam agendam. Beatus ergo dicitur, aut habendo aut agendo. Unde autem ibi beati? quid habituri! Jam supra dixi: Beati qui habitant in domo tua. Domum tuam si habueris pauper es: Domum DEI si habueris, dives es. In domo tua timebis latrones, Domui DEI murus ipse DEUS est. Possident Hierusalem cælestem, sine angustia, sine pressura, sine diversitate, & divisione limitum: omnes habent eam, & singuli habent eam, & singuli habent totam: Magnæ illæ divitiæ. Quid ergo ibi acturi? In sæcula sæculorum laudabunt te. Hoc erit totum negotium nostrum, sine defectu alleluia. Cum absorpta fuerit mors in victoriam, cum mortale hoc induerit immortalitatem, nemo dicet, diu steti: nemo dicet, diu iejunavi: diu vigilavi: stabilitas enim magna ibi, & ipsa immortalitas jam corporis nostri suspendetur in contemplatione DEI. Non nos satiabit, nisi laus DEI, amor DEI. Si deficias ab amore, deficies à laude. Si autem amor sempiternus erit, quia illa insatiabilis pulchritudo erit: noli timere

Beatitudo sæculi vana.

Totum negotium beatorum Alleluia. Laus Dei.

ne non possis semper laudare, quem semper poteris amare. *T. 8. in Psal: 83.*

Non sustinuerunt consilium ejus. Perniciosum enim est consilium hominis ipsi homini, quo ea quærit, quæ sua sunt, non quæ DEI sunt. In cujus hereditate, quod ipse nobis est, cum ad fruendum se præbere dignabitur, nullas patiemur cum Sanctis Societatis angustias, dilectione rei nostræ, quasi privatæ. Gloriosissima quippe illa Civitas adepta promissam hereditatem, in qua nullus morietur, nullus orietur, non habebit Cives qui singuli gaudeant suis rebus. Quia DEUS erit omnia in omnibus. Cujus Societatem quisquis in hac peregrinatione fideliter & flagranter desideraverit, assuescit privatis præferre communia, non sua quærendo, sed quæ JESU CHRISTI, ne sibi sapiens, & sibi consulens exacerbet DEUM consilio suo, sed sperans quod videt, non festinet, de his quæ videntur fieri beatus, atq; illud æternum quod non videtur patienter expectans, ejus in promissionibus sequatur consilium, cujus in tentationibus precatur auxilium. *T. 8. in Psal: 105.*

In cælo vita cõmunis singularitas exclusa.

Beati immaculati in via qui habitant in lege Domini: Tanquam diceret: scio quid velis, beatitudinem quæris. Si ergo vis esse beatus, esto immaculatus. Illud enim omnes, hoc autem pauci volunt, sine quo non pervenitur ad illud, quod omnes volunt. Sed ubi erit quisq; immaculatus nisi in via? In qua via nisi in lege Domini? *Et infra.* Beatum quippe esse, tam magnum est bonum, ut hoc & boni velint & mali. Nec mirum est quod boni propterea sunt boni, sed illud est mirum, quod etiam mali, poptérea sint mali, ut sint beati. Nam quisquis libidinibus deditus luxuriâ stuprisq; corrumpitur, in hoc malo beatitudinem quærit, & se miserum putat, cum ad suæ concupiscentiæ voluptatem lætitiamq; non pervenit: beatum vero non dubitat se jactare, cum pervenit. *Et infra.* Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini. Tanquam dicens: Quo istis? Peritis & nescitis. Non illuc itur qua pergitis, quo pervenire desideratis. Nam utiq; beati esse cupitis: sed misera sunt, & ad majorem miseriam ducunt ista itinera quæ curritis. Tam magnum bonum quærere per mala nolite. Si ad illud pervenire vultis, huc venite, hac ite. Væ perversæ relinquite malignitatem, qui non potestis relinquere beatitudinis voluntatem. *T. 8. Con: 1. in Psal: 118.*

Ps 118 1.

Lex Domini via cœli.

Beati esse volunt etiam mali.

Idem bonis et malis terminus via diversa.

Ps. 118 1.

Beatos esse impios & iniquos, quis vel impius dixerit aut iniquus? *Et infra.* Si ergo spe beati, fortassis etiam spe immaculati. *T. 8. ibidem.*

Metamorphosis beatitudinis.

Quia ipsa beatitudo, quam misericorditer beatis præstat, ut esse miseri desinant & beati esse incipiant, non habebit finem, ideo in æternum misericordia ejus. Quod enim justi erimus ex iniquis, sani ex infirmis, vivi ex mortuis, & immortales ex mortalibus, beati ex miseris, misericordia ejus est. Hoc autem quod ita erimus, in æternum erit: ergo in æternum misericordia ejus. Proinde confitemini Domino: id est confitendo laudate Dominum, quoniam bonus est. *T. 8. Enar: in Psal: 135.*

Ps 16. 1.

Audiamus jam cantari Civitatem illam, & erigamur, ad eam. Multum enim nobis eam commendat Spiritus DEI, infundens nobis amorem illius: ut ei suspiremus, & in peregrinatione ingemiscamus, & ad illam venire desideremus. Amemus illam, & ipsum amare ambulare est. *T. 8. Enar: in Psal: 147.*

Confirmavit inquit vectes portarum tuarum: secura sta, secura lauda, sine fine lauda. Fortiter clausæ sunt portæ tuæ: non exit amicus, non intrat inimicus. Confirmavit vectes portarum tuarum.

Ps. 147 2.

Bene-

Benedixit filios tuos in te. Non vagantur foris, non peregrinantur, intus gaudent, intus laudant, intus benedicunt, intus non parturiunt, quia jam neminem pariunt. Filij sunt, sancti sunt: isti filij sancti jam laudantes & gaudentes, parturiti & parti sunt Matre charitate, inclusi sunt colligente charitate. Audi charitatem parturientem illos: qua præditus Paulus Apostolus, non solum paternum, sed & maternum amorem congerens in filios, Filij mei, inquit, quos iterum parturio. *T. 8. Exposit: Psal. 147.*

Interna beatorum gaudia

Gal: 4. 19.

Et exultabunt sancti in gloria. Aliquid volo dicere, audite attentius de gloria Sanctorum. Nemo enim est qui non amet gloriam. Sed gloria stultorum, popularis illa quæ dicitur, habet illecebram delectationis, ut ad laudem suam, & honorem vanorum hominum quisq; commotus, velit sic vivere ut prædicetur ab hominibus quibuscunq; quomodocunq;. Hinc homines insani effecti & inflati typho, inanes intus, foris tumidi, etiam res suas perdere volunt, donando scenicis, histrionibus, venatoribus, aurigis. Quanta donant, quanta impendunt? Effundunt vires non patrimonij tantum, sed etiam animi sui. Isti fastidiunt pauperem, quia non clamat populus ut pauper accipiat: clamat autem populus, ut venator accipiat. Jlli ergo ubi eis non clamatur nolunt erogare: ubi clamatur ab insanis, insaniunt omnes, & fiunt omnes insani, & qui spectatur, & qui spectat, & qui donat. Insana ista gloria reprehenditur à Domino, improbatur ante oculos omnipotentis. Et tamen Fratres mei, Christus sic improperat suis, & dicit: non à vobis accepi tantum, quantum acceperunt venatores: & illis ut donaretis de meo donastis. Ego autem nudus eram, & non vestistis me. Et illi. Et quando te vidimus nudum & non vestivimus te? Et ille. Cum uni ex minimis meis non fecistis, mihi non fecistis. Sed cum vis vestire qui tibi placet, in quo tibi Christus displicet. Vestire vis venatorem quo forte victo erubescas. Christus nunquam vincitur: & Diabolum vicit, & pro te vicit, & tibi vicit, & in te vicit. Talem victorem vestire non vis. Quare? quia minus clamatur, quia minus insanitur. Propterea isti, qui tali gloria delectantur, in conscientia sua nihil habent. Quomodo exhauriunt arcas, ut vestes niteant: sic exinaniunt ipsam conscientiam, ut nihil ibi habeant pretiosum. *Ibid. Expos: Psal: 149.*

Ps:140 5.

Mat 25 36.

Gloria Sanctorum popularis

Vanitas in erogandis opibus.

Plus venatoribus quàm Christo offerunt.

Dum exhauriuntur thesauri exinanitur conscientia.

Gloria hæc omnibus Sanctis ejus. Per totum mundum, & per universas gentes hoc Sancti agunt, & sic glorificantur: sic exaltant DEUM in faucibus suis, sic lætantur in cubilibus suis, sic exultant in gloria sua, sic exaltantur in salutem, sic cantant canticum novum, sic dicunt alleluia corde, ore, vita. Amen. *Ibidem.*

Ps 149 9.

Gloria Sanctorum.

Sicut aurum in fornace probavit illos, & sicut holocausti hostiam accepit illos. Ecce quid eritis ad thesauros DEI. Estote divites de DEO, non eum facturi divitem, sed de illo futuri divites. Impleat vos, aliud non admittatis ad cor vestrum. *T. 10. ser: de ver. Dni: de puero centurionis.*

Sap: 3 6.

Beati divites de Deo.

Beatus populus, cujus est Dominus DEUS ipsius. Aliquando transimus viam, & videmus amænissimos & uberes fundos, & dicimus, Beatus homo: vanitatem loquimur. Beatus cujus est illa domus, beatus cujus est ille fundus, beatus est cujus est illud pecus, beatus est, cujus est ille servus, beatus est cujus est illa familia. Tolle vanitatem, si vis audire veritatem. Beatus est, cujus est Dominus Deus ejus. Non enim cujus est fundus iste, beatus est: sed ille cujus est DEUS. *Et infra.* Nam quando laudas pro magno fundum tuum, hoc dicis: Ipse pascit me, inde vivo. Attende unde vivas. Jlle est unde vivis cui dicis. Apud te est fons vitæ. Beatus populus cujus est

Ps 143 15.

Ps 35. 10.

Vanitatem loquitur qui dicit, ex ubere domo familia se beatum.

Beatus ille solus qui habet Deum.

Deus fundus noster.

Non perdit, nec perit qui habet Deum. — *Deus fundus noster.*

est Dominus DEus ipsius. O Domine DEus meus, o Domine DEus noster ut veniamus ad te fac nos beatos de te. Noluimus de auro neq; de argento, nec de fundis, noluimus de terrenis istis, & vanissimis, & caducæ vitæ transitorijs. Non loquatur os nostrum vanitatem: Fac nos beatos de te, quia non perdimus te. Cum tenuerimus te, nec te perdimus, nec nos perimus. Fac nos beatos de te, quia beatus populus cujus est Dominus DEus ipsius. Nec irascitur si dixeris de DEO, fundus noster. *Et infra.* Si autem sub tanto cultore steriles esse voluerimus, & pro frumento spinas protulerimus: nolo dicere quod sequitur, ad gaudium finiamus *T. 10. cor: ser. 35. de illo Evang: Facite vobis amicos &c.*

In terra nemo beatus. — *Terra felicitatis exilium.*

Hîc beatus esse non potes: quia nemo hîc beatus esse potest. Bonam rem quæris sed terra ista non est regio ejus rei quam quæris. Quid quæris? Beatam vitam. Sed non est hic. Aurum si quæreres in illo loco ubi non est, ille qui novit quia non est ibi, nonne diceret tibi. Quid fodis, quid terram solicitas? Fossam facis qua descendas, non ubi aliquid invenias. *T. 10. ser: de Temp. serm. 141. Fer. 2. Paschæ de Resurrectione.*

In Cœlo omnia sine fine.

Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te. In sæcula sæculorum. Videbimus, amabimus, laudabimus. Nec quod videbimus deficiet, nec quod amabimus peribit, nec quod laudabimus tacebit. Sempiternum totum erit, sine fine erit. Laudemus, laudemus, sed non solis vocibus, laudemus & moribus: laudet lingua, laudet vita: sed habeat charitatem infinitam. *Ibid. ser: 151. Fer: 5. Pascha ser: 2* Ps. 83. 5.

Gloria Beatorum supra capacitatem intelligentium. — *Stimulus ad ardua toleranda.* — *Libertas Cœli perfecta non horret supplicium* — *Sanitatis causa omnia sustinentur.*

Quid mihi est in cælo? Quasi diceret. Excedit vires meas, excedit facultatem eloquentiæ meæ, transcendit capacitatem intelligentiæ meæ, illud decus, illa gloria, illa celsitudo, quæ nobis à conturbatione hominum remotis, in abscondito faciei suæ JEsus Christus Dominus noster reformavit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Hujus perfectæ libertatis contemplatione nullum vitabat periculum, nullum horrebat supplicium: & si millies posset mori, non putabat se hanc digne posse aliqua ratione promereri. Patienter enim permittunt se ægroti à Medicis secari, uri, & varijs amaritudinum confectionibus anxiari, ut temporali tandem restituantur sanitati, quanto magis vir beatus longanimiter toleravit omnem acerbitatem tormentorum temporalium, ut coronaretur in misericordia, & miserationibus, & in bonis satiaretur desiderium suum. In torculari itaq; conculcari voluit, ut tanquam uva matura in vinum deficeret, & vinum malorum granatorum dilecto suo propinaret, quo mentes religiosæ ebriatæ sciunt viriliter conculcare, & ad æterna irretortis oculis anhelare. *T. 10. serm: de Sanctis ser: 44. In festo unius Marty.* Ps. 72. 25.

Adversa, torcular sunt, unde vina Dilecto.

Beatitudo in terra paratur in Cœlo possidetur. — *Duo tempora flendi & ridendi.* — *Gaudium ibi quæris ubi nõ potest inveniri.* — *Verum gaudium in mundo haberi non potest.* — *Præmium servatur in Regno.*

Beatitudo hic parari potest, possideri non potest Duo sibi tempora ordine succedunt suo, tempus flendi, & tempus ridendi. Nemo se circumveniat fratres, non est in hoc mundo tempus ridendi. Scio fratres quod omnis homo gaudere desiderat: sed non toti ibi quærunt gaudium, ubi oportet inquiri. Verum gaudium in hoc mundo nec fuit, nec esse poterit: sic enim ipse Dominus in Evangelio suos discipulos admonuit, dicens in mundo pressuram habebitis. *Et infra.* Non quæras in via, quod tibi servatur in Patria. Et quia contra Diabolum Christi duce quotidie tibi pugnare necesse est, præmium non requiras in prælio, quod tibi servatur in regno. *Ibid. ser. 46. In festo plurium Martyrum ser: 2.* Eccl. 3. 4. Io: 16. 33.

In Cœlo nihil deest.

Non indigebimus, & ideo beati erimus. Pleni enim erimus sed DEO nostro, & omnia quæ hic pro magno desideramus, ipse no-

bis

[Ps. 72. 28.] bis erit pro magno. Cibum hic quæris: Deus tibi cibus erit. Amplexum carnis hic quæris; Mihi autem adhærere Deo bonum est. Divitias hic quæris: quomodo tibi deerunt omnia, quando illum habebis qui fecit omnia? Et ut verbo Apostoli te faciam securum de illa vita hoc dixit: ut sit Deus omnia in omnibus. *T. 10. ser: de diversis S. August: ser: 1. in festo Paschæ.*

[*Non desunt illi omnia qui habet illū qui fecit omnia.*]

[Gē 1. 5. 8.] In Genesi, in omnibus diebus dictum est. Facta est vespera: in septimo die non dicitur Facta est vespera. Septimo die qui vesperam non habet, significatur nobis requies sempiterna, ubi nullus est occasus. *T. 10. eorun: ser: 44. de Iacob. & Esau.*

[*In Cælo nullus occasus.*]

[Ps. 83. 5.] Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te. Totum negotium nostrum, Laus Dei. Quid laudabimus, si non amavimus? & illud amavimus quod videbimus? Ibi inveniemus, quod hodie cantavimus, Amen, verum est: Allelluia. Laudate Dominum. *T. 10. parte 2. ser. de diver. ser: 88. In die S. Paschæ.*

[*Laus non nisi in amante.*]

[1. Cor. 2. 9.] Quod oculus non vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quod enim in cor hominis ascendit, infra cor hominis erat. Ideo in cor hominis ascendit, quia supra illud est cor quo ascendit. Quod servat bonis cor illuc ascendit. Non quod ascendit in cor tuum, hoc tibi servat Deus. *T. 10. eorun: ser: 100. in Natali SS. Mart: Fabiani & Sebastiani.*

[*Cor hominis supra omnia quæ illud ascendunt.*]

Non prodest perpetua si felicitas non sit: & felicitas deserit. *T. 10. ser: 105. de Natali Ss. Mart:*

Anima ut præstet aliquid inferiori, præstatur illi à superiore; Serviat Domino suo, ne conculcetur à servo suo. Hæc est fratres mei religio Christiana, quæ prædicatur per totum mundum horrentibus inimicis, & ubi vincuntur murmurantibus, ubi prævalent sævientibus. Hæc est religio Christiana, ut colatur unus Deus, non multi Dij, quia non facit animam beatam nisi unus Deus. Participatione Dei fit beata. Non participatione sanctæ animæ fit beata infirma anima, nec participatione Angeli fit beata sancta anima: sed si quærit beata esse infirma anima, quærat unde beata sit sancta anima. Non enim beatus efficeris ex Angelo tu, sed unde Angelus inde & tu. *T. 9. In Evang: Ioan: Tract: 23. de cap: 5.*

[*Beatitudo fit participatione Dei.*]

[Io. 3. 2.] Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Iste finis. Ibi perpetua laudatio, ibi semper alleluia sine defectu. Ergo ipsum finem dixit in psalmo. Omnis consummationis vidi finem. Et quasi diceretur illi. Quis est finis quem vidisti. Latum mandatum tuum valde. Ipse est finis latitudo mandati. Latitudo mandati charitas est, non sunt angustiæ. In ipsa latitudine erat Apostolus cum diceret, os nostrum patet ad vos o Corynthij, cor nostrum dilatatum est. Non angustamini in nobis. Ideo ergo latum mandatum tuum valde. Quod est latum mandatum? Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis. Charitas ergo non angustatur. Vis non angustari in terra? In lato habita. Quidquid enim tibi fecerit homo, non te angustat, quia illud diligis quod non nocet. Homo Deum diligis, fraternitatem diligis, legem Dei diligis, sempiterna erit. Laboras in terra, sed pervenis ad fructum promissum. Quis tibi tollit quod diligis, securus dormis, imò securus vigilas, ne dormiendo perdas, quod diligis. [Ps. 12. 4.] Non enim frustra dictum est. Illumina oculos meos ne quando dormiam in morte. Qui claudunt oculos contra charitatem, obdormiscunt in concupiscentijs delectationum carnalium. Evigila ergo: Delectationes enim sunt, manducare, bibere, luxuriari, ludere, venari: pompas istas vanas omnia mala sequuntur. Nunquid nescimus quia delectationes sunt? Quis negat quia delectant? Sed plus dili-

[*Beatitudo finis.*]

[*Caritatis latitudo.*]

[*Delectationes carnales claudunt oculos Caritati.*]

diligatur lex DEI. Clamat contra tales suasores, narraverunt mihi injusti delectationes, sed non sicut lex tua Domine. Ista delectatio tua manet. Non solum manet quo venias: sed etiam revocat fugientem. *Ibid. in Epist: Ioan: Tract: 10 de cap: 5.* Ps. 118 15.

Beatus vir cujus Dominus DEUS est ipsius. Super omnes DEUS est: tamen nescio quomodo non facile quisquam audet dicere, DEus meus, nisi qui in illum credit, & qui eum diligit: ipse dicit, DEus meus. Tuum fecisti tibi cujus es. Hoc amat ipse prorsus dulcedine affectûs tui, & secura & præfidenti dilectione DEI, DEUS meus. Securus dicis, verum dicis: quia tuus est, & non fecisti, ut non sit alterius. Non enim sic dicis, DEUS meus: quomodo Equus meus. Equus enim tuus est, non alterius equus. DEUS & tuus est, & ejus qui sit dixerit DEUS meus, quomodo tu dicis. Singuli dicunt DEus meus, & DEUS meus: ille omnium est communiter, omnibus se ad fruendum præbens, in omnibus integer, in singulis integer. Non enim qui dicunt DEUS meus singuli dividunt inter se. Si sermo iste quem jacto lingua & sono constante literis & syllabis, totus ad singulos pervenit, nec dividunt illum inter se, qui audiunt: si sermo ad aures corporis corporaliter sonans in propinquo clarius, in longinquo languidius, ab omnibus tamen audientibus totus excipitur, non inter se syllabatis eum dividentibus, sed ab omnibus totum accipientibus: quanto magis ille DEUS ubiq; præsens implens omnia, non propinqua clarius & longinqua languidius, sed pertendens à fine ubiq; ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter, æqualiter possidetur ab omnibus? Lux ista fratres mei certe corporea de Cælo fulget, oritur, occidit, circumit, de loco in locum mutatur: tamen procedunt in ea & diriguntur oculi omnium, & omnium pariter eam possident, non eam dividunt. Nullus in ea dives limitem fixit, nec prior præoccupando ut videret, oculos pauperis aut exclusit, aut angustavit. Dicat pauper DEUS meus: dicat dives DEUS meus. Minus ille habet, plus hic habet: sed argentum, non DEUM. Ut perveniret ad DEUM, Zachæus dives, dedit dimidium patrimonij sui: ut perveniret Petrus, retia & navem dimisit: ut perveniret vidua, duo minuta dedit: ut perveniret pauperior, calicem aquæ frigidæ porrexit: ut perveniret penitus pauper & egenus, solam bonam voluntatem tribuit. Diversa dederunt sed ad unum pervenerunt, quia non diversa amaverunt. *T. 9. lib. de Ovibus in caput 34. Ezechiel: cap. 16.*

Ps. 143 15. — Deus omnium Deus singulorum. — Omnibus Deus idem. — Dei symbolum sonus vocis. — Sap. 8. 1. — Dei symbolum lux. — Diversæ viæ ad unum Deũ. — Lu: 19 8. — Ma. 4. 20. — Ma. 10 42.

Homo quomodo à se fieri non potuit, sic nec beatus à se fieri potest. Alia res fecit eum hominem, quod non est ipse homo: alia res eum factura est beatum quod non est ipse homo. *Ibid. lib: de disciplina Christiana cap. 6.*

Sancti pro se securi pro nobis soliciti.

Felices Sancti DEI omnes, qui jam pertransistis hujus mortalitatis pelagus, & pervenire meruistis ad portam perpetuæ quietis, securitatis, & pacis, securi & tranquilli: semperq; festivi atq; gaudentes: obsecro vos per vestram charitatem, qui securi estis de vobis, soliciti estote de nobis. *Et infra.* Vos portæ pulcherrimæ quæ in magnam surrexistis altitudinem, adjuvate nos vile pavimentum longe inferius jacentes. Date manum, & erigite jacentes super pedes: ut convalescentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello. Intercedite & orate constanter, atq; indesinenter, pro nobis miseris multumq; negligentibus peccatoribus, ut per vestras orationes vestro sancto consortio conjungamur: quia aliter salvi esse non possumus. *T. 9. lib: Medit: cap. 25.*

Societas heredes Cæli facit.

Lætitia spiritualis, glorificat Deum.

O beatæ nimium illæ Cælorum virtutes, quæ laudare te possunt sanctè & purissimè, cum nimia dulcedine & ineffabili exultatione.

one. Inde laudant, unde gaudent, quia semper vident, unde gaudere valeant, & laudare. *T. 9. lib: Medit: cap: 33.*

BELLUM

Misericorditer enim si fieri posset etiam bella gererentur à bonis, ut licentiosis cupiditatibus domitis, hæc vitia perderentur, quæ justo Imperio vel extirpari vel deprimi debuerunt. *T. 2. Epist. 5.* *Boni quoq; bella gerunt.*

Et dedit Dominus Israel omnem terram, cum multas ejus partes nondum possederint: dixi posse intelligi omnem terram, quia ea quæ data non est in possessionem, data est in quandam exercitationis utilitatem. *T. 4. l. 7. in Iudic: Quæst: 5* *Patientia omnia possidet. Tuus est qui te affligit. Afflictio facit nos affligentium Dominos.*

Cur autem timuerit Judas cum quo Dominus erat, si quæritur hoc est quod prudenter intelligendum est, restringere DEUM & propitium in cordibus suis nimiæ prosperitatis excessus, ut in usum eorum convertat inimicos, non solùm quando vincuntur inimici, sed & quando metuuntur. *Ibid. lib. 7. in Iudic: Quæst. 5.* *Time Deũ propitium. Periculosa nimia felicitas.*

Legitur in Historia gentium, universam penè Asiam Scithas aliquando tenuisse, cùm Regi Ægyptiorum illi qui eis ultrò bellum indixerant, irent obviam, quorum adventu territus, in suum se Regnum recepit. *Ibid. lib 7. in Iudic: Quæst: 8.* *Maxime timida audacia.*

Et dimisit DEUS gentes has, ut non auferret illas celeriter. Erat ergo ista causa in eorum tentatione, ut bellare discerent, id est ut tanta pietate & obedientia legis DEI bellarent, quanta Patres eorum, qui Domino DEO etiam bellando placuerant, non quia optabile est aliquid bellum, sed quia pietas laudabilis est in bello. *Ibid. lib. 7. in Iudic: Quæst: 17.* *Placent Deo bella contra iniquos. Laudabilis in bello pietas.*

Non ejiciam illos in uno anno, nè fiat terra deserta, & multiplicentur in te bestiæ feræ. Mirum si non bestiales cupiditates & libidines intelligi voluit, quæ solent de repentino successu terrenæ felicitatis existere. Neq; enim DEUS homines exterminare poterat, & bestias non poterat vel perdere vel pasci potiùs non permittere. *Ibid. l. 7. Quæst: in Iudic: Quæst: 17.* *Adversitas vel hostis excolit terram. Nocet magna felicitas.*

Divinitus impulsum fuisse Alaricum ut Romam everteret: cum enim priùs quidam Monachus in Italia ei Romam properanti consuluisset, ut parceret Urbi, nec se tantorum malorum Authorem constitueret; respondisse dicitur, se hoc invitum aggredi, sed esse quendam, qui ei quotidie molestiam exhiberet, imò vi impelleret ac diceret, iter capessito, urbem Romam vastato. Zozomenus in Notis. *T. 5 lib. 1. de Civit: Dei. c. 1.* *Deo auctore patimur, vel adversa eveniunt.*

Marcus Marcellus qui Syracusas Urbem ornatissimam cepit, refertur eam prius flevisse ruituram, & ante ejus sanguinem suas illi lachrimas effudisse. Gessit & curam pudicitiæ, etiam in hoste servandæ. *Ibid l. 1. de Civit: Dei. c. 6.* *Hostis nexa nõ virtutis.*

Neq; enim ejus dignitati (loquitur de Sylla) tantùm profuit victoria, quantùm nocuit cupiditati Quo factum est ut immoderatis inhians, & secundis rebus elevatus, ac præcipitatus, magìs periret in moribus, quàm inimicos in corporibus perderet. Ut victor Civium gloriosus, victus atq; captivus nefandis vitijs, & per hoc etiam ipsis Dæmonibus multò obstrictius subderetur. *Ibid. lib. de Civit: Dei. c. 24.* *Proborum victoria. Turpe vincere hostem, vinci à crimine.*

In quadam Campaniæ lata planitie, ubi non multò post civiles acies conflixerunt, ipsi (intellige spectra Dæmonum) inter se prius pugnare visi sunt. Namq; ibi auditi sunt primùm ingentes fragores, moxq; multi se vidisse nuntiârunt per aliquot dies duas acies præliari. Quæ pugna ubi destitit, vestigia quoq; velut hominum *Præludunt viæ dæmones.*

& equorum, quanta de illa conflictatione exprimi poterant, invenerunt. *Et infra.* Multos moverat, quod miles quidam, dum occiso spolia detraheret, fratrem nudato cadavere agnovit, ac detestatus bella civilia, loquitur de Romanis, & se ipsum ibi perimens fraterno corpori ibi adjunxit. *Ibid. lib. 2. de Civ: Dei. c. 25.*

Nefas belli Civilis.

Quantis & quàm multis utrinq; vulneribus ac funeribus, tam propinquorum, quàm confinium illæ victoriæ constiterunt: propter unum Cæsarem socerum, & unum Generum ejus Pompejum, jam mortua Cæsaris Filia, uxore Pompeij Lucanus exclamat. Jusq; datum sceleri canimus, vicerunt ergo Romani, ut strage socerorum manibus cruentis ab eorum filiabus amplexus miserabiles extorquerent, nec illæ auderent flere Patres occisos, nè offenderent victores maritos. *Ibid. lib. 3. de Civ: Dei. c. 13.*

Crudelitas victorum.

Si in arenam procederent pugnaturi inter se gladiatores, quorum alter filius, alter Pater esset, tale spectaculum quis ferret? quis non auferret? quomodo ergo gloriosum alterius Matris, alterius Filiæ Civitatis, inter se armorum potuit esse certamen. *Ibid. c. 14.*

Turpe bellum viciniæ.

Annibal cùm esset crudelissimus tamen tanta inimicorum atrocissimorum cæde satiatus? parci jussisse perhibetur? unde tres modios, annulorum aureorum Carthaginem misit: quo intelligerent tantam in illo prælio dignitatem cecidisse Romanam, ut facilius eam caperet mensura, quàm numerus: atq; hinc strages turbæ cæteræ, tantò utiq; numerosioris, quantò infirmioris, quæ sine annulis jacebat conijcienda potiùs, quàm nuntianda putaretur. *Ib. c. 19.*

Sit vicisse satis. Sera mansuetudo.

Discordiæ Civiles vel potiùs Inciviles nec jam seditiones, sed etiam ipsa bella urbana, quantum Romanum cruorem fuderunt: cuncta animalia humanis usibus subdita, canes, equi, asini, boves, & quæq; alia pecora, sub hominum dominio fuerunt, subitò efferata & domesticæ lenitatis oblita, relictis tectis libera uagabantur: & omnes nen solùm aliorum, verùm etiam Dominorum aversabantur accessum, non sine exitio vel periculo audentis; si quis de proximo urgeret. *Ibid. c. 23.*

Sævientibus mortalibus ipsæ sæviunt feræ.

Discordias hominum castigant belluæ.

Initium autem Civilium bellorum fuit, seditiones Grachorum agrarijs legibus excitatæ, volebant enim agros populo dividere, quos Nobilitas perperam possidebat. Sed eis tam vetustam iniquitatem audere, convellere periculosissimum: imò verò ut ipsa res docuit perniciosissimum fuit. Quæ funera facta sunt, cum prior Grachus occisus sit. *Et infra.* Percussor Grachi ipsius caput quantum grave erat, tanto auri pondere Consuli vendidit. Hæc enim pacti cædem præcesserat. *Ibid. c. 24.*

Mala pauperum Causa.

Caput auro æstimatum.

Jllo bello Mariano atq; Syllano exceptis his, qui foris in acie ceciderunt in ipsa quoq; urbe cadaveribus, vici, plateæ, fora, theatra, Templa completa sunt. ut difficile judicaretur, quando victores plùs funerum addiderint, utrum priùs ut vincerent, an postea, quia vicissent. *Et infra.* In ipsis autem Marij oculis continuò feriebantur, quibus salutantibus dexteram porrigere noluisset. *Et infra.* Obsesso etiam Senatu, de ipsa curia tanquam de carcere producebantur ad gladium. Unde tot funera numerari omninò non poterant, donec Syllæ suggereretur, sinendos esse aliquos vivere ut essent, quibus possent imperare qui vicerant. Tunc jam cohibita licentia jugulandi, tabula illa cum magna gratulatione proposita est, quæ hominum ex utroq; ordine splendido, equestri scilicet atq; senatorio occidendorum ac proscribendorum duo millia continebat: contristabatur numerus, sed consolabatur modus. *Et infra.* Quendam sine ferro laniantium manus diripuerunt, immaniùs homines, hominem vivum, quam bestiæ solent discerpere, cadaver abjectum.

Spectaculum Cladis.

Marij crudelitas.

Et Syllæ.

Et

Et infra Pax cum bello de crudelitate certavit, & vicit. Illud enim prostravit armatos, ista nudatos. *Ibid. c. 28.*

Pax crudelis.

Deos suos accusent de tantis malis, qui nostro Christo ingrati sunt, de tantis bonis. *Ibid. c. 31.*

Crudelitas Idolorum.

Inferre bella finitimis, & inde in cætera procedere, & populos sibi non molestos sola Regni cupiditate conterere, & subdere, quid aliud quàm grande latrocinium nominandum est. *Ibid. l. 4. de Civ: Dei. c. 6.*

Inferre bella pacificis latrocinium est.

Belligerare & perdomitis gentibus dilatare Regnum, malis videtur felicitas, bonis necessitas. Sed quia pejus esset, ut injuriosi justioribus dominarentur, ideo non incongruè dicitur etiam ista felicitas. Sed proculdubio felicitas major esset vicinum bonum habere concordem, quàm vicinum malum subjugare bellantem. Mala vota sunt optare habere, quem oderis vel quem timeas ut possit esse, quem vincas. *Ibid. c. 15.*

Felicitas malo non subesse.

Neq; unquam inter se leones aut inter se Dracones, qualia homines bella inter se gesserunt. *Ibid. lib. 12. de Civ, Dei. c. 23.*

Magis discordes homines quam belluæ.

Terrena Civitas quæ sempiterna non erit, hîc habet bonum suum, cujus societate lætatur. Et quoniam non est tale bonum, ut nullas angustias faciat amatoribus suis, ideo Civitas ita adversus seipsam plerumq; dividitur, litigando, bellando, atq; pugnando, & aut mortiferas, aut certè mortales victorias requirendo. Nam exquacunq; sui parte, adversùs alteram sui partem bellando surrexerit, quærit esse victrix gentium, cum sit captiva vitiorum. *Ib. lib. 15. de Civ: Dei. c. 4.*

Angustiæ bella movent.

Malitia avida victoria.

Societas mortalium victrici victa succumbit, Dominationi scilicet, vel etiam libertati, qualemcunq; pacem præferens ac salutem: ita ut magnæ fuerint admirationi, qui perire quàm servire maluerunt; nam in omnibus ferè gentibus quodammodo vox naturæ ista personuit, ut subjugari victoribus malent, quibus contigit vinci, quàm bellica omnifaria vastatione deleri. *T 5. l. 18. de Civ: Dei. c. 2.*

Potior libertate salus. Tolerabilius est perire quàm servire.

Quid enim culpatur in bello, an quia moriuntur, quandoq; morituri ut domentur in pace victuri? hoc reprehēdere timidorum est, non Religiosorum: nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atq; implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ similia hæc sunt, quæ in bellis jure culpantur, quæ plerumq; ut etiam jure puniantur, adversus violentiam resistentium sive DEO, sive aliquo legitimo imperio jubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis, cùm in eo rerum humanarum ordine inveniuntur, ubi eos vel jubere tale aliquid, vel in talibus obedire, justè ordo ipse constringit. Alioquin Joannes cum ad eum baptizandi milites venirent dicentes, & nos quid facimus? responderet eis, Arma abjicite, militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite. Sed quia sciebat eos, cùm hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non ultores injuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, Respondit eis, neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum.

Crimina belli non bellū fugienda.

Idem.

Miles legis est minister.

Et infra. Ad hoc enim tributa præstantur, ut propter bella necessario militi stipendium præbeatur. Ipsum Dominum JESUM Christum audiant. Reddite inquit quæ Cæsaris sunt. *Et infra.* Interest quibus causis, quibusq; authoribus homines gerēda bella suscipiant. Ordo tamen ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli authoritas, atq; consilium penes Principem sit, exequendi autem jussa bellica, ministerium milites debeant paci salutiq; communi. *Et infra* Cum ergo vir justus, si fortè sub

Mar. 11.17

Rege, homine etiam sacrilego militet, rectè possit illo jubente bellare, civicæ pacis ordinem servans: cui quod jubetur, vel non esse contra DEI præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est, ita ut fortasse reum Regem faciat, iniquitas imperandi, innocentem militem ostendat ordo serviendi? Quantò magis in administratione bellorum innocentissimè diversatur, qui DEO jubente belligerat, quem malè aliquid jubere non posse, nemo qui ei servit ignorat. *T. 6. l. 22. con. Faust. c. 74. & 75. & 76.*

Etiam malis obediendũ est.

BONITAS DEI

Deus singulos ut omnes amat. Amor absque respectu.

O Tu bone Omnipotens, qui sic amas unum quemq; nostrum, tanquam solum ames, & sic omnes tanquam singulos. *T. 1 l. 3. Confess: c 11.*

Ex bonitate non indigẽtia orbem creat.

Quid enim tibi deesset ad bonum, quod tu tibi es, etiamsi ista vel omnino nulla essent, vel informia remanerent, quæ non ex indigentia fecisti, sed ex plenitudine bonitatis tuæ. *T. 1. l. 13. Conf: c 4.*

A Deo irato ad placatum fugiendum.

Esto mihi in DEUM Protectorem, & in locum munitum, ut salvum me facias Ego si mihi alium locum elegero salvus esse non potero. Elige homo si inveneris munitiorem. Non est ergo quo fugiatur ab illo, nisi ad illum. Si vis evadere iratum, fuge ad placatum. *T. 8. Enar: primæ partis Psal: 70.* Ps. 30. 3.

Bonitas Dei imparticipata deprædicatur.

Jlle bono suo bonus est; non aliunde participato bono. Jlle à seipso bono bonus est, non adhærendo alteri bono. Mihi autem adhærere bono bonum est, qui non eguit à quo fieret bonus, sed eguerant illo cætera ut fierent bona. Vultis audire, quàm singulariter ille sit bonus? Dominus interrogatus dixi Nemo bonus nisi unus DEUS. *Et infra.* Ineffabili dulcedine teneor, cum audio bonus Dominus: consideratisq; omnibus & collustratis quæ forinsecus video quoniam ab ipso sunt omnia, etiam cum mihi hæc placent, ad illum redeo à quo sunt, ut intelligam quoniam bonus est Dominus. Rursum cum ad illum quantum possum ingressurus fuero, interiorem mihi & superiorem invenio: quia sic bonus est Dominus, ut istis non indigeat quo sit bonus. Deniq; ista non laudo sine illo: illum autem sine istis perfectum, non indigum, incommutabilem, nullius bonum quærentem quo augeatur, nullius malum timentem quo minuatur, invenio. *Et infra.* Omnia ista dico bona, sed tamen cum suis Nominibus, cælum bonum, Angelum bonum, hominem bonum. Ad DEUM autem cum me refero, puto melius nihil dicere quam bonum. Ipse quippe Dominus noster JESUS Christus dixit: Homo bonus, & ipse item dixit. Nemo bonus nisi solus DEUS. *Et infra.* Si ergo quidquid aliud laudamus, ideo laudamus quia bonum est, nulla tibi major causa & melior & firmior dari potuit, quare laudes DEUM nisi quia bonus est. Ergo laudate Dominum quoniam bonus est. *Ibid. Enar: in Psal: 134.* Ps. 72. 28. Ps. 10. 18. Ps. 10. 18.

Creaturæ propter bonitatẽ Dei bona dicuntur.

Omnia Deo præstat cui à Deo omnia præstãtur.

Nullo ille munere eget: hoc illi munus optimum est, ut causas babeat munerandi. Nihil à nobis exigit, nihil amplius petit nisi salutem nostram. Omnia enim sibi præstari à nobis putat, si ita nos egerimus ut nobis ab illo cuncta præstentur. *T. 10. serm: de Tempore ser: 29. In festo Epipha: Dom: ser. 1.*

Peccatũ non dominatur, ubi beneficia Dei in mẽtem revocantur.

Certum est fratres charissimi, quod si semper beneficia DEI nostri, quæ nobis nullis præcedentibus meritis nostris collata sunt, assiduè cogitamus, peccata nostra nobis aut non dominantur: aut si forte surrepserint, cito per pænitentiam corriguntur. Quis enim vel mente concipere, non dicam verbis possit exponere, quanta circa nos sint DEI nostri beneficia? Fecit enim nos cum non essemus,

repa-

reparavit nos, cum perijssemus. Mortem suscepit, pretioso nos sanguine liberavit, ad inferna descendit, de faucibus nos æternæ mortis eripuit, cælorum nobis etiam præmia promisit *Ibid. ser. 67. Feria 2. post 1. Dominicam Quadr: ser: 1. de extremo judicio cogitando.*

Dei beneficia in homines recensentur.

Confitemini inquit Domino. Et tanquam quæreremus quare: Ps. 16. 1. responsum est: Quoniam bonus est. Quid plus quæris? Aut si aliud quæris quàm bonum? Tanta vis est boni, ut bonum quærant & mali. *Ibid. de diver: ser: 3. de verbis Psalmographi Confitemini Domino quoniam bonus.*

Bonum etiam à malis quæritur.

BONUM

VIvit apud te semper bonum nostrum, & quia inde aversi, perversi sumus, revertamur jam Domine, ut non evertamur. *T. 1. l. 4. Conf: cap. 16*

Revertamur ne evertamur

Ps. 72. 28. Mihi adhærere DEO bonum est, quia si non manebo in illo, nec in me potero, ille autem in se manens innovat omnia. *T. 1. l. 7. Confes: c. 11.*

Nocet à Deo recessisse. Se deserit qui Deum deserit.

Solida bona bonus amat, & ea quæ amat, habet, itaq; nec eget amor. ea bona DEUS est. *T. 1. l. 4. Musis: c. 3.*

Non eget amor.

Si ergo in corporis bonis invenimus aliqua, quibus non rectè uti homo possit nec tamen propterea non ea dari debuisse, quoniam ea confitemur bona, quid mirum si & in animo sunt quædam bona, quibus etiam non rectè uti possumus, sed quia bona sunt, non potuerunt dari nisi ab illo, à quo sunt omnia bona. *T. 1. l. 2. de liber. arbit: cap 18.*

Ex beneficijs æstimatur benefactor.

Bona sunt ergo quæ vitiantur, & ideo vitiantur, quia non summa bona sunt, non sunt DEUS. Bonum ergo quod vitiari non potest, DEUS est. *T. 1. l. de ver. Relig c. 19.*

Summum bonum ignorat vitium.

Quid est aliud falsis bonis illudi atq; decipi? quam te ipso inferiora, miranda & appetenda arbitrari. *T. 1. lib. 1. de mor: Eccl: Cathol. cap 21.*

Nostro nobis arbitrio terrena illudũt.

Bona verò terrena noli diligere, quantalibet tibi abundent. Sic eis utere, ut bona multa ex illis, nullum autem malum facias propter illa. Omnia quippe talia peribunt; sed bona opera non pereunt, etiam quæ de bonis pereuntibus fiunt. *T. 2. Epist: 70.*

Bonis utere ad bonum.

Cum bona & mala nullus ambigat esse contraria, non solùm simul esse possunt, sed etiam mala omnino sine bonis, & nisi in bonis esse non possunt, quamvis bona sine malis esse possunt. Potest enim homo vel Angelus non esse injustus, injustus autem non potest esse nisi homo vel Angelus. Et hæc duo contraria ita simul sunt, ut si bonum non esset, in quo malum esset; prorsus nec malum esse potuisset; quia non modo ubi consisteret, sed unde oriretur corruptio non haberet; quoniam nihil est corruptio quàm boni exterminatio. *T. 3. Enchir: c, 14.*

Bona malis discordant. Mala bonis nituntur.

Bonum hoc, & bonum illud. Tolle hoc & illud, & vide ipsum bonum si potes, ita DEUM videbis, non alio bono bonum, sed Bonum omnis boni. Sic amandus est DEUS, non hoc & illud bonum, quærendum enim bonum animæ, non cui supervolites judicando, sed cui hæreat amando. Et quid hoc nisi DEUS? non bonus animus, aut bonus Angelus, aut bonum Cælum, sed bonum, bonum. *Ibid. l. 8. de Trin. c. 3.*

Deus omne bonum.

Nulla essent mutabilia bona, nisi esset Incommutabile Bonum. Si ergo potueris illis detractis per se ipsum perspicere bonum; perspexeris DEUM. Et si amore inhæseris, continuò beatificaberis. Pudeat autem cum alia non amentur, nisi quia bona sunt, eis inhæren-

Amor Dei beatificat.

rendo, non amare bonum ipsum, unde bona sunt. Hoc ergo Bonum, non longè positum est ab uno quoq; nostrûm. In illo enim vivimus, movemur & sumus, sed dilectione standum est ad illud, & inhærendum illi, ut præsente perfruamur à quo sumus, quo absente nec esse possemus. Cùm enim per fidem adhuc ambulamus, non per speciem, nondum itaq; videmus DEUM facie ad faciem, quem tamen nisi nunc jam diligamus, nunquam videbimus. *Ibid. cap 3. & 4.*

Amor præsentem nobis Deum facit.

DEUS fecit omnia valde bona, non ob aliud nisi quia ipse summum Bonum est, inquantum ergo bonum est quidqnid est, in tantum scilicet quamvis longè distantem, habet tamen nonnullam similitudinem summi Boni. Nam & animæ in ipsis peccatis suis non nisi quandam similitudinem DEI superba & præpostera, & ut ita dicam servili libertate sectantur Ita ut nec primis Parentibus nostris persvaderi peccatum posset, nisi diceretur, Eritis sicut Dij. Non sanè omne quod in Creaturis aliquo modo simile est DEO, etiam ejus imago dicenda est, sed illa sola qua superior ipse solus est. *Ibid. l. 11. de Trin: c. 5.*

Omnibus rebus sua inest bonitas.

Magnum bonum quod inveniendum quæritur, & quærendum invenitur. Nam & quæritur ut inveniatur dulcius, & invenitur ut quæratur avidius. Secundum hoc accipi potest quod dictum est in Ecclesiastico: Qui me manducant, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient, manducant enim & bibunt, qui inveniunt, & quia esuriunt & sitiunt adhuc quærunt. Fides quærit, intellectus invenit, propter quod ait Propheta. Nisi credideritis, non intelligetis. *Ibid. l. 15, de Trin: c 2* Ec. 24. 29.

Deus supra satietatem hominis est.

Quid tam iniquum quam ut bene sit desertori boni? neq; ullo modo fieri potest ut ita sit. Sed aliquando amissi superioris boni non sentitur malum, cum habetur quod amatum est inferius Bonum, Sed Divina justitia est, ut qui voluntate amisit, quod amare debuit, amittat cum dolore quod amavit, dum naturarum Creator ubiq; laudetur. Adhuc enim est bonum, quod dolet amissum bonum. Nam nisi aliquod bonum remansisset in natura, nullius boni amissi dolor esset in pœna. *Ibid. lib. 8. de Gen: ad lit. c. 14*

Desertori Dei bene esse non potest.

Omnia perdit qui Deũ perdit.

Summum Bonum quo superius non est, DEUS est: ac per hoc Incommutabile Bonum, est ideo verè æternum & verè immortale, cætera omnia bona, non nisi ab illo sunt, sed non de illo De illo enim quod est, hoc est, quod ipse est: ab illo autem quæ facta sunt, non sunt, quod ipse. *T. 6. l. 1. de natura boni c. 1.*

Summum bonum Deus est.

Tale Bonum est DEUS, ut nemini cum deserenti bene sit, & in rebus à DEO factis: tam magnum bonum est natura rationalis, ut nullum sit bonum, quo beata sit, nisi DEUS. Peccantes igitur in supplicijs ordinantur, quæ Ordinatio quia eorum naturæ non competit, ideo pœna est, sed quia culpæ competit, ideo justitia est, *Ibid. l. 1. de natura boni c. 7.*

Non potest esse bene deserẽti Deum.

Nimis de DEO malè sentit, qui propterea bonum esse aliquid negat, quia æquale DEO non esse cognoscit. Ita enim non erit ille summum, sed infimum bonum, si quod eo minus est, jam non est bonum. *Et infra.* Ideo sunt omnia bona, quia sunt alijs alia meliora, & bonitas inferiorum additur laudibus meliorum. Et in rerum bonarum inæqualitate ipsa est jucunda gradatio, ubi minorum comparatio, ampliorum est commendatio. *Ibid. l. 1. con: Adversa: legis & Prophet: c. 4. & 5.*

Deus est grande bono.

Comparatione res grandescunt.

An potest bonorum esse usus malus, & non potest malorum bonus? Cùm inveniamus ipso Sathana quàm bene usus fuerit Apostolus, tradens ei hominem in interitum carnis, ut Spiritus salvus esset 1. Cor. 5.

Pessima quæq; prosunt.

set

ſet in die Domini: & alios ut diſcerent non blaſphemare. *T. 7. lib. 3. con: Iulian: cap. 7.*

Bonus malorum uſus.

Noli pro magno expectare ab eo bonum, quod dat & non bono. Nam ſi pro magno ea daret, malis non daret. Ideo autem ea voluit dare & malis, ut diſcant boni aliud ab eo quærere, quod non dat & malis. *Ibid. in Pſal: 73.*

Deus etiam erga malos beneficus.

Pſ. 102. 5. Qui ſatiat in bonis deſiderium tuum. Modo audis bonum & anhelas: audis bonum & ſuſpiras, & hoc ipſum quòd peccas eligendi boni aviditate falleris. Ubicunq; peccas, quaſi bonum quæris quaſi refectionem deſideras. Bona ſunt iſta quæ quæris, ſed mala tibi erunt, deſerto illo à quo bona facta ſunt. Bonum tuum quære ô anima Nemo bonus niſi unus Deus. Summum bonum, hoc eſt tuum bonum. Quid ergo deeſt cui ſummum bonum, bonum eſt? Sunt enim & inferiora bona quæ alijs atq; alijs bona ſunt. Pecori quid bonum eſt Fratres niſi implere ventrem, carere indigentia, dormire, geſtire, vivere, ſanum eſſe, generare? Tale tu bonum quæris? dat & hoc Deus, ſed noli ſolum quærere. Cohæres Chriſti quid gaudes, quia ſocius es pecori? Erige ſpem tuam ad bonum bonorum omnium. Ipſe erit bonum tuum, à quo tu in tuo genere factus es bonus, & omnia in ſuo genere facta ſunt bona. Fecit enim Deus omnia bona valde *Ibid. in Pſal: 102.*

Peccator in peccatis boniũ quærit & nõ invenit.

Solus Deus bonum animæ proportionatum.

Pſ. 102. 5. Qui ſatiat in bonis deſiderium tuum: quaſi reſponderit anima. Non ſatiabor de mortalibus, non ſatiabor de temporalibus, aliquid æternum donet, aliquid æternum concedat. Sapientiam ſuam mihi det, Deum apud Deum, & ſe Deum Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum. Mendicus ante januam ejus ſto, non dormit

Luc. 11. 5. quem invoco, det mihi tres panes. Evangelium recordamini. *Ibid. Enar: in Pſal: 102.*

Anima ſolo Deo ſatiari poteſt.

Quid eſt bonum? O ſi ſcires quid eſt bonum. Quod habere vis, non eſt valde bonum: quod eſſe non vis, hoc eſt bonum. Vis enim habere ſanitatem corporis, hoc eſt bonum: nec tamen putes magnum bonum eſſe, quod habet & malus. Aurum & argentum habere vis: ecce & hoc dico quia bonum eſt: ſed ſi bene uſus fueris. *Et infra.* Honorem habere vis, bonum eſt: ſed & hoc ſi bene utaris. Quam multis honor occaſio exitus fuit: quàm multis honor miniſterium boni operis fuit. *Et infra.* Cum enim ſe homo inanem inveneric meliorum bonorum, ut quid eſt avidus externorum bonorum? Ecce quid prodeſt plena bonis arca, cum ſit inanis conſcientia? Bona vis habere, & bonus non vis eſſe? Non vides te erubeſcere debere de bonis tuis, ſi domus tua plena eſt bonis & te habet malum? Quid enim eſt quod velis habere malum? Dic mihi? Nihil omnino; non uxorem, non filium, non filiam, non ſervum, non ancillam, non villam, non tunicam, poſtremo non caligam: & tamen vis habere malam vitam? Rogo te præpone vitam tuam caligæ tuæ. Omnia quæ circa jacent oculis tuis elegantia & pulchra tibi chara ſunt: & tibi ipſe vilis es, & fædus es? Si tibi poſſent reſpondere bona quibus eſt plena domus tua, quæ habere optaſti, quæ perdere timuiſti, nonne & tibi clamarent. Sicut tu nos bona vis habere, ſic & nos volumus bonum habere Dominum? Tacita voce interpellant contra te Dominum tuum. Ecce bona tanta dediſti huic, & ipſe malus eſt. Quid ei prodeſt quod habet, quando eum qui omnia dedit non habet? *Et infra.* Hoc eſt bonum quod non potes intus amittere. Potes enim aurum perdere & nolens, potes domum, potes honores, potes ipſam carnis ſalutem Bonum verò quo vere bonus es, nec invitus accipis, nec invitus amittis. *Et infra.* Quouſq; graves corde? Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

Quod eſſe nolumus bonum eſt.

Multis honor, miniſterium boni fuit.

Divitiæ, cum inani conſcientia non proſunt.

Domus plena fortunâ malo herede erubeſcit.

Fortunæ bona, boniũ vult habere Poſſeſſorem.

Nec proſunt omnia ſi deeſt ille qui dedit omnia.

Bonum invito Domino non amittitur.

Adhuc vana adhuc inutilia, adduc pompatica & volatica, ita Christo Sancto magnificato, adhuc ista requiruntur? Jam clamat veritas, & adhuc quæritur vanitas? *Ibid. ser: de ver: Dñi. ser:* 12.

Omnia bona quærũtur præter animam.

Malus bona quærens sibi contrarius.

Malo bona pereunt qui se perdidit.

Quanta bona quæris homo male? Certe malus es. Dic mihi quid velis nisi bonum? Equum quæris, non nisi bonum, fundum quæris, non nisi bonum: domum quæris, non nisi bonam: uxorem quæris non nisi bonam, tunicam non nisi bonam: caligam non nisi bonam, animam solam malam. Nonne tibi ipse es contrarius qui bona quæris, cum sis malus? Si bona quæris, prius ipse esto quod quæris. Si autem malus multa bona invenisti, quid tibi prodest? Quia tu perijsti. Amate bonas animas vestras: odio habete malas animas vestras. *Ibid: de diver: ser: 3. de versu* 15.

Dives est, qui Deum habet pauper qui eo caret.

Hoc scio quia male mihi est præter te Domine, non solum extra me, sed in meipso. Omnis enim copia quæ Deus meus non est, egestas mihi est. Bonum namq́ quod neq; in melius, neq; in deterius commutari potest, tu solus es, qui simpliciter solus es: cui non est aliud vivere, & aliud beatè vivere, quia tua beatitudo tu es. Creatura vero tua cui est aliud vivere, aliud beatè vivere, omne quod vivit, & beatè vivit, non debet nisi gratiæ tuæ attribuere. Et ideo nos egemus tui non tu nostri, quia si omnino non essemus nihil tibi deesset ad bonum quod tu es. *Ibid. cap:* 18.

BONUM PUBLICUM

Ne tibi attribuas quod omnium est.

QUisquis id, quod tu omnibus fruendum proponis, sibi propriè vendicat, & suum vult esse, quod omnium est, à communi propellitur, ad sua, hoc est à veritate ad mendacium, qui enim loquitur mendacium de suo loquitur. *T. 1. l. 12. Conf: cap:* 25.

Virtus aliis quam sibi prospicit.

Quantò plùs rem communem, quam propria vestra curaveritis, tanto vos ampliùs profecisse noveritis, ut in omnibus quibus utitur transitura necessitas superemineat, quæ permanet charitas. *T. 1. In Regula.*

Auget cõmendationem cõmunitas.

Idem:

Et vidit Deus omnia quæ fecit, & ecce valde bona. Non enim frustra est additum valde, quia & corporis membra etiamsi singula pulchra sunt, multò tamen sunt in universi corporis compage omnia pulchriora, quia oculum verbi gratia placitum atq; laudatum, tamen si separatum à corpore videremus, non diceremus tam pulchrum, quàm in illa connexione membrorum, cum loco suo positus in universo corpore cerneretur. Qui enim singillatim bonus est, magis utiq; cum omnibus bonus est. Non autem quando cum omnibus bonus est, sequitur, ut etiam singillatim bonus sit. *T. 3. l. 3. de Gen. ad lit. cap.* 24. *Genes. 1. 31.*

Exemplum minus sua quam publica æstimantis.

Christianus omnia debet habere communia.

Si hujus terrenæ Reipub. antiqui Principes præclarissimo literatorum suorum eloquio prædicari solent, quod rem communem universi populi suæ Civitatis privatis suis rebus sic anteponebant, ut quidam eorum Africâ edomitâ Triumphator, quid nubenti filiæ daret, non habuerit, nisi ex Senatus consulto daretur; quo animo debet esse in Rempub. suam Civis illius æternæ Civitatis Jerusalem cælestis? nisi ut illud ipsum, quod proprijs manibus elaborat, in commune habeat cum fratre, etsi quid ei defuerit, de communi suppleat dicens cum illo, cujus præceptum exemplumq́; secutus est: quasi nihil habentes, & omnia possidentes. *Ibid. l. de oper. Mon. c.* 25. *2. Cor. 6. 10.*

Boni publici amor, habẽtes magis ditat.

Erat illis anima una, & cor unum in Deum. Multi autem ne faciant locum Domino, sua quærunt, sua diligunt: potestate sua gaudent, privatum suum concupiscunt. Qui autem vult facere lo- *Act: 2. 12.*

cum

cum Domino, non de privato sed de communi debet gaudere. Hoc illi fecerunt de rebus suis privatis, fecerunt illos communes. Quod habebant suum nunquid amiserunt? si soli haberent, & unusquisq; suum haberet, hoc solum haberet, quod suum habebat. Cum autem quod proprium erat commune fecit: & ea quæ erant cæterorum ipsius facta sunt. Intendat charitas vestra, quia propter illa quæ singuli possidemus, existunt lites, inimicitiæ, discordiæ, bella inter homines, tumultus, dissensiones adversum se, scandala, peccata, iniquitates, homicidia. Propter quæ? propter ipsa quæ singuli possidemus. Nunquid propter ista quæ communiter possidemus litigamus? Aerem istum communiter ducimus, solem communiter omnes videmus. Beati ergo qui sic faciunt locum Domino, ut privato suo non gaudeant. *Ibid. Enarrat: in Psal: 131.*

Privata cedunt communibus.

Privata bona origo omnium malorum, bellorum.

E contra bona communia.

Terra es, & in terram ibis. Fratres ergo si volunt esse concordes, non amant terram. Sed si volunt non amare terram, non sunt terra. Quærant possessionem quæ dividi non potest, & semper concordes erunt. Unde inter fratres discordia: unde perturbatio pietatis? Unde unus uterus, & non unus animus? nisi dum curvatur anima eorum, & partem suam quisq; respicit, & parti suæ opimandæ, & exaggerandæ operam impendi. & in possessione sua vult habere unitatem: qui cum fratre suo possidet divisionem? Bona est ipsa possessio. Cujus est? Nostra est Magna possessio. Sic dici solet, tota tua est, frater, non habes hic consortem. *T. 10. Parte 2. ser: de diver: ser: 91.*

Amans terræ terra est.

Fratrum discordia.

C

CARO

QUid patimur? quid est hoc? surgunt indocti, & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamur in carne & sanguine? An quia præcesserunt, pudet sequi, & non pudet, nec saltim sequi. *T. 1. l. 8. Conf: cap: 8.*

Vis exempli.

Væ, qui se avertunt à lumine tuo, & obscuritati suæ dulciter inhærent! Tanquam enim dorsum ad te ponentes, in carnali opere velut in umbra sua defiguntur, & tamen etiam ibi, quod eos delectat, adhuc habent de circumfluentia lucis tuæ, sed umbra dum amatur, languidiorem facit oculum animi, & invalidiorem, ad perferendum conspectum tuum. *Ibid. lib. 2. de liber: arbitr. cap. 16.*

Amor terræ impedit conspicienda.

Ps. 62. 3. Caro mea in terra deserta, & sine via & sine aqua. Quid est ista moribunda vita, quibuslibet mortalibus solatiis frequentetur, quibuslibet itinerantibus comitetur, quantalibet rerum copia ditetur. Nosti quippe ista omnia quàm incerta sunt Et in illius promissæ felicitatis comparatione, quid essent etiam, si incerta non essent. *T. 2. Epist 122. c. 2.*

Infelix incerta felicitas.

Omnis caro corpus est, non autem omne corpus caro est. Primo in istis terrestribus lignum corpus est, sed non caro, hominis autem vel pecoris, & corpus & caro est. In cælestibus verò nulla caro: sed corpora simplicia & lucida, quæ appellat Apostolus spiritualia, nonnulli autem vocantætherea. *T. 3. de Fide & Symbolo c. 10.*

Corpus æthereum.

Caro autem nihil nisi per animam concupiscit, sed concupiscere caro adversus Spiritum dicitur, quando animæ carnalis concupiscentia Spiritui reluctatur. *T. 4 lib. de continen: c. 8.*

Caro animæ reluctans.

Jam quippe anima libertate in perversum propria delectata, quia superiorem Dominum suo arbitrio deserverat, inferiorem famulum ad suum arbitrium non tenebat: nec omninò habebat sub-

Deo rebellis carnem rebellem habes.

ditam carnem, ſicut ſemper habere potuiſſet, ſi DEO ſubdita ipſa manſiſſet. *T. 5. l. 12. de Civit: Dei. c. 13.*

Providentia Dei ut circa animas ita circa corpora. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. *Pſ. 62. 2.* Qui DEO ſitiunt, undiq; debent ſitire & anima & carne. Quia & animæ DEUS dat panem ſuum, id eſt verbum veritatis: & carni DEus dat quæ neceſſaria ſunt, quia DEus fecit animam & carnem. *T. 8 in Pſal: 62.*

Qui amaricant non exaltentur in ſemetipſis. *Pſ. 65. 7.* O Caro miſera & tabeſcens nonne peccatrix es? Quid clamat lingua tua? Attendatur conſcientia. Omnes enim peccaverunt & egent gloria DEI. Agnoſce te infirmitas humana. Accepiſti legem, ut & prævaricatrix legis eſſes: non enim tenuiſti, & impleſti quod accepiſti. Acceſſit tibi ex lege non juſtificatio quam lex jubet, ſed prævaricatio quam tu feciſti. *Rom. 3. 23.* Si ergo abundavit peccatum quid invides ſuperabundanti gratiæ? Noli amaricare, quia qui amaricant non exaltentur. Quaſi male dixiſſe videtur qui amaricant non exaltentur: *Pſ. 62. 2.* imò exaltentur, ſed non in ſeipſis. Humilientur in ſeipſis, exaltentur in Chriſto. *T. 8. in Pſal: 65*

Qui Deo non obtemperat, Carnē ſibi rebellem ſentiet. Agnoſce ordinem, quære pacem. Tu DEO, tibi caro. Quid juſtius? quid pulchrius? Tu majori, minor tibi. Servi tu ei qui fecit te, & tibi ſerviat quod factum eſt propter te. Non enim hunc ordinem novimus, neq; hunc ordinem commendavimus, tibi caro, & tu DEO: ſed tu DEO, & tibi caro. Si autem contemnis tu DEUM, nunquam ſubjicietur tibi caro. Qui non obtemperas Domino torqueris à ſervo. *T. 8. Expoſ: Pſál: 143.*

Corpus vinculum ærumnoſum animæ. Magnus eorum Porphyrius Philoſophus, fidei Chriſtianæ acerrimus inimicus, quia jam Chriſtianis temporibus fuit. ſed tamen ab ipſis deliramentis erubeſcendo, à Chriſtianis ex aliqua parte correptus exiit, ſcripſit, Corpus eſt omne fugiendum. Omne dixit, quaſi omne corpus vinculum ærumnoſum ſit animæ. *T. 10. ſer: de Tem: ſer: 143. Feria 2. Paſ. ſer: 4.*

DEus novit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. In homine carnali tota regula intelligendi, eſt conſvetudo cernendi. *Fides ex viſu.* Quod ſolent videre credunt: quod non ſolent non credunt. Præter conſvetudinem facit DEus miracula, quia DEus eſt. *Naſci homines majus miraculū qui nō erant quā Reſurrexiſſe qui erant.* Majora quidem miracula ſunt, tot quotidie homines naſci qui non erant, quàm paucos reſurrexiſſe qui erant: & tamen iſta miracula non conſideratione comprehenſa ſunt, ſed aſſiduitate viluerunt. *Ibid. ſer: 147. Feria 3. Paſchæ ſer: 4.*

Carnalitas vetuſtas eſt, gratia novitas eſt. Quantocunq; homo melius fuerit innovatus, tanto amplius capit, quod verum ſapit. *Ibid ſer. 186. Feria 2. Pent: ſer: 2.*

Homo bonus, ſecum bellum trahit. Si quod DEus avertat, hoſtis irruat, fugit homo: & ſecum trahit bellum ſuum quocunq; it. Non dico ſi malus eſt: prorſus ſi bonus eſt: ſi juſte vivit: invenit in ſe quod Apoſtolus dicit, Caro concupiſcit adverſus Spiritum, & Spiritus adverſus carnem. *Gal: 5. 17.* *T. 10. ſer: de diver: ſer: 19. de ver. Pſal: Beatus quem tu erudieris Domine.*

Caro non poſſidet ſed poſſidetur. Tales enim ſubiliti voluptatibus. Apoſtolus ait, caro & ſanguis regnum DEI hereditate poſſidere non poſſunt. *1. Cor: 6. 9. 10.* Rectè dixit, non eſt enim carnis poſſidere ſed poſſideri. Non enim corpus tuum aliquid poſſidet, ſed anima tua per corpus poſſidet, quæ ipſum etiam corpus poſſidet. Si ergo ſic reſurgit caro ut habeatur, non habeat: ut poſſideatur non poſſideat: quid mirum ſi caro & ſanguis regnum DEI non poſſidebunt, quia utiq; poſſidebitur? Nam eos poſſidet caro, qui non ſunt regnum DEI, ſed regnum diaboli: & ideo ſubditi ſunt voluptatibus carnis. *T. 10. Parte 2 ſer: de diver: ſer: 121. De Reſur: mort.*

Qui

Qui diligit uxorem suam seipsum diligit: nemo enim unquam carnem suam odio habet. Ponitur ergo caro pro uxore, quomodo & aliquando Spiritus pro marito. Quare? Quia ille regit, hæc regitur: ille imperare debet, ista servire. Nam ubi caro imperat, & Spiritus servit perversa domus est. Quid pejus domo ubi fæmina habet imperium super virum? Recta autem domus ubi vir imperat, fæmina obtemperat. Rectus ergo ipse homo ubi Spiritus imperat, caro servit. *T. 9. In Evang: Ioan: Tract: 2. de cap: 1.*

Uxor Caro, Vir Spiritus.

Imperium Domesticum

Spiritnale imperium.

Habet ergo caro ex conditione mortali quasi quosdam terrenos appetitus suos, in hos tibi jus freni concessum est: regat te præpositus ut possit a te regi subjectus. Infra te est caro tua, supra te est Deus tuus. Cum vis ut serviat tibi caro tua admoneris quomodo te oporteat servire Deo tuo. Attendis quod sub te est, attende quod supra te est. Leges in inferiorem non habes nisi à superiore. *T. 9. de utilitate Iejunij. Tract: 10. cap: 4.*

Imperando aliis servitutē discimus.

CÆLUM

O Domus luminosa & speciosa, dilexi decorem tuum, & locum habitationis gloriæ Dei mei, fabricatoris & possessoris tui. Tibi suspirat peregrinatio mea, & dico ei qui fecit te, ut possideat &
Ps. 118 176. me in te, quia fecit & me. Erravi sicut ovis perdita, sed in humeris pastoris mei structoris tu, spero me reportari tibi. *T. 1. lib. 12. Conf: cap. 15.*

Desiderium gloriæ cælestis.

Intrem in cubile meum gemens inenarrabiles gemitus in peregrinatione mea, & recordans Jerusalem Patriam meam, Matrem meam, teq; super eam Regnatorem, Jllustratorem, Patrem, tutorem, Maritum, castas & fortes delicias, & solidum, & non avertar, donec in ejus pacem Matris charissimæ, colligas totum quod sum, à dispersione & deformitate hac, & conformes atq; confirmes in æternum, Deus meus misericordia mea. *Ibid. l. 12. Conf: c. 16.*

Gloria cælestis

Inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ, & torrente voluptatis
Ps. 15. 9. potabis eos, quia apud te est fons vitæ. Non jam gustatu suavem Dominum dicit, sed vides quæ inundatio & affluentia prædicetur fontis æterni, quàm etiam ebrietas quædam consequitur, quo nomine mihi videtur significari oblivio illa sæcularium vanitatum atq; phantasmatum. *Ibid. l. 6 Music: c. 16.*

Gloria cælestis Hic gustamus tantum, in cælo affluemus.

Gloria celi est oblivio terræ.

Tanta est pulchritudo justitiæ, tanta jucunditas lucis æternæ, hoc est incommutabilis veritatis & sapientiæ, ut etiam si non liceret amplius in ea manere, quàm unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ plenæ delicijs, & circumfluentia temporalium bonorum, rectè meritoq; contemneretur. Non
Ps. 83. 11. enim falso aut parvo affectu dictum est. Quoniam est melior unius dies in atriis tuis super millia. *Ibid. lib. 3. de lib: arbit. c. 25.*

Unus dies cæli, mille obsequiis redimēdus.

Pretium æternitatis.

In tranquillitate beatæ vitæ ubi mors non est, omnis operatio est, custodire quod tenes. *T. 1. l. 2. de Gen: con. Manich. c. 10.*

Et ideo finis ibi dicitur (in cælo) quia jam quò excurrat animus, & quò referatur, non invenitur. Ibi requies appetendi, ibi fruendi securitas, ibi tranquilissimum gaudium optimæ voluntatis. Sanitas autem perfecta corporis, illa extrema totius hominis immortalitas erit. Tam potenti enim naturâ Deus fecit animam, ut ex ejus plenissima beatitudine, quæ in fine temporum Sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod est corpus, non beatitudo, quæ fruentis & intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis, id est incorruptionis vigor. *T. 2. Epist. 56.*

Et Cælū desiderioru meta.

Ma: 4. 19. Magnus vocabitur in Regno Cælorum. Qui ergo magnus voca-

Calum poscit magnos.

cabitur in Regno cælorum, sequitur, ut & sit in Regno cælorum, quo magni admittuntur. *T. 4. l. 1. de serm. in mont. c. 8.*

Amor inimicorum est violentia cœlo. Regnum Cælorum vim patitur. Quanta enim vi opus est, ut homo diligat inimicos & oderit Patrem & Matrem, & Vxorem, & Filios & fratres; Utrumq; enim iubet, qui ad Regnum cælorum vocat. Regnum enim æternum, quo discipulos suos, quos etiam fratres appellat, vocare dignatus est, non habet hujusmodi necessitates temporales. *T. 4. l. 1. de ser: in mont: c. 15.* Ma... 32.

Ad Patriam te invitamus & exhortamur, ut ejus adijciaris numero Civium, cujus quodam modo asylum est vera remissio peccatorum. Pro qua nimirum laborabis, & in ea veraciter semperq; regnabis, illic enim tibi DEUS unus & verus, qui nec metas rerum, nec tempora ponet, Imperium sine fine dabit. *Et infra.* Incomparabiliter superna est Civitas clarior, ubi victoria, veritas, ubi dignitas, sanctitas, ubi pax, felicitas, ubi vita æternitas. Proinde si ad beatam pervenire desideras Civitatem, devita Dæmonum societatem. *T. 5. l. 2. de Civit: Dei. c. 29.* *In cælo vera & augusta bona.*

Argumentum pro immortalitate. Quis verbis explicet, quantum distet inter præsentem, quam dicimus sanitatem & immortalitatem futuram? cur non credant (intellige Philosophi) terrenum corpus posse esse in cælo, cum terra universa libretur in nihilo. *Ibid. lib 13. de Civit. Dei c. 18.*

Bona Throni maxima. Cælum mihi thronus est, terra scabellum pedum meorum. Is. 66. 1. Quid mirum si bona throni sui dat spiritualiter sibi servientibus, & bona scabelli pedum suorum dat carnaliter sibi servientibus, cùm Spiritus superior sit, & caro inferior, sicut superiora sunt cælestia, & inferiora terrestria. *T. 6. lib. con: Adimantum c. 18.* *Melioribus meliora dat Deus.*

Regnum cælestie bonis operibus emitur. Venite benedicti Patris mei percipite. Quid percipite? Regnum. Pro qua re? Esurivi & dedistis mihi manducare. Quid tam vile, quid tam terrenum, quàm frangere panem esurienti? Tanti valet Regnum Cælorum. Frange esurienti panem tuum, & egenum sine tecto induc in domum tuam Si videris nudum, vesti. Si non habes facultatem frangendi panem, non habes demum quo inducas, non habes vestem qua cooperias: da calicem aquæ frigidæ, mitte duo minuta in gazophylacium. Tantum emit vidua duobus minutis, quantum emit Petrus relinquens retia, quantum emit Zachæus dando dimidium patrimonium. Regnum DEI tanti valet quantum habueris. Annuntiabunt Cæli justitiam ejus: Quoniam DEUS Judex est, vere Judex non concernens, sed discernens. Novit enim Dominus qui sunt ejus. Et si grana lateant in palea, agricolæ nota sunt. *T. 8. in Psal: 49.* Ma. 25. 34. Mar. 12. 42. *Tanti valet Cælum quantũ panis pauperi datur.* *Cœlum parvo pretio acquiri potest.*

Et cum gloria assumpsisti me. Jam quo assumptus est, & in qua gloria ejus quis explicat? Quid dicit? Expectemus hoc, quia in resurrectione erit, in novissimis erit. Cum gloria assumpsisti me. Et cæpit cogitare felicitatem ipsam Cælestem, & arguere se, quia pecus fuit, & terrena desideravit. Quid enim mihi est in Cælo, & à te quid volui super terram? Ex voce vestra intellexisse vos video. Comparavit voluntati suæ terrenæ præmium cæleste quod acceptu-rus est, vidit quid ibi sibi servaretur, & cogitans & æstuans in cogitatione cujusdam rei ineffabilis, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, non dixit illud, aut illud mihi est in Cælo: sed quid mihi est in Cælo? Quid est illud quod habeo in Cælo? Quantum est? quale est? quid est? Et cum non transit quod habeo in Cælo, à te quid volui super terram? Servas mihi tu, dicam ut possum, sed date veniam. Accipite conatum meum, devotionem nitendi, nam explicandi nulla facultas est. Servas inquit mihi tu in Cælo divitias immortales teipsum, & ego volui à te in terra, Ps. 72. 25. *Gloria cælestis inexplicabilis.* *Cælestia bona respuimus, tẽporalia prælegimus.*

terra, quod habent & impij, quod habent & mali, quod habent & facinorosi, pecuniam, aurum, & argentum, gemmas, familias, quod habent & scelerati multi, quod habent multæ fœminæ turpes, multi viri turpes.

Hæc pro magno desideravi à DEO meo super terram, cum servet se mihi in Cælo DEUS meus. Quid enim mihi est in Cælo? Ostendere habet ipsum quid. Et à te quid volui super terram? Defecit cor meum & caro mea, DEUS cordis mei. Hoc ergo mihi
Ps. 72. 26. in Cælo est servatum, DEUS cordis mei. Et pars mea DEUS meus. Quid est Fratres? Invenimus divitias nostras, eligat sibi partes genus humanum. Videamus homines cupiditatum diversitate dilaniari. Eligant alij militiam, alij advocationem, alij diversas variasque doctrinas, alij negotiationem, alij agriculturam. Istas partes sibi faciant de rebus humanis, clamet populus DEI, Pars mea DEUS meus Non ad tempus pars mea: sed pars mea DEUS in sæcula. Aurum etsi semper habeo, quid habeo? DEUM si semper haberem, quam magnum bonum haberem? Huc accedit quia DEUS seipsum mihi promittit, & id me in æternum habiturum promittit. Tantum habeo, & nunquam non habeo. Magna felicitas pars mea DEUS. Quam diu? In sæcula. Quomodo? Ecce vide quomodo illum amavit. Fecit cor castum, DEUS cordis mei & pars mea DEUS in sæcula. Factum est cor castum, gratis jam amatur DEUS. Non ab illo petitur aliud præmium. Qui aliud præmium petit à DEO, & ideo servire vult DEO, carius facit quod vult accipere, quàm ipsum à quo vult accipere. Quid ergo? Nullum præter ipsum. Præmium DEI ipse DEUS est. Hoc amat, hoc diligit, si aliud dilexerit, non erit castus amor. Recedis ab igne immortali, frigesces, corrumperis. *T. 8. in Psal: 72.*

Deus maximũ præmium.

Mat. 11. 12. Regnum Cælorum vim patitur, & qui vim faciunt diripiunt illud. Hoc fecit ille latro, fortior in cruce, quàm in fraude. *T. 8. in Psal: 86.*

Fortitudo in victoribus Cæli.

Curramus post unguenta ejus, quomodo dicitur in Canticis
Cãt. 1. 3. Canticorum: Post odorem unguentorum tuorum currimus. Venit enim & olevit, & odor ipsius implevit totum mundum. Unde odor? De Cælo. Sequere ergo ad Cælum, si non falsum respondes quòd dicitur: sursum cor, sursum cogitationem, sursum amorem, sursum spem, ne putrescat in terra. *T. 8. in Psal: 90.*

In Cælo verus odor.

Ps 103 2. Extendens Cælum sicut pellem, si extenditur sicut pellis, tanquam liber est extentus ut legatur. *T. 8. in Psal: 93.*

Cælum liber est.

Emis regnum Cælorum, & non est emendi tempus nisi in hac vita. Et quam vili emas attende. Tanti tibi valet quantum habere poteris. *T. 8. Enar: in Psal: 102.*

Cælum tãtũm valet, quantũ habes.

In terra angustatus es, migra, habita in Cælo. Quomodo inquies habitabo in Cælo homo carne indutus, carni deditus? Corde præcede, ut prosequaris corpore. Noli surdus audire. Sursum habe cor, & nemo te angustabit in Cælo. *T. 8 Enar: in Psal: 132.*

Cælum qui corpore adire intendit, corde prius præveniat.

Ps. 148 1. Laudate Dominum de Cælis, laudate eum in excelsis. Primo de Cælis dicit postea de terra: laudatur enim DEUS qui fecit Cælum & terram. Cælestia tranquilla sunt, pacata sunt: ibi semper gaudium, nulla mors, nulla ægritudo, nulla molestia, semper laudant DEUM beati. Nos autem adhuc in imo sumus, sed cum cogitamus quomodo illic laudetur DEUS, cor ibi habeamus, & non sine causa audimus: sursum corda. Levemus cor sursum ne putrescat in terra: quoniam placet nobis quod ibi agunt Angeli. Modo nos spe, postea re, sed cum illuc venerimus. *T. 8. Exposit: Psal: 148.*

Quænam Cælestis beatitudo.

Cor ad cælum elevandum.

Ps. 72. 25. Intellige in novissima: ubi nemo erit felix malus, nemo infe-

infelix bonus. Quid enim ait. Quid enim mihi est in cælo. Postea cognovi quid mihi est in cælo, cum intrarem in sanctuarium DEI, & intelligerem in novissima. Quid enim mihi est in cælo? Incor- *[Æternitatis prærogativæ.]* ruptio, æternitas, immortalitas, nullus dolor, nullus timor, nullus beatitudinis finis. Quid ergo mihi est in cælo, quid mihi servatur in cælo: & à te quid volui super terram? Quid enim mihi est in cælo? *[Ps: 72. 25.]* Quid dicam, quid? Quando explicabo quid? Ideo hoc admirans dixit non explicans, quid enim mihi est inquit. Quare non dicis quid? Quomodo dico, quod oculus non vidit, nec auris audivit, *[1. Cor. 2. 9.]* nec in cor hominis ascendit? calcare deorsum. Quid? Quia nihil es. Sperare sursum. Quid? Quia explicare non potest. *Ibid. ser. 110. de Machabæis ser: 2.*

Quid enim mihi est in cælo? Quid est ibi? Vita æterna, incor- *[Ps: 72. 25.]* *[Beatitudinis præmia.]* ruptio, regnum cum Christo, societas Angelorum, ubi nulla perturbatio, nulla ignorantia, nullum periculum, nulla tentatio, vera, certa, fixa securitas. Ecce quid mihi est in cælo. Et à te quid volui super terram? A te quid volui super terram? quid volui? divitias fluxas, caducas, volaticas. Quid volui? aurum, pallorem terræ, argentum, livorem terræ; honorem, temporis fumum. Ecce quid à te volui super terram. Et quia vidi hos in peccatoribus, commoti sunt pedes mei, & paulo minus effusi sunt gressus mei. O quàm bonus est rectis corde! Quid ergo quæris Propheta fidelis? Aurum & argentum & divitias terrenas? Ergo tanti valet fides matronæ fidelis, quod habet & meretrix. Tanti ergo valet fidelis viri fides, quod habet & munus, auriga, venator, latro? Absit fratres mei, absit ut tanti valeat fides vestra. Avertat DEUS hoc à cordibus vestris, non tanti valet. Vultis nosse? pro ea Christus mortuus est. *Et infra.* Quid enim mihi est in cælo! Quid? Ipse qui fecit Cælum, pretium *[Pretium fidei Deus.]* fidei tuæ DEUS est tuus: ipsum habebis, seipsum præparat præmium cultoribus suis. *T. 10. ser: Nov: ser. 4.*

O felix alleluia in cælo, ubi templum DEI Angeli sunt? Ubi *[Tob. 13. 22.]* *[Angeli templum Dei.]* enim concordia summa laudantium, ubi exultatio secura cantantium, ubi nulla lex in membris repugnat legi mentis: ubi non est ri- *[Pax Regni Beatorum.]* xa cupiditatis, in qua periclitetur victoria charitatis. Hîc ergo cantemus alleluia adhuc soliciti, ut illic possimus aliquando cantare securi *T. 10. eorund. ser: 18. Feria 5. post Pascha.*

Audivit ab initio peccator homo, terra es, & in terram ibis. Unde discutiamus, & perscrutemur vocem, quàm justus debet audire è contrario. Si enim rectè dictum est peccatori, terra es, & in ter- *[Justus Cælum est, peccator terra.]* ram ibis, rectè dicitur justo, Cælum es, & in cælum ibis. Aut non sunt justi cæli, cum de Evangelistis apertissimè dictum sit, Cæli enarrant gloriam DEI? Et quidem quia de ipsis dictum est, consequentiæ satis edocent. Et opera inquit manuum ejus annuntiant *[Evangelistæ Cæli firmamentum.]* firmamentum. Quos dixit cælos, ipsos dixit firmamentum. *Ibid. ser: 37. de illo. Concordia fratrum & amor &c.*

Et si abiero inquit, & præparavero vobis locum iterum veni- *[Io. 14. 3.]* *[Dignitati proportionantur. Subjecta. Celestes cæli invehi debent.]* am & accipiam vos ad meipsum. Parat quodammodo mansiones, mansionibus parando mansores. Quippe cum dixerit, in domo Pa- *[Io. 14. 2.]* tris mei mansiones multæ sunt, quid putabimus esse domum DEI nisi templum DEI? Quid autem sit interrogetur Apostolus & respondeat, Templum enim DEI sanctum est, quod estis vos. Hoc est etiam Regnum DEI quod filius traditurus est Patri. Unde dicit idem Apostolus. Initium Christus, deinde finis cum tradiderit regnum DEO & Patri: id est quos redemit sanguine suo tradiderit *[Cæli panis filij Regni, fratres Christi.]* contemplando etiam Patri suo. Hoc est regnum Cælorum de quo *[Luc. 8.]* dicitur, simile est regnum Cælorum homini seminanti bonum se-

men

men in agro suo. Bonum autem semen hi sunt filij Regni. Tunc ju-
Ma. 13 43. sti fulgebunt sicut sol in regno Patris sui. Regnum fulgebit in regno cum regnum venerit in regnum: quod nunc oramus & dicimus. Veniat regnum tuum. Nunc ergo jam regnum vocatur, sed adhuc convocatur. Si enim regnum non vocaretur, colligent de regno
Ma. 13 41. ejus omnia scandala, non diceretur. *T. 9. in Evang. Ioan: Tract. 68. de cap: 14.*

CHARITAS

QUi vocatus est à te, secutus est vocem tuam, & vitavit ea quæ me de me ipso recordantem & fatentem legit, non me derideat ab eo medico ægrum sanari, à quo sibi præstitum est, ut non ægrotaret, vel potius ut minus ægrotaret. Et ideo te tantundem imò verò amplius diligat, quia per quem me videt, tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum se videt tantis peccatorum languoribus non implicari. *T. 1. l. 3. Conf. c. 7.* *Sanus ægrum vel Innocens pænitentē non spernat.*

Fides, Spes, charitas. Sine istis tribus anima nulla sanatur, ut possit DEUM suum videre id est intelligere. *T 1. l. 1. soliloq. c. 6.* *Virtutibus Deus aspectabilis est.*

Neq; creatura alia poterit nos separare à charitate DEI. O altissimorum mysteriorum virum, non fuit contentus dicere creatura, sed alia creatura. Alia ergo creatura corpus est. *T. 1. l. 1. de mor: Eccl: Cathol: c. 12.* *Corpus est alia creatura. Corpus omnibus Creaturis magis nos à Deo avocat.*

Nam quid erit optimum hominis. Nisi cui inhærere est beatissimum: id autem est solus DEUS cui hærere certè non valemus, nisi dilectione, amore, charitate. *Ibid. l. 1. de morib. Ecclæ: Cathol: c. 14.*

Non enim fieri potest, ut seipsum qui DEUM diligit, non diligat, imò verò solus se novit diligere, qui DEUM diligit, siquidem ille se satis diligit, qui sedulò agit, ut summo & vero perfruatur bono. *Ibid. c. 26.* *Se diligit qui Deum diligit.*

Charitas (*intellige de cætibus Christianis*) præcipue custoditur, charitati victus, charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur. Coitur in unam conspiraturq; charitatem, hanc violare tanquam DEUM nefas ducunt. Sciunt ita commendatam esse à Christo & Apostolis, ut si una hæc absit in anima: si hæc adsit plena sint omnia. Vide ibi plura præclara de vita Christianorum. *T. 1. l. 1. de mor: Eccl. Cathol: c. 33.* *Charitate omnia implentur.*

Charitas de corde puro &c. Magna & vera virtus est; quia ipsa est & finis præcepti: Meritò dicta est fortis sicut mors, sive quia nemo eam vincit, sicut mortem; sive quia in hac vita usq; ad mortem est mensura charitatis, sive potiùs quia sicut mors animam avellit à sensibus carnis, sic charitas à concupiscentijs carnalibus. *T. 2. Epist. 29.* *Charitas vinci non potest.*

Quantò quisq; graviùs leviusque peccaverit, tantò in peccato committendo major, quantò in diligendo DEO & proximo minor. Et rursus. Tantò minor in peccati perpetratione; quantò major in DEI & proximi dilectione. Tantò itaq; plenior iniquitatis, quantò inanior charitatis. *T. 2. Epist: 29.* *Defectus charitatis mensura peccati.*

Lex libertatis, lex charitatis est, de qua dicitur. Si tamen le-
Iaco: 2. gem perficitis Regalem secundùm scripturas. *T. 2. Epist: 29* *Charitas libere servit.*

Quomodo charitas negetur amicis, quæ debetur inimicis? sed inimicis cauta impenditur; amicis secura rependitur. Non ergo sic impenditur charitas ut pecunia: impendendo illa minuitur hæc augetur. *T. 2. Epist: 62.* *Charitas impensa non minuitur.*

Qui natus est ex DEO non peccat, secundum ipsam charitatem
1 Io: 5 18. dictum est, quæ sola non peccat. *Ibid. Epist: 95.*

Cha-

Charitas Deus est.

Charitas usq; adeo Dei donum est, ut Deus dicatur. *T. 2. Epist: 106.*

Amans non timens Christo adhæret.

Quis nos separabit à charitate Christi. Charitate igitur Christo non pænæ timore cohæremus. Sicut ergo ille est iniquissimus, *Rom: 8. 15.* quem nec pænæ corporales deterrent ab immundis operibus sordidæ voluptatis; ita ille justissimus, qui nec pænarum corporalium terrore revocatur à sanctis operibus luminosissimæ charitatis. *T. 2. Epist: 144.*

Charitas vetat interire.

Si charitatem non habeam nihil mihi prodest, ad istam charitatem vocaris, ab ista charitate perire non sineris: & putas tibi aliquid prodesse, si te ipse præcipites in interitum, cùm tibi nihil prodesset etiamsi alter te occideret charitatis inimicum. *Ibid. Epist: 204.* *Rom. 8.*

Charitate placemus.

Charitas Iter ad Cælum.

Plenitudo legis charitas, in hac omnes Sancti Patres nostri & *Rō: 13. 10.* Patriarchæ & Prophetæ & Apostoli placuerunt Deo: in hac omnes veri Martyres usq; ad sanguinem contra Diabolum certaverunt: in hac omnes fideles boni quotidie proficiunt; pervenire cupientes, non ad Regnum mortalium, sed ad Regnum Cælorum, non ad temporalem sed ad sempiternam hæreditatem, non ad aurum aut argentum; sed ad divitias incorruptibiles Angelorum: ad videndum Deum, cujus suavitas & delectatio excedit omnem non solum terrestrium sed etiam cælestium corporum pulchritudinem, excedit omnem decorem animarum quantumlibet justarum atq; sanctarum: excedit omnem speciem Angelorum supernorum atq; virtutum, excedit quidquid de illo non solùm dicitur, verùm etiam cogitatur. Neq; hanc tam magnam promissionem, quia valde magna est ideo desperemus; sed potiùs quia valde magnus eam promisit acceptu-ros nos esse credamus. *Ibid. Epist. 205.*

Magna spectãda, quam magnus promisit.

Quamdiu vivitur tamdiu peccatur.

Vita reprehẽsioni obnoxia. Item.

Ignosce ut tibi ignoscatur.

Quantumcunq; in Dei & proximi charitate, atq; in vera pietate profeceris, quam diu in hac vita conversaris, sine peccato te esse non credas. De ipsa quippe legitur, nunquid non tentatio est vita humana super terram? Necessarium est tibi in oratione dicere: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus. Memento cito ignoscere, ut veraciter possis orare, & peccatis tuis veniam valeas impetrare. *T. 2. Epist: 205.*

Charitas concors est

Quis verè dicit se habere Christi charitatem, quando ejus non amplectitur unitatem. *Ibid. Epist: 223.*

Omnium quæ prædicta sunt hæc summa est, ut intelligatur legis & omnium Prophetarum ac Divinarum scripturarum plenitudo & finis esse dilectio rei, quâ fruendum est. *T. 3. l. 1. de Doctr: Christ. cap. 34.*

Charitas Deum amat propter se.

Ruina cupiditatis augmentũ Charitatis.

Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum & se, atq; proximo propter Deum. Cupiditatem autem motum animi ad fruendum se & proximo & quolibet corpore non propter Deum. Item. Quod agit charitas quo sibi prosit utilitas est, quod autem agit ut prosit proximo beneficentia nominatur. Et hinc procedit utilitas, quia nemo potest ex eo quod non habet, prodesse alteri. Quantò autem magis regnum cupiditatis destruitur, tantò charitatis augetur. *T, 3. l. 3, de Doct: Christ: c. 10.*

Ibi cupiditas ubi non est Charitas.

Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas. *T. 3. Enchirid: c, 117.*

Omnia præcepta Divina referuntur ad charitatem, de qua dicit Apostolus: Finis autem præcepti charitas. *T. 3. Ench: c. 121.*

Mysterium Sãctissimæ Trinitatis.

Ubi ventum est ad charitatem, quæ in sacra scriptura Deus dicta est, eluxit paululum Trinitas id est amans, & quod amatur est, Amor. *Ibid. lib. de Trini: 15. c. 6.*

Quoniam tu es patientia mea. Neq; enim propterea dictum *Ps: 70. 3.*

est,

est, quia DEI substantia est nostra patientia, sed quod ab ipso nobis est, sicut alibi legitur, quoniam ab ipso patientia mea, quale est, tu es Domine spes mea & DEus meus misericordia mea & multa similia. Non est autem dictum Domine charitas mea, sed ita dictum est, DEus charitas est, sicut dictum est, DEus Spiritus est, hoc qui non discernit intellectum à Domino, non expositionem quærat à nobis: non enim apertius possumus quidquam dicere. *Et infra.* Sicut sapientia dicitur & Pater & Filius & Spiritus Sanctus, & simul non tres sed una sapientia; ita & charitas & Pater & Filius, & Spiritus Sanctus, & simul omnes una charitas; sic enim & Pater DEus, & Filius, & Spiritus Sanctus DEus, & simul omnes DEus. *Ibid. l. 15. de Trin. c, 17.* *Charitate constat mysterium Trinitatis.*

Si linguis hominum loquar &c: quantum bonum est, sine quo *Charitas trames cæli.*
1. Cor. 13. 11. ad æternam vitam neminem tanta bona perducunt, ipsa verò dilectio sive charitas, si habeat eam, qui non loquitur linguis, nec habet Prophetiam, nec omnia scit Sacramenta, nec distribuit omnia pauperibus, vel non habendo, vel aliqua necessitate prohibitus, nec tradit corpus suum ut ardeat, si talis passionis nulla tentatio est, perducit ad Regnum, ita ut ipsam fidem non faciat utilem, nisi charitas. Sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non & prodesse. *T, 3. l, 15. de Trin: c, 18.*

Charitas diffunditur in cordibus nostris, quâ diligimus DEUM & proximum. Hoc significans Dominus JEsus bis dedit Spiritum Sanctum, semel in terra propter dilectionem proximi, & iterum de Cælo propter dilectionem DEI. Quomodo ergo DEus non est, qui dat Spiritum Sanctum, imò quantus DEus est, qui dat DEUM? *Ibid. lib. 15. c. 26.* *Charitas Dei & proximi.*

Cui morbo, scilicet superbiæ contraria charitas, quæ non quæ- *Diversitas amoris.*
1. Cor. 13. 5. rit quæ sua sunt, id est non privata excellentia lætatur, meritò ergo & non inflatur. Hi duo amores quorum alter Sanctus est, alter immundus, alter socialis, alter privatus, alter cõmuni utilitati consulens, propter supernam societatem, alter etiam rem communem in potestatem propriam redigens propter arrogantem dominationem, alter subditus, alter æmulus DEO, alter tranquillus, alter turbulentus, alter pacificus, alter seditiosus, alter veritatem laudibus errantium præferens, alter quoq; modò laudis avidus, alter amicabilis, alter invidus, alter volens proximo quod sibi, alter subijcere proximum sibi, alter propter proximi utilitatem regens proximum, alter propter suam. Præcesserunt in Angelis, alter in bonis, alter in malis, & distinxerunt conditas in genere humano civitates duas, alteram justorum, alteram iniquorum. *Ibid. lib, 11. de Gen ad lit: c, 15.* *Civitas justorum & iniquorum.*

Charitas nec cupiditatem habet sæculi, nec timorem sæculi, id est nec cupiditatem ut acquirat res temporales, nec timorem ut amittat res temporales. Per quas duas januas intrat, & regnat inimicus, qui primo DEI timore, deinde charitate pellendus est. *Ibid: lib. de agone Christian: c. 33.* *Charitas nec amat, nec timet sæculum.*

DEus igitur & animus, quo amatur, charitas, propriè dicitur, purgatissima & consummata, si nihil aliud amatur. Charitatis autem venenum est, spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium. Nutrimentum ejus est imminutio cupiditatis, Perfectio, nulla cupiditas, signum profectûs ejus, imminutio timoris, signum perfectionis ejus, nullus timor. *T, 4. lib. 88. quæst. 36.* *Charitatis venenũ spes temporalium.* *Perfectio nulla cupiditas.*

Tunc est verè opus bonum, cùm à charitate jaculatur agentis intentio; & tanquam ad locum suum rediens rursus, in charitate requiescit. *T, 4. lib. de Catechisan: rudib: c. 11.* *Opus bonum à Charitate incipit & in ea desinit. Circulus amoris.*

Cum eadem omnibus debeatur charitas, non eadem est omni-

Protheus amans. *Charitas omnibus mater.*

bus adhibenda medicina, ipsa item charitas, alios parturit, cum alijs infirmatur, alios curat ædificare, alios contremiscit offendere, ad alios se inclinat, ad alios se erigit alijs blanda, alijs severa, nulli inimica, omnibus Mater. *Ibid, cap: 35.*

Charitas à Deo habetur.

Quisquis contendit haberi posse charitatem Dei sine adjutorio, quid aliud contendit, nisi haberi Deum posse sine Deo. Quis autem hoc dicat Christianus, quod nullus audet dicere insanus. Exultans ergo apud Apostolum vera, pia, fidelisq; patientia dicit in ore Sanctorum. Quis nos separabit à charitate Christi. *Ibid, lib: de patientia. c, 18.* Rom 8. 35.

Amantis libera servitus.

Per charitatem inquit servite invicem, qui enim per charitatem servit liberè servit, & sine miseria obtemperat Deo, cum amore faciendo quod docetur, non cum timore quod cogitur. *Ibid. lib: de Epist: ad Gal: fol. 388.* Gal. 5. 13.

Deo inhærens anima, est incorruptibilis. *Charitas est custodia castitatis.*

Si fornicatio est amor à legitimo connubio solutus & vagus, explendæ libidinis consectando licentiam, quid tam legitimè ad spiritualem fæcunditatem conjungitur, quàm anima Deo. Cui quantò firmius inhæserit, tanto est incorruptior, inhæret autem charitate, rectè igitur fornicationi opponitur charitas, in qua sola est custodia castitatis. *Ibid. lib. ex Epist: ad Gal: fol. 390.*

Scientia tunc prodest cum Charitas inest

Scientia inflat, charitas verò ædificat, quod rectè aliter non intelligitur, nisi scientiam tunc prodesse cum charitas inest, sine hac autem inflare, id est in superbiam inanissimæ quasi ventositatis extollere. *T, 5. lib. 9. de Civit: Dei, c. 20.* 1. Cor. 81.

Unum vulnus nocet sanitati membrorum. *Cura integer sanus esse.*

Si quis adducatur ad medicum in aliqua necessaria parte corporis gravi vulnere sauciatus, si dixerit medicus moritur inde nisi curetur, non opinor illi qui adduxerunt eum, ita desipiunt, ut consideratis cæteris membris ejus sanis respondeant Medico & dicant: Ergonè ista sana tot membra non valent ad ejus vitam? & illud unum vulneratum valet ad ejus mortem? non utiq; hoc dicunt, sed curandum deferunt. Quid ergo prodest homini vel sana fides, vel sanum fortasse solum fidei Sacramentum, ubi lethali vulnere Schismatis perempta est sanitas charitatis, per cujus solius peremptionem, etiam illa integra trahuntur ad mortem. *T, 7. lib. 1. de baptism. con: Donat: c. 8.*

Ubi Charitas ubi unitas. Major miraculis Charitas

Quærendum est quis habeat charitatem, invenies non esse nisi inter eos qui diligunt unitatem. Nam de exclusione Dæmonum, & de potentia miraculorum, quoniam pleriq; talia non faciunt, & tamen ad Regnum Dei pertinent, pleriq; autem faciunt, & tamen non pertinent. nec nostri, nec vestri debent gloriari, si qui fortè ita possunt, quandoquidem nec Apostolus qui verè ista salubriter ac utiliter poterant, voluit Dominus gaudere de talibus, quando eis ait: Nolite gaudere in hoc, quòd Dæmonia vobis subjecta sint, gaudete autem, quod nomina vestra scripta sint in cælis. *T, 7. lib. 2. coñ; lit: Petil: c. 55.* Lu: 10. 20.

Charitas est possessio bonorum.

Charitatem sanctam quæ est vinculum perfectionis nemo potest habere non bonus, nemo qui habet potest esse vel Schismaticus, vel hæreticus. Non igitur sicut convitiaris tanquam in asylum Romuli vestros nocentes recipimus, quos Civitas Dei recipiendo efficit innocentes, cùm ad eandem veraci corde transierint, de qua ejus conditor dicit: Non potest Civitas abscondi supra montem posita, non enim eam condidit, qui fratrem superbè occidit iratus, sed qui fratres humiliter redemit occisus. *Ibid. lib, 2. coñ: Crescon: Grammat: c. 13.* Mat: 5. 14.

Simus uni, quia Deus unus est.

Quid adhuc contemnitur charitas? quid nobis est per hominum nomina dividi? qui nos creavit unus est Deus, qui nos redemit,

mit, unus est Christus, qui nos sociare debet, unus est Spiritus. Jam nomen Domini honoretur, & appareat vobis in jucunditate, ut cognoscatis fratres vestros in ipsius unitate (alloquitur Donatistas.) *Ibid. lib. ad Donat: post collat: c, 35.*

Videte fratres mei quid dixit Apostolus: si habuero omnia Sacramenta, omnem scientiam, prophetiam, fidem. Qualem fidem? ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam nihil sum. Non dixit, illa omnia nihil sunt, sed si charitatem non habeam, nihil sum. Quis enim demens diceret, nihil sunt DEI Sacramenta? quis demens diceret? nihil est prophetia, nihil scientia, nihil fides, non illa nihil sunt, sed cum illa magna sint ego magna habens, si charitatem non habeam, nihil sum. *Ibid. serm: ad Cesarien: Ecclesiæ plebem de Emertto.*

1. Cor. 13. 2.

Defectus charitatis annihilat hominem.

Quantò major est in nobis charitas Christi, tantò majore cum dolore animi vos videmus habere Sacramenta Christi, & separari à membris Christi, & rebellare contra pacem Christi. Sed quamdiu in hoc corpore vivitis, spes nobis aliqua de vobis datur: cum verò jam in illa dissensione morimini, multò amarius vos dolemus. Plùs quippe impius Absalon Patrem Sanctum David extinctus, quàm rebellis afflixit. Vivum namq; cum comprehendi cupiebat, ut qui malitiâ grassabatur, pœnitentiâ sanaretur. Deniq; illum Pater optimus pessimum filium, quem non desperando non defleverat vivum, spe finitâ flevit occisum. *Ibid. lib, 1. con: Gaudent: c, 22.*

2 Reg. 19. 4.

Quamdiu vivimus spes integra est. Ne despera de malis qamdiu vivunt.

Ita multa multitudo dulcedinis ejus hoc est lex fidei charitas ejus conscripta in cordibus, atq; diffusa perficitur sperantibus in eum, ut anima sanata, non timore pænæ sed amore justitiæ operetur bonum. *Ibid. lib. de Spiritu & litera. c. 29.*

Anima operās sine respectu.

Charitas DEI diffunditur in cordibus nostris, non quâ nos ipse diligit, sed quâ nos facit dilectores suos: sicut justitia DEI, quâ justi ejus munere efficimur, & Domini salus quâ nos salvos facit, & fides JESU Christi, quâ nos fideles facit. Hæc est justitia DEI quàm non solùm docet per legis præceptum, verùm etiam dat per Spiritûs donum. *T. 7. ibid. c, 32.*

Rom 5. 5.

Amor Dei nos facit dilectores ejus.

Omnia quippe fiunt facilia charitati, cui uni Christi sarcina levis est, aut ea una est sarcina ipsa, quæ levis est: secundum quod dictum est, & præcepta ejus gravia non sunt, ut cui gravia sunt consideret non potuisse divinitùs dici: gravia non sunt, *Et infra.* Quomodo est enim grave, cum sit dilectionis mandatum? aut enim quisq; non diligit, & ideo grave est, aut diligit, & grave esse non potest. *Et infra.* Charitas ergo inchoata, inchoata justitia est, charitas provecta, provecta justitia est, charitas magna, magna justitia est, charitas perfecta, perfecta justitia est. Sed charitas de corde puro, & conscientia bona & fide non ficta, quæ tunc maximè est in hac vita, quando pro illa contemnitur vita. *Ibid. lib. de Natura & gratia. c, 69. & 70.*

Caritas sarcina levis.

Charitas spernit vitam.

Non solùm veritas; sed etiam charitas exhibeatur à nobis. Quæ dico quisquis tenuerit, nec fatuus nec invidus erit. *T, 7. lib. 6. con: Iulian: c, 1.*

Duo tenenda Veritas et Charitas.

Non enim possumus necessitates hominum ejusmodi (loquitur de hæreticis) deserere, qui nostri non coloni, sed quod majus est Fratres sunt, & in charitate Christi ad curam pertinent nostram. DEO vivas. *Ibid. Quoduuldeo August: Episc: post lib. 6. con: Iulian.*

Mali etiam fratres nostri sunt. Ad vitam pertinēt nostram.

Tunc erit ergo plena justitia, quando plena sanitas, tunc plena sanitas quando plena charitas: plenitudo enim legis charitas: Tunc autem plena charitas quando videbimus eum sicuti est, neq; enim erit quod addatur ad dilectionem, cum fides pervenerit ad visionem. *Ibid. lib. de perfect: justitiæ c. 3.*

In cælo perfecta charitas.

Quidquid Dei lege prohibemur, & quidquid jubemur facere, ad hoc prohibemur & jubemur, ut duo ista compleamus. Non concupisces & diliges: & fortè generalis prohibitio est, & generalis jussio. Jllud ad declinandum à malo, hoc ad faciendum bonum, non concupiscendo enim vetustate exspoliamur, & novitate induimur diligendo. *Ibid. cap.* 5.

Dilectio renovat homines.

Non est grave quod diligendo fit, laborant autem in Dei præceptis qui ea timendo conantur implere, sed perfecta charitas foras mittit timorem, & facit præcepti sarcinam, non solum non prementem onere ponderum, verùm etiam sublevantem vice pennarum. *Ibid. cap.* 10.

Amant omnia facilia. — 1 Io. 4. 18.

Posuit immaculatam viam meam, viam charitatis qua ad illum veniam: sicut immaculata est via fidei, qua venit ad me. Dilatasti gressus meos super me. Ne impediant carnales angustiæ: quoniam latam fecisti charitatem meam, operantem hilariter, etiam de ipsis quæ subter me sunt rebus & membris. *T. 8, in Psal: 17.*

Charitas via ad Deum. — Ps. 17. 33.

Statuisti in loco pretioso pedes meos. Certe angusta via est; laboranti angusta est, amanti lata est. Eadem quæ angusta est, lata fit. *T, 8. Conc: 1. in Psal: 30.*

Lata via ad Deum est charitas. — Ps. 30. 9.

Charitas compagem facit. Compages complectitur unitatem, unitas servat charitatem, charitas pervenit ad claritatem. *T, 8. Con: 2. in Psal: 30.*

Charitatem unio & claritas consequitur.

Quomodo in membris nostris diversa sunt opera, sed sanitas una: sic in omnibus membris, diversa munera, sed charitas una. *T, 8. Con: 2. in Psal: 32.*

Charitas diversa munera unit.

Semper existentes debitores charitatis: ipsa est enim quæ semper redditur & semper debetur. *T, 8, Con: 2, in Psal: 33.*

Charitas nunquam exsolvitur.

Rixæ aliquæ inter Fratres, & inter Sanctos extiterunt, in Barnabam & Paulum: sed non quæ occiderent concordiam, non quæ interimerent charitatem. Nam & tibi ipsi resistis aliquando, & tamen non te odisti. *T, 8. expos: Psal: 33.*

Sanctorum rixæ, unionem in iis non dissolvunt.

Charitas nos debitores semper tenet. Jlla enim una est quæ & si quotidie redditur, semper debetur. *T, 8. Con: 3 in Psal: 36.*

Charitas quo magis pénditur eo magis debetur.

Omnes quidem currunt Paulus Apostolus dixit, in illo stadio, in illo spectaculo; unus tamen accipit bravium, cæteri victi discedunt. Et perseveraverunt in currendo, sed cum acceperit unus, remanent cæteri, qui similiter laboraverunt. Hic non est sic. Quotquot currunt, perseveranter currunt, omnes accipiunt: & qui prior venerit expectat, ut cum posteriore coronetur. Agonem quippe justum non cupiditas, sed charitas facit: omnes currentes, amant se, & ipse amor cursus est. *T, 8, in Psal: 39.*

1. Cor. 9. 24.

Amor virtutum terminus & præmium.

Valde est sicut mors dilectio. Quomodo enim mors quando venit, resisti ei non potest. Quibuslibet medicamentis occurras, violentiam mortis vitare non potes, quia mortalis natus es; sic contra violentiam charitatis mundus nihil potest. Quomodo enim mors ad auferendum violentissima est; sic charitas violentissima est ad salvandum Per charitatem enim multi mortui sunt sæculo, ut viverent Deo. *T. 8, Enar: in Psal: 57.*

Cãt: 8. 6.

Per charitatē mundo morimur, Deo vivimus.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ. Modo autem sacrificium pro iniquitate, Spiritum contribulatum, & cor humiliatum, tunc sacrificium justitiæ laudis solius. Beati enim qui habitant in domo tua: in sæcula sæculorum laudabunt te, hoc est sacrificium justitiæ. Oblationes & holocaustomata. Quæ sunt holocaustomata? Totum igne consumptum. Quando totum pecus imponebatur aræ Dei, igne cousumendum holocaustum dicebatur. Totos nos divinus ignis absumat, & fervor ille totus arripiat. Quis fervor? Nec

Ps. 50. — Ps. 83. 5. — Ps. 50. 21.

Charitas, homines holocaustum Deo, efficit.

est

est qui se abscondat à calore ejus. Quis fervor? de quo dicit Apostolus: Spiritu ferventes. Non tantum anima nostra absumatur ab illo igne divino sapientiæ, sed & corpus Nostrum ut mereatur ibi immortalitatem, sic levetur holocaustum ut absorbeatur mors in victoriam. *T, 8. in Psal: 50.*

Ps: 51. 7. Et radicem tuam de terra viventium. Ergo in terra viventium nos debemus habere radicem. Radix nostra ibi sit. In occulto est radix: fructus videri possunt, radix videri non potest. Radix nostra, charitas nostra, fructus nostri opera nostra. Opus est ut opera tua de charitate procedant, tunc est radix tua in terra viventium. *T, 8, expos. Psal: 51.* *Charitas operum nostrorũ radix esse debet.*

Vita nostra dilectio nostra est. Si vita dilectio, mors odium est. Cum cœperit timere homo, ne oderit quem diligebat, mortem timet: acriorem mortem, & interiorem mortem, qua occiditur anima non corpus. *T, 8, in Psal: 54.* *Charitas vita est, odiũ mors.*

Ps: 54. 7. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, non sicut corvo? Columba à molestijs quærit avolationem, sed non amittit dilectionem. Columba enim pro signo dilectionis ponitur, & in ea gemitus amatur. *T. 8. ibidem.* *Columba charitatis symbolum.*

In multis erant mecum. Quàm multa enumeravit Apostolus Paulus. Si linguis hominum loquar, si habeam prophetiam, fidem,
1. Cor. 13. 1. scientiam &c. His omnibus multis desit una charitas: illa numero plura sunt hæc pondere major est. Ergo in omnibus Sacramentis mecum, in una charitate non mecum: mecum erant non in paucis sed in multis. Etenim per totum orbem terrarum pauca sunt grana multæ sunt paleæ. Quid ergo agit? In palea mecum erant, in tritico non mecum erant. Et propinquat palea tritico: de uno semine exit, in uno agro radicatur, una pluvia nutritur, eundem messorem patitur, eandem triturationem sustinet, eandem ventilationem expectat, non in unum horreum intrat. *T. 8. in Psal. 54.* *Charitas cæteris donis pondere major est.* *Palea damnãdos exprimit.*

Jo: 15. 13. Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Fecit ipse quod docuit, fecerunt Apostoli quod ab ipso didicerunt, & nobis faciendum prædicaverunt. Faciamus & nos, quia etsi non sumus quod ille, secundum id quod creavit nos: quod ille tamen sumus, secundum id, quod factus est propter nos: & si solus fecisset, forte nemo nostrum deberet audere imitari. Ita enim ille homo erat; ut & DEUS esset. Sed in eo quod homo erat imitati sunt servi Dominum, & discipuli Magistrum, Patres quidem nostri, sed tamen conservi nostri. Neque imperaret hoc DEUS, ut faceremus, si impossibile hoc judicaret, ut hoc fieret ab homine. si considerans infirmitatem tuam deficis sub præcepto, confortare in exemplo. Sed etiam exemplum ad te multum est. Adest ille qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium. *T, 8. in Psal: 56.* *Exemplo Christi & Sanctorum charitatem sectari debemus.*

Lu. 12 49. Ignem veni mittere in mundum. Si ergo Christus venit mittere in mundum ingnem, utiq; salubriter atq; utiliter, non quomodo missurus est mundum in ignem, sed quomodo ignem in mundum. *T. 8. in Psal: 59.* *Charitas, ignis est non comburens.*

Ps: 65. 15. Holocausta medullata offeram tibi. Quid est medullata? Intus teneam charitatem tuam, non erit in superficie, in medullis meis erit quod diligo te. Nihil enim interius medullis nostris. Interiora ossa sunt carne, medullæ interiores sunt ipsis ossibus. Quisquis ergo in superficie colit DEUM, magis placere vult hominibus. *T, 8. in Psal: 65.* *Charitas interior exteriori præponitur.*

Ps: 89. 17. Et opus manuum nostrarum dirige. Quem versum si velimus exponere, id mihi videtur habere sententiæ, quod omnia bona o- *Charitas plenitudo legis est.*

 pera

pera nostra, unum opus est charitas. Plenitudo enim legis est charitas. *T, 8. in Psal: 86.*

Exorto sole, inquit, aruerunt, quia non habebant altam radicem. Hi sunt ergo qui ad horam gaudent ad verbum & cum persecutio facta fuerit propter verbum, arescunt. Quare arescunt? Quia non habebant firmam radicem. Quæ est radix? Charitas. Hoc enim dicit Apostolus: ut in charitate radicati & fundati. Quomodo enim radix omnium malorum cupiditas est, sic & radix omnium bonorum est charitas. *T. 8. Expos: 1. par: Psal: 90.* *Ma. 13. 6. Eph. 3. 17. 1 Ti. 6. 10.*

Charitas radix omniũ bonorum, Cupiditas malorũ est.

Charitas autem non novit nisi crescere magis magisq;. Si enim amamus quem non videmus, quomodo amaturi sumus cum videbimus? Desiderium ergo nostrum crescat, Christiani non simus nisi propter futurum sæculum. Nemo præsentia bona speret, nemo sibi promittat felicitatem mundi, quia Christianus est: sed utatur felicitate præsenti, ut potest, quomodo potest, quantum potest, quando potest. Cum adest, consolationi Dei gratias agat: cum deest, justitiæ Dei gratias agat. Ubiq; sit gratus, nunquam sit ingratus. *T, 8. in Psal: 91.*

Christianus quomodo uti debet mundo.

Quis tenet omnes literas Dei? Ecce volo non solum memoria retinere sed & operibus meis facere. Sed quis tenet omnia memoriâ? Noli timere, non te onerat. In duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ. Sed totam legem volo tenere. Tene si potes, quomodo potes. Quamcunq; paginam interrogaveris hoc tibi respondebit: Quod tenes tene: charitatem tene, finis præcepti est charitas. Noli cogitare de multitudine ramorum, radicem tene & tota arbor in te est. *T, 8. in Psal: 102.* *Ma. 12. 40.*

Qui charitatem memoriâ tenet, totam legem retinet.

Et in plateis tuis discurrant aquæ tuæ, nemo alienus communicet tibi. Alieni enim sunt omnes à via veritatis, sive pagani, sive Judæi, sive Hæretici, & mali quiq; Christiani. Habere multi dona possunt, charitatem non possunt. *Et infra.* Plenitudo enim legis charitas. Ergo protegis in aquis superiora ejus. Quid dixit? In omnibus scripturis supereminẽtissimam viam, supereminentissimum locum charitas obtinet. Non ad eam aspirant nisi boni. Hanc nobiscum non communicant mali. Possunt communicare baptismum, possunt communicare cætera Sacramenta, possunt communicare orationem, possunt communicare istos parietes, & istam conjunctionem, charitatem nobiscum non communicant. Ipse est enim fons proprius bonorum, proprius Sanctorum de quo dicitur: Nemo alienus communicet tibi. *T, 8. con: 1. de 1. par: Psal. 103.*

Soli boni charitatem habere possunt.

Mali eandem communicare non possunt etiamsi cætera Sacramenta communicent.

Jam dat illis charitatem Deus, jam dat illis alas & pennas: ut possitis inquit comprehendere quæ sit latitudo, altitudo & profundum. Fortasse crucem Domini significat. Erat enim latitudo in qua porrectæ sunt manus: longitudo à terra surgens, in qua erat corpus infixum: altitudo ab illo invexo ligno sursum quod eminet: profundum ubi erat fixa crux, & ibi omnis spes vitæ nostræ. *T, 8. com: 1. de 1. par: Psal: 103.* *Eph. 3. 16.*

Charitas Crucem significat.

Charitas inquit Christi compellit nos. Tu particeps verbi & si hodie spiritualis, heri carnalis ad carnales dedignaris descendere: cum ipsum verbum caro factum sit, ut habitaret in nobis. *T, 8. com: 3. de 2. par: Psal: 103.* *2 Cor. 5. 14.*

Ex charitate ad quosvis homines descendendum.

Sed per charitatem servite invicem. Quos liberos fecerat, servos fecit, non conditione servili, sed tamen Christi redemptione: non necessitate, sed charitate. *T, 8. ibidem.*

Charitas, liberos, servos facit.

Viam mandatorum tuorum inquit cucurri cum dilatasti cor meum. Non ergo per proprium, & quasi nullius tuæ opis indigum arbitrium meum: sed cum dilatasti cor meum. Cordis dilatatio, ju- *Ps. 118. 32.*

stitiæ

ſtitiæ eſt delectatio. Hoc munus eſt DEI, ut in præceptis ejus non timore pœnæ anguſtemur, ſed dilectione dilatemur, & delectatione juſtitiæ delectemur. Hanc enim nobis promittit latitudinem dicens: habitabo in eis, & deambulabo. Quam enim latum eſt ubi deambulat DEUS. *T, 8: con: 10. in Pſal: 118.* *Charitas corda humana dilatat Deo ad ambulandum in eis.*

Cum quo ergo facit DEUS ſuavitatem, id eſt cui propitius inſpirat boni delectationem, atq; ut apertius id explicem cui donatur à DEO charitas DEI, & propter DEUM charitas proximi: profectò inſtanter orare debet, quo tantum ſibi augeatur hoc donum, ut non ſolum pro illo contemnat delectationes cæteras, ſed etiam pro illo quaslibet perferat paſſiones. Ita ſuavitati ſalubriter additur diſciplina: non enim quantulæcunq; ſuavitati vel bonitati, hoc eſt charitati ſanctæ poſcenda & optanda eſt, ſed tam magnæ ut ſub ejus preſſura non poſſit extingui, ſed ſicut ingens flamma ſub impetu venti quantò magis reprimitur, tanto ardentius excitari. Ideo parum fuit dicere ſuavitatem feciſti cum ſervo tuo: niſi rurſus repeteret, ut cum doceat ſuavitatem, tantam utiq; ut diſciplinam poſſit patientiſſime ſuſtinere. *T, 8, con: 17. in Pſal, 118.* *Charitas diſciplinam ſuavẽ reddit.* *Pſ. 118*

Charitas DEI diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis. In hac diffuſione latitudo eſt, in qua ſine anguſtijs via quoq; ambulatur auguſta: donante illo cui dictum eſt. Dilataſti greſſus meos ſubter me: & non ſunt infirmata veſtigia mea. Latum eſt ergo mandatum charitatis nimis, mandatum illud geminum, quo jubetur DEUS & proximus diligi. Quid autem latius, quàm ut ibi pendeat tota lex & omnes prophetæ. *T. 8. con: 21. in Pſal: 118.* *Charitas dilatat anguſtam viam legis.* *Pſ. 17. 37.*

In tabulis cordis dilectio DEI & proximi manebit in æternum. In quo mandato geminato, tota lex pendet & prophetæ: eritque præmium cuſtodiendi mandati hujus ipſe mandator, & præmium dilectionis ipſe dilectus, quando erit DEUS omnia in omnibus. *T, 8. con: 22. in Pſal: 118.* *Dilectionis præmium ipſe dilectus eſt.*

Pſ. 118 Dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion. Id agit gratia ut dilectione impleantur mandata DEI, quæ timore non poterant. *Et infra.* Cum verò ipſa mandata diliguntur ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, omnis præ ipſis mandatis terrena vilis eſt merces: nec ulla ex parte comparantur quæcunq; alia hominis bona, his bonis quibus ipſe fit bonus homo. *Et infra.* Nam ſicut aurum & lapidem pretioſum ſi diligeret, odiſſet profectò quidquid ei talium damnum poſſet inferre: ita quoniam DEI mandata diligebat, iniquitatis viam odio habuit, quemadmodum aliquod immaniſſimum marini itineris ſaxum declinabat, ubi tamen pretioſarum rerum neceſſe eſt pati naufragium. *T, 8. con: 26. in Pſal: 118.* *Qui Dei mandata amat cõtraria in vitia odiſſe debet.*

Pſ. 118 133. Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniquitas. Ubi quid aliud dicit quàm rectum & liberum me fac ſecundum promiſſum tuum? Quantum magis regnat in unoquoq; DEI charitas, tanto minus ei dominatur iniquitas. Quid ergo aliud petit quàm ut donante DEO diligat DEUM? Diligendo enim DEUM, diligit ſeipſum: ut diligere ſalubriter poſſit & proximum, ſicut ſeipſum. In quibus præceptis tota lex pendet & Prophetæ. *T, 8. con: 27. in Pſal: 118.* *In quo regnat Dei charitas, in eo non dominatur iniquitas.*

Incipit tibi dicere DEUS. Tu non potes? quare ille poteſt? quare alter potuit? Nunquid tu delicatior es illo Senatore? nunquid tu infirmior es illo Senatore? nunquid tu infirmior es illo, aut illo in valetudine? nunquid tu infirmior es fæminis? Fæminæ potuerunt, viri non poſſunt? Delicati divites potuerunt, pauperes non poſſunt? Sed ego inquit multum peccavi, & multum peccator ſum. *Incitamẽtum ad virtutẽ ab exemplis.*

Nume-

Numerantur etiam qui multum peccaverunt : & eo amplius amaverunt; quò plura illis dimissa sunt peccata. Quomodo dictum est in Evangelio: Cui modicum dimittitur, modicum diligit. *T, 8. exposit: Psal:* 119. *Luc.7. 47.*

Deum diligit qui Ecclesiam & proximum diligit.

Duo sunt præcepta in quibus tota lex pendet & Prophetæ : Dilectio DEI, & proximi. Ecclesia propter DEUM, in DEO proximus diligitur, DEUS autem propter DEUM. In DEO intelligitur figuratè dictus sol : in Ecclesia intelligitur figurate, dicta luna. *T, 8. expos: Psal: 120.*

Amare justũ est, participare justitiam.

Charitas maximi meriti.

Dilectio fortis res est. Vultis videre quàm sit fortis dilectio? Quisquis per aliquam necessitatem non potuerit implere quod jubet DEUS, amet illum qui implet, & in illo implet. *Et infra.* Si charitatem non habeam, nihil mihi prodest. Si autem sit sola charitas, quæ non inveniat quod distribuat pauperibus, diligat solum. Calix aquæ frigidæ tantum illi imputabitur, quantum Zachæo, qui dimidium patrimonij donavit pauperibus. Quare hoc? Ille tam modicum dedit, ille tam multum dedit, & tantum illi imputabitur? Tantùm planè, Impar enim facultas, sed non impar charitas. *Et infra.* Interrogate quæ sunt ad pacem Hierusalem. Sed quæ sunt ad pacem Hierusalem? Et abundantia inquit his qui diligunt te. Ad ipsam Hierusalem convertit vocem. Abundantia est illis qui diligunt eam, Abundantia ex inopia Hic inopes, ibi abundantes : hic infirmi, ibi firmi : hic egeni, ibi divites. Unde facti divites? Quia dederunt hic quod acceperunt à DEO ad tempus, & acceperunt ibi quod postea DEUS retribuet in æternum. Hic Fratres mei, & divites pauperes sunt. Bonum est diviti ut agnoscat se pauperem. Si enim plenum se putat, tumor est illi non plenitudo Agnoscat se inanem, ut possit impleri. Quid habet? Aurum. Quid nondum habet? vitam æternam. *1. Cort 13. 3. Matt.9 40.1 Lu. 19 8. Ps.121 6.*

Charitas fortissima est.

Attendat quid habet, & videat quid non habet. Fratres ex eo quo habet, det, ut accipiat quod non habet. Emat ex eo quod habet, illud, quod non habet. *Et infra.* Valida est sicut mors dilectio. Quis enim resistit morti? Fratres intendat charitas vestra. Resistitur ignibus, undis, ferro, resistitur potestatibus, resistitur Regibus. Venit una mors, quis ei resistit? Nihil est illa fortius. Propterea viribus ejus charitas comparata est; Et dictum est valida est sicut mors dilectio. Et quia & ipsa charitas occidit, quod fuimus, ut simus quod non eramus: facit in nobis quandam mortem dilectio. Ipsa morte mortuus erat qui dicebat: Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Ipsa morte mortui erant quibus dicebat: Mortui enim estis & vita vestra abscondita est cum Christo in DEO. *T, 8. expos: Psal:* 121. *Cāt. 8. 6. Gal.6. 14. Colo 3. 3.*

Charitas libertatem restituit.

Pennæ Charitatis

Recipiamus pennas per charitatem quas amisimus per cupiditatem. Cupiditas enim viscum facta est pennarum nostrarum : elisit nos de libertate aeris nostri, id est aurarum illarum, liberarum Spiritus DEI. Inde elisi perdidimus pennas, & fuimus quodammodo captivati in aucupis potestate: inde nos sanguine suo redemit, quem fugimus ut caperemur. *Ibid. Psal:* 138.

Via Charitatis.

Nihil excellentius est viâ charitatis, & non in illa ambulant nisi humiles. *T, 8. Enar: in Psal:* 141.

Charitas multa operans una est.

Quod manus nostras ad prælium, hoc est digitos nostros ad bellum. An aliquid interest inter manus & digitos? Digitis utique operatur & manus. Non itaq; absurde accipimus digitos pro manibus positos: Verumtamen in digitis agnoscimus divisionem operationis, & tamen radicem unitatis. *T. 8. exposit: Psal.* 143. *Ps.17. 35.*

Quisquis habet charitatem ut quid illum mittimus longe ut vide-

Charitatem habentis Conscientia calũ est.

videat DEUM? Conscientiam suam attendat, & ibi videt DEUM. Si charitas ibi non habitat, non ibi habitat DEUS: si autem charitas ibi habitat, DEUS ibi habitat. Vult illum forte videre sedentem in Cælo: habeat charitatem, & in eo habitat sicut in Cælo. *Et infra.*

Amor Dei, nobis potiùs quã Deo utilis.

Quomodo vobis DEUM commendamus? Ut diligatis eum bono vestro non bono ipsius: quia malo vestro, si eum non diligitis, non malo ipsius. Non enim minus habebit DEUS divinitatem, si homo in illo non habuerit charitatem. Tu crescis ex DEO non ille exte, & tamen tantum nos dilexit prior antequam eum diligeremus, ut filium suum unicum mitteret mori pro nobis. Qui fecit nos factus est inter nos. *Ibid Psal:149.*

Deus preponendus Parẽtibus.

Ät: 1. 4. Ordinate in me charitatem. Facite gradus & cuiq; quod debetur restituite. Nolite interiora posterioribus subdere. Amate parentes, sed præponite DEUM parentibus. *T. 10. ser: de ver: Dni. S. August: ser: 7. In Evang: secundum Matthæum?*

Sine Charitate nihil est homo.

Qui deserverit unitatem, violat charitatem: & quisquis violat charitatem, quodlibet magnum habeat, ipse nihil est. *Et infra* Universa inutiliter habet qui unum illud, quo universis utatur non habet. *Ibid. ser: 18. Si vis venire ad vitam &c.*

Amat Deus in quo habitat.

Rõ: 5. 5. Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris: ne putaret quis quam à se sibi esse, quod diligit DEUM, continuò addidit. Per Spiritum qui datus est nobis. Ut ergo ames DEUM, habitet in te DEUS, & amet se de te, id est, ad amorem suum moveat te, accendat te, illuminet te, excitet te. *Ibid ser: 43. de illo, Si ego testimonium perhibeo de me &c.*

Prior est in vitiis superbia.

Utinam possint omnes de una charitate cogitare. Sola est enim quæ & vincit omnia, & sine qua nihil valent omnia, & quæ ubicunq; fuerit, trahit ad se omnia. Ipsa est quæ non æmulatur. Quæris
1. Cor. 13. 4. causam? Attende quid sequitur. Non inflatur. Prior est in vitijs superbia & dicere cæperam deinde invidia. Non enim invidia peperit superbiam, sed superbia peperit invidiam. Non enim invidet nisi amor excellentiæ. Amor excellentiæ, superbia vocatur. *Ibid. ser: 53. de illo Qui credit in me credit in eum, qui misit me.*

Tristis Eleemosina perit.

2 Cor. 6. 11. Os nostrum patet ad vos o Corinthij: cor nostrum dilatatio est. Latitudo ergo charitas est, quæ sola bene operatur. Latitudo facit ut hilarem datorem diligat DEUS. Si enim angustiam passus fuerit, tristis dabit: si tristis dabit, perit quod dabit Opus est ergo latitudine charitatis, ne pereat quidquid boni facitis. *Et infra.* Quid est enim habere latitudinem: nisi cogitare DEUM, amare DEUM, & gratis amare ipsum DEUM adjutorem, ipsum spectatorem, ipsum coronatorem, ipsum præmij largitorem: postremo ipsum præmium deputare non aliud ab ipso quàm ipsum expectare? Si amas, gratis ama: si vere amas ipse sit merces quem amas. An vero tibi chara sunt omnia, & vilis est ille qui condidit omnia? *T 10. ser: de ver: Apost: ser: 7. de illo Apostoli Peto non infirmari in tribulationibus meis &c.*

Amor gratis esse debet.

Merces amātis amatur.

Timor servus est.

Qui ideo bene agit, quia pænam timet, DEUM non amat: nondum est inter filios: utinam tamen vel pænam timeat Timor servus est, charitas libera est: & ut sic dicamus, timor est servus charitatis. Ne possideat diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, & servet Dominæ venturæ locum. Fac, fac vel timore pænæ, si nondum potes amore justitiæ. Veniet Domina, & servus abscedet. *Ibid. ser: 13. de illo Apost: Si enim data esset lex &c.*

Iustus timor Deo displicere

1. Jo: 4. 18. Perfecta charitas foras mittit timorem. Intrat ergo charitas, pellit timorem: non autem intrat & ipsa incomitata. Habet secum suum timorem, quem introducit ipsa, sed illum castum permanentem in sæculum sæculi. Servilis timor est, quo times cum diabolo

 arde-

ardere: timor castus est, quo times DEO displicere. *Ibid. ser: 18. de illo Apost. Nescitis quia corpora vestra &c.*

Quod jus debemus saluti nostræ, filijs nostris DEO nostro, nisi charitatis, veritatis & non falsitatis. *Ibid. serm: 28.*

Majorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam su- Io. 15.
am ponat quis pro amicis suis. Ut ergo amaretur, prior amavit, ut 13.
Volens amari amet. in nomine ejus nemo mori timeret, prior pro omnibus mortuus est. Ad hoc ergo ut ædificaret in cordibus hominum charitatem, misit diabolum foras. Quo foras? De cordibus hominum: Cupiditas intromittit illum, charitas eum foras mittit. *T. 10. Quinq: Homil: Hom: 38 de illo Evan: Diliges proximum &c.*

Si non vacat omnes paginas scripturarum evolvere, tene charitatem, & in ea invenies omnem scientiam. Quid est autem finis *Charitas omnis Scientia.* præcepti, nisi præcepti adimpletio? quid est præcepti adimpletio nisi legis impletudo? Quod ergo ibi dixit. Plenitudo legis charitas Rō. 13.
hoc etiam hîc dixit. Finis præcepti est charitas: nec dubitari ullo 10.
Homo templū Dei. modo potest, quod templum DEI sit homo, in quo habitat charitas. Dicit enim & Joannes, DEus charitas est. *T. 10. ser: de temp: ser: 39. Dñica 1. post oct: Epiph: ser: 1.*

Radix bonorū Charitas. Quisquis vetus peccatum vis extinguere, mandato novo extingue cupiditatem, & amplectere charitatem. Sicut enim radix omnium malorum est cupiditas: ita & radix omnium bonorum est charitas. Totam latitudinem & magnitudinem divinorum eloquiorum secura possidet charitas quâ DEUM proximumq; diligimus. Docet enim nos unus cælestis Magister, & dicit Diliges Dominum tuum &c. In his duobus præceptis universa lex pendet & Prophetæ. *Et infra.* Quapropter fratres sectamini charitatem, dulce ac salubre vinculum mentium, sine qua dives pauper est, & cum qua pauper dives est. Hæc in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima. In Abel per sacrificium grata, in Noe per diluvium secura, in Abrahæ peregrinationibus fidelissima, in Moyse inter injurias lenissima, in David tribulationibus mansvetissima. In tribus pueris blandos ignes innocenter expectat: in Machabæis sævos ignes fortiter tolerat Casta in Susanna erga virum, in Anna post virum, in Maria præter virum. Libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in Christianis ad confitendum, divina in Christo ad ignoscendum.

Charitas dulce vinculum mentium. Charitas ditat pauperes. Charitas omnibus omnia. Ejus elogia. Caritas diffusa.

Et infra. Charitas nunquam cadit Quanta est ista? animarum salus, scientiæ solidamentum, fidei fructus, divitiæ pauperum, vita morientium. Quid tam magnanimum quàm pro impijs mori? Quid tam benignum quàm inimicos diligere? Sola est quàm felicitas aliena non premit, quia non æmulatur. Sola est, quam felicitas sua non extollit, quia non inflatur. Sola est quàm conscientia mala non pungit, quia non agit perperam. Inter opprobria secura est, inter odia benefica est. Inter iras placida est, inter insidias innocens. Inter iniquitates gemens, in veritate respirans. Quid illa fortius non ad retribuendas, sed ad non curandas injurias? Quid illa facilius non vanitate, sed veritate? Nam ideo tolerat omnia in præsenti vita, quia credit omnia de futura vita, & suffert omnia quæ hic irrogantur, quia sperat omnia quæ ibi promittuntur: merito nunquam cadit. *T. 10. Ibidem.*

Affectus charitatis singulares.

Duo qui se sancto amore diligunt, etiamsi unus in oriente, alter in occidente, ita in charitate conglutinante junguntur, ut nunquam ab invicem separentur. *Et infra.* Charitas si in te fuerit, quamlibet

libet tibi sit grandis substantia, novit quid de illa agere debéat. Ipsa scit optime cui vel quantum porrigat, quid tribuat, quid reservet. *Charitas de rebus disponere novit.* Ipsa intelligit quantum animæ reservet in cælo, & quantum corpori servet in mundo. Satis bona ordinatrix est, fratres, bene novit congregare in æstate, quod possit hyeme habere, hoc est scit providere *Eleemosyna providet in hoc seculo, ut in futuro inveniat.* per eleemosynam in hoc sæculo, quod inveniat in futuro. ***Et infra.*** Qui istam charitatem non habuerit, DEUM videre non poterit, nec audire merebitur. Venite benedicti, percipite regnum. ***Et infra.*** Ipsa est enim de qua Apostolus dicit. In charitate radicati & fundati? Talem ergo charitatem habeamus fratres, ut omnes homines to-
Eph: 3 17. to corde amare possimus Si totum genus humanum sic diligis, quomodo te, non remansit janua unde peccatum intret in te. Omnes aditus unde diabolus ad animam ingreditur, claudis, si intus homines sicut teipsum dilexeris. Et revera fratres quomodo potest fieri, ut aliquis alteri homini malum faciat, si illum sicut seipsum dilexerit? Vos autem fratres dilectissimi veram charitatem tenentes, quæ
2. Cor. 6. 6. falsa est fugite, audite Apostolum dicentem. Charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.

Ergo fratres quando de charitate loquor tacere non possum. Quare hoc? Quia satis dulcis est charitas. Qui illam habet, quod dico intelligit: Qui verò non habet, forsitan irridet, & despicit. Quare irridet? Quia quàm dulcis sit charitas non gustavit. Gustet ergo & videat quàm suavis est Dominus, DEUS charitas est. Quid dulcius DEO? fratres qui nescit audiat Prodhetam dicentem, quod paulo ante suggessi, Gustate, & videte quàm suavis est Dominus. O quàm felix & beata anima est, quæ charitatem in se habere meretur! Charitas fratres sitienti potus est, esurienti cibus, in amaritudine positis dulcedo, in tristitia constitutis vera & grata consolatio, *Charitas, cibus, potus, dulcedo.* fluctuantibus portus, errantium via, peregrinantibus patria. ***Et infra.*** Si amatores estis, amate charitatem. Si fortes, vincite cupiditatem. Si peregrini, desiderate Patriam. ***Ibid. ser. 42. Dnica 2. post Oct: Epiph: ser: 2.***

1. Ti. 1. 5. Quid ergo est illud breve, & ita magnum ut possit generi humano sufficere? Apostolus dicit. Finis præcepti est charitas, de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta. Attendite fratres quid in verbis brevius & quid in rebus magnificentius poterit inveniri, quàm charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Ista brevitas, & ut teneatur memoriter, est suavis, & ut custodiatur fideliter, dulcis. Quid dulciùs fratres charissimi? Qui nescit gustet, & videat. Quid ergo gustare debet, qui vult ut illi dulcedo sapiat charitatis? Audite fratres Apostolum dicentem. DEUS chari-
1 Io. 4. tas est. Quid dulcius fratres? Qui nescit, audiat Psalmistam dicentem, Gustate & videte quoniam suavis est Dominus. Deus enim charitas est. Qui habet charitatem DEUS in illo manet, & ipse in *Qui charitatem habet Deum habet.* DEO. Si charitatem habes, DEUM habes. Quid habet dives, si charitatem non habet? Pauper si charitatem habet, quid non habet? Tu forte putas quod ille sit dives cujus arca plena est auro: & ille non sit dives cujus conscientia plena est DEO? Non ita est fratres: ille verè dives esse videtur, in quo DEUS habitare dignatur. Quid enim de scripturis poteris ignorare, si te charitas hoc est DEUS cæperit possidere? Quid enim de bonis operibus non poteris implere, si fontem bonorum operum merueris in corde portare? Quem adversarium timebis, si Regem DEUM in te habere merueris? Tenete ergo & custodite fratres dilectissimi dulce ac salubre vinculum charitatis.

Sed ante omnia veram charitatem tenete, non illam quæ tan-

Simulata Charitas fugienda. tum promittitur ore, & non servatur in corde, sed illam quæ ex ore profertur, ut tamen jugiter in corde teneatur, ut impleatur in vobis illud quod Apostolus dicit. In charitate radicati atq; fundati: Radix enim omnium bonorum est charitas, sicut & radix omnium malorum cupiditas. Sicut in charitate nihil unquam mali, ita in cupiditate nihil unquam boni poterit inveniri. Istæ duæ radices fratres dilectissimi, in duobus agris, à duobus plantantur agricolis. Unam in cordibus bonorum plantat Christus, aliam in cordibus malorum plantat diabolus. Nec de charitatis radice nascetur aliquid mali, nec de radice cupiditatis aliquid boni. Non enim mentitur veritas quæ in Evangelio cum de istis duabus radicibus loqueretur, ita definivit dicens, Arbor bona fructus bonos facit. *Ibid ser: 45. Dñica 3. post oct: Epiph: ser: 7.* *Eph: 3. 17.* *1 Ti. 6. 10.* *Ma. 7. 17.*

Istas duas radices sicut supra dixi duo agricolæ plantare consveverunt. Unam plantat Christus in cordibus fidelium, alteram plantat diabolus in pectoribus superborum: ac sic una plantatur in cælo, altera in inferno. *T. 10. Ibidem.*

Quis exigeret tanta de Deo nostro fratres pro nostra salute ac redemptione, nisi charitas quæ nunquam cadit? O charitas quàm magnas vires habes! De Cælo Deum deposuisti. O chara sanctitas, o Sancta ac vera charitas, quæ tanta es in terris, quanta eris in cælis? Quæ tantum potes in hac pugna mortalitatis adhuc solicita, quantum poteris in illa perpetua pace secura? Evigilia itaq; omnis anima Christiana, & si in te eminet virtus charitatis quæ omnia sustinet, Domini tui imitare vestigia Christus enim, ait Apostolus Petrus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Et si ille propter te cælesti sede ad terrena descendit, tu propter te fuge terrena, appete cælestia. *Ibid. ser: 46: Dñica 4. post idem ser: 7.* *Adhortatio ad Charitatem.* *1. Pe. 2. 21.*

De charitate nobis paulo ante Apostolus loquebatur, cum ejus epistola legeretur, & eam nobis sic commendabat, ut intelligeremus cætera omnia quamvis magna Dei dona, sine illa nihil prodesse. Ubi autem ipsa est, sola esse non potest. *Et infra.* Liceat vobis humana charitate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos vestros, diligere cives vestros. Omnia enim ista nomine habent necessitudinis vinculum, & gluten quodammodo charitatis. Sed videtis istam charitatem esse posse & impiorum, id est Paganorum, Judæorum, hæreticorum. Quis enim eorum non amat uxorem, filios, fratres, vicinos, affines, amicos &c. Hæc ergo humana est. Si ergo tali quisq; crudelitate effertur, ut perdat etiam humanum dilectionis affectum, ut non amet filios suos, & non amet conjugem suam: nec inter homines numerandus est. Non enim laudandus est, qui amat filios suos, sed damnandus est, qui non amat filios. Adhuc enim videat cum quibus debet ei esse dilectio ista communis. Amat filios, & feræ amant filios. Amant filios aspides, amant filios tygrides, amant filios leones. Nulla enim bestia est, quæ non filijs suis blande murmuret. *Charitas sola esse non potest.* *Non numerandus inter homines, qui non amat filios suos.* *Bestiæ blande filiis murmurantes.*

Et infra. Si ergo non facis habitare meretricem quam diligis cum matre tua, cum sorore tua, ne sicut dixi offendas decus sanguinis tui: facis habitare in corde tuo dilectionem meretricis, cum dilectione Dei, & offendis decus sanguinis Christi? Amate Deum, nihil melius invenitis. Amatis argentum quia melius est ferro, & æramento. Amatis plus aurum, quia melius est argento. Amatis plus lapides pretiosos, quia & auri pretium superant. Amatis postremo istam lucem, quam dimittere formidat qui timet mortem. *Et infra.* Amate Christum, desiderate lumen quod est Christus. Si *Dilectione meretricis offenditur decus sanguinis Christi.* *Amore Dei nihil melius.*

desi-

desideravit ille lumen corporis, quantò plus lumen cordis desiderare debetis? Ad eum non vocibus, sed moribus clamemus. Vivamus bene, mundum contemnamus. *Et infra.* Non dico ut diligas Patrem, non dico ut diligas filios, sed plus dilige Christum, Audi illum dicentem, ne mea putes ista verba. Qui amat Patrem, aut Matrem plus quàm me, non est me dignus. Quando audis non est me dignus, non times? de quo dicit Christus. Non est me dignus, non est cum illo. Qui cum illo non erit, ubi erit? Si non amas esse cum illo, time esse sine illo. Quare times sine illo esse? Quia cum diabolo eris, si cum Christo non fueris Et ubi erit diabolus? Audi ipsum Christum. Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus. Si ignem cæli non ascenderis, ignem time gehennarum. Si non amas esse inter Angelos DEI, time esse inter Angelos diaboli. Si non amas esse in regno, time esse in camino ignis ardentis, inextinguibilis sempiterni. Vincat in te pius amor, & erit amor. *Ibid. ser: 52. Dnica in Quinq: ser: 1.*

Christus lumē Cordis.

Ma. 10 37.

Ma. 25 41.

Fidei succedit spes, & spei beatitudo, charitati autem non transmutatio, sed sola restat perfectio. Hæc omnium arx est virtutum, hæc promissio regni, hæc præmium summum est Sanctorum in cælo: quia in perenni gaudio nihil gratius, nihil dulcius habent Sancti perfecto amore DEI, Quem quia præsentem vident suavius diligunt, & dulcius fruuntur ipso bono. *Ibid: ser: 53. in eadem Dnica.*

Perfectus amor, virtutū omnium arx.

Quis nos separabit à charitate Christi. Spirituales ergo, nec tormentis separantur à Christo, carnales vero interdum etiam otiosis fabulis separantur. Jllos non separat nec crudelis gladius, istos verò separat carnalis affectus. Spirituales nec dura frangunt, carnales etiam blanda corrumpunt. *Ibid. ser: 2. in eadem.*

Rom: 8. 35.

Fabulæ otiosæ à Deo separāt.

Considerate fratres charissimi: quamdiu vidua illa oleum in vasculo proprio habuit, nec sibi sufficiebat, nec debitum reddere poterat. Verum est charissimi. Qui se solum diligit, nec sibi sufficit, nec peccatorum suorum debitum reddit. Cum vero in alienis vasculis, id est omnibus vicinis, & propinquis, & omnibus hominibus, cæperit oleum charitatis infundere, tunc & sibi sufficere, & ab omnibus se debitis poterit liberare. Et vere fratres talis est natura sancti amoris, & vena charitatis, ut erogando crescat, & quantum in alijs plus expenditur, tantum in se abundantius cumuletur. *Et infra.* Panem charitatis si dederis centum hominibus, integer manet: si universo mundo largiri volueris, tibi nihil deficit: imò non solum non deficit, sed omnium illorum, quibus largitus fueris, lucrum tibi multipliciter crescit. v G. Unum panem charitatis habebas. Si nemini dedisses ipsum solum haberes. Mille hominibus dedisti, mille panes acquisivisti: quia tanta est possessio charitatis, ut & singulis tota est, & omnibus integra esse possit. *Et infra.* Si charitatis oleo volumus abundare, non solum bonos, sed etiam malos debemus diligere. Bonos, quia boni sunt: malos ut boni fiant. *T. 10. serm: de Tem: ser: 207. Dnica 5. post fest. Ss. Trinit: ser: 2.*

Amor sui perniciosus.

Liberalis erga alios Charitas fructuosa, erogando crescit.

Lucrum Eleemosynæ ex Charitate.

Ignem veni mittere in terram: & quid volo nisi ut accendatur? quia duo sunt ignes cupiditatis scilicet & charitatis: & unus de parte DEI, alter de parte Diaboli, unus devorantis omnia mala, alter universa bona consumens, consideret unusquisq; conscientiam suam, etsi in se videt ignem cupiditatis ardere, cum DEI adjutorio festinet extinguere: quia nihil in illo boni remanere poterit, quem ignis cupiditatis accenderit, sicut è contrario nihil in eo mali remanebit, in quo ignis arserit charitatis. *Ibid. ser: 255. In Anniver: Dedic: Eccl: ser: 4.*

Luc. 12 49.

In his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ. In Christo

Ma. 22 40.

Christus omnia.

sto habes totum. DEUM tuum vis diligere? Habes in Christo, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM, & DEUS erat Verbum. Proximum vis diligere? Habes in Christo, Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. *T. 10. ser: de diver: ser: 12. de Ascens: Dominica.* *Ioã 1.*

Amor summa petit. Nonne cor nostrum erat ardens in via, cum aperiret nobis scripturas? Ardete: ne ardeatis igne, quo arsuri sunt dæmones, ardete igne charitatis, ut à dæmonibus vos discernatis. Ardor iste sursum vos rapit, sursum tollit, in cælum levat. Quidquid molestiarum passi fueritis in terra, quantumcunq; Christianum cor deorsum humiliatum premat inimicus: summa petit ardor dilectionis. Similitudinem accipite. Si faculam teneas ardentem, rectam capite sursum teneas: flammæ crinis surgit in cælum. Deprime faculam: flamma in cælum it. Fac faculam capite deorsum: nunquid & flammam deprimis in terram? Quacunq; ardens vergit flamma aliam viam nescit: cælum petit. Spiritu ferventes accendimini igne charitatis; fervere facite vos laudibus, & moribus optimis. *T. 10. parte 2. ser: de diver: ser 87. In die S. Paschæ.* *Lu 24. 13.* *Ignis depressus, sursum fertur.*

Cupiditas extirpetur, charitas plantetur. De ista arbore quidquid exit, bonum est. Cupiditas nihil boni potest generare: charitas nihil mali. Et dicitur, & laudatur: & nemo imitatur. Absit non est verum quod dixi. Imitati sunt piscatores, imitati sunt etiam plurimi Senatores. *Ibid. ser: 115. de festo S. Cypriani Mart.*

Charitas vestis nuptialis. Finis præcepti est, Apostolus dicit, charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Hæc est vestis nuptialis. Non quæcunq; charitas: nam plerumq; videntur se diligere etiam homines participes malæ conscientiæ. Qui simul latrocinia faciunt, qui simul maleficia, qui simul histriones amant, qui simul aurigis & cum natoribus clamant, plerumq; diligunt se: sed non est in eis charitas, de corde puro, & conscientia bona & fide non ficta. Talis charitas vestis est nuptialis. *T, 10. ser: Nov: ser: 14. De nuptiis filii Regis.* *1. Ti 1. 5.* *2. Co: 6 6.*

Nemo ab Amoris debito alienus. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Sola dilectio est semper reddenda, nemo à tali debito alienus est. *T, 10. eorundem ser: 16. Dnica in Albis.*

Unitas ab origine generis humani commendatur. Non duos facere voluit separatim masculum & fæminam: sed unum & de uno unam. Quare sic? Quare ab uno genus humanum inchoatur, nisi quia generi humano unitas commendatur? Et Dominus Christus ex una unitas Virgo est, tenet Virginitatem, servat incorruptionem. *Ibid. ser: 20. in die Pent: primo.* *Gen. 2. 2.*

Animales dissensionibus studens. In eodem Christi corpore ubiq; crescente servantes unitatem in vinculo pacis. Hoc vinculum quem non alligat, servus est Non enim accepimus sicut Apostolus ait Spiritum servitutis iterum in timore; sed accepimus Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba pater *Et infra* Sicut enim spirituales unitate gaudent, sic animales dissensionibus student. De his & Judas Apostolus apertissime scribens: Hi sunt inquit qui segregant semetipsos, animales spiritum non habentes. Quid evidentius, quid expressius? *Ibid. ser: 21. in die Pent: 2do.* *Rom. 8. 15.*

Amanda Creatura sed infra Deum. Qui amat Patrem, aut Matrem super me non est me dignus: & qui non tulerit crucem suam, & secutus fuerit me, non est me dignus. Amorem parentum, uxoris, filiorum non abstulit, sed ordinavit, non dixit. Qui amat, sed, qui amat super me. Hoc est quod Ecclesia loquitur in Canticis Canticorum. Ordinate in me charitatem. Ama Patrem, sed noli super Dominum. Ama genitorem sed noli super creatorem. *Et infra.* Ama ergo Patrem, sed noli super DEUM tuum. Ama matrem tuam sed noli super Ecclesiam, quæ te genu- *Ma 17 38.* *Cãt. 2. 4.*

genuit ad vitam æternam. Deniq; ex ipsorum parentum amore perpende, quantum diligere debeas DEUM & Ecclesiam. Si enim tantum diligendi sunt qui genuerunt moriturum, quanta charitate diligendi sunt, qui genuerunt ad æternitatem venturum, in æternitate mansurum. Ama uxorem, ama filios secundum DEUM, ut consulas eis ad DEUM colendum tecum, cui junctus cum fueris, separationem nullam timebis. Ideo non debes illos plus DEO diligere, quos omnino malè diligis, si neglexeris tecum ad DEUM ducere. *Ibid. ser:31. De amore Dei & amore sæculi.*

Deus non morituros homines æternitati generat.

Omnis consummationis vidi finem. Quid est omnis consummationis vidi finem. Consummationis, perfectionis, non consumptionis, vidi finem perfectionis non abolitionis. Omnis consummationis vidi finem. Quis est iste finis? Latum mandatum tuum valde. Finis enim præcepti est jam vos dicite mecum *A populo Acclamatum est* Charitas de corde puro. Omnes dixistis, quod non infructuose semper audîstis. Finis præcepti est charitas de corde puro. Finis quo perficimur non quo consumimur. *Ibid. ser: 36. De pace & charitate, ante collationem Donatistarum.*

Ps. 118 96. *Ps. 118* *1. T. 1. 5.*

Nullo modo possunt dicere se habere charitatem, qui dividunt unitatem. *Ibid. Tract: 7. de cap 1.*

Charitas nunquam sola.

Non putetis vilem esse charitatem. Quomodo autem vilis est quando omnia, quæ dicuntur non vilia, cara dicuntur? Si ergo quæ non sunt vilia cara sunt: quid est carius ipsa charitate? *Et infra* Quanta est ergo charitas, quæ si desit frustra habentur cætera: si adsit recte habentur omnia? Tum charitatem laudans Apostolus copiosissime atq; uberrime, minus de illa dixit, quàm quod ait breviter Apostolus Ioannes cujus est hoc Evangelium. Neq; enim dubitavit dicere: DEUS charitas est. Scriptum est enim quia charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Quis ergo nominet Patrem & Filium, & non ibi, intelligat charitatem Patris & filij? Quam cum habere cœperit, Spiritum Sanctum habebit: quàm si non habuerit sine Spiritu Sancto erit. Et quomodo corpus tuum sine Spiritu quod est anima tua si fuerit, mortuum est: sic anima tua sine Spiritu Sancto, id est sine charitate si fuerit, mortua deputabitur *Ibid. Tract: 9 de cap. 2.*

Maximum pretium omnium charitas *1. Io. 4.* *Omnia est charitas quia Deus.* *Rō: 5: 5* *Charitas, vita*

Venit ipse Dominus charitatis doctor, charitate plenus, brevians sicut de illo prædictum est, verbum super terram & ostendit in duobus præceptis charitatis pendere legem & prophetas. *Ibid. Tra: 17. de cap. 5.*

In duobus charitas.

Legis plenitudo compendio ut ait Apostolus charitas est. Charitas non nummi sed DEI: non terræ, non Cæli, sed ejus qui fecit Cælum & terram, Unde iste charitas homini? Ipsum audiamus: Charitas inquit DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis *Ibid. Tract: 26. de cap: 6.*

Rō: 13 10. *Spiritualis ille est qui charitatem habet* *Rō: 5: 5*

Aliud est migrare corpore, aliud corde. Migrat corpore qui motu corporis mutat locum; migrat corde qui motu cordis mutat affectum. Si aliud amas, aliud amabas, non ibi es ubi eras. *Ibid. Tract 32 de cap: 7.*

Motus animi, mutatio.

Ubi sum inquit ego, ibi & minister meus erit. Gratis ametur, ut operis quo ministratur illi pretium sit esse cum illo. Ubi enim bene erit sine illo, aut quando esse male poterit cum illo? *Ibid. Tra: 51 de cap: 12.*

Io: 12. 26 *Servire, est conregnare.*

O Sponsa Christi pulchra inter mulieres? o dealbata ascendens, & incumbens super fratruelem tuum! quoniam cujus lumine illustraris ut candeas, ejus adjutorio fulciris ne cadas: O quàm bene cantatur tibi in illo cantico canticorum velut epithalamio

Illustratio Dei manuductor optimus.

tuo quia charitas in delicijs tuis. Ipsa non comperdit cum impijs animam tuam: ipsa discernit causam tuam, & sicut mors valida est, & in delicijs tuis. Quàm mirandi generis mors est, cui parum fuit non esse in pœnis nisi esset insuper in delicijs? *Ibid. Tra: 65. de c. 13.*

Dilectionis, cognomẽ, opus.

Qui habet inquit mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me. Qui habet in memoria & servat in vita; qui habet in sermonibus & servat in moribus: qui habet audiendo, & servat faciendo: aut qui habet faciendo, & servat perseverando: ipse est inquit qui diligit me. Opere enim demonstranda dilectio, ne sit infructuosa nominis appellatio. *Ibid. Tract: 75. de cap: 14.*

Miraculum charitas.

Si habuerint prophetiam & scierint omnia Sacramenta, & omnem scientiam, & habuerint omnem fidem ut montes transferant, nihil sunt. Et si distribuerint omnem substantiam suam, & tradiderint corpus suum ut ardeant, nihil eis prodest. *Ibid. Tra: 76 de c. 14.* Io. 14. 21.

Etiam fides sine charitate falsa. *Media inter Deum & proximũ charitas* *Quia Spiritus Sanctus charitas.*

Plenitudo legis charitas. Ubi ergo charitas est quid est quod possit deesse, ubi autem non est quid est quod possit prodesse? Dæmon credit nec diligit: nemo diligit qui non credit. Frustra quidem sed tamen potest sperare veniam qui non diligit: nemo autem potest desperare qui diligit. Itaq; ubi dilectio est, ibi necessario fides & spes: & ubi dilectio proximi, ibi necessario etiam dilectio Dei. Qui enim non diligit eum quomodo diligit proximum tanquam seipsum quandoquidem non diligit & seipsum? Est quippe impius & iniquus. Qui autem diligit iniquitatem, non plane diligit sed odit animam suam. *Ibid. Tract: 83. de cap: 16.* Rō: 13. 10.

Ignis Charitatis in Cinere, quia in humilitate.

Ubi charitas ibi pax: & ubi humilitas ibi charitas. *T, 9. in Epist: Ioan: Tract: 2. de cap: 1.*

Insigne stemma nobilitatis Christianæ charitas. *Ignis in ara Cordis.*

Dilectio sola discernit inter filios Dei, & filios diaboli. Signent se omnes signo Christi. Respondeant omnes Amen. Cantent omnes alleluia, baptizentur omnes, intrent omnes Ecclesias, faciant parietes basilicarum: non discernuntur filij Dei à filijs diaboli, nisi charitate. Qui habent charitatem nati sunt ex Deo: qui non habent non sunt nati ex Deo. Magnum judicium, magna discretio. Quidquid vis habe hoc solum non habeas, nihil tibi prodest. Alia si non habes hoc habe & implesti legem. *Ibid Tract: 5. de cap: 3.*

Charitas est unio.

In uno corpore sumus unum caput habemus in Cælo. Fratres oculi nostri non se vident, quasi non se norunt. An in charitate compaginis corporalis non norunt se? Nam ut noveritis quia in conjunctione charitatis se noverunt, quando ambo patent non licet, ut aliquid attendat dexter, quod non attendat sinister. Dirige radium dextrum sine altero si potes. Simul coeunt, simul diriguntur. Intentio una est, loca diversa sunt. Sic ergo omnis qui tecum diligit Deum, unam intentionem tecum habet. *Ibid. Ioan: Tra: 6. de cap: 3.*

Deus nunquã magis cõmunitur nobis, quã cum proximos ut Deum diligimus.

Deus dilectio est. Quid amplius dici potuit fratres. Si nihil de laude dilectionis diceretur per omnes istas paginas hujus Epistolæ, si nihil omnino per cæteras paginas scripturarum, & hoc solum unum audiremus, de voce Spiritus Dei, quia Deus dilectio est: jam videte quia facere contra dilectionem facere contra Deum est. *Et infra.* Ex Deo est dilectio: Deus dilectio est. Ecce habetis fratres scripturas Dei: Canonica est ista Epistola, per omnes gentes recitatur, orbis terræ authoritate retinetur, orbem terrarum ipsa ædificavit. Audis hic à Spiritu Dei, Deus dilectio est. Jam si audes fac contra Deum, & noli diligere fratrem tuum. *Et infra.* Habere baptismum & malus potest: habere prophetiam & malus potest. Invenimus Saulem Regem habuisse prophetiam. Persequebatur Sanctum David, & impletus est Spiritu prophetiæ, & prophe- 1. Io. 4.

Charitas firmat orbem.

1. Reg. 10. 6.

phetare cœpit. Accipere Sacramentum corporis & sanguinis Domini, & malus potest. *Et infra.* Habere autem charitatem & malus esse non potest. Hoc est ergo proprium donum: ipse est singularis fons. Ad hunc bibendum nos hortatur Spiritus DEI. *Et infra.* Si pigri eramus ad amandum, non simus pigri ad redamandum. Prior amavit nos: nec amamus. Iniquos amavit sed iniquitatem solvit, iniquos amavit sed non ad iniquitatem congregavit. Ægrotos amavit sed sanandos visitavit. DEUS ergo dilectio est. *Et infra.*

Inter reliqua bona, activissima charitas.

Semel ergo breve præceptum ibi præcipitur. Dilige, & quod vis fac. Sive taceas, dilectione taceas: sive clames, dilectione clames: sive emendes, dilectione emendes. Sive parcas, dilectione parcas. Radix sit intus dilectionis, non potest de ista radice nisi bonum existere. *Et infra.* DEUS dilectio est. Qualem faciem habet dilectio? Qualem formam habet? Qualem staturam habet? Quales pedes habet? Quales manus habet? Nemo potest dicere. Habet tamen pedes, nam ipsi ducunt ad Ecclesiam: habet manus, nam ipsæ pauperi porrigunt: habet oculos nam inde intelligitur ille qui e-
Psal. 40. 2. get. Beatus inquit qui intelligit super egenum & pauperem. Habet aures de quibus dicit Dominus: Qui habet aures audiendi audiat. Non sunt membra distincta per loca, sed intellectu totum simul videt qui habet charitatem. Habita & inhabitaberis; mane & manebitur in te. Quid enim fratres mei? *Et infra.* Non putes tunc te amare servum tuum quando eum non cædis: aut tunc te amare filium tuum quando eum non cædis: aut tunc te amare vicinum tuum quando ei non das disciplinam: aut tunc te amare vicinum tuum, quando eum non corripis. Non est ista charitas sed languor. Ferveat charitas ad corrigendum, ad emendandum. Sed si sunt boni mores delectent: si sunt mali, emendentur, corrigantur. *Et infra.* Amor sævit, charitas sævit. Sævit quodammodo sine felle more columbino non corvino. *Ibid. Tract: 7. de cap: 4.*

Dilectio omnia.

Structura charitatis.

Nil aliud charitas nisi homo qui etiam est parvus mundus aut omnia.

Charitas severa.

Corripiendo non diripit.

Dilectio dulce verbum est sed dulcius factum. *Ibid. Tract: 8. de cap. 4.*

Diligit, qui porrigit favum.

Amplius tibi non potuit dilectio commendari, quàm ut dice-
1. Io. 4. retur DEUS. Forte munus DEI contempturus eras. Et DEUM contemnis? DEUS dilectio est. Et qui manet in dilectione, in Deo manet, & DEUS in eo. Vicissim se habitant, qui continet, & qui continetur. Habitas in DEO: sed ut continearis. Habitat in te DEUS, sed ut contineat te ne cadas. *Ibid. Tract: 8, de c. 4.*

Charitas immutat in Deũ est quadã trãsubstantiatio.

Nescio utrum magnificentius nobis charitas commendari pos-
1. Io. 4. sit, quàm ut diceretur, DEUS charitas est. Brevis laus & magna laus. Brevis in sermone, & magna in intellectu. Quam citò dicitur DEUS dilectio est. Et qui manet inquit in dilectione, in DEO manet, & DEUS in illo manet. Sit tibi domus DEUS, esto domus DEI: mane in DEO, & maneat in te DEUS. Maneat in te DEUS, ut te contineat, maneas in DEO ne cadas: quia sic de ipsa charitate dicit Apostolus, charitas nunquam cadit. *Ibid: Tract: 9. de c. 4.*

Charitas celũ præstat.

Senum filiorũ charitas.

Totum amatum sit præter illum qui vocat, quousq; inhærea-
Psal. 72. 28. mus illi. *Et infra.* Mihi autem adhærere DEO bonum est. Totum bonum meum est DEO inhærere gratis. *Ibidem.*

Opus fidei, ipsa dilectio est: dicente Paulo Apostolo. Et fides qua per dilectionem operatur. Opera quidem tua antequam crederes vel nulla erant: vel si bona videbantur, inania erant. Si enim nulla erant, sic eras quasi homo sine pedibus, aut vexatis pedibus ambulare non valens. *T. 9. in Epist: Ioan: Tract: 10. de c. 5.*

Fides vera dilectione, quia opere bono probatur.

Nescio quis non vult credere in Christum: adhuc nec dæmones imitatur. Jam credit aliquis in Christum, sed odit Christum.

Charitas nihil timet quia omnia fert. Habet confessionem fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ Nam & illi qui puniti timebant quid dicebant? Quid nobis & tibi Fili Dei? Venisti ante tempus perdere nos? Adde huic fidei dilectionem ut fiat fides, qualem dicit Apostolus Paulus, Fides quæ per dilectionem operatur. Invenisti Christianum, invenisti Civem Hierusalem, invenisti Civem Angelorum, invenisti in via suspirantem peregrinum, adjunge te illi comes tuus est, curre cum illo si tamen & tu hoc es. *Et infra.* Illud verbum per quod facta sunt omnia. Et Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis hoc solum diligo. Mentiris, si enim diligis caput, diligis & membra: si autem membra non diligis, nec caput diligis. Non expavescis vocem capitis de Cælo clamantem pro membris suis. Saule Saule, quid me persequeris? Persecutorem suum vocavit, persecutorem suorum membrorum, dilectorem suum vocavit, dilectorem membrorum suorum. Jam quæ sunt membra ejus, nostis fratres: ipsa est Ecclesia Dei.

Mar. 1. 24. *Christianus verus, diligens.* *Membra Christi sunt ejus, Dilecti quia uniti.* *Act. 9.*

Amor facilis, quia sine labore acquiritur. *Et infra.* O homo qui laboras amando avaritiam, cum labore amatur quod amas: sine labore amatur Deus. Avaritia jussura est labores, pericula, trituras, tribulationes, & obtemperaturus es. Quo fine? Ut habeas unde impleas arcam, perdas securitatem, securior forte eras, antequam haberes, quàm cum habere cæpisti: Ecce quid tibi jussit avaritia. Implesti domum timentur latrones: acquisivisti aurum, perdidisti somnum. Ecce quid tibi jussit avaritia, fac, & fecisti. Quid tibi jubet Deus? Dilige me Aurum diligis: quæsiturus es aurum, & forte non inventurus. Quisquis me quærit, cum illo sum. Amaturus es honorem & forte non perventurus. Quis me amavit, & non ad me pervenit? Dicit tibi Deus Patronum vis facere, aut amicum potentem: ambis per alium inferiorem. Me ama dicit tibi Deus, non ad me ambitur per aliquem: ipse amor præsentem me tibi facit. Quid dulcius lectione ista fratres? Non sine causa modo audistis in psalmo fratres. Narraverunt mihi injusti delectationes, sed non sicut lex tua Domine. Quæ est lex Dei? Mandatum Dei quid est? Novum illud mandatum, quod ideo novum dicitur quia innovat. mandatum novum do vobis ut vos invicem diligatis. *Ibid. Tract: 10. de cap. 5.*

Ps. 118. 85. *Io: 13. 14.*

Dilectos etiã cum sævit amat; non vulnerat, sed accendit. Dilige, non potest fieri nisi bene facias. Sed forte corripis. Amor hoc facit non sævitia. Sed forte cadis. Ad disciplinam facis, quia amor ipsius dilectionis; non te permittit negligere indisciplinatum. *Et infra.* Disciplina charitatis fratres mei, robur, flores; fructus, pulchritudo, amænitas, pastus, potus, cibus, amplexus, sine satietate est. Si sic nos delectat peregrinos, in patria quomodo gaudebimus? Curramus ergo fratres mei, curramus & diligamus Christum. Quem Christum? Jesum Christum. Quis est iste? verbum Dei. Et quomodo venit ad ægrotos? Verbum caro factum est & habitavit in nobis. *Ibid. Tract: 10. de c. 5.*

CHRISTIANUS

Non propter istam vitam in qua nos Deus aliquando usq; ad mortem persequentium manibus derelinquit; sed propter illam sempiternam, nos debere esse Christianos: quia hoc in illo præcessisse intuemur, ex cujus nomine sic vocamur: Ecce ita factum est; tamen multi non ob aliud volunt esse Christiani, nisi ut hujus vitæ felicitate perfruantur: ideoq; illa deficiente deficiunt. *T. 2. Ep: 120. cap: 11.*

Christiani propter Cælũ esse debemus.

Contra rationem nemo sobrius, contra scripturas nemo Christianus, contra Ecclesiam nemo pacificus senserit. *T. 3. lib. 4. de Trinit: c. 6.*

Bono

Bono Christiano, sivè Mathematici, sivè quilibet impiè divinantium maximè dicentes vera, cavendi sunt, nè consortio dæmoniorum animam deceptam pacto quodam societatis irretiant. *T. 3. lib. 2. de Gen. ad lit. c.* 17.

Deinde quod de felicitatis rerum humanarum diminutione per Christiana tempora conqueruntur. Quid eis minuitur felicitatis, nisi quod pessimè luxurioseq; abutebantur in magnam Creatoris injuriam? Nisi forte hinc sint mala tempora, quia per omnes penè civitates cadunt theatra, caveæ turpitudinum, & publicæ professiones flagitiosorum, cadunt & fora vel mænia, in quibus dæmonia colebantur. Cicero cum Roscium quendam laudaret histrionem, ita peritum dixit, ut solus esset dignus, qui scenam deberet intrare, ita virum bonum ut solus esset dignus, qui eo non deberet accedere. *T 4. l. 1. de con. Evan: c. 33.*

Bona tempora quibus mala minuuntur.

Multos visurus es ebrios & avaros, fraudatores, aleatores, adulteros, fornicatores, & aliquando fortasse graviora facere, homines non ignoras, quos nosti appellari Christianos. Sed si hoc animo venisti, ut quasi securus talia facias, multùm erras, nec tibi proderit nomen Christi, cum cæperit ille severissimè judicare qui priùs dignatus est misericordissimè subvenire. Prædixit enim ista & ait in Evangelio. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in Regnum Cælorum. Omnibus ergò qui in talibus operibus perseverant, damnatio finis est. *T. 4 l. de catech: rudib: c. 25.*

Christianus gravissime judicabitur.

Multi Christiani captivi ducti sunt; hoc sanè miserrimum est, si aliquò duci potuerunt, ubi DEUM suum non invenerunt. Sic ergo non deservit fideles suos sub dominatione gentis, licet barbaræ tamen humanæ, qui prophetam non deservit nec in visceribus belluæ. *T. 5. l. 1. de Civit: Dei. c. 14.*

Captivum non deserit Deus. Christianum ubiq; Deus expectat.

Si Machabæos cum ingenti admiratione præferimus, quia escas quibus nunc Christiani licitè utuntur, attingere noluerunt, quia tunc pro tempore Prophetico non licebat: quantò magis nunc pro baptismo Christi, pro Eucharistia Christi, pro signo Christi, ad omnia paratior debet esse Christianus perferenda; cum illæ fuerint promissiones rerum complendarum, hæc sint indicia completarum. *T. 6. l. 19. con. Faustum c. 14.*

Sunt pro quibus se opponat Christianus.

Tria hæc Fides, Spes, Charitas, unde fieri potest, ut pares cum
1. Cor. 13.13. aliquo mores habeat, qui hæc tria cum illo paria non habet? qui enim aliud credit, aliud sperat, aliud amat, necesse est, ut aliter vivat. *Ibid. l. 20. c. 23.*

Dona Deï disparem faciũt vitam. Non potest Infidelis convenire cum fideli.

At enim multi Christiani Catholici vocantur, & sunt adulteri, raptores, avari, ebriosi, & quidquid aliud sanæ doctrinæ adversatur. Quid autem inter vos, in tam exiguo ac penè nullo numero vestro? Nonne plerique sunt tales? & quidam in paganis non sunt tales? Num ideo Paganos qui tales non sunt, dicitis meliores vobis, cùm tamen propter sacrilegam vanitatem sectæ vestræ, etiam qui in vobis tales non sunt, paganis etiam talibus deteriores sunt? Unde manifestum est non ideo derogari sanæ doctrinæ, quæ sola Catholica est, quia multi ejus nomine censeri volunt, & per illam sanari nolunt. *Ibid. l. 20. c. 23.*

Nil obest Nomini Christiano malos reperi Christianos.

Homines Christiani invicem se commendant orationibus suis. Pro quo etiam nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus verusq; mediator est cujus typus quoniam præfigurabatur in Sacerdote veteris testamenti nullus illic invenitur oràsse pro Sacerdote. *T. 7. l. 2. con: Epist: Parmenionis c. 8.*

Christiani se emendant orationibus.

An pejores sint exteriores quàm interiores mali? Magna quidem quæstio est, utrum peior fuerit Nicolaus exterior jam, quàm

Gravius malum, malum apertum.

Simon adhuc interior, quia ille hæreticus iste Magus. Quodsi ipsa divisio, quia violatæ charitatis certissimum indicium est, graviùs habetur malum, concedo ita esse. Sed multi amissâ charitate propterea non exeunt foras, quia sæcularibus emolumentis tenentur, & sua quærentes, non quæ Jesu Christi, non à Christi unitate, sed à suis commodis nolunt recedere. Unde dictum est in laude charitatis: non quærit quæ sua sunt. *T. 2. l. 4. con. Donatist. c. 10.*

Dubiũ, an malus fidelis præponendus sit bono infideli.

Utrum Catholicum pessimis moribus alicui hæretico in cujus vita præter id quod hæreticus est, non inveniunt homines quod reprehendant, præponere debeamus, non audeo præcipitare sententiam. *T. 7. ibid. c. 20.*

Voce noscitur Christianus.

Neq; verè quisquam quoquo modo intueris Evangelium, audet in animo suo dicere per tot gentes, in quibus penè respondetur una voce Amen, & cantatur Alleluia non esse Christianos. *Ibid. l. 2. contra literas Petil: c. 28.*

Fac aliquid si totum non potes.

Ut omnes cum Christo vivant magnis conatibus & votis agendum est: sed si hoc per quorundam furorem fieri non potest saltem ut non omnes cum diabolo pereant laborandum est. *Ibid. l. 1. contra Gauden. c. 29.*

Paucissimi sunt legis periti, multitudinem autem membrorum Christi usquequaq; diffusam, & legis tam profundæ ac multiplicis imperitam, simplicis fidei pietas, & Spes firmissima in Deo, & charitas sincera commendat, quæ his donis prædictâ gratiâ Dei, se confidit à peccatis posse mundari per Jesum Christum Dominum nostrum *Ibid. l. de gestis Pelagii c. 1.*

Fideles sunt membra Christi.

Et nos in corpore ipsius sumus, si tamen fides nostra sincera sit in illo, & spes nostra certa, & charitas nostra accensa: sumus in corpore ipsius, & membra ipsius. Et invenimus nos ibi loqui Apostolo dicente: Quoniam membra sumus corporis ejus. *T. 8. titulo in Psal: 37.* *Eph. 5. 30.*

Christus caput nostrũ salvat nos ut mẽbra sui corporis.

Non dividuntur personæ, sed distinguitur dignitas: quia caput salvat, salvatur corpus. Caput exhibeat misericordiam, corpus defleat miseriam. Caput est ad purganda peccata, corpus ad confitenda peccata, una tamen vox: Quare enim non dicat peccatorum meorum, qui dixit. Esurivi & non dedistis mihi manducare. *Ibid. in Psal: 37.* *Ma. 25 35.*

Quisq; pro statu, perfectus esse curet.

Vivunt omnes fideles in Nomine Christi, quisq; pro gradu suo implens præcepta Christi: sive Conjuges, sive Cælibes & Virgines, viuunt quantum donat eis Dominus vivere neque de suis viribus præsumunt, sed noverunt se in illo debere gloriari. *Ibid. in Psal 40.*

Christianorũ spes & merces resurrectio ad gloriam æternam.

Audite & discite & tenete quæ sit spes Christianorum Quare sumus Christiani? Non ad hoc sumus Christiani, ut terrenam nobis felicitatem petamus, quàm plerumq; habent & latrones & scelerati. Ad aliam felicitatem nos sumus Christiani, quam tunc accipiemus, cum vita ista hujus sæculi tota transierit. Ergo promittitur nobis & carnis resurrectio: & talis resurrectio carnis nobis promittitur, ut caro quidem ista, quam modo portamus, resurgat in finem. *Et infra.* Omnia quæ discerpuntur, & in favillas quasdam putrescunt, integra Deo sunt. *Ibid. in Psal: 62.*

Iusti & iniqui ut triticũ & palea in Ecclesia.

Mira res est de tritico. Recedit à palea cum expoliatur, & non recedit ab area, cum trituratur. Quando autem omnino separabitur? Cum venerit ventilator: Cujus ventilabrum in manu ejus: Ergo modo area in orbe terrarum est: necesse est, ut si proficis inter iniquos vivas. Ab iniquis recedere non potes, ab iniquitate recede. *T, 8. in Psal: 92.* *Luc. 3. 17.*

Bona vita ex præceptis Dei quæ agitur, tanquam stylus est, quod

quod auditur scribens in corde. Si in cera scriberetur, facile deleretur: Scribite illud in cordibus vestris, moribus vestris & nunquam delebitur. *Ibid in Psal: 93.*

Præcepta Dei in corde et moribus scribenda.

Si totus Christus id est caput & corpus ejus, esto in membris ejus, adhære illi per fidem & per spem, & per charitatem: & in illo canta, in illo exulta: quia & ipse laborat, in te sitit, in te esurit & tribulatur. Jlle in te adhuc moritur, & tu in illo jam resurrexisti. *T, 8. Enar: in Psal: 100.*

Christus in nobis tanquã in membris suis exultat dolet patitur &c.

Inclinato capite scribebat in terra. Tunc scripsit in terra quan-
Ioã: 8- do se inclinavit in terram. Antequam se inclinaret in terram non
6. in terra scripsit, sed in lapide. Jam fructuosum erat aliquid terra de Domini literis paritura. In lapide legem scripserat, significans duritiam Judæorum: In terra scripsit significans fructum Christianorum. *T, 8 Enar: in Psal: 102.*

Christus in terras veniens eas fecit fructiferas.

Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Ergo & ille
Col. 3. adhuc deorsum est, & jam nos sursum sumus. Jlle deorsum est com-
3. passione charitatis, nos sursum sumus spe charitatis: spe enim salvi facti sumus *Et infra.* A finibus terræ ad te clamavi, cum angeretur
Ps. 60 cor meum. Angatur cor nostrum & clamemus. Unde angatur cor
2. nostrum? Non de his quæ hic patiuntur & mali v. G quia damnum patiuntur. Nam si inde angitur cor, cinis est. Quia nescio quem tuorum ex voluntate Dei amisisti, inde angitur cor. Quid magnum? Hinc anguntur & corda infidelium, ista patiuntur & qui nondum in Christo crediderunt. Unde angitur cor Christiani? Quia peregrinatur & desiderat Patriam. Si inde angitur cor tuum, etiamsi felix secundum sæculum fueris, gemis: etsi omnia prospera confluant, etsi undiq; tibi iste mundus arrideat, tu tamen gemis quia in peregrinatione te constitutum vides: & sentis jam quidem te quandam habere felicitatem secundum oculos stultorum, sed nondum secundum promissionem Christi. *T, 8. Enar: in Psal: 122.*

Christianorũ angor expectatio cœli.

Tutior est in corpore digitus sanus, quàm lippiens oculus. Digitus exigua quædam res est, oculus magnifica, multum potest. Et tamen melius est digitum esse & sanum esse, quam oculum esse & perturbari, lippire, excæcari. Non ergo quærat quisq; in corpore Christi nisi sanitatem. *Et infra.* Inde voluit gaudere Apostolos
Lu 10. unde gaudes & tu. Intendat charitas vestra. Nullus fidelis habeat
20. spem, si nomen ejus non est scriptum in Cælo. Omnium fidelium qui diligunt Christum, qui ambulant viam ejus humiliter, quàm ipse docuit humilis, nomina scripta sunt in Cælo. Cujusvis contemptibilis in Ecclesia, qui credit in Christum & diligit Christum, & amat pacem Christi, nomen scriptum est in Cælo, cujuslibet quem contemnis. *T, 8. Exp: Psal: 130.*

Melius est in humili sorte securũ esse quã in magna felicitate perturbatũ.

Pagani plerique dicunt ista nobis. Exponite nobis rationem. Quare venit Christus, & quid profuit Christus generi humano? Aliquando interrogant nos & dicunt nobis, nonne ex quo venit Christus pejora sunt in rebus humanis quàm fuerant antea? & feliciores tunc erant res humanæ quàm modo? Dicant nobis Christiani, quid boni attulit Christus? unde feliciores putent res humanas quia venit Christus? Vides enim si theatra, & amphitheatra, & Circi starent incolumes, si nihil caderet de Babylonia, si ubertas esset circumfluentium voluptatum hominibus cantaturis & saltaturis ad turpia cantica, si libido scortantium & meretricantium haberet quietem & securitatem, si non timeret famem in domo sua, qui clamat ut pantomimi vestiantur. Si hæc omnia sine labe, sine perturbatione aliqua fluerent, & esset securitas magna nugarum, felicia essent tempora, & magnam felicitatem rebus humanis Christus attulisset.

Christus non temporalia bona attulit, sed præparat æterna.

Quia vero cæduntur iniquitates, ut extirpata cupiditate plantetur charitas Hierusalem, quia miscentur amaritudines vitæ temporali ut æterna desideretur: quia erudiuntur in flagellis homines, paternam accipientes disciplinam, ne judiciariam inveniant sententiam, nihil boni attulit Christus & labores attulit Christus. *Et infra.* Priora tempora respicis, & quasi lætiora tibi videntur fuisse tempora pristina, quæ sic erant tanquam olivæ pendentes in arbore ducentibus ventis, quasi quadam libertate auræ perfruentes vago quodam desiderio suo. Ventum est ut oliva mitteretur in torcular. Non enim semper pendere habebat in arbore, jam finis est anni. Non sine causa inscribuntur psalmi quidam pro torcularibus. In arbore libertas, in torcularibus pressura. Cum enim res humanæ conteruntur, & premuntur, attendis quia crescit avaritia, attende quia crescit & continentia. Quare tam cæcus es, ut amurcam fluentem per plateas videns, oleum in gemellaria non videas. *Ib. Enar: in Ps: 136.*

Unio membrorum Ecclesiæ, seu Christi, participes facit bonorum.

Loquor omnium linguis, audeo tibi dicere. In corpore Christi sum in Ecclesia Christi sum. Si corpus Christi omnium linguis jam loquitur, & ego in omnibus linguis sum. Mea est Græca, mea est Syra mea est Hæbrea, mea est omniū gentium: quia in vanitate sum omnium gentium. Ergo Fratres cæpit Ecclesia ab Hierusalem, ut per omnes gentes propagaretur. Quid evidentius hoc testimonio legis & Prophetarum ipsius Domini. Apostolorum ubiq; personant voces, reddentes testimonium spei nostræ in unitate corporis Christi. Gaudete in frumentis, tolerate zizánia: gemite in tritura, suspirate in horreum. *Ibid. Exp: Psal: 147.*

Tolerantia.

Si moveat dolor magnus, adversum Christianos movet, adversus fratres nostros movet, qui volunt intrare in Ecclesiam, ut hic corpus habeant, alibi cor. Totum intus esse debet. Si intus est quod videt homo, quare foris est quod videt DEUS? *T. 10. ser: de ver: Dñi ser: 6 De puero Centurionis.*

Multi sunt nomine Christiani operibus impij.

Mala opera bonos comprimunt.

Omnes qui in hac turba sanari vultis, non vos deterreant; quia multi sunt nomine Christiani, & operibus impij: non vos deterreant à bonis operibus. Clamate inter turbas compescentes, revocantes, insultantes, malè viventes. Non enim solis vocibus comprimunt bonos Christianos mali; sed & malis operibus. *Et infra.* Inter ipsas turbas clamaverunt: & tamen Dominus exaudivit. Si & vos etiam inter peccatores, & luxuriantes, inter amatores sæcularium vanitatum, ibi clamate, ut sanet vos Dominus. *Ibid. ser: 18. De duobus cæcis.*

Mali verbo confitentur factis negant.

Recta vita Christi confessio.

Fides verbis tantum, est fides dæmonum.

Quid miramini si Pagani negant Christum in carne venisse? Quid miramini, Christum si Judæi negant in carne venisse? Quid miramini si Manichæi apertissimè negant Christum in carne venisse? Sed dico charitati vestræ etiam omnes mali Catholici verbis confitentur Christum in carne venisse, factis autem negant. Nolite ergo esse tanquam de fide securi. Adjungite fidei rectæ rectam vitam, ut Christum confiteamini in carne venisse: & verbis vera dicendo, & factis bene vivendo. Nam si confiteamini verbis, & factis negatis, fides talium malorum, prope est fides dæmoniorum. *T. 10. ser: de ver: Ap. ser: 31.*

Relapsi in peccata canes sunt.

Veri & germani estote Christiani: nolite imitari nomine Christianos, opere vanos. Iterum dico: & sæpe dicendum est: sufficit præteritum tempus, voluntates gentium consummasse. Detestamini, aversamini canes conversos ad vomitum suum: detestamini & aversamini mundantem & vacantem domum; quo nequiores alij septem spiritus adduntur, ut fiant novissima hominis pejora, quàm erant prima: vos vestrum mundatorem tenete habitatorem.

Præ-

Præcipientes enim rogamus, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Sufficit enim præteritum tempus voluntates gentium consummasse. *T. 10. Hom: 50. Hom: 20. De eo quod B. Petrus dicit, Deposita ergo omni malitia &c.*

Jllum oportet crescere, me autem minui. Debet enim vita
Ioã. 3. 30. humana deficere in se, in Christo proficere, ut qui vivant, jam non sibi vivant, sed ei qui pro omnibus mortuus est, & resurrexit: & dicat unusquisq; nostrum, quod dicit Apostolus, vivo autem jam non
Gal. 2. 20. ego, vivit verò in me Christus. *T. 10. ser: de Temp: ser: 23. In Nativit: Salvat: Dñi ser: 19.*

Attentius rogo & admoneo fratres, ut ad vigilias maturiùs surgere studeatis, ad tertiam, ad sextam, ad nonam feliciter veniatis: castitatem ante omnia per totam Quadragesimam usq; ad finem Paschæ cum proprijs uxoribus custodite. Quod pransuri eratis pauperibus erogate. *Et infra.* Non erubescat exercere Christianus, quod implere dignatus est Christus. *Ibid. ser: 77. fer: 4. post 2. Dom. Quadr.*

Non decet Christianum sæculi lucris inhiare, cui promissum est regnum cæleste, sed suo Domino per continentiam condignè vivere, ut possit cum eo in perpetuum gaudere. *Ibid. ser: 248. Dñica 24. post Trinit: ser: 2.* *Cælum Christiani hereditas.*

Vos estis Dominicæ Jncarnationis, vos Dominici sanguinis pretium, vos membra Christi, vobis caput Christus est: pro vobis nasci, pro vobis pati cuncta non distulit. Crucem quoq; ipsam ad hoc pertulit: ut vos sibi in familiam cooptaret. Vos appellamini Christi fratres; vos apellamini Christi heredes. *T. 10. Par: 2. ser: de diver: ser: 52. in Nativit: Dñi ser: 1.* *Christiani mẽbra Christi, pretium sanguinis; Iidem Christi Heredes & Fratres.*

Eja Christiane, cæleste germen, peregrinum in terra, qui civitatem in cælo quæritis, qui Angelis Sanctis sociari desideratis: intelligite vos sic venisse, ut discedatis. Transitis per mundum, conantes ad eum qui creavit mundum. Non vos perturbent amatores mundi, qui volunt in mundo remanere, & velint nolint coguntur migrare. Non vos decipiant, non seducant pressuræ istæ. Non sunt scandala. Justi estote, & exercitationes erunt. Tribulatio venit, quod volueris erit, aut exercitatio aut damnatio. Qualem invenerit, talis erit. Tribulatio ignis est: aurum invenit, sordes tollet: paleam te invenit, in cineres vertit. Ergo pressuræ quæ abundant, non sunt scandala. *T. 10. serm: nov: ser: 33. De eo quod commonemur à scandalis mundi cavere.* *Christiani germen Cæleste, peregrini in terra.* *Tribulatio ignis.*

Fratres sint omnes Christiani, fratres sint fideles omnes: fratres sint nati ex Deo, & ex visceribus Matris Ecclesiæ per Spiritum Sanctum, fratres sint, habeant & ipsi hereditatem dandam, & non dividendam. Hereditas eorum Deus ipse est. Cujus sunt ipsi hereditas, ipse est vicissim eorum hereditas. Quomodo sunt ipsi ejus hereditas? Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam. Quomodo est ille ipsorum hereditas? Dominus pars hereditatis
Ps. 15. 5. meæ, & calicis mei. In hac hereditate concordia custoditur: pro hac hereditate non litigatur. Alia hereditas litigando acquiritur, ista litigando amittitur. *Ibid. ser: 37. de illo Concordia fratrum &c.* *Christianorũ Hereditas Deus.*

Quid timetis Christiani? Christus loquitur. Ego sum nolite timere. Quid hæc expavescitis? Quid timetis? Ego ista prædixi, ego
Mar. 6. 50. facio, necesse est ut fiant. Ego sum nolite timere. Noluerunt ergo eum accipere in navim: agnoscentes & gaudentes securi facti. Et statim fuit navis ad terram ad quam ibant. Factus est finis ad terram: De humido ad solidum, de turbato ad firmum, de itinere ad finem. *T. 9. In Evang: Ioan: Tract: 25. de cap: 6.* *Portus noster Deus.*

Ioã. 7. 12. Quidam dicebant quia bonus est alij autem non; sed seducit

tur-

Vita perfectorum vita abscondita. turbas. De omnibus servis ejus hoc dicitur modo. Quicunq; enim eminuerit in aliqua gratia spirituali, profectò alij dicunt bonus est, alij non, sed seducit turbas. Unde hoc? Quia vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Ideo licet dicere hominibus per hyemem mortua est illa arbor, v. G. arbor fici, arbor pyri, & hujusmodi pomorum, similis est aridæ: & quamdiu hyems est, non apparet. Æstas probat, judicium probat. Æstas nostra, revelatio Christi est. Deus manifestus veniet. *Ibid. Tract: 28. de cap: 7.* *Colo 3. 3.*

Perfecti Christiani, nihil habent terrenum. Per diem sol non uret te neq; luna per noctem: Id est, si tenueris charitatem, nec in Christo scandalum patieris, nec in Ecclesia: nec Christum relinquens nec Ecclesiam. *Et infra.* Per diem sol non uret te, neq; luna per noctem quia ipsam ustionem scandalum vult intelligi. *T, 9. in Epist: Ioan: Tract: 1 de cap: 1.* *Psl 120 6.*

Redeamus ad illam unctionem quæ intus docet quod loqui non possumus: & quia modo videre non potestis, officium vestrum, in desiderio sit. Tota vita Christiani boni sanctum desiderium est. Quod autem desideras nondum vides: sed desiderando capax efficeris, ut cum venerit quod videas implearis. Sicuti enim si velis implere aliquem sinum, & nosti quàm magnum est quod dabitur, extendis sinum vel sacci, vel utris, vel alicujus rei, nosti quantum missurus es: & si vides, quia angustus est sinus, extendendo facis capaciorem: sic Deus differendo extendit desiderium, desiderando extendit animum, extendendo facit capaciorem. Desideremus ergo fratres quia implendi sumus. *Et infra.* Tantum autem nos exercet sanctum desiderium: quantum desideria nostra amputaverimus ab amore sæculi. Jam diximus aliquando exinaniri quod implendum est. Bono implendus es, funde malum. Putans quia melle te vult implere Deus. Si aceto plenus es, ubi vel pones? Fundendum est quod portabat vas. Mundandum est ipsum vas. Mundandum est, etsi cum labore, cum tritura: ut fiat aptum cuidam rei. Mel dicamus, aurum dicamus, vinum dicamus; quidquid dicamus quod dici non potest, quidquid volumus dicere, Deus vocatur: Et quod diximus Deus, quid diximus? Duæ istæ syllabæ sunt totum quod expectamus. Quidquid ergo dicere valuimus infra est: extendamus nos in eum ut cum venerit, impleat. Similes enim ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. *Et infra.* Speramus, per patientiam expectamus. Ipsa patientia exercet desiderium. Mane tu, nam manet ille: & persevera in ambulando, ut pervenias, quia quo tendis non migrabit. *Ibid. Tract: 4. de cap: 3.*

Spes, cor & animum dilatat ad æterna.

Spes Pacifica, & Patiens.

Christianus dicitur, quod quidquid facit Christus ita facit. Nomen habes & facta non habes. Si autem nomen secutum fuerit, opus, dicat te quisquam Paganum. tu factis ostende te Christianum. Nam si factis non ostendis te Christianum, omnes te Christianum vocent: quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur? *Ibid. Tract: 5. de cap: 3.*

Ille non est Spiritus Dei, qui negat Jesum Christum in carne venisse: negat & ipse non linguâ sed vitâ: non verbis sed factis. Manifestum est ergo unde agnoscamus, fratres. Multi intus quasi intus, nemo autem foris nisi vere foris. *T, 9. in Epist: Ioan: Tract: 6. de cap. 4.*

Qui de futuro sæculo non cogitat nec propterea Christianus est, ut id quo fine Deus promittit, accipiat: nondum Christianus. *T, 9 lib. de 10. chordis cap 4.*

Christianus cū Christo patiente Crucifixo, patitur, crucifigitur, ubi ferbitur nomen suum. Pertinet ad Christianam firmitatem, non solum operari quæ bona sunt, sed & tolerare quæ mala sunt. Qui ergo videntur fervere in operibus bonis sed imminentes passiones tolerare nolle, aut non posse, infirmi sunt. Qui vero aliqua cupiditate mala amatores mun-

mundi ab ipsis bonis operibus; revocantur languidi & ægroti jacent: quippe in ipso languore tanquam sine ullis viribus nihil boni possunt operari. *T, 9. l de past: in cap: 34 Ezech: cap: 6.*

Et vos inquit oves meæ, hæc dicit Dominus DEUS. Primò quanta felicitas est, esse gregem DEI, si quis etiam cogitet fratres: etiam in istis lacrymis, & in istis tribulationibus, magnum gaudium concipit. Neq; enim in ejus grege est, quem lupi possunt flagellare, aut cujus somnium possunt captare prædones. *Et infra.* Si ergo de pastore homine securum est pecus hominis: quanta debet esse nostra securitas pascente DEO, non tantum quia pascit nos, sed etiam quia fecit nos. *T, 9. l. de ovib: in c. 34. Ezech: cap: 2.* — *Deus Pastor.* — *Ezech: 34 8.*

Attendite, in nomen Christi concurrere genus humanum, nulla temporali proposita commoditate vult esse Christianus; non ut majorem amicum conculcet, non ut concupitam uxorem perveniat, non ut aliquam pressuram hujus sæculi evadat: quanquam multi etiam sic intrantes corriguntur ingressi. *Ibid. cap: 10.*

Duo sunt genera armorum ejus valde fortia, contra quæ vigilanter ac fortiter stare debet omnis miles Christi, qui triumphare cupit, & superare virtutem diaboli. Quæ sunt ista duo genera armorum? Voluptas & Timor. Alios enim voluptate capit, alios timore frangit. Confirmetur & nostra acies, proferantur arma spiritualia. Contra timorem diaboli, adsit timor Domini castus permanens in sæculum sæculi. Contra voluptatem turpissimæ delectationis, non desit fides orationis. Et quid metuit Christianus quando admonetur sic orare, sic præsumere, sic fidere ut dicat. Dominus mihi adjutor est, & ego despiciam inimicos meos. *T. 9. l. 2 de Symbolo ad Cathechum: cap: 1.* — *Christiana vita militaris est disciplina.* — *Ps. 117 7.*

Inde te jactas homo Christiane quia optas bene? Melior est te mendicus qui plura tibi optat, & nihil habet. Bene vis optare nihil à te accipienti? da aliquid bene optanti. Si bonum est bene optare, redde mercedem. Optat tibi bene pauper, quid trepidas? Addo aliquid. In domo disciplinæ es. Addo aliquid his quæ dixi. Da bene optanti, Christus est. Ipse à te petit qui tibi dedit. Erubesce, ille dives pauper esse voluit, ut haberes pauperes quibus dares. Da aliquid fratri tuo, da aliquid proximo tuo, da aliquid comiti tuo. Tu dives es, ille pauper est. Vita ista via, est simul ambulatis. *T. 8. l. de disciplina Christiana cap: 7.* — *Non sufficit actus bonus, si potest sequi effectus.* — *Eleemosynam dans aliena dat.*

CHRISTUS

Libros Beatissimi Papæ Ambrosii credo habere sanctitatem tuam: eos autem multùm desidero quos adversus nonnullos, imperitissimos & superbissimos, qui de Platonis libris Dominum profecisse contendunt, diligentissimè & copiossimè scripsit. *T. 2. August. Paulino Epist: 34.* — *Christus non profecit de libris Platonis.*

Una persona DEUS & homo est, & utrumq; est unus Christus JESUS, ubiq; per id, quod DEUS est, in Cælo autem per id quod homo. *T, 2. Epist: 57.*

Ego sum via, veritas, & vita: hoc est per me venitur, ad me pervenitur, in me permanetur. *T, 3. l. 1. de Doctr: Christian: c. 34.* — *Ioan: 13 6.*

Dominus creavit me in principio viarum suarum. Viarum ejus principium & caput Ecclesiæ est Christus, homine indutus, per quem vivendi exemplum nobis daretur. Hæc via est certa, quâ pervenimus ad DEUM, non enim redire possumus nisi humilitate, qui superbiâ lapsi sumus; igitur semetipsum evacuavit formam servi accipiens. *T, 3. l. de Fide & Symbolo c. 4.* — *Deus homo factus ut homini vivendi poneret exemplum. Humilitate reditur ad Cælum.*

Apud Hæreticos non est Christus. Certum propriumq; fidei Catholicæ fundamentum Christus est Nomine tenus invenitur Christus apud quoslibet Hæreticos, qui se Christianos vocari volunt, re verò ipsâ non est apud eos. *Ibid. Enchirid. c. 5.*

Moysi promissa Incarnatio Non inconvenienter ex persona Domini nostri JEsu Christi Gē 16.
præfiguratum solet intelligi, ut posteriora ejus (quæ vidit Moyses) 13.
accipiatur caro ejus, in qua de Virgine natus est, & mortuus, & resurrexit, sivè propter posterioritatem mortalitatis, posteriora dicta sunt, sive quod eam propè finem sæculi, hoc est posterius suscipere dignatus est. *T, 3. l. 2. de Trinit: c. 17.*

Initio congruit finis. Sicut à majoribus nostris traditum suscipiens Ecclesiæ custodit
authoritas. Octavo Calendas Aprilis, concepus creditur quo & pas- 1.Ti:
sus, in monumento novo quo sepultus est, ubi nullus erat mortuo- 5.
rum positus, nec antea nec postea: congruit Uterus Virginis quo *Vitæ mors respondet.* conceptus est, ubi nullus seminatus est mortalium, natus autem traditur octavo Calendas Januar. *Ibid. l. 4. c. 5.*

Christus Incarnatus. Factus est nobis via temporalis per humilitatem, quæ mansio nobis æterna est per divinitatem. *Ibid. l. 7. cap, 3.*

Idem Hominum & DEI Homo Mediator, Verbum apud DEUM, 1. Cor
Caro apud nos, Verbum Caro inter DEUM & nos. *Ibid. l. 8. de Gen: ad lit: c. 14.* 15. 22

Possessio dæmonis peccatum hominis. Solus Dominus (JEsus intellige) verissimè dicere potuit; ve- Io: 14.
nit Princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam. Quid- 30.
quam peccati quod morte dignum sit: tanquam diceret; etsi levissima peccata mortis supplicio persequatur. Sed surgite eamus hinc *Ibi dæmō princeps est, ubi peccatum est.* ut patiar; quia in eo quod patior, voluntatem impleo Patris mei,
non pænam solvo peccati mei. *T. 4. l. 5. super Deuteronom: c. 55.* Ma. 18 11.

Boni in Cælo mali in terra scribuntur. Ibi unusquisq; scribitur ubi diligit. Humilitas miracula facit Clementia fructum facit. Quando digito scribebat in terra: tanquam illos tales in ter- Io: 8. 6.
ra scribendos significaret, non in cælo, ubi monuit Discipulos, ut se scriptos esse gauderent. Aut quod se humiliando, quod capitis inclinatione monstrabat, signa in terra faceret; aut quod jam tempus esset, ut in terra quæ fructum daret, & non in lapide sterili, sicut antea, lex ejus conscriberetur. *T, 4. l. 4. de con: Evang: c, 10 circa medium.*

Veritas Corporis Christi. Si phantasma fuit Corpus Christi, fefellit Christus, & si fallit
Christus, veritas non est. Est autem veritas Christus; non igitur Mat
phantasma fuit corpus ejus. *Ibid. l. 80. quæst: Quæst: 13.*

Non video, utrum dicatur homo Dominicus, qui est Mediator DEI & hominum, Homo Christus JESUS, cùm sit utiq; Dominus. Dominicus autem homo quis in ejus sancta familia non potest dici. Et hoc quidem, ut dicerem, apud quosdam legi tractatores Catholicos, divinorum eloquiorum. Sed ubicunq; hoc dixi, dixisse me
nollem. Postea quippe vidi non esse dicendum, quamvis nonnulla Io:
ratione possit defendi. *Ibid. l. 1. de ser: in mont: in prologo.* 51.

Qui est supra omnia DEUS benedictus in sæcula, plenissimam fidem commendat, quia Dominum nostrum & secundum susceptionem carnalem, Filium hominis confitemur, & secundum æternitatem, & Verbum in principio DEUM benedictum super omnes in sæcula. *T, 4. l. exposit: quarundam proposit ex Epist: ad Rom: c, 59.*

Servitus Dei Latria: Non solum Prophetiæ, verum etiam sacra sacerdotia, tabernaculum sive Templum, altaria, sacrificia, ceremoniæ, Dies Festi, & quidquid aliud ad eam servitutem pertinet quæ DEO debetur, & græcè propriè latria dicitur, ea significaverunt & prænuntiaverunt, quæ propter æternam vitam fidelium, & impleta credimus, & impleri cernimus, & implenda confidimus. *Ibid. l, 7. de Civit: Dei. cap, 32.*

Medi-

Mediatorem inter nos & DEUM, & mortalitatem habere oportuit transeuntem, & beatitudinem permanentem; ut per id quod transit congrueret morituris, & ad id quod permanet transferret ex mortuis. *Et infra.* Ideo quando in forma servi ut Mediator esset, infra Angelos esse voluit, in forma DEI super Angelos mansit, idem in inferioribus via vitæ, quæ in superioribus vita. *T, 5. l. 9, de Civit: Dei. c, 15.* *Vivis & mortuis congruit Christus.* *Homo per Christum Angelis superior.*

Propterea totum hominem sine peccato ille suscepit, ut totum, quo constat homo, à peccatorum peste sanaret. *T. 5. l. 10 de Civit: Dei cap, 27.* *Sine peccato Hominē Christus suscepit.*

1. Tit. 2. 5. Hic est enim Mediator DEI & hominis Homo Christus JESUS, per hoc enim Mediator, per quod & homo, per hoc & via. Quia si inter eum qui tendit, & illud quo tendit via media est. Spes est perveniendi. Si autem desit aut ignoretur, quâ eundum sit? quid prodest nosse quò eundum sit? sola est autem adversus omnes errores via munitissima, ut idem ipse sit DEUS & Homo. Quo itur DEUS, quâ itur Homo. *Ibid. l. 11. de Civit: Dei. c, 2.* *Via ad Deum Deus Homo.*

1. Cor. 15. 22. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Non quia omnes qui in Adam moriuntur, membra erunt Christi. Ex illis enim multò plures, secundâ in æternùm morte plectentur. Sed ideo dictum est. Omnes atq; omnes, quia sicut nemo corpore animali, nisi in Adam moritur, ita nemo corpore spirituali nisi in Christo vivificatur. *Ibid l. 13 De Civit: Dei. c, 23.* *Vita nostra Christus.*

Neq; enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus. *T. 5 l. 14 de Civit: Dei. c 9.* *Non exuit Christus humanos affectus.*

Mat. 18. 11. Venit quærere quod perierat, usq; adeo jam eramus noti ut in ipso essemus electi ante constitutionem mundi. Quærere ergo ibi dixit, pro eo ac si diceret, quem suum esse jam novit, sibi esse familiarem, alijs ostendet. Unde in lingua latina lucra vocantur & quæstus *Ibid. l. 17. de Civit: Dei. c, 6.* *Familiaris homo, Deo.*

Fieri non posset ut exoptarent gentes eum venturum, sicut eum cernimus expectari, ut veniat ad faciendum judicium in claritate potentiæ, nisi prius in eum crederent; cum venit ad patiendum judicium, in humilitate patientiæ *Ibid. l. 18. de Civit: Dei c, 45.* *Deus Iudicabit hominem in Carne.*

Mat. 3. 17. Evigila & vide, nubila tonant. Quid tonant? Hic est Filius meus dilectus. Vide in terra hominem verum, audi de cælo verum DEUM. Utrumq; verum esse cognosce, id est DEUM & hominem, Filium DEI & Filium hominis, unum eundemq; esse DEUM & hominem. Agnosce hominem & placabis DEUM. Quia quod tu somnias vanitas est, quod DEUS tonat veritas est. *T, 6. l. 5. de quinq; hæresibus c, 7.* *Christus vero Filius Dei.*

Ioan. 1. 51. Videbitis cælum apertum & Angelos DEI ascendentes & descendentes super Filium hominis; hoc enim Israel viderat, cum illum lapidem ad caput habebat, in quibus significati sunt Evangelistæ prædicatores Christi, ascendentes utiq; cum ad intelligendam ejus supereminentissimam Divinitatem, excedunt universam creaturam, ut eum inveniant; in principio DEUM apud DEUM: Descendentes autem ut eum inveniant factum ex muliere, factum sub lege in illo enim scalæ à terra usq; ad Cælum, à carne usq; ad Spiritum: quia in illo Carnales proficiendo velut ascendendo spirituales fiunt, ad quos lacte nutriendos, etiam ipsi Spirituales descendunt quodammodo, cum eis non possunt loqui quasi Spiritualibus, sed quasi carnalibus. Sic & ascenditur & descenditur, super Filium hominis. Filius enim hominis sursum in capite nostro, quod est ipse Salvator: & Filius hominis deorsum in corpore suo, quod est Ecclesia. Ipsum & scalas intelligimus, quia ipse dixit. Ego sum via. *Ibid. l. 12. con: Faustum. c. 26.* *Angeli Christum, Deum in carne venerātur in mundo.* *Caro Christi scala.*

David repræsentat Christum.

David interpretatur manu fortis, sive desiderabilis, & quid fortius leone? illo de tribu Juda, qui vicit mundum, & quid desiderabilius illo, de quo Propheta dicit, venit desideratus omnibus gentibus. *Ibid. l: 22. con. Faust: c, 87.*

Christus Filius Dei naturalis.

Lege scripturas, nusquam invenies de Christo dictum, quod adoptione sit Filius DEI. De nobis autem sæpissimè legitur. Accepistis Spiritum adoptionis Filiorum. Et alibi: aliud est enim per Patris excellentiam, esse unicum Filium DEI, aliud per misericordem gratiam, accipere potestatem Filios DEI fieri. *Ibid. l, con. Secundinum c. 5.* Rō: 15.

Filius Dei homo factus ex sola gratia nō necessitate.

Nos autem Dominum verum hominem suscepisse credimus, & in ipso inter homines conversatum fuisse, in ipso ab hominibus humana pertulisse, in ipso homines docuisse, à quibus esset recedendum, quid esset ferendum, quò esset tendendum. Totum autem hoc nulla fecit necessitate. *T. 6. l. de Fide con: Manich c, 26.*

Finis enim legis (inquit) Christus ad justitiam omni credenti, finis perficiens non interficiens. *T. 6. l. 2. con. Adversarium legis & Proph: c, 7.* Rō: 10. 4.

Humanitas Christi major Angelis.

Naturâ humanâ, qualem naturam Christus humanæ mentis assumpsit, quæ nullo peccato potuit depravari, solus major est DEUS. *Ibid. l, 3. con. Maximin: Arrian: Episcop: c, 25.*

Viam ad Cælū Christus aperuit.

Latuit eos via, quia DEUS superbis resistit, lateret & nos, nisi venisset ad nos. Ideo Dominus; ego inquit ego sum via. Pier viator venire nolebas, ad te venit via. Quærebas quò ires. Ego sum veritas & via; non errabis quando ibis ad illum per illum. Hæc est doctrina Christianorum, non planè conferenda, sed incomparabiliter præferenda doctrinis Philosophorum, immunditiæ Epicureorum, superbiæ Stoicorum. *Ibid. Tract: de Epicur: & Stoic: c, 8. in fine.* Io. 14. 6.

Christiani à Christo debent derivare suū esse totum.

O humana temeritas & superbia! cur non finis potiùs ut semper sit Christus origo Christiani: in Christo radicem Christianus infigat, Christus Christiani sit caput. *T, 7. l, 1. con: liter. Petil. c, 5.*

Omnia Christiano, Christus.

Origo mea Christus est, radix mea Christus est. Caput meum Christus est, semen quo regeneror, verbum DEI est, quod obaudienter audire sum monitus, etiamsi ille per quem audio, quæ mihi dicit, ipse non facit. *Ibid. c. 6.*

Qui non est cum Christo, cum Diabolo est.

Nec est ullus illi medius locus ut possit esse, nisi cum diabolo qui non est cum Christo: qui mecum non est adversum me est. *Ibid. l. 1. de peccator: merit: & remission. c, 28.*

Homines sancti, sunt unum cum Christo.

Si Divina substantia longè distantior, atq; incomparabili diversitate sublimior, potuit propter nos ita suscipere humanam substantiam, ut una Persona fieret; quantò credibilius alij homines Sancti, & fideles ejus, fiunt cum homine Christo unus Christus, ut omnibus per ejus gratiam societatemq; ascendentibus, ipse unus Christus ascendat in Cælum, qui de Cælo descendit: sic & Apostolus ait. Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum sunt corpus; ita & Christus. Non dixit ita & Christi, id est corpus Christi, sed ita & Christus, unum Christum appellans caput & corpus. Magna hæc & mira dignatio. *Ibid. c, 31. & 32.* 1. Cor. 12.

Natales nostros illuminat et liberat à compedibus, natalis Christi

In damnatione hominem prima Nativitas tenet, unde nisi secunda non liberat. Tenet ergo Diabolus, liberat Christus, tenet deceptor Evæ, liberat Filius MARIÆ. Tenet qui per conjugem venit ad virum, liberat qui de Conjuge natus est, quæ non pertulit virum. Tenet qui causam libidinis intulit fœminæ, liberat qui sine libidine conceptus est in fœmina. Omnes ille prorsus per unum tenere potuit, nec ab ejus dominatione liberat nisi unus quem tenere non potuit. *Ibid. l. 2. contra Pelagium de peccato Origin: c, 40.* Ape-

Aperiatur terra & germinet Salvatorem. Dic mihi quibus operibus hoc meruit Christus JESUS? & quâ justitiâ solus hoc meruerit? audes garrire? aut si non audes tandem gratiam sine meritis confitere, non solum remittentem peccata homini, verùm etiam in natura humana justitiam Sancto Spiritu facientem. ***Et infra.*** Sicut ergo Christus exẽplum est vitæ, ut eum imitando justè agamus, ita est etiam exemplum gratiæ, ut in eum credendo, inde nos fieri speremus justos per ipsum, unde factus est ipse qui factus est nobis sapientia à DEO, & justitia & sanctificatio, & redemptio: ut quemadmodum scriptum est: qui gloriatur in Domino glorietur. ***Ibid. l. 1. con: Iulian. imperfecto. c. 139.***

Caput gratiarum Christus.

Hæc est Christi bonitas cum ille (id est Adam) temporaliter nocuerit, Christus autem & temporaliter adjuvet, & liberet, ac beatificet in æternum. *Ibid. l. 2. con. Iulian. imperfecto c. 98.*

Christus in naturalibus, & supernaturalibus nobis profuit, & prodest.

Terra es & in terram ibis. Hanc sine merito peccati suscipere dignatus est Christus, ut per illam quidem moriendo iret in terram, sed resurgendo terram levaret in cælum, ac sic æternâ morte destructâ, temporalem fidelibus ideo non auferret, ut adversus eam resurrectionis fides in hujus vitæ agone certaret. *Ibid. c. 99.*

Terra in calũ elevata.

1.Ti 2. 5. Dominus Christus non habuisset similitudinem carnis peccati, nisi aliorum omnium hominum esset caro peccati. *T, 7. ibidem cap. 180.*

Non ob aliud factus est inter DEUM & homines Mediator, nisi R.8.3. quia ex hominibus non potuit esse peccator. *T, 7. l. 1 ad Bonifac: cap. 18.*

Mediator inter Deum & hominem Christus.

Sicut solus ideo factus est Filius hominis, ut nos per illum DEI Filij fieremus; ita solus pro nobis suscepit sine malis meritis pænam, ut nos per illum sine bonis meritis consequeremur gratiam. Quia sicut nobis non debebatur aliquid boni; ita nec illi aliquid mali. Commendans ergo dilectionem suam in eos, quibus erat daturus indebitam vitam, pati pro eis voluit indebitam mortem. *Ibid. l. 4. ad Bonifac: c. 4.*

Christus Filius hominis, nos filij hominum fratres ejus.

Elevata est magnificentia tua super Cælos. Hinc apparuit quis Ps 82. descenderis, cum à quibusdam visum est, à cæteris creditum quo ascenderis. *T. 8. in Psal: 8.*

Tollite portas Principes vestras. Quicunq; principatum in Ps 23. 7. hominibus quæritis, auferte ne impediant aditus, quos vos statuitis cupiditatis & timoris. Et elevamini portæ æternales ad DEUM. Et introibit Rex gloriæ. Et introibit Rex in quo sine superbia gloriemur: qui superatis portis mortalitatis, & patefactis sibi Cælestibus, implevit quod ait: Gaudete quoniam ego vici sæculum. Pavet admirans natura mortalis, & quærit. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens. Quem tu infirmum & oppressum putasti. ***Et paulo infra.*** Elevamini portæ æternales. Portæ æternæ justitiæ, charitatis & castitatis: per quas anima diligit unum verum DEUM. *T, 8. in Psal: 23.*

Portæ religiosæ, portis ad gloriam sæculi præeligẽdæ.

R 10. 4. Finis legis Christus. Finis non consumens, sed perficiens. *T, 8. Con: 1. in Psal: 30.*

Hæc mira commutatio facta est, & divina peracta sunt commercia. Mutatio rerum celebrata, in hoc mundo à negotiatore cælesti. Venit accipere contumelias, dare honores: venit haurire dolorem, dare salutem: venit subire mortem, dare vitam. Moriturus ergo ex eo quod nostrum habebat non in se, sed in nobis pavebat: quia & hoc dixit tristem esse animam suam usq; ad mortem, & utique nos omnes ipsi cum illo. Nam sine illo nos nihil, in illo autem ipse Christus & nos. Quare? quia totus Christus caput & corpus.

Nos ut membra in Christo ut capite doluimus.

Servos Christi perſequēs ipſū Christum perſequens.

Caput ille Salvator corporis qui jam aſcendit in Cælum: corpus autem Eccleſia quæ laborat in terra. *Et infra.* Non ait, quid Sanctos meos, quid ſervos mos ſed quid me perſequeris, hoc eſt, quid membra mea? Caput pro membris clamabat, & membra in ſe caput transfigurabat. Vocem namq́ pedis ſuſcipit lingua: quando forte in turba contritus pes dolet, langueo, calcas me. Non enim ait calcas pedem meum, ſed ſe dixit calcari, quem nemo tetigit. Sed pes qui calcatus eſt, à lingua non ſeparatus eſt. *T, 8. Concio: 1. in Pſal: 30.*

Pſ: 34. 14.

Quid eſt oratio mea in ſinum meum convertetur, niſi in meipſo humanitas interpellat divinitatem. *T, 8. Conc: 2. in Pſal: 34.*

Rō. 10. 4.

Christus eſt terminus ſecurus viæ noſtræ.

Finis legis Christus ad juſtitiam omni credenti. Ergo in finem cum audis in Chriſtum attende: ne in via remanendo non permaneas ad finem. Quidquid enim eſt ubi infra ſteteris, antequam ad Chriſtum pervenias, nihil tibi aliud ſermo divinus dicit, niſi accede: nondum eſt locus ubi ſecuritas ſit. Et quidem locus ubi ſtatio fidiſſima collocatur: eſt quidem Petra ubi domus ſecura conſurgit, ut non metuat imbrem tempeſtatis. Flumina enim compegerunt in domum illam, & non cecidit. Fundata enim erat ſupra Petram. Petra autem erat Chriſtus. *T, 8. in Pſal: 55.*

Mat: 7 23.

Pſ. 107 3.

Chriſtus Pſalteriū & Cythara.

Exurge pſalterium & Cythara. In pſalterio chordæ ſonum deſuper accipiunt. In cythara autem chordæ, ſonum ex inferiore parte accipiunt: hoc intereſt inter Pſalterium & Cytharam. Caro ergo divina operans pſalterium eſt, caro humana patiens cythara eſt. Sonet pſalterium illuminentur cæci, audiant ſurdi ſtringantur paralitici, ambulent claudi, ſurgant ægroti, reſurgant mortui: iſte eſt ſonus pſalterij. Sonet & cythara, eſuriat, ſitiat, dormiat teneatur, flagelletur irrideatur, crucifigatur, ſepeliatur. Iſta duo genera factorum impleverunt Evangelium & prædicatur in gentibus. Nam & miracula & paſſiones Domini prædicantur. *Ibid. in Pſal: 56.*

Chriſtus Magiſter humilitatis.

Doctor humilitatis particeps noſtræ infirmitatis, donans participationem ſuæ divinitatis, ad hoc deſcendens, ut viam doceret, & via fieret. Maxime ſuam humilitatem nobis commendare dignatus eſt: & ideo à ſervo baptizari non dedignatus eſt, ut nos doceret confiteri peccata noſtra, & infirmari, ut fortes ſimus. *Ibid. 1. parte Pſal: 58.*

Chriſtus Turris fortitudinis.

Hic eſt mihi turris fortitudinis: quo & ubi fugero, non ſolum vitabo tela inimici, ſed etiam in illum quæ voluero ſecurus ipſe jaculabor. Ipſe enim Chriſtus eſt turris, ipſe nobis factus eſt turris à facie inimici qui eſt & Petra ſuper quam ædificata eſt Eccleſia. *Et ſupra.* Petra autem erat Chriſtus. In illo ædificati ſumus. Propterea Petra illa in qua ædificati ſumus. Prior percuſſa eſt ventis, flumine, pluvia, quando Chriſtus à Diabolo tentabatur. Ecce in qua firmitate te voluit ſtabilire. *Et infra.* Cave ne feriaris à Diabolo, fuge ad turrim. Nunquam te ad illam turrim diaboli jacula ſecutura ſunt: ubi ſtabis munitus & fixus. *Ibid. in Pſal: 60.*

1. Cor. 10. 4.

Io 14. 6.

Chriſtus via.

Ego ſum inquit via & veritas & vita. Quaſi diceret. Quid times? Per me ambulas, ad me ambulas in me requieſcis. *Ibid in Pſal: 66.*

Pſ: 77. 72.

Et pavit eos inquit in innocentia cordis ſui. Quid illo innocentius? qui nullum peccatum, non ſolum à quo vinceretur, ſed etiam quod vinceret, non habebat. *Ibid. in Pſal: 77.*

Corpus anima Chriſti, et Verbū Divinū totum Chriſtus.

Neq; enim ut nonnulli dixerunt Caro ſola erat & verbum, ſed & caro, & anima & verbum: & totum homo, unus Filius Dei unus Chriſtus, unus Salvator, in forma Dei æqualis Patri, in forma ſervi caput Eccleſiæ. *Ibid. Exp: Pſal: 95.*

Deduc

Deduc me ergo Domine in via tua, & ambulabo in veritate tua. In illo utiq; ait: Ego sum via veritas & vita. Nam qui in via & veritate deducis, quo nisi ad vitam perducis? Deducis ergo in illo & adillum. *Ibid. in Psal 85.* *Christus via.*

Fundamentum, inquit Apostolus, nemo potest ponere præter
2. Cor: 3. 11. id quod positum est, quod est Christus JESUS: Quomodo ergo fundamenta Prophetæ & Apostoli? & quomodo fundamentum Christus JESUS, quo ulterius nihil est? Quomodo putamus? nisi quemadmodum aperte dicitur Sanctus Sanctorum, sic figurate fundamentum? Si ergo Sacramenta cogites, Christus Sanctus Sanctorum: si gregem subditum cogites Pastor Pastorum: si fabricam cogites Christus fundamentum fundamentorum. *Ibid. in Psal: 86.* *Christus fundamẽtum fundamentorum, Sanctus Sanctorum, Pastor Pastorum.*

Homo propter nos, DEUS ante nos. Sed quid magnum ante nos? Ante terram & cælum, ante sæcula. Hic ergo homo factus est propter nos in ea, idem ipse altissimus fundavit eam. *Ib. in Ps: 86.*

Dolere ergo anima etiam non dolente corpore potest: dolere autem corpus sine anima non potest. Cur itaq; non dicamus non hominis peccatis, sed tantum hominis malis repletam fuisse animam Christi. *Ibid. in Psal: 87.* *Doloribus non peccatis nostris Christus repletus.*

Ædificabo in generatione sedem tuam. Nunc autem Christus
Ps: 88. 5. habet in nobis sedem suam. Ædificata est sedes ejus in nobis: nisi enim sederet in nobis nos, non regeret: si autem ab illo non regeremur, à nobis ipsis præcipitaremur. Sedet ergo in nobis, regnans in nobis: sed etiam in illa generatione quæ fuerit in illa resurrectione mortuorum, in æternum Christus regnabit in Sanctis suis. Hoc promisit DEUS, hoc dixit DEUS: si parum est, hoc juravit DEUS. *Ibid in Psal. 88.* *Regnat in nobis.*

Membra nostra sedes sunt capitis nostri. Videte quemadmodum cætera omnia membra nostra caput portent: caput autem ipsum super se non portat aliquid, sed ipsum portatur à cæteris membris nostris, quasi totum corpus hominis sedes sit capitis. *Ibid. in Psal. 88.* *Membra sunt sedes capitis.*

Sublatus est Christus in manibus Angelorum, quando assumptus est in Cælum. Non quia si non portarent Angeli ruiturus erat, sed quia obsequebantur Regi: ne forte dicatis. Meliores sunt qui portabant, quàm ille qui portabatur. Ergo meliora sunt jumenta, quàm homines? *Ibid. in Psal: 90.* *Ascensio Christi.*

Dominus regnavit induit decorem; induit Dominus fortitudi-
Ps: 92. 1. nem & præcinctus est. Nostis fratres quia Dominus noster cum venisset, in carne, his quibus prædicabat Evangelium alijs placebat, alijs displicebat. Nam divisæ sunt adversus se linguæ Judæorum. Alij dicebant quia bonus est: alij dicebant non, sed seducit turbas. Alij ergo loquebantur bene, alij detrahebant, lacerabant, mordebant, convitiabantur. Ad eos ergo quibus placebat, decorem induit; ad eos quibus displicebat, fortitudinem induit. Imitare ergo & tu Dominum tuum, ut possis esse vestis ipsius. Esto cum decore ad eos quibus placent bona opera tua, esto fortis adversus detractores. *Ibid. in Psal: 92.* *Prædicatores multorũ plausus, multorum odia ferunt.*

Ps. 94. 3. Quoniam in manu ejus omnes fines terræ. Agnovimus lapidem angularem. Lapis angularis Christus. Non potest esse angulus nisi duos in se copulaverit parietes. Ad angulum de diverso veniunt, sed in angulo sibi non adversantur. Venit ex una parte circumcisio, venit ex alia parte præputium. In Christo ambo populi concordaverunt: quia ille factus est lapis de quo scriptum est, Lapi-
Ps. 117 22. dem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. *Ibid. in Psal: 94.* *Christus lapis angularis in quo Antiqua lex & nova conveniunt.*

Ps. 103 28. Aperiente te manum, tuam universa implebuntur bonitate, *Christus manus.*

Christus annuntiatus replet bonis omnia.

Quid est o Domine quod aperis manum tuam? Manus tua Christus est. Et brachium Domini cui revelatum est? Cui revelatur, illi aperitur: revelatio enim apertio est. Aperiente te autem manum *Isa. 53. 1.* tuam universa implebuntur bonitate. Revelante te Christum tuum universa replebuntur bonitate: non autem habent à se bonitatem. Nam illi quando boni? Probatur illis. Avertente autem te faciem tuam, turbabuntur. *Ibid. Con: 4. de 3. par: Ps: 103.*

Humana mortalitas, torrens pluvialis

De torrente in via bibet propterea exaltabit caput. Videamus & in via bibentem de torrente primo. Quis est torrens? Profluxio *Ps. 109. 8.* mortalitatis humanæ. Sicut enim torrens pluvialibus aquis colligitur, redundat, perstrepit, currit & currendo decurrit, id est cursum finit: sic est omnis iste cursus mortalitatis. Nascuntur homines, vivunt, moriuntur, & alijs morientibus alij nascuntur; rursusq; illis nascentibus alij moriuntur, & illis morientibus, alij oriuntur: succedunt, accedunt, decedunt, nec manebunt. Quid hic tenetur? Quid non decurrit? qui non quasi de pluvia collectus it in abyssum? Quomodo enim fluvius repente collectus de pluvia, de guttis imbrium, it in mare, nec apparet, quia nec apparebat, antequam de pluvia colligeretur: sic hoc genus humanum de occultis colligitur, & profluit in mortem: rursum in occultum vergit, medium hoc sonat & transit. De hoc torrente bibit ille, non est dedignatus bibere de hoc torrente. Bibere enim de hoc torrente, illi erat nasci & mori. Hoc habet torrens iste, Nativitatem & mortem. Suscepit hanc Christus natus est, & mortuus est. *Ibid. Exp: Psal: 109.*

Quærentes suum nomen maledicti.

Benedictus qui venit in nomine Domini. Maledictus ergo ille qui venit in nomine sui. *Ibid. Exp: Psal: 117.*

Participes Divinitatis efficiemur.

Particeps ego sum omnium timentium te. Quia factus est par- *Ps. 118* ticeps mortalitatis nostræ, ut & nos participes divinitatis ipsius fieremus. Nos unius participes ad vitam, ad mortem vero particeps ille multorum. *Ibid. Con: 19. in Psal: 118.*

Concupivi salutare tuum Domine. Etiam nolentibus omni- *Ps. 118* bus inimicis salutare DEI nobis Christus occurrat. Ipsum se concupisse justi antiqui veracissime confitentur. Ipsum concupivit Ecclesia venturum de visceribus Matris; ipsum concupivit Ecclesia venturum à dextera Patris. *Ibid. Con: 32. in Psal: 118.*

Solus Christus sua vitas pluviæ. Ipsum solum non agnoscis in scripturis, propter quem factæ sunt scripturæ. *Ibid. Enar. in Psal: 137.*

Christus via.

Et deduc me in via æterna. Quid aliud dicit, quàm deduc me *Ps. 138 24.* in Christo? Quid est enim via æterna, nisi qui est vita æterna? Æternus enim est qui dixit. Ego sum via veritas & vita. *Ibid. Exp: in Psal: 138.*

Si non habet Rempublicam suam Christus, non habet fiscum suum. Fiscus enim scitis quid est? fiscus enim est saccus: unde & fiscinæ dicuntur. *Ibid. Enar: in Psal: 146.*

Passio Christi exemplum præsentis vitæ, Resurrectio, futuræ.

Passio Domini ostendit nobis vitam præsentis necessitatis, qua opportet & laborare, & tribulari, & ad extremum mori. Resurrectio vero & glorificatio Domini ostendit nobis vitam quàm accepturi sumus cum venerit retribuere digna dignis, mala malis, bona bonis. *Ibid. Enar: in Psal: 148.*

Christus ab originali peccato immunis.

Christus peccatum non habet, nec originale traxit, nec suum addidit, extra voluptatem carnalis libidinis venit. Non ibi fuit complexus maritalis, de Virginis Corpore non assumpsit vulnus, sed medicamentum: non assumpsit quod sanaret, sed unde sanaret. *Et infra.* Vera iniquitas in Christo non fuit: sed mortalitas in illo fuit. Peccatum non suscepit, sed pœnam peccati suscepit. Suscipiendo sine culpa pœnam, & pœnam sanavit & culpam. *T. 10. ser. de verbis Apli. ser: 14. de baptis: parv: contra Pelag.*

Et

Et habemus certiorem propheticum sermonem. Quid est ergo certiorem, nisi in quo magis confirmetur auditor? Quare hoc? Quoniam sunt homines in fideles, qui sic detrahunt Christo, ut dicant, eum magicis artibus fecisse quæ fecit. Possent ergo infideles etiam istam vocem delatam de cælo, per conjecturas humanas, & illicitas curiositates ad magicas artes referre. Sed Prophetæ antea fuerunt, non dico ante istam vocem, sed ante Christi carnem. Nondum erat homo Christus quando misit Prophetas. Quisquis eum dicit magum fuisse: si ergo magicis artibus fecit, ut coleretur & mortuus, nunquid magus erat, antequam natus. *T, 10. eorundam ser: 27. de verbis B. Petri. Audivimus vocem delatam de cælo. Hic est dilectus &c.*

1. Pet: 1. 19.

Sicut dicit Ego sum via: ita etiam ego sum janua. Quid quæris quà redeas, quo redeas, qua intres? Ne alicubi erres ipse tibi omnia factus est. *T, 10 50. Homil: Hom: 34. de illo. Ego sum via.*

Christus est Ianua.

Nonne verum dicimus dæmonium habes? In nomine autem ipsius dæmonia fugiebant: & illi objicitur. Quia dæmonium habebat. *Ibid Hom: 36. de illo Esa: Ascendet sicut virgultum &c.*

Ma 11 18.

In reliquis operibus bonis interdum potest aliquis qualemcunque excusationem prætendere, in habenda verò dilectione, nullus se poterit excusare. Potest mihi dicere aliquis: Non possum jejunare: nunquid potest dicere, non possum amare? *T, 10 ser: de Tem: ser: 61. Fer: 6 post Dnicā: Quinq. ser: 3.*

Nullus ab amore Dei excusari potest.

Verbum, rationalis anima & caro, hoc totum Christus. *Ibid. ser: 148 Feria 4. Paschæ ser: 2.*

Propter hoc ad nos ille descendit, ut nos ad illum possimus ascendere. *Ibid. ser: 185. Fer: 2 Pent: ser: 1.*

Credimus & in Dominum JESUM Christum, per quem creata sunt omnia, verum DEUM unigenitum, verum DEI Filum, non factum aut adoptatum, sed genitum, unius cum Patre substantiæ, quod Græci dicunt Homousion: atq; ita per omnia æqualem DEO Patri, ut nec tempore, nec gradu, nec potestate esse possit inferior: tantumq; esse confitemur illum qui est genitus, quantus est ille qui genuit. *Ibid. ser: 191. in Festo S. Trinitatis ser: 3.*

Christus æqualis Patri.

Cum dicimus credere nos, in Christum Filium DEI, qui natus est ex MARIA Virgine, non eo modo dicimus, ut in hominem tantum, verum nos fidem habere fateamur, sed in DEUM verum, qui suscepit hominem verum. *T. 10. eorundem in eodem ser: 5.*

Ipse qui ostendit peregrinantibus formam servi, servat pervenientibus formam DEI. De forma servi stravit viam, de forma DEI condidit Patriam. Quia ergo multum est ad nos capere hoc, sed non est multum credere hoc. *Ibid. ser: 234. Dnica 18. post Fest: S. Trinit: ser: 1.*

Dominus noster JESUS Christus, nisi dignatus esset fieri homo, perijsset homo. Factus est quod fecit, ne periret quod fecit. Homo verus: DEUS verus: DEUS & homo totus Christus. Hæc est Catholica fides. *Et infra.* Ipse Patria quo imus, ipse via quâ imus. Per ipsum, ad ipsum eamus, & non erramus. *Ibid. ser: 235. eadem Dnica serm: 2.*

Christus factus est quod fecit, ne periret quod fecit.

Fratres pro magno audiri solent verba novissima parentis ituri in sepulchrum, & contemnuntur Domini verba novissima, ascendentis in cælum? *T, 10. Septem & decem serm: a Parisiensibus additorum ser: 6.*

Christus iter sine errore.

Semper DEUS Christus Et qualis DEUS? Quæris qualis? Patri æqualis Noli ergo quærere in æternitate qualitatem, sed felicitatem. Qualis DEUS Christus, cape si potes. *Et infra.* Audi ergo qua-

In æternitate quærēda felicitas non qualitas.

qualis DEUS Christus. In principio erat verbum. *T, 10. ser: de diver. ser: 12. de die quadrag. Dnicæ Ascens.*

Exaltat Humilitas.

Exaltare super cælos DEUS. Cui dictum est? Nunquid DEO Patri diceretur. Exaltare, qui nunquam est humiliatus? Exaltare tu: tu qui fuisti in ventre Matris inclusus: tu qui in præsepi jacuisti: tu qui ubera tanquam parvulus in vena carnis suxisti. Tu qui portans mundum, portabaris à matre. Tu quem Simon senex parvulum agnovit, magnumq; laudavit. Tu quem vidua Anna vidit sugentem & cognovit omnipotentem. Tu qui esuristi propter nos, fatigatus es in via propter nos. Non enim esurit panis, aut fatigatur via. Tu qui omnia pertulisti propter nos: tu qui dormisti, & tamen non dormitans custodis Israel. Postremo tu quem vendidit Judas, quem Judæi emerunt, & non possederunt. Tu apprehense, ligate, flagellate, spinis coronate, in ligno suspense, tu mortue, tu sepulte, exaltare super cælos DEUS. Exaltare inquit, exaltare super cælos, quia DEUS es. *Ibid. ser: 13. de eodem habito in Basilica Leontiana.* *Ps. 56. 6.*

Christi magnitudo in infantia.

Cum in forma DEI esset, non impium arbitratus est, esse æqualis DEO. Quanta Majestas! Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens: in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Quanta humilitas! Humiliavit se Christus habes Christiane quòd teneas. *Ibid. ser: 37. de S. Laurentio Mart.* *Phil. 2. 6.*

Christus Medicus & Medicamentum. Malorum via inconstans.

Ipse Medicus, ipse medicamentum. Medicus quia verbum: medicamentum quia verbum caro factum est. Ipse sacerdos, ipse sacrificium. Ipse est qui mutavit viam magorum: ipse etiam nunc mutat viam malorum. *T, 10. Parte 2. serm. de diver: ser: 67. in Epiph: Dñi. de communi vita Clericorum.*

Christus sol illuminans. Vestimenta Christi Ecclesia ejus. Paulus vestimentorũ Christi fimbria.

Et loquebantur cum eo Moyses & Helias. Ipse JESUS quidem, ipse splenduit sicut sol, se lumen esse significans, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quod est iste sol oculis carnis, hoc ille oculis cordis: & quod iste carnibus, hoc ille cordibus. Vestimenta autem ejus, Ecclesia ejus. Vestimenta enim nisi ab induto contineantur, cadunt. Horum vestimentorum quædam quasi novissima fimbria Paulus fuit. Ipse enim dicit: Ego enim sum minimus Apostolorum. *Ib. ser: 69. Sab: post 1. Dnicã Quadrag.* *Mat. 17. 4.* *1. Cor. 15. 9.*

Christus Leo, Aquila.

Natus est homo, operatus ut Leo, immoratus ut vitulus, volavit ut Aquila. *Ibid. ser: 74. Sabb: post 2. Dnicam Quadr.*

Mors morte superata.

Adam homo erat, filius hominis non erat. Ideo Dominus Christus assidue se dicit filium hominis, ut faciat nos recordari hominem, qui non fuit filius hominis. Ut recordemur in illo mortem, in isto vitam: in illo peccatum, in isto remissionem peccatorum: in illo vinculum in isto libertatem: in illo damnationem, in isto absolutionem. *Et infra.* Quid habuit similitudo carnis peccati? Mortem sine peccato. Si haberet peccatum, caro esset peccati. Si mortem non haberet, non esset similitudo carnis peccati. Talis venit, Salvator venit, mortuus est, sed mortem occidit: finivit in se quam timebamus, suscepit illam, & occidit illam, quomodo summus venator leonem cepit, & negavit. Ubi est mors? Quæ in Christo jam non est: sed fuit, & mortua est ibi. O vita mors mortis. Bono animo estote, morietur & in nobis. Quod præcessit in capite, reddetur in membris: morietur & in nobis mors. *Ib. ser: 86. die S. Pasch.* *Rõ. 8. 3.*

Christus lapis angularis. Majestas Christi orbi par.

Dominus noster Christus lapis angularis, subegit regna dæmonum, humiliavit omnes Reges ut cresceret, crevit & implevit universam faciem terræ. Audeo dicere, adhuc crescit, adhuc sunt loca quæ implet. *T, 10. ser: novo: ser: 12. de illo Esa. Qui autem dedsti erunt mihi possidebunt terram, &c.*

DEus de cælo prospexit super filios hominum. Non est qui

faci-

Abjurat bonũ qui vult esse filius hominis.

Ps. 13. 2. faciat bonum, non est usq; ad unum. Quare? Quia filij hominum esse voluerunt. Ut autem eos ab his iniquitatibus tolleret, redimeret, curaret, sanaret, mutaret filios hominum, dedit eis potestatem filios DEI fieri. Quid ergo mirum? Homines eratis, si eratis filij hominum: omnes homines eratis: mendaces eratis: omnis enim homo mendax. *Et infra.* Agnosce Christum, & per hominem ascende ad DEUM. *Ibid. 33. de eo quod commonemur à scandalis mundi cavere.*

Satis justus qui humilis.

Sine modo ut impleatur omnis justitia. Quid est impleatur
Mat: 3 14. omnis justitia? Mori veni pro hominibus, baptisari non debeo pro hominibus? Quid est impleatur omnis justitia? Impleatur omnis humilitas. Quid ergo? Non erat suscepturus baptismum à bono servo, qui passionem suscepit à servis malis? *T, 9. in Evang: Ioan. 4. de cap: 1.*

Communicatio Idiomatum in Christo.

Sic est veritas Christus, ut totum verum accipias in Christo. Verum verbum. DEus æqualis Patri, vera anima, vera caro, verus homo, verus DEus, vera nativitas, vera passio, vera mors, vera resurrectio. Si aliquid horum dixeris falsum intrat putredo, de veneno serpentis nascuntur vermes mendaciorum & nihil integrum remanebit. *Ibid. T. 9. de cap: 2.*

In magnis & difficilibus rebus homo Divinum se probat.

Ille esuriebat quia homo erat: pavit quinq; panibus tot millia, quia DEus erat. Qui dormiebat quia homo erat: ventis & fluctibus imperabat quia DEus erat. Hæc omnia commendanda erant prius, ut esset quod scriberent Evangelistæ quod prædicaretur Ecclesiæ. At ubi tantum fecit quantum sufficere judicavit venit hora non necessitatis, sed voluntatis: non conditionis, sed potestatis. *T, 9. Ibid.*

Ad Christum per Christum itur.

Ego sum via veritas & vita. Si veritatem quæris viam tene:
Ioã: 14 6. nam ipsa est via, quæ est veritas. Ipsa est quo is, ipsa es qua is; non per aliud is ad illud, non per aliud venis ad Christum. Per Christum venis. Quomodo per Christum ad Christum? Per Christum hominem ad Christum DEUM. Per verbum carnem factum, ad verbum quod in principio erat DEus apud DEUM. Ab eo quod manducavit homo ad illud quod quotidie manducant Angeli. Sic enim scriptum est: *Panem Angelorum manducavit homo. Ibid. Tract. 13. de cap: 3.*

Christus Thesaurus noster.

Nos omnes de plenitudine ejus accepimus: & hoc confiteri
Ioã: 1. 16. DEUM est. Quomodo enim omnes homines de plenitudine ejus accepimus nisi ille sit DEus? Nam si ille homo & non DEus, de plenitudine DEI accipit etiam ipse qui non DEus est. Si autem omnes homines de plenitudine ejus accipiunt, ille est fons, & illi bibentes. Qui bibunt fontem & sitire possunt & bibere: fons nunquam sitit, fons seipso non eget. Fonte egent homines, aridis visceribus, aridis faucibus currunt ad fontem ut reficiantur. Fons fluit ut reficiat: ita & Dominus JESUS. *Ibidem.*

Christus Ideã operãdi benè: Fuga gloriosa

Quia in omni re quam gessit ut homo hominibus in se credituris præbebat exemplum: quia unusquisq; servus DEI non peccat si secesserit in alium locum videns furorem forte persequentium se, aut quærentium in malum animam suam: videretur autem sibi servus DEI peccare si faceret, nisi in faciendo Dominus præcessisset. Fecit hoc ille Magister bonus ut doceret, non quod timeret. *Ibid. Tract. 15. de cap: 4.*

Facta Christi genera sunt locutionum. *T, 9. in Evan: Ioan: Tract: 25. de cap: 6.*

Christum norunt qui sunt fideles.

Clamabat in templo docens JESUS: Et me scitis, & unde sim
Ioã: 7. 28. scitis; & à me ipso non veni, sed est verus qui me misit, quem vos nescitis. Hoc est dicere, & me scitis, & me nescitis hoc est dicere:

& unde sim scitis & unde sim nescitis Unde sim scitis. JEsus à Nazareth cujus etiam parentes nostis. Solus enim in hac causa latebat Virginis partus, cui tamen testis erat maritus: ipse enim hoc poterat fideliter indicare qui potuit maritaliter & cælare. Hoc ergo excepto Virginis partu, totum noverant in JEsu, quod ad hominem pertinet. Facies ipsius nota erat, patria ipsius nota erat, genus ipsius notum erat, ubi natus est sciebatur. Recte ergo dixit. Et me nostis & unde sim scitis secundum carnem & effigiem hominis quam gerebat: secundum autem divinitatem, & à meipso non veni, sed est verus qui me misit, quem vos nescitis. sed ut eum sciatis credite in eum quem misit, & scietis. *Ibid: Ioan: Tract: 31, de cap: 7.*

Christus testis exemplum Iustitiæ. Propter veritatem, & mansuetudinem & justitiam. Ergo attulit veritatem ut doctor, mansvetudinem ut liberator, justitiam ut cognitor. *Ibid. Tract: 33. de cap: 8.* *Ps: 44. 6.*

Non arbitremur Dominum JEsum Christum hunc esse solem, quem videmus oriri, ab oriente & occidere in occidente: cujus cursui nox succedit, cujus radij nube obumbrantur, qui certa de loco in locum motione commigrat. Non est hoc Dominus Christus. Non est Dominus Christus sol factus, sed per quem sol factus est. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. *Ibid. Tract: 34. de cap: 8.*

Si dixisset tibi Dominus DEus tuus. Ego sum veritas & vita, *Io. 14. 6.* desiderans veritatem, concupiscens vitam, viam, quâ ad hæc pervenire posses, profecto quæreres & diceres tibi: Magna res veritas, magna res vita si esset quomodo illuc perveniret anima mea. Quæris quæ. Audi cum dicentem primo: Ego sum via: Antequam diceret tibi, quo, præmisit, qua. Ego sum inquit via. Quo via. Et veritas & vita. Primo dixit quâ venias, postea dixit quo venias. Ego sum via, ego sum veritas, ego sum vita. Manens apud Patrem veritas & vita: induens se carne, factus est via. Non dicitur, labora quærendo viam ut pervenias ad veritatem & vitam, non hoc tibi dicitur. Piger surge, via ipsa ad te venit, & te de somno venientem excitavit, si tamen excitavit surge & ambula. Forte conaris ambulare, & non potes quia dolent pedes. Unde dolent pedes? An jubente avaritia per aspera cucurrerunt? Sed DEI verbum sanavit & claudos. Ecce inquit sanos habeo pedes, sed ipsam viam non habeo. Jlluminabat & cæcos. Hoc totum per fidem quamdiu peregrinamur à Domino manentes in corpore. Cum autem perambulaverimus viam, & adipsam Patriam pervenerimus, quid erit nobis lætius? Quid enim nobis beatius: Quia nihil pacatius: nihil enim adversus hominem rebellabit. *Ibidem.*

Christus est via et Dux viæ

Vita Christi via nostra.

Iter nobis nūc ad Cælum.

Lumen & alia demonstrat & seipsum. Accendis lucernam verbi gratia ut quæras tunicam; & præstat tibi ardens lucerna ut invenias tunicam. Nunquid accendis lucernam ut videas ardentem lucernam? Lucerna quippe ardens, idonea est & alia quæ tenebris operiebantur, nudare, & seipsam tuis oculis demonstrare. Sic & Dominus Christus & inter fideles suos, & inimicos Judæos, tanquam lucem & tenebras distinguebat: tanquam inter illos quos radio fidei perfundebat, & illos quorum clausos oculos circumfundebat. *Ibid. Ioan: Tract: 35. de cap: 8.*

Vita Christi malorum damnat mores, suos proponit.

Christus Homo Deus, Deus Homo. Si DEum tantum dixeris Christum, medicinam negas qua sanatus es: si hominem tantum dixeris potentiam negas, qua creatus es. Utrumq; igitur tene anima fidelis, & cor Catholicum: utrumq; tene, utrumq; fideliter confitere. Et DEus Christus est, & Homo Christus, Qualis DEus Christus? Æqualis Patri, unum cum Patre. Qua-

lis

lis Homo Christus? De Virgine natus trahens de homine mortalitatem, & non trahens iniquitatem. *Ibid. Tract. 36. de cap: 8.*

Videbant indumentum, & contemnebant indutum: contemnebant, quia nesciebant: nesciebant quia non videbant: non videbant, quia cæci erant: cæci erant quia non credebant. *Ibid. Tract: 37. de cap: 8.*

Externa non debent præjudicare interioribus. Cæcus infidelis

Si non credideris quia ego sum, moriemini in peccatis vestris.
Ioã. 8. Quid est nisi credideritis nisi ego sum. Ego sum. Quid: nihil addit.
21. Forte nisi credideritis quia ego sum Christus, nisi credideritis quia ego sum Dei Filius, nisi credideritis quia ego sum Verbum Patris, nisi credideritis quia ego sum conditor mundi, hominis formator, & reformator, creator, & recreator, factor, & refactor: nisi hoc credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris. Multum est quod ait: Ego sum, quia sic dixerat Dominus Moysi, Ego sum qui sum. Quis eloquatur quid sit, cum? *Et infra.* O Domine Deus noster quid est quod aisti nisi credideritis quia ego sum? Quid enim non est eorum quæ fecisti? Nunquid Cælum non est? Nunquid terra non est? Nunquid non sunt ea quæ in Cælo & in terra fecisti? Nunquid homo ipse cui loqueris non est?

Fides mala morti peccati nosam reddit.

Et infra. O veritas quæ vere es. Nam in omnibus actionibus & motibus nostris & in omni prorsus agitatione creaturæ duo tempora invenit præteritum & futurum. Præsens quæro, nihil stat. Quod dixi jam non est, quod dicturus sum nondum est. Quod vixi jam non est, quod victurus sum nondum est. Præteritum & futurum invenio in omni motu rerum: in veritate quæ manet, præteritum & futurum non invenio, sed solum præsens & hoc in corruptibiliter. *Et infra* Itaq; nihil aliud Dominus Jesus Christus mihi videtur his verbis dixisse. Nisi credideritis, quia ego sum: prorsus nihil aliud mihi videtur dixisse his verbis quàm hoc, nisi credideritis quia Deus ego sum moriemini in peccatis vestris. Bene, Deo gratias, quia dixit nisi credideritis, non dixit nisi cæperitis. Quis enim hoc capiat? Si ergo non capis, fides te liberat. *Ibid. Tract: 38. de cap: 8.*

Ad Christum omnes fugiamus: contra peccatum Deum liberatorem interpellemus, venales nos petamus, ut ejus sanguine redi-
Is: 52 mamur. Dicit enim Dominus: Gratis venundati estis & sine argen-
3. to redimemini. Sine pretio sed vestro: quia meo. *Ibid Tract: 41. de cap: 8.*

Redemptio quotidiana à peccatis.

Oculus carnis alia videt se non potest: intellectus autem & alia intelligit, & seipsum. Quomodo intellectus videt se, sic & Christus prædicat se. Si prædicat se, & prædicando intrat ad se, per se
Io: 10 intrat ad te. Et ad Patrem ipse est ostium, quia non est qua venia-
9. tur ad Patrem nisi: per ipsum. *Ibid Tract: 47. de cap: 10.*

Videte quid dixerim & intelligite. Anima & corpus duæ res sunt sed unus homo: verbum & homo duæ res sunt sed unus Christus. Ergo de homine quære. Ubi est Paulus modo? Si quis respondeat. In requie cum Christo: verum dicit. Item si quis respondeat Romæ in sepulchro: & ipse verum dicit. Illud mihi de anima, hoc de ejus corpore respondit Nec tamen ideo duos dicimus Apostolos Paulos, unum qui requiescit in Christo, alium qui positus est in sepulchro, quamvis Apostolum Paulum dicamus vivere in Christo, eundemq; Apostolum Paulum dicamus mortuum jacere in sepulchro. *Et infra* Ergo etiam sepultum Christum esse non negas, & tamen sola caro sepulta est, si enim erat ibi anima non erat mortuus. Si autem vera mors erat, ut ejus vera sit resurrectio, sine anima fuerat in sepulchro: & tamen sepultus est Christus. *Ibid. 47. de cap: 10.*

Repetitur, Christus esse Deus et homo, & unũ quid Hypostaticũ, seu unione.

 Cre-

Fides in Christum.

Creditis inquit in DEUM, & in me credite. Consequens est enim ut si in DEUM creditis, & in me credere debeatis: quod non esset consequens si Christus non esset DEUS. *Ibid. Tract: 67. de cap: 14.*

Qui nondum intelligit divinitatem Christi usq; ad carnem venit, usq; ad divinitatem non venit. Quid autem magnum est usq; illuc attingere: usquequo persecutores qui crucifixerunt? Illud est magnum intelligere verbum DEUM apud DEUM in principio per quod facta sunt omnia. *T: 9. in Epist: Ioan: Tract: 3. de cap: 2.*

Natales Dei hominis.

Duas Nativitates attendite fratres: Adam & Christi. Duo sunt homines: sed unus ipsorum homo, homo, alter ipsorum homo DEUS. Per hominem hominem peccatores sumus: per hominem DEUM justificamur. Nativitas illa dejecit ad mortem: ista erexit ad ad vitam. Nativitas illa trahit secum peccatum: nativitas ista liberat à peccato. Ideo enim venit Christus homo ut solveret peccata hominum. *Ibid. Tract: 4 de cap: 3.*

Transiit Adam homo verus factus ex limo: venit Christus DEus homo missus è Cælo. Transiit vetustas mentium accessit novitas credentium: transiit vita carnalis successit spiritualis. An parva est hæc novitas ita demonstrata per hominem DEUM? ut moriendo susciperet vetustatem tuam, resurgendo ostenderet novitatem tuam, ascendendo firmaret claritatem tuam? Vetera transierunt. *Et infra.* Vetera transierunt, transiit mortalitas. Nova accesserunt, promissa est immortalitas. Vetera transierunt, perierat omnis caro per mulierem simul cum viro peccantem: Nova accesserunt, reparata est caro, sine viro Virgine pariente. Vetera transierunt, transiit regio vetustatis: nova accesserunt, succedit Hierusalem Civitas cælestis novitatis. *T, 9. lib. de Cant: novo Tract: 2. cap: 1.*

Renovatus mundus nato Christo.

CHRISTUS NATUS

Lacte nutris Deus.

VErbum Caro Factum est, ut infantiæ nostræ lactesceret Sapientia tua. *T. 1 l. 7. Confess: cap: 18.*

Gloriosior eò nativitas Christi quo humilior

Quantùm verò illud sit, quod hoc etiam nostri generis corpus, tantus propter nos DEus assumere atq; agere dignatus est, quantò videtur vilius, tantò est clementiâ plenius & à quadam ingeniosorum superbia, longè lateq; remotius. *Ibid. l. 2. de ord: cap: 5.* Ioã. 1.

Vera Christi disciplina fuit.

Tota vita ejus in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit. *T, 1. l. de vera Relig: cap: 16.*

Infantili à membra Christi majestatem ejus non arctant.

Si verbum hominis transiens quod exhibetur auribus; verbum DEI permanens non exhibetur rebus? ut quemadmodum hoc simul auditur à singulis etiam totum, ita illud simul ubiq; sit totum. Non itaq; metuendum est corpusculum infantiæ, nè in illo tantas DEus angustias passus esse videatur. Neq; enim mole sed virtute Magnus est DEus. *T, 2 Epist: 3.*

Elevatio naturæ facta per Christum.

Ita inter DEUM & homines Mediator apparuit, ut in unitate personæ, copulans utramq; naturam, & solita sublimaret insolitis, & insolita solitis temperaret. Quid autem non mirum facit DEus in omnibus creaturæ motibus? nisi consvetudine quotidiana viluissent. *Ibid. Epist: 3.* 1. Tim. 2. 5.

Prædata consvetudine vilescunt.

Christus est natura humana unita Personæ verbi.

Homo DEO accessit non DEus à se recessit. Sic autem quidam reddi sibi rationem flagitant, quomodo DEus homini permixtus sit, ut una fieret persona Christi? cum hoc semel fieri oportuerit, quasi rationem ipsi reddant, de re, quæ quotidie fit; quomodo misceatur anima corpori, ut una persona fiat hominis? Nam sicut in unitate personæ anima unitur corpori ut homo sit, ita in unitate personæ DEus unitur homini, ut Christus sit. *Ib. T, 2.* Vera-

Verbum Caro factum est. Nullus Sanctorum qualibet præstantiâ gratiæ unigeniti nomen accepit: ut quod est ipsum DEI Verbum ante sæcula, hoc simul cum assumpto homine diceretur. Singularis est ergo illa susceptio, nec cum hominibus aliquibus Sanctis, quantalibet sapientiâ & sanctitate præstantibus ullo modo potest esse communis. *Ibid. Epist: 57. sub finem.* *Verbum Divinum ad nos factum.*

Non tantum hac excellentissima Trinitate, sed etiam minoratus est paulò minùs ab Angelis, hominibus quoq; minor fuit, quando Parentibus subditus fuit *T, 2. Epist: 66.* *Humilitas Christi.*

Homo assumptus est à DEO, non in homine consumptus est DEUS. *Ibidem.*

Hæc ergo fides etiam antiquorum justorum fuit. Unde Apostolus dicit: habentes eundem Spiritum fidei, quod non diceret, nisi admonens etiam antiquos justos habuisse ipsum Spiritum fidei, hoc est Incarnationis Christi. *Ibid. Epist: 89.* *1. Cor. 12 18.* *Antiqui Christum fide credebant.*

O Homines, nolite desperare vos fieri posse Filios DEI? quia & ipse Filius DEI. Hoc est Verbum DEI Caro factum est & habitavit in nobis. Reddite vicem, efficimini Spiritus, & habitate in illo, qui Caro factus est & habitavit in vobis. Neq; enim jam desperandum est, participatione verbi posse fieri homines Filios DEI, quando Filius DEI participatione carnis factus est Filius hominis. *Ibid, Epist: 120. c. 4.* *Joã. 1.* *Homo fit filius Dei.* *Homo potest fieri Deus.*

Itaq; Christus homo: inde subjectio, inde passio, inde flagella, sputa, contumeliæ, Crux, vulnera, & tanquam superato subjectoq; mors ipsa: ut fideles ejus discerent, quale pietatis præmium ab illo cujus filij facti essent, petere atq; sperare deberent. *T, 2. Epist: 120. c. 5.* *Pietatis præmium tributio.*

Homo Christus idemq; DEUS Christus, in cujus misericordissima humanitate, atq; in cujus forma servili, discere deberemus, quid in hac vita contemnendum, quid in alia sperandum esset. *Ibid. ibidem c. 5.* *Christus vitæ exemplum.*

Quid quæris humana infirmitas, vocem verbi per quod facta sunt omnia? audi potius vocem carnis quæ facta est inter omnia, quoniam Verbum Caro factum est & habitavit in nobis. Audi potiùs medicinæ vocem, quâ sanaris ut videas DEUM, quem tibi videndum distulit, hominem autem videndum attulit, occidendum obtulit, imitandum contulit, credendum transtulit; ut ista fide ad videndum DEUM mentis oculus sanaretur. Quid ergo dedignaris audire vocem corporis ex ore capitis. *Ibid. Epist. 120. c 6.* *Vox verbi Incarnati.*

Illuc venit ubi erat, quia in hoc mundo erat, & mundus per illum factus est, & mundus eum non cognovit. *T, 3. l. 1. de Doctr: Christ: c. 12.* *Joã. 1.*

Sicut ille qui medetur vulneri corporis, adhibet quædam contraria, adhibet etiam quædam similia. Sic Sapientia DEI hominem curans, seipsam exhibuit ad sanandum, ipsa medicus, ipsa medicina. Quia ergo per superbiam homo lapsus est, humilitatem adhibuit ad sanandum: serpentis sapientiâ decepti sumus, DEI stultitia liberamur. Nos immortalitate malè usi sumus, ut moreremur: Christus mortalitate bene usus est, ut viveremus, Corrupto animo fæminæ, ingressus est morbus, integro corpore fæminæ processit salus. Ad eadem contraria pertinet, quod etiam exemplo virtutum ejus, vitia nostra curantur. Jam verò similia quasi ligamenta vulneribus nostris adhibita illa sunt, quod per fæminam deceptos, per fæminam natus, homo homines, mortalis mortales, morte mortuos liberavit. *Ibid. lib 1. de Doct: Christ. c. 14.* *Contrariis homini Deus medetur.* *Stultitiæ commodum.* *Nil obest quod non prosit.*

Nec ab eo quod orti sumus ad æterna transire possemus, nisi æter-

æterno per ortum nostrum nobis sociato, ad æternitatem illius traiiceremur. *Ibid. l. 4. de Trinit: c.* 18.

Ad parvos missus est parvus. Maximum miraculum Cælum & terra.

Nisi talia essent testimonia, quæ parvis magna esse viderentur, non crederetur ille ita magnus, ut magnos faceret magnus, qui ad parvos missus est parvus. Incomparabiliter enim majora Filij Dei facta sunt, cælum & terra, quàm signa & portenta, quæ in ejus testimonium proruperunt. Sed tamen homines ut hæc magna per eum facta parvi crederent, illa parva tanquam magna tremuerunt. *Ibid. l. 4. de Trinit: c.* 19.

Christus omnibus exẽplum.

Venit ad nos in hunc mundum, qui in hoc mundo erat, quia mundus per eum factus est; ut exemplum rursum videntibus Deum, exemplum deorsum mirantibus hominem, exemplum sanis ad permanendum. Exemplum infirmis ad convalescendum, Exemplum morituris ad non timendum. Exemplum mortuis ad resurgendum esset: in omnibus ipse primatum tenens. Quia enim homo ad beatitudinem sequi non debebat nisi Deum, & sentire non poterat Deum, sequendo Deum hominem factum, sequeretur simul, & quem sentire poterat, & quem sequi debebat. Amemus ergo Deum, & inhæreamus illi charitate diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. *Ibid. lib. 7. de Trinit: c.* 3.

Proportionatum hommini exemplũ ipse Deus. Magno homini exemplo opus est. Deus dat nobis amorem ut ametur.

Hoc nobis prodest credere, & firmum atq; inconcussum corde retinere scilicet humilitatem, quâ natus est Deus ex fæmina, & à mortalibus per tantas contumelias perductus ad mortem, summum esse medicamentum, quo superbiæ nostræ sanaretur tumor & altum Sacramentum, quo peccati vinculum solveretur. *Ibid. lib. 8. de Trinit: cap.* 5.

Humilitas medicina peccati.

Dedit illis potestatem Filios Dei fieri, nè ista hominum quam videmus & gestamus infirmitas, tantam excellentiam desperaret, illico annexum est. Et Verbum Caro factum est, ut à contrario suaderetur quod incredibile videbatur. Si enim natura Filius Dei propter Filios hominum, misericordiâ factus est Filius hominis! quantò est credibilius naturâ filios hominis gratiâ, Dei filios fieri? ut ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, sed sanandæ nostræ miseriæ convenientiorem alium modum non fuisse, nec esse oportuisse. *Ibid. lib. 13. de Trin: c.* 10.

Homo Deus fieri potest.

Verbum Caro factum est: ut superbia omnis quæ maximè impedimento est, nè inhæreatur Deo, per tantam Dei humilitatem redargui posset; atq; sanari disceretq; homo, quàm longè recesserit à Deo, & quid illi valeat ad medicinalem dolorem, quando per talem mediatorem redit, qui hominibus & Deus Divinitate subvenit, & homo infirmitate convenit. *T, 3. lib. 13 de Trin: c.* 17.

Superbia impedit vinculũ Dei.

Corpus Christi quamvis ex carne fæminæ assumptum est, quæ de illa carnis peccati propagine concepta fuerat: tamen quia non sic in ea conceptum est, quomodo fuerat illa concepta, nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati. *Ibid. lib. 10. de Gen: ad lit: c.* 18.

Christus sine peccato.

Itaq; Filius Dei hominem assumpsit, & in illo humana perpessus est. Hæc medicina hominum tanta est, quanta non potest cogitari. Nam quæ superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei non sanatur. Quæ avaritia sanari potest, si paupertate Filii Dei non sanatur? Quæ iracundia sanari potest, si patientiâ Filii Dei non sanatur? Quæ impietas sanari potest, si charitate Filii Dei non sanatur? Postremò quæ timiditas sanari potest, si resurrectione Corporis Christi Domini non sanatur? Erigat spem suam genus humanum, & recognoscat naturam suam, & videat quantum locum habeat in operibus Dei. Nolite vosmetipsos contemnere viri, Filius

Christus natus omniũ morborum amuletum.

Deus nativitate sua nos æstimari facit.

Dei

Dei virum suscepit: nolite vosmetipsas contemnere fœminæ, Filius Dei natus ex fœmina est. Nolite tamen amare carnalia, quia in Filio Dei nec masculus, fœmina sumus. Nolite amare temporalia, quia si bene amarentur, amaret ea homo, quem suscepit Filius Dei. Nolite timere contumelias, & cruces, & mortem, quia si nocerent homini, non ea pateretur homo, quem suscepit Filius Dei. Hæc omnis hortatio, quæ jam ubiq; prædicatur, ubiq; veneratur, quæ omnem obedientem animam sanat, non esset in rebus humanis, si non essent facta illa omnia, quæ stultissimis displicent: Quem dignatur imitari vitiosa jactantia, ut ad virtutem percipiendam possit adduci, si erubescit imitari eum, de quo dictum est, antequam nasceretur quod Filius Altissimi vocaretur: & per omnes jam gentes, *Luc. 1.* quod negare nemo potest, Filius Altissimi vocatur. Si multùm de nobis sentimus, dignemur imitari eum, qui Filius Altissimi vocatur: si parum de nobis sentimus, audeamus imitari piscatores & publicanos, qui eum imitati sunt. O medicinam omnibus consulentem! omnia tumentia comprimentem! omnia tabescentia reficientem! omnia superflua resecantem! omnia necessaria custodientem! omnia perdita reparantem! omnia depravata corrigentem! Quis jam se extollet contra Filium Dei? qui de se desperet? pro quo tam humilis esse voluit Filius Dei? quis beatam vitam esse arbitretur in ijs, quæ contemnenda esse docuit Filius Dei? Quibus advertitatibus cedat, qui naturam hominis, à tantis persecutionibus custoditam credit in Filio Dei? Quis sibi esse clausum Regnum Cælorum putet, qui cognoscit publicanos & meretrices imitatos esse Filium Dei? Quâ perversitate non careat, qui facta & dicta intuetur, & diligit, & sectatur illius hominis, in quo se nobis ad exemplum vitæ præbuit Filius Dei? *Ibid. lib. de agone Christ: c. 11.* *Medicina universalis.*

Joannes ipse, illum, inquit, oportet crescere, me autem minui. *Hominis imminutione crescit Deus.*
Ioã 3. 30. Quod & diebus quibus nati sunt, & moribus, quibus passi sunt figuratum est. Nascitur quippe Joannes, ex quo dies incipiunt minui, nascitur Dominus ex quo dies incipiunt crescere. Capite ille minuitur, dum occiditur, hic verò attollitur in cruce. *T, 4. lib. 83. quæst. Quæst: 58.* *Imminue Te ut crescat Deus.*

Eramus homines, sed justi non eramus. In illius autem Incarnatione natura humana erat, sed justa non peccatrix erat. Hæc est mediatio, quâ manus lapsis jacentibusq; porrecta est. *T, 5. lib. 10. de Civit: bap: 24.* *In Incarnatione. Manum nobis porrexit Deus.*

Regnante Herode in Judæa, apud Romanos autem immutato Reipub. statu, imperante Cæsare Augusto, & per eum Orbe terræ pacato, natus est Christus secundum præcedentem prophetiam. In Bethleem Judæ, homo manifestus est ex homine Virgine, Deus occultus ex Deo Patre. Sic enim Propheta prædixerat: Ecce Virgo in utero accipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Quod est interpretatum, Nobiscum Deus. *Ibid. l. 18. de Civit: Dei c. 46.* *Deus panem amat.*

Non defuit Judæorum Princeps ex Judæis, usq; ad istum Herodem, quem primum acceperunt alienigenam. (Fuit enim Idumæus) *Ibid. lib 18. de Civit: Dei c. 45.* *Vltimus Princeps Iudæorum.*

Congruè creditur fuisse in alijs gentibus homines, quibus hoc mysterium, (intellige incarnationis) revelatum est, homines quosdam non terrenâ, sed cælesti societate ad veros Israelitas, supernæ Cives Patriæ pertinentes, etiam in alijs gentibus fuisse, negare (scilicet Judæi) non possunt: quia si negant, facillimè convincuntur de Sancto & mirabili viro Job, qui nec indigena, nec proselitus, id est advena populi. Israel fuit, sed ex gente Idumæa genus ducens *Multis revelata fuit Incarnatio Christi etiam gentibus.*

T ibi

ibi ortus, ibidem mortuus eft. Qui Divino fic laudatur eloquio, ut qnoad juftitiam pietatemq; attinet, nullus ei homo fuorum temporum coæquetur. *Et infra*. Quod nemini conceffum fuiffe credendum eft, nifi cui divinitus revelatus eft unus Mediator DEI & Hominum, Homo Chriftus JESUS. *Ibid. lib. 18. de Civit: Dei. c, 47.*

Chrifti Incarnatio. Quid actum eft in hac nocte: veniens vera fortitudo, alligavit fortem, & vafa Domûs ejus diripuit. Quid actum eft in hac nocte? extirpata eft fuperbia, introducta eft humilitas. Quid actum eft in hac nocte. Princeps omnium vitiorum expulfus eft, fons omnium bonorum fufceptus eft. *T, 6. Concion: ad Catechum c. 1.* *Ma. 12. 19.*

Nativitas Chrifti. In medio duorum animalium cognofceris, qui quoufq; defcendifti, expavefcere me fecifti, quia verbum per quod facta funt omnia, in præfepio jacuifti. *Ibid. cap: 12.*

Chrifto nafcendo Magifter nofter fuit. Veriffimum & veraciffimum Salvatorem, non folùm loquendo, fed etiam nafcendo Magiftrum extitiffe. Fideles enim ejus venturi ex omnibus gentibus, etiam exemplo carnis ipfius difcere debuerant, Parentum fuorum iniquitates fibi obeffe non poffe. Proinde Sponfus ille fuis congruens invitatis, qui vocaturus erat ad nuptias bonos & malos, etiam nafci voluit de bonis & malis, ut prophetiam Pafchæ, quâ præcaptus eft manducari Agnus, acceptus ex ovibus & capris, quantum juftis & injuftis ad fe præfigurandum, præceffiffe firmaret, documenta quippe DEI & hominis ubiq; confervans. Parentes & bonos & malos propter convenientiam humanitatis non fprevit, partum autem Virginis propter miraculum Divinitatis elegit. *T, 6. lib. 22. coñ. Fauftum c. 64.* *Deus bonis & malis æquus.* *Luc. 14.*

Chriftus obediens. Defcendi de cælo non ut faciam voluntatem meam, fed voluntatem ejus qui mifit me. Secundus Adam qui tollit peccatum mundi, illo modo fe difcrevit à primo Adam, per quem peccatum intravit in mundum, quia ifte non fecit voluntatem fuam, fed ejus à quo miffus eft, cum ille fecerit fuam, non ejus à quo creatus eft. *Ibid. lib. 3. con: Maxim: Arrian: Epifc: c. 20.*

Chriftus Deus Homo. Sicut in uno homine aliud corpus, & aliud animus; fic in uno Mediatore alius DEI, alius hominis Filius, fed idem tamen & non alius DEI quàm hominis Filius, quamvis propter aliud DEI, & propter aliud Filius hominis. Neq; enim confumit Majeftatem Filii DEI, veritas carnis; aut veritatem carnis, immenfitas Deitatis, dum unum radiat virtutibus fuis, aliud docetur infirmitatibus *Ibid. lib: con: Felician: Arrian: c. 12.*

Chriftus natus Auctor & Opus fuum. Si Dominicæ Incarnationis myfterium falvâ individuæ Trinitatis cooperatione confideres, idem fibi in hac humilitate Author & Opus eft. Idem author, quia fponte nafcitur, fpontè patitur. Idem opus, quia utrumq; licet non alio cogente, folus tamen ipfe perpetitur. Fecit carnem in utero Matris, habes authorem operis. Ipfe in hac nafci dignatus eft, habes opus Authoris: una tamen perfona eft, falvâ utriufq; proprietate fubftantiæ & Authoris, & Operis, fic ergo mortuus eft, non difcedente vita, ficut paffus eft non pereunte potentia. *Ibid. cap. 14.*

Infans fapiēs. Ignorantiam nullo modo crediderim fuiffe in infante illo, in quo Verbum Caro factum, ut habitaret in nobis, nec illam ipfius animi infirmitatem in Chrifto parvulo fuerim fufpicatus, quam videmus in parvulis. *T, 7, lib: 2. de peccat: meritis & remiff: c. 29.*

Secutus autem addidit: Et Verbum Caro factum & habitavit in nobis: tanquam dicens: Magnum quidem hoc in his factum eft, ut DEO nafcerentur ex DEO, qui priùs nati fuerant ex carne fæculo, quamvis creti ab ipfo DEO; fed longè mirabiliùs factum eft, quod cum iftis naturæ fuerit, nafci de Carne, beneficij verò, nafci ex DEO, *Joã. 1.* *Reciproca Nativitas hominis Nativitas Dei.*

pro-

propter hoc impertiendum beneficium, ille qui de DEO naturaliter natus est, nasci etiam misericorditer de carne dignatus est: hoc est enim; Et Verbum Caro factum est & habitavit in nobis. Per hoc (inquit) factum est, ut nati de carne caro, postea nascendo de Spiritu, Spiritus essemus & habitaremus in DEO: quia & DEUS natus de DEO, postea de carne nascendo Caro factus est, & habitavit in nobis. Verbum enim quod Caro factum est, in principio erat, & apud DEUM DEUS erat. *Ibidem cap. 24.*

Christ9 in carne similitudinem carnis gessit.

Natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine. De Spiritu scilicet Sancto, nè esset in illo caro peccati. Ex Virgine autem MARIA, ut esset in illo similitudo carnis peccati. *Et supra.* In carne quidem & de carne non tamen carnaliter sed spiritualiter natus est. *Ibid. lib. 6. con: Iulian: c. 19.*

Totus homo Caro.

Verbum Caro factum est. Si enim & anima (inquiunt) ibi es-
Ioã. 1. set, debuit dici Verbum homo factum est, sed istis propterea dicitur, carnis nomine solere scripturam totum hominem nuncupare,
Lu. 3. 6 sicut ibi, & videbit omnis caro salutare DEI: non enim caro sine anima aliquid videre potest. *Ibid. lib. 1. de anima c. 18.*

Christus humili nativitate vincit superbiã dæmonis.

Exurge Domine DEUS meus in præcepto quod mandasti, id est
Ps. 7. 7 quia humilitatem præcepisti, humilis appare, & tu prior imple quod præcipisti, ut exemplo tuo vincentes superbiam non possideantur à diabolo, qui adversus tua præcepta superbiam persuasit. *T, 8. in Psal: 7.*

Christus et Deus est & Mediator ad Deum.

Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Habes Majesta-
Ioã. 1. tem ad quam ores, habes humanitatem quæ pro te oret. Quia mediator dignatus est esse. Inter illam Trinitatem, & hominum infirmitatem & iniquitatem Mediator factus est homo, non iniquus, sed tamen infirmus, ut ex eo quod non iniquus jungeret te DEO: ex eo quod infirmus propinquaret tibi: atq; ita ut inter hominem & DEUM mediator existeret Verbum Caro factum est: id est Verbum homo factum est. *Ibid. præfat: in Enar: 2. Psal: 29.*

Christus verò homo et Deus.

Confirmatum est in Catholica fide hominem illum quem suscepit Sapientia DEI, nihil minus habuisse quàm cæteri homines, quantum pertinet ad integritatem naturæ: quantum autem ad excellentiam personæ, aliud quàm cæteri homines. Nam cæteri homines possunt dici participes verbi DEI, habentes Verbum DEI. Nullus autem eorum potest dici verbum DEI; quod dictum est illi,
Ioã. 1. cui dictum est, Verbum Caro factum est. *Ibidem.*

Pauper ille ut nos ditemur.

2. Cor. Cum dives esset pauper factus est, ut ipsius paupertate ditare-
8. 9. mur. Veros pauperes ditat, falsos divites pauperat. *Ibid. in Ps: 39.*

Deus ditissim9 pauper propter nos fact9: Paupertas eius divites nos facit.

Habitu inventus ut homo. Dives apud Patrem & pauper a-
Phil. 2 pud nos. Dives in Cælo, pauper in terra: Dives DEUS, pauper ho-
7. mo: dives quia sic est, pauper quia tu sic eras: sed tamen paupertas ipsius divitiæ nostræ sunt: quomodo stultitia ipsius sapientia nostra est: quomodo infirmitas ipsius fortitudo nostra est, quomodo mortalitas ipsius immortalitas nostra est: Implere venit pauperes, qui pauper effectus est. Propterea aperi sinum fidei, suscipe pauperem, ne pauper remaneas. *Ibid. præfat: in Psal: 40.*

In Christo paupere nato, omnes thesauri.

Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Invitaris ut
Ps. 40. 2. quod non vides credas, ne cum videris, erubescas. Intellige ergo super egenum & pauperem id est supra Christum. Intellige in eo occultas divitias, quem pauperem vides. In eo sunt enim omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. *Ibid. Enar: in Psal: 40.*

Ecce jam verbum illud æternum, ab æterno coæternum, veniet Sponsus speciosus formâ præ filijs hominum. Quare non & præ Angelis? nisi quia homo: ne hominem Christum, quemlibet homi-

 nem

nem putares, ait: Præ filijs hominum ſpecioſus formâ etiam homo, præ filijs hominum etiam inter filios hominum, præ filijs hominum etiam ex filijs hominum. Diffuſa eſt ergo gratia in labijs tuis. Venit nobis cum verbo gratiæ, cum oſculo gratiæ. Quid iſtâ gratiâ dulcius? quo pertinet gratia iſta? Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Si ſeverus Judex veniret, nec afferret iſtam gratiam diffuſam in labijs tuis: quis de ſalute aliquid ſperaret? quis non ſibi hoc timeret quod peccatori debebatur? Jlle veniens cum gratia non exegit quod debebatur, ſolvit quod non debebat. Magna gratia. Quare gratia? quia gratis. Propterea tibi gratias agere licet, referre non licet; non enim potes. *Et infra.* Fecit te, gratis te fecit. Non enim erat cui præſtaret, antequam faceret. Perieras, quæſivit te, & inventum revocavit te. Præterita non imputavit, futura promiſit. Vere diffuſa eſt gratia in labijs ejus. *Et infra.* Dico ego opera mea Regi. Significare voluit ſummum hominis opus non eſſe niſi DEUM laudare. Jllius eſt ſpecie ſuaplacere tibi: ad te pertinet eum in gratiarum actione laudare. Opera tua ſi non fuerint laus DEI, incipis te ipſum amare; & pertinebis ad illos de quibus dicit Apoſtolus: Erunt enim homines ſeipſos amantes. Diſplice tibi, placeat tibi qui te fecit: quia in eo tibi diſplices, quod in te ipſe feciſti. *Ibid. Enar: in Pſal: 44.*

Quantam gratiam mũdo attulerit Chriſtus natus. — *Pſ: 44. 3.* — *Pſ: 31. 1.* — *Summum hominis Opus eſt, Deũ laudare.* — *2. Tim. 3. 2.*

Qui eſt ſuper omnia DEUS benedictus in ſæcula. DEUS ante carnem, DEUS in carne, DEUS cum carne. Non ſolum ante carnem DEUS, ſed ante terram DEUS, unde facta eſt caro: Nec tantum ante terram DEUS, unde caro facta eſt; ſed etiam ante Cælum DEUS, quod prius factum eſt. Ante diem DEUS, qui primus factus eſt. Ante omnes Angelos DEUS: in ſe Chriſtus DEUS. Quoniam in principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM & DEUS erat Verbum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Jlle eſt ante omnia per quem facta ſunt omnia. Pſallite ergo DEO noſtro, pſallite, quoniam Rex omnis terræ DEUS. Quis poſſet dicere non eſſe DEUM ſummum? *Ibid. in Pſal: 46.*

Chriſti Incarnatio extollitur. — *Ioã: 1.* — *Pſ: 46. 7.*

Venit eſurire & ſaginare, venit ſitire & potum dare. Venit veſtiri mortalitate, & veſtire immortalitate. Venit pauper divites facturus. Etenim non perdidit divitias ſuas, aſſumendo paupertatem Noſtram: quia in illo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi *Ibid. in Pſal: 49.*

Deus naſcens mortalitate veſtitur immortalitatem veſtit. — *Col: 2. 3.*

Cum venit plenitudo temporis miſit DEUS Filium ſuum. Ipſa eſt plenitudo temporis, quando venit ille temporalia, docere, contemni, non habere magnum quidquid mali homines cupiunt, pati quidquid mali homines metuunt. Factus eſt via, revocavit ad cogitationem intimam, admonuit quid à DEO quærendum eſſet. *Ibid. in Pſal: 72.*

Chriſtus vita hominũ vivere incipiens, eoſdem vivere docet. — *Gal: 4. 4.*

Magnus eſt & laudabilis nimis. Nolite contemnere parvum intelligite magnum. Parvus factus eſt, quia parvi eratis: intelligatur magnus, & in illo magni eritis. *Ibid. in Pſal: 95.*

Quomodo Chriſtus Parvus & magnus. — *Pſ: 47. 2.*

Quoniam proſpexit ex alto ſancto ſuo. Proſpexit ex alto ut veniret ad humiles: & ex alto factus eſt humilis, ut exaltaret humiles. *Ibid ſer: 1. de 1. parte Pſal: 101.*

Chriſtus factꝰ humilis, ut exaltaret humiles. — *Pſ: 101 20.*

Et nox illuminatio in delicijs meis. Facta eſt mihi nox in delicijs. Deliciæ noſtræ Chriſtus. *Ibid. Expoſit: in Pſal: 138.*

Deliciæ noſtræ Chriſtus. — *Pſ: 138 11.*

Tenete hoc & fixum omnino commendate memoriæ, tanquam filij Eccleſiaſticæ eruditionis, & fidei Catholicæ; ut agnoſcatis Chriſtum caput & corpus, eundemq; Chriſtum Verbum DEI Unigenitum æqualemq; Patri: & inde videatis quanta gratia pertingatis ad DEUM, ut ipſe voluerit eſſe nobiſcum unus, qui eſt cum Patre unus.

Chriſtus nobiſcum eſſe prælegit, ut nos ad Deum pertingamus.

unus. Quomodo cum Patre unus? Ego & Pater unum ſumus. Quomodo nobiſcum unus? Non dicit,inquit,& ſeminibus tanquam in multis: ſed tanquam in uno. Et ſemini tuo, quod eſt Chriſtus. *Ibid. Enar: in Pſal: 142.*

Gal:3. 16.

Ideo DEUS nobiſcum, ut & nos cum illo. Qui enim ut nobiſcum eſſet deſcendit ad nos, faciat ut cum illo poſſimus aſcendere ad ſe. *Ibid. Enar: in Pſal: 145.*

Sicut ille mortalis non eſt de ſua ſubſtantia ſed de noſtra: ſic nos immortales non de noſtra ſubſtantia ſed de ipſius. *Ibid. Enar: in Pſal: 146.*

Mors alis de noſtra ſubſtātia Chriſto nobis donat immortalitatem.

Bene nobiſcum novit ſanctitas veſtra, Dominum noſtrum & Salvatorem JESUM Chriſtum, medicum noſtræ ſalutis eſſe, & ſalutis æternæ: & ad hoc eum ſuſcepiſſe infirmitatem naturæ noſtræ, ne ſempiterna eſſet infirmitas noſtra. Aſſumpſit enim corpus mortale, in quo occideret mortem. Et quamvis crucifixus eſt ex infirmitate noſtra, ſicut ait Apoſtolus, ſed vivit in virtute DEI. *T, 10. ſer: de verb: Dñi ſer: 18. de duobus cæcis ſecundum Matthæ.*

Mors vivificat.

Quomodo fit etiam lac, quo lactantur infantes? Nonne eſca erat in menſa? Sed invalidus eſt infans ad comedendam eſcam, quæ in menſa eſt: quid facit mater? Incarnat eſcam, & conficit lac de ipſa. Conficit nobis quod capere poſſimus. Sic verbum Caro factum eſt, ut lacte parvuli nutrirentur, qui ad cibum, quidam eramus infantes. Verum hoc intereſt, quia quando cibum mater incarnatum lac facit, cibus in lac convertitur. Incommutabiliter autem manens verbum carnem aſſumpſit, ut eſſet quodammodo contextum. Quod eſt, non corrupit, non commutavit, ut per habitum tuum tibi loqueretur, non in hominem tranſmutatus, atq; converſus. Inconvertibilis enim & incommutabilis, & omnino inviolabilis, manens, factus eſt, quod tu ad te, quod ipſe ad Patrem. *Et infra.* Vis capere celſitudinem DEI? cape prius humitatem DEI. Dignare eſſe humilis propter te, quia DEUS dignatus eſt humilis eſſe propter eundem te: non enim propter ſe. *Ibid 38. de illo Evang: In Principio erat verbum &c.*

Cognitio humilitatis Chriſti, eſt cōprehenſio celſitudinis.

Da nobis auxilium de tribulatione. Tota quippe iſta vita intelligentibus tribulatio eſt. Sunt enim duo tortores animæ, non ſimul torquentes, ſed cruciatu alternantes. Horum duorum tortorum nomina ſunt, Timor, & Dolor. Quando tibi bene eſt times: quando male eſt doles: Sæculi hujus quem non decipit proſperitas, non frangit adverſitas? Tenenda eſt in hoc fæno, & in diebus fæni via tutior, Verbum DEI. Cum enim dictum eſſet, omnis caro fænum, & omnis honor carnis, ut flos fæni: fænum aruit, flos decidit, quaſi nos quæramus quæ fæno ſpes? quæ flori fæni ſtabilitas? Sed verbum, inquit, Domini manet in æternum. Et unde, inquis, ad me verbum Domini. Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis. Verbum enim Domini tibi dicit: Noli reſpuere promiſſum meum, quia non reſpui fænum tuum. *Et infra.* DEUS erat verbum. Manet ergo incommutabilis DEUS tuus. O verax pietas, manet DEUS tuus? Noli timere non perit: & per ipſum nec tu peris. Manet, naſcitur ex fæmina, ſed in carne. Suxit, crevit, alimenta ſumpſit, per ætates cucurrit, ad juventam pervenit, ſed in carne. Fatigatus dormivit, ſed in carne. Eſuriem, ſitimq; paſſus eſt, ſed in carne. Comprehenſus, ligatus, flagellatus, contumelijs affectus, poſtremò crucifixus, occiſus: ſed in carne. Quid expaveſcis? Verbum Domini manet in æternum. Qui reſpuit iſtam DEI humilitatem, non vult ſibi à mortifero tumore ſuperbiæ ſanitatem. *T, 10. eorund: ſer: 42. De infirmo jacente ad piſcinam ſecundum Ioan.*

Pſ: 59. 13.

Vita tribulatio eſt.

Timor & dolor duo tortores.

Iſ. 40. 6.

Honor Carnis flos fæni.

Ioh: 1.

Deus non mutatur.

Vita erat lux hominum. Quia ergo ipse est apud Patrem veritas, & vita, & non habebamus quâ iremus ad veritatem, filius DEI qui semper in Patre veritas, & vita est, assumendo hominem factus est via. Ambula per hominem, & pervenis ad DEUM. Per ipsum vadis, vadis. Noli quærere quâ ad illum pervenias præter ipsum. Si enim via ipse esse noluisset, semper erraremus. Factus ergo via est, qua venias: non tibi dico quære viam. Ipse via ad te venit, surge & ambula. Ambula moribus non pedibus. Multi enim ambulant bene pedibus, & malè ambulant moribus. Aliquando enim ipsi bene ambulantes, præter viam currunt. Invenies quippe homines bene viventes, & non Christianos. Bene currunt: sed in via non currunt. Quantò plus currunt, plus errant, quia à via recedunt. Si autem tales homines perveniant ad viam, & teneant viam, o quanta securitas est, quia & bene ambulant & non errant. Si autem non tenent viam, quantumvis bene ambulant, heu quàm dolendum est. Melius est enim in via claudicare, quàm præter viam fortiter ambulare. *Ibid: ser: 55. De illo, Ego sum via &c.*

Ioã. 1. Io. 14. 6.

Homo Christus via ad Deum.

Moribus bonis ad Deum ambulandum.

Bene quandoque ambulantes, errãt à via.

Longior Cursus errorem multiplicat.

Quam dolendum bene ambulare & à via errare.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. In hoc desiderio in talibus precibus responsum accepit, quia non gustaret mortem nisi videret Christum Domini. Natus est Christus, veniebat ille, ille ibat: sed donec veniret, ille ire nolebat, jam senectus matura excludebat, sed sincera pietas detinebat. At ubi venit, at ubi natus est, at ubi eum portari Matris manibus vidit, & divinam infantiam pia senectus agnovit, accepit eum in manus suas & dixit: Nunc dimittis Domine servum tuum in pace: quoniam viderunt oculi mei salutare tuum. Ecce unde dicebat. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, salutare tuum da nobis. Impletum est desiderium senis, mundi ipsius senectute vergente. Ipse ad senem hominem venit, qui mundum veterem invenit. Ergo si mundum veterem inveniat, audiat mundus. Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. Destruatur vetustas, novitas surgat. *T, 10. ser: de verb: Apost. ser: 3. de illis verb. Apost. Spiritu ambulate, &c.*

Ps. 84. 7. Lu. 2. 2.

Christi nativitas mundũ veterem invenit.

Per unum hominem peccatum intravit in mundum &c. Ecce primus homo totam massam damnabilem fecit. Veniat, veniat Dominus noster secundus homo: veniat, veniat, ex alio tramite, veniat, per Virginem veniat, vivus veniat, mortuos inveniat: moriatur ut morienti subveniat, mortuos ad vitam transferat, mortuos redimat à morte, servet vitam in morte, occidat mortem de morte. *Ibid. ser: 7. de verbis Apost. Peto non infirmari &c.*

Rom. 5. 12.

Mortuus Christus, morientibus subvenit.

Vidimus gloriam ejus, gloriam tanquam unigeniti, à Patre, plenum gratia & veritate. Amas liberam voluntam tuam, dicturus es Patri tuo: Da mihi substantiam meam, quæ me contingit. Quid te tibi committis? Melius te potest servare, qui te potuit antequam esses creare. Agnosce ergo Christum: gratia plenus est. Hoc tibi vult fundere, quo plenus est, hoc tibi dicit. Quære dona mea obliviscere merita tua: quia si ego quærerem merita tua, non venires ad dona mea. *Ibid. ser. 8. de illo Apost. Humanus sermo & omni acceptione dignus &c.*

Ioã. 1. Lu. 15. 12.

Securitas nostra in manu Dei.

Valor meritorũ nostrorũ ex meritis Christi

Quare venit in mundum? Peccatores salvos facere. Alia causa non fuit quare veniret in mundum. Non enim de cælo ad terram merita nostra bona, sed peccata duxerunt. Hæc est causa cur veniret peccatores salvos facere. *T, 10. ibidem.*

Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus JESUS venit in mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores

1. Tim. 1. 9.

sal-

salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est medicinæ. Si venit de cælo magnus Medicus, magnus per totum orbem terræ, jacebat ægrotus. Ipse ægrotus, genus humanum est. *Ibid. ser: 9. De ijsdem verbis Apost.*

Mundus magnus ægrotus Christi medici.

Ioã. 1. Verbum Caro factum est, ut habitaret in nobis: latens majestas, apparens infirmitas, ut moriatur infirmitas, & teneatur majestas. Si ergo universus mundus, sub captivitate tenebatur, bene dictum est: Miserebor, Cui misertus fuero, & misericordiam præstabo, cui misertus fuero. Si enim totus mundus sub captivitate, totus mundus in peccato, totus mundus justissimè supplicio destinatus, sed ex parte per misericordiam liberatus, quis dicat Deo: Quare damnas mundum? Quomodo accusatur Judex Deus, quando damnatur mundus reus? Reus es. *Ibid. ser: 20. de Psal: 95.*

Mundus captivus.

Cum aversum esset genus humanum à Deo, & jaceret in delictis suis, sicut creatore opus habebamus, ut essemus, sic Salvatore ut revivisceremus. Justus Deus damnavit hominem, misericors Deus liberat hominem. *T, 10. eorūdem ser: 27. de verb: B Petri Audivimus vocem delatam de Cælo &c.*

Iustus Deus damnat, Misericors liberat.

Contemnere cæperas, quia vides qui natus est, crede quod non vides, quia de Virgine natus. Quantulus est inquit qui natus est? sed quantus est qui de Virgine natus est? Et ille qui de Virgine natus est, miraculum temporale tibi attulit: non est natus de Patre, scilicet de Patre homine, & natus est de carne. Sed non tibi videatur impossibile: quia natus est per solam Matrem, qui fecit hominem ante Patrem & Matrem. *T, 10. 50. Hom: 32. de illo Evang: Non potest Filius à se facere quidquam &c.*

Per solã Matrem nat9 est, qui fecit hominem ante Patrem.

Audi quomodo amatus es turpis, fædus, antequam esset in te, quod amari dignum esset. Amatus es prius, ut dignus fieres qui amareris. Etenim Christus, sicut ait Apostolus, pro impijs mortuus
Rõ: 5. 6 est. An forte impius amari merebatur? Quare? Quid merebatur impius? Damnari respondes. Christus tamen pro impijs mortuus est. Ecce quid tibi præstitum est impio, jam, pio quid servatur? Quid præstitum est impio? Christus pro impijs mortuus est. Desiderabas autem omnia possidere, noli per avaritiam, per pietatem hoc quære, per humilitatem hoc quære. Si enim ita quæsieris, possidebis. Tenebis enim eum per quem facta sunt omnia, & cum ipso possidebis. Non hæc quasi raciocinando dicimus. Audi Apo-
Rom: 8. 32. stolum ipsum dicentem. Qui filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Avare ecce habes omnia. Omnia quæ amas, ut non impediaris à Christo, contemne, & ipsum tene, in quo possis omnia possidere. Ipse ergo Medicus nihil tali indigens medicamento, tamen ut exhortaretur ægrotum, bibit, quod opus ei non erat: tanquam recusantem alloquens, & trepidum erigens, bibit prior. Calicem inquit, quem ego bibiturus sum, qui in me non habeo, quod ab illo calice sanetur: bibiturus sum tamen, ne tu indigneris bibere, cui opus est, ut bibas. Jam videte fratres, si amplius ægrotare debet genus humanum, accepta tanta medicina. Jam humilis Deus, & adhuc superbus homo. *Ibid. Hom: 34. De illo, Ego sum veritas via &c.*

Homo amatus est ut dignus esset amari.

Humilitas quidquid quærit possidet.

Dives avaritia humana, omnia in Christo habet.

Aliis profutura faciẽda, ut ad similia invitemur.

Creator ante Matrem, creator Matris, creatus in Matre. Et quid dicam creator ante Matrem; Ante Abraham ego sum, ipse dixit, Evangelium loquitur, audite, vel legite. Sed parum est ante Abraham creator, ante Adam creator, ante Cælum & terram creator, ante omnes Angelos, universamque creaturam spiritualem, thronos, dominationes, principatus & potestates, ante omnia crea-

Christi principium in tẽpore nullum.

tor:

tor: quia in principio non est factum verbum, sed erat verbum, & verbum erat apud DEUM, & DEUS erat Verbum. *Ibid. Hom: 44. De testimonio Christi, de Ioanne. Inter natos mulierum &c.* *Ioã: 1.*

Imperiũ Christi in omnes Creaturas.

Domine JESU antequam tibi fluctus substernerentur calcanti, crederent imperanti, antequam ventus, te jubente, siluisset, mortuus te vocante vixisset, sol te moriente palluisset, terra te resurgente tremuisset, Cælum te ascendente patuisset: antequam ista & alia mirabilia, jam juvenilis tui corporis ætate fecisses. Adhuc in manibus Matris portabaris, & jam Dominus orbis agnoscebaris. Ipse puer parvulus ex semine Israel, & ipse nobiscum Dominus Emmanuel. Quæ est illa nostri generatio Salvatoris, quâ gignenti Patri coæternus est, quando hanc generationem ex Virgine mundus expavit, quàm pia fides agnovit & tenuit, infidelitas autem irrisit, superbia timuit superata? *Et infra* Hunc Virginis filium, & Virginum Sponsum, de incorrupta Matre nascentem, & incorruptibili veritate fœtantem, laudemus, amemus, adoremus: ut in ejus misericordia, de astutia victa diaboli triumphemus. Diabolus ad nos decipiendos corrupta fœminea mente subrepsit: Christus ad nos liberandos, incorrupta fœminea etiam carne processit, qui est benedictus in sæcula sæculorum Amen. *T. 10. ser: de Temp: ser: 4. In Festo Nativit: Dni, 1.*

Regnatrix Dei Infantia.

Infantia superbiæ metuenda.

Qui est super omnia benedictus in sæcula. Tam perfecta filij eminentia declaratur, ut dici de Patre majora non possint. Nam si initium haberet, non esset super omnia, sed inter omnia, quæ pro conditione facturæ intra initium continentur. *Ibid. ser: 5. in eodem Festo ser: 2.*

Magnitudo filij Patri non impar.

Qui habet initiũ non est super omnia sed inter omnia.

Rogo vos fratres charissimi ut libenti animo sermones quos Dominus dabit, suscipiatis in hac dulcissima die. *Et infra.* Dulcis dies, vere dulcis & cunctis pænitentibus veniam portans. Promitto vobis filioli, & certus sum, quia in hac die si quis ex corde pœnituerit, & ad vomitum peccati reversus non fuerit, quodcunq; petierit, dabitur ei: tantum in fide non dubitet, delectationem non repetat. Hodie totius mundi peccatum tollitur, & peccator desperat? Sed videte qualis debet esse pænitentia: quia multi assidue se dicunt esse peccatores, & tamen adhuc illos delectat peccare. Professio est, non emendatio. Accusatur anima non sanatur. Pronuntiatur offensa, non tollitur. Pænitentiam certam non facit nisi odium peccati, & amor DEI. Quando sic pænites ut tibi amarum sapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita, & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente, jam tunc bene ingemiscis ad DEUM, & dicis: Tibi soli peccavi & malum coram te feci. *Ibid. ser: 6. in eodem Festo ser: 3.*

Peccatori revertẽti ad Deum nihil negatur.

Penitẽtia vera peccati odium.

Vere ingemiscit cui displicent, quæ oblectabant.

O omnipotentia nascentis! o magnificentia de Cælo ad terram descendentis! Adhuc in utero portabatur, & ex utero Matris à Joanne Baptista salutabatur. *Et infra* Ubiq; enim Christus Dominus pulcher occurrebat. Pulcher in Cælis, pulcher in terris, pulcher in Patre verbum, pulcher in Matre caro & Verbum. Pulcher in utero Virginis, ubi non amisit divinitatem, cum suscepit humanitatem. Quia cum hîc esset, cum manibus portaretur, lætati sunt Cæli, gavisi sunt Angeli, magos stella direxit, adoratus est in præsepio cibaria mansuetorum. Adoratus est in templo puer Christus à sene Simeone, gestatus est in ulnis, à quo ipse regebatur. Pulcher ergo Christus in miraculis, in flagellis, in sermonibus, in verberibus pulcher, non curans mortem, & mortuos suscitans. Pulcher in ligno, pulcher in Cælo, pulcher & in sepulchro. Quis igitur charissimi non admiretur, non adoret primum & novissimum, initium & finem?

Natura Iõãnis Dei in utero salutatio.

Christus non amisit Divinitatẽ suscepta humanitate.

Pulcher ubiq; Christus.

Alpha

Alpha & Omega? Quis inquam non adoret per quem aspiravit dies, effugatæ sunt umbræ? Natus est imperator, ut ablueretur peccator. *Ibid. ser: 13. in eodem Festo: ser: 9.*

Remansit confusus diabolus, dum in homine apparuit Dominus. Sic à DEO Patre DEUS descendit, unde nunquam discessit. *Ibid. ser: 14. in eodem festo ser: 10.*

Veritas de terra orta est. Dignatio est, non conditio, misericordia est, non miseria. *T, 10. corund: ser: 16. in eodem ser: 12.* *Unitas Personæ fecit Deū & hominem.*

Ps. 84. 13.

Idem DEUS qui homo, & qui DEUS idem homo: non confusione naturæ, sed unitate personæ. *Et infra.* Nam & ipse dies à quo deinceps incrementum lucis accipit dies, opus Christi significat, à quo interior homo noster renovatur de die in diem. Æterno quippe creatori in tempore creato, ille dies debuit esse natalis, cui creatura congrueret temporalis. *Ibid. ser: 19. in eodem festo ser: 15.* *Lucis incremētū à Christi die.*

Jam ergo erat una (intellige nativitas) sine viro & fæmina, jam erat altera de viro sine fæmina, jam erat tertia de viro & fæmina, quarta verò restabat sine viro de fæmina: sed ista quarta liberavit tres. Prima enim & secunda fuerunt, tertiam de ruina genuerunt, in quarta salutem invenerunt. *Ib. ser: 20. de eodē festo ser: 16.*

Sed nunquid Christus natus sic remansit? Crevit, ad juventutem pervenit, sed in senectutem non declinavit. Crescat ergo & fides tua, robur inveniat, vetustatem nesciat. Sic pertinebit ad Christum Filium DEI, in principio verbum apud DEUM, verbum DEUM: sed verbum Caro factum est, ut habitaret in nobis. Majestas ibi latebat, ubi infirmitas apparebat. *Et infra.* Nemo contemnat natum si vult esse renatus. Ad illum pertinuit propter nos nasci, ad nos pertineat in illo renasci. *T, 10. Ibidem.* *Sine senectute Infantia.* *Majestas in infirmitate elucet.* *Humiles non contemnendi natales.*

Ioā. 1.

Lætetur ergo omne hujus mundi exilium, exultet sæculum paulo ante captivum. Misit DEUS Filium suum, qui naturam terreat, moreretur ut vincat. Terruit namq; Herodem natus, vicit diabolum innocens crucifixus. Cela Domine sub pelle carnis animum virtutis, habitum Majestatis paulisper occulta. Dege in utero Virginis, egredere, & congredere ex tentorio sacræ Virginis. Apta pro me muscipulam, ubi totam liberas creaturam. *Ibid. ser: 21. in eodem Festo ser: 17.* *Timenda Infantia.*

Conceptus est æquinoctio verno, & natus est solstitio hyberno. Et qua die est conceptus in utero Virginis, in ipsa resurrexit ab inferis cum gloria passionis. Et in conceptu tamen, & in nativitate ejus dies accepit incrementum & nascente vera luce, lucis & diei augmentatur officium. *Et infra.* Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Dies Nativitatis, diei passionis, & dies passionis diei resurrectionis. Nox Nativitatis nocti passionis nocti resurrectionis annuntiat verbum. Illic natum, hîc passum. In illa Angelorum gaudium, in ista totius mundi luctum, sed tamen omnium in resurrectione triumphum: quia in vesperum abundabit fletus & ad matutinum lætitia. *Et infra.* Elegit ergo hunc diem sibi ad Nativitatem, nobis ad felicitatem. Sibi ad obsequium, nobis ad gaudium. Sic enim Pastoribus Angelus prædicavit: Ecce, inquit, annuntio vobis, gaudium erit universæ terræ. Quare? Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, ut merito à nobis hodie cantandum sit. Hic est dies quem fecit Dominus, gaudeamus & lætemur in eo. *Et infra.* Omnis ergo hujus Nativitatis schola, humilitatis est officina, patientiæ massa, virtutis agonia. *Ibid: ser: 22. de eodem festo ser: 18.* *Idē Nativitatis & triumphi dies.* *In luctu triūphus.* *Lachrymarū comes lætitia.* *Nativitas Christi schola humilitatis officina.*

Ps. 18. 2.

Ps. 29. 61

Natus est Christus, DEUS de Patre, homo de Matre. De Patris immortalitate, de Matris Virginitate. De Patre sine Matre, de Ma-

tre ſine Patre. De Patre ſine tempore, de Matre ſine ſemine. De Patre principium vitæ, de Matre finis mortis. De Patre ordinans omnem diem, de Matre conſecrans iſtum diem. In hac enim die ad ſalvanda omnia, oritur lux mundo, defunctis reſurrectio, vita mortalibus. Ac propria hodie utraq; Salvatoris & ſalutis noſtræ nativitas celebranda eſt. *Ibid. ſer: 23. de eodem feſto ſer: 19.*

Cur an Salvatoris ſalutis noſtræ nativitas.

Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis. Ut enim panem Angelorum manducaret homo, creator Angelorum factus eſt homo. Jlli laudant videndo, nos credendo. Jlli fruendo, nos petendo. Jlli capiendo nos quærendo. Jlli intrando, nos pulſando. *T, 10. ibidem.* *Ioã: 1.*

Vide o homo qui pro te factus eſt DEUS: doctrinam tantæ humilitatis agnoſce, etiam nondum loquente doctore. Tu quondam in paradyſo tam facundus fuiſti, ut omni animæ vivæ nomina imponeres, propter te autem creator tuus infans jacebat, & nomine ſuo nec Matrem vocabat. Tu in latiſſimo pretioſorum nemorum prædio te perdidiſti, obedientiam negligendo: ille obediens in anguſtiſſimum diverſorium mortalis venit, ut mortuum quæreret moriendo. Tu cum eſſes homo DEus eſſe voluiſti, ut perires: ille cum eſſet DEus homo eſſe voluit, vt quod perierat inveniret. Tantum te preſſit humana ſuperbia, ut te non poſſit niſi humilitas ſublevare divina. Celebremus ergo cum gaudio diem, quo peperit MARIA Chriſtum, & conjugata conjugij creatorem, & Virgo Virginum Principem, & data marito, & mater non de marito, ſed caſtior quàm ſi de marito. Virgo ante conjugium, Virgo lactans. Sanctæ quippe Matri omnipotens filius nullo modo Virginitatem natus abſtulit, quàm naſciturus elegit. Bona eſt enim fæcunditas in conjugio: ſed melior integritas in ſanctimonia. Homo igitur Chriſtus, qui utrumq; præſtare poſſet ut DEus, nunquam ſic daret Matri bonum quod conjuges diligunt, ut auferret melius propter quod Virgines Matres eſſe contemnunt. *Ib. ſer: 25. de eodẽ feſto ſer: 21.*

Verbi taciturnitas in Cunis.

Pernitioſa inobedientia.

Superbiam nõ niſi Divina Humilitas ſublevat.

Manens apud Patrem in Divinitate, ſuſcepit noſtram infirmitatem in humanitate. Duas namq; nativitates Domini accipimus: unam divinam, alteram humanam, tamen utramq; mirabilem. Jllam ſine Matre, iſtam ſine Patre: illam æternam ut crearet temporalem, hanc tẽporalem ut præſtaret æternam. *Et infra.* Quapropter unigenitus & primogenitus Dominus noſter, divinarum ſcripturarum authoritate prædicatur, unigenitus de Patre, primogenitus à mortuis. Quapropter ſecundum id quod unigenitus eſt, fratres non habet. Fratres tamen vocare dignatus eſt omnes, qui poſt ejus, & per ejus primatum, in gratia naſcimur per adoptionem filiorum ſicut Apoſtolica diſciplina commendat. *Ibid. ſer: 26. de eod ſer: 22.*

Primogenitus reſurgentium Chriſtus.

Gratia Fratres Chriſti efficit.

Magnus dies Angelorum, parvus in die hominum. Verbum DEI ante omnia tempora, Verbum Caro opportuno tempore. Conditor ſolis, conditus ſub ſole, cuncta ſæcula ordinans de ſinu Patris, hodiernum diem conſecrans de utero Matris. Ibi manens hinc procedens. Effector Cæli & terræ, ſub cælo exortus in terra. Ineffaliter ſapiens, ſapienter infans. Mundum implens, in præſepio jacens. Sidera regens, ubera lambens. Ita magnus in forma DEI, brevis in forma ſervi, ut nec iſta brevitate magnitudo illa minueretur nec illa magnitudine iſta brevitas premeretur. *Et infra.* Quando infirmitate carnis indutus, virginali utero receptus eſt, non incluſus, ut nec Angelis ſubtraheretur ſapientiæ cibus, & nos guſtaremus quàm ſuavis eſt Dominus. *Et infra.* Neq; enim quia dictum eſt, DEus erat Verbum, & Verbum Caro factum eſt: ſic Verbum Caro factum eſt, ut eſſe deſineret DEus, quando in ipſa carne, quod Verbum *Ioã: 1.*

Sapiens infantia, Immenſæ Nati, Numinis Cunæ.

Magnitudo parva.

bum caro factum est, Emmanuel natum est Nobiscum Deus. Sicut verbum quod corde gestamus, fit vox cum id ore proferimus: non tamen illud in hanc commutatur, sed illo integro, ista, in qua procedat assumitur, ut & intus maneat quod intelligatur, & foris sonet quod audiatur, hoc idem tamen profertur in sono, quod ante sonuerat in silentio: atq; ita verbum cum sit vox, non mutatur in voce, sed manens in mentis luce, & assumpta carnis voce, procedit ad audientem, & non deserit cogitantem. *Et infra.* Nobiscum Deus: non alter Deus, non alter homo. Exultet in credentibus mundus, quibus salvandis, venit per quem factus est mundus. Conditor Mariæ natus ex Maria, filius David, Dominus David, semen Abrahæ qui est ante Abraham. Factor terræ, factus in terra, creator Cæli, creatus sub Cælo. Ipse est dies quem fecit Dominus, & dies cordis nostri ipse est Dominus. Ambulemus in lumine ejus, exultemus & jucundemur in eo. *Ibid ser: 27 de eodem f sto ser: 23.*

Emmanuel nobiscum Deus.

Christus dies quē fecit Dominus.

Tibi ergo nascendo Christus advenit, tibi vivendo militavit, tibi moriendo conflixit. *T, 10. eorund: ser: 29. In festo Epiph. ser: 1.*

Anima justi, sedes est sapientiæ. Per hoc enim Cælos, ille Cælorum Fabricator, & Habitator intonuit, quo tonitru mundus fremuit, & ecce jam credit. Magnum Sacramentum! In præsepio jacebat, & Magos ab oriente ducebat. Abscondebatur in stabulo, & agnoscebatur in Cælo, ut agnitus in Cælo manifestaretur in stabulo, & appellaretur Epiphania dies iste, quod latine Manifestatio dici potest: simul ejus celsitudinem humilitatemq; commendans, ut qui in aperto Cælo, signis sidereis monstrabatur magnus, in angusto diversorio quæsitus, inveniretur invalidus, infantilibus in membris natus, infantilibusq; pannis involutus, adoraretur à Magis, timeretur à malis *Et infra.* Quid erit tribunal judicantis, quando superbos Reges cunabula terrebant infantis? Quanto consultius Reges, non sicut Herodes, interficere quærent, sed sicut Magi potius adorare delectentur jam, præsertim eum, qui & ipsam mortem, quam cupiebat inimicus inferre, etiam pro ipsis inimicis, ab inimicis sustinuit, eamq; in suo corpore occisus, occidit. *Ibid ser: 30. in eodem festo ser: 2.*

Epiphania id est manifestatio.

Timendus malis qui adoratur à bonis.

Ipse novam stellam declaravit natus, qui antiquum solem obscuravit occisus. Illa luce inchoata est fides gentium, illis tenebris accusata est perfidia Judæorum. *Et infra.* Vidimus enim, inquiunt, Mat. 2. 2. stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Nunquam hoc tanta devotione requirerent, tanto pietatis affectu desiderarent: nisi eum agnoscerent Regem Judæorum, qui Rex etiam sæculorum. *T. 10 eorund: ser: 31. in eodem ser: 3.*

Tenebræ sunt accusatio perfidiæ.

Suscipiat devotissimè istum diem celebrandum universa Ecclesia gentium: quia & illi Magi, quid jam fuerunt nisi primitiæ gentium? Israelitæ pastores, magi gentiles. Illi prope, isti longe: utrique tamen ad angularem lapidem cucurrerunt. *Ibid. ser: 32. in eodem ser: 4.*

Magi gentiū Primitiæ. Christus lapis angularis.

Illo die pastores adoraverunt, hodie Magi. Illis Angeli, istis autem, stella nuntiavit. Utriq; de cælo didicerunt, cum Regem Cæli in terra viderunt, ut esset gloria in excelsis Deo, & in terra pax Luc. 2. hominibus bonæ voluntatis. Ipse est enim pax nostra qui fecit utraq; unum. Jam hic infans natus, atq; annuntiatus ostenditur lapis ille angularis, jam in ipso primordio Nativitatis apparuit. Duos ex diverso parietes in se copulare jam cæpit, pastores à Judæa, magos ab oriente perducens. *Et infra.* Quis est iste Rex tam parvus, tam magnus, nondum in terris loquens, jam in Cælo edicta proponens. *Ibid. ser. 34. in eodem festo ser: 6.*

Christus non loquendo edicta proponit.

Ipſe natus ex Matre, de Cælo terræ novum ſidus oſtendit, qui natus ex Patre Cælum, terramq; formavit. Eo naſcente lux nova eſt in ſtella revelata, quo moriente lux antiqua eſt in Cælo velata. Eo naſcente ſuperi novo honore claruerunt, quo moriente inferi novo timore tremuerunt, quo reſurgente, diſcipuli novo amore exarſerunt, quo aſcendente, Cæli novo obſequio patuerunt. *Ibidem.*

Mors Christi timor inferis.

Jacebat in præſepio puer ortu recens, exiguus corpore, contemptibilis paupertate. Sed magnum aliquid latebat in parvo, quod illi homines primitiæ gentium, non terra portante ſed Cælo narrante didicerant, qui tam ex longinquo, tam ſupplices veniebant, & quod intuendo non videbant, promereri adorando cupiebant. *Et infra.* Hic autem qui donaverat illam ſapientiam Salomoni, & erat virtus ac ſapientia Dei, infirmitate carnis indutus, adhuc per puſillam ætatem tacebat in terris, & jam per ampliſſimam Majeſtatem clamabat in Cælis. Quid times Herodes? Quid maligna mente turbaris? Si ſalutem tuam ſapias, ille natus eſt, per quem Deum videas, non cui terrenum regnum invideas. *Ibid. ſer: 35. in eodem feſto ſer: 7.*

Non raro magna in parvo latent.

Quàm ſtupenda dignatio! inter amplexus genitricis includitur, qui Cælum terramq; amplectitur. In ſinu Matris latet, qui regnum Patris excedit. Per ſimplex officium ſpirituale revelatur arcanum. Humanitas cernitur, & divinitas adoratur. Exhibent aurum, thus, & myrrham, plus in myſterijs, quàm in conſcientijs offerentes. In auri munere, regia dignitas, in thuris vapore, divina Majeſtas, in Myrrhæ ſpecie, ſepelienda demonſtratur humanitas: ac ſic Trinitatem oblationum numerus loquitur, Unitatem devotio una teſtatur. *T, 10. eorund. ſer: 36. Dñica intra octa: Epiph: Dni ſer: 1.* Matth.

Magi plus in myſterijs obtulerunt quã in conſcientijs. Aurum dignitatẽ Regis Thus Divinam majeſtatem Myrrha humanitatem ſignificat.

Vide divitem noſtrum, qui propter nos pauper factus eſt, cum dives eſſet. Vide illum divitem. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Plus eſt aurum facere, quàm habere. Dives es auro, argento, pecore, familia, fundis, fructibus, tibi iſta creare non potuiſti. Vide illum divitem. Omnia per ipſum facta ſunt. Vide illum pauperem. Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis. Quis dignè cogitat divitias ejus? Quomodo faciat qui non fit, quomodo creet non creatus, formet non formatus, mutabilia immutabilis, temporalia ſempiternus. Quis dignè cogitet divitias ejus? Paupertatem cogitemus, ne forte pauperes vel ipſam capiamus. Concipitur utero Virginali, includitur viſceribus Matris, O paupertas! In anguſto diverſorio naſcitur, involutus infantilibus tegumentis in præſepio ponitur, deinde fit cibaria jumentis, pauperibus, deinde Cæli & terræ Dominus, Creator Angelorum, omnium viſibilium & inviſibilium effector & conditor ſugit, vagit, & nutritur, creſcit, tolerat ætatem, occultat Majeſtatem: poſtea tenetur, contemnitur, flagellatur illuditur, conſpuitur, colaphiſatur ſpinis coronatur, ligno ſuſpenditur, lancea perforatur. O paupertas! *Ibid. ſer: 119. Feria 4. poſt Dnicam Paſſ: ſer: 1.* 2. Cor. 8. 9.

Dives Paupertas. Plus eſt aurũ facere, quam habere.

Ieſu Chriſti nil niſi Paupertas.

In unam lætitiam cæli & terræ vota concurrunt, ut Deum & hominem Chriſtum communi exultatione excipiant, qui communem utriſq; pacem afferre venerat, & medium parietem maceriæ ſolvens fecit utraq; unum. *Ibid. ſer: 150. Fer: 5. Paſch: ſer: 1.*

Ideo natus eſt Dominus, ut moreretur pro ſervo: ne ſervus timeret mori pro Domino. Natus eſt Chriſtus in terris, ut Stephanus naſceretur in Cælis: ingreſſus Dominus mundum, ut Stephanus ingrederetur in Cælum. Altus ad humilia deſcendit, ut humilis ad alta aſcenderet. Filius Dei factus eſt hominis filius, ut filios hominum faceret filios Dei. Fecit Chriſtus mirabilia, fecit & Stephanus.

Dum Chriſtus terrã Stephanus Cælum petit.

Sed

Sed Christus fecit sine Stephano: nunquid Stephanus potuit facere sine Christo? Vivebat Stephanus de Christo, sicut sarmentum de vite. *Ibid. de Sanctis ser: 1. in fest. S. Steph.*

Non appetenda aliena sed sua donanda.

Vera dignitas vilissima apperit.

Non ad hoc venerat Christus, ut alienam gloriam invaderet, sed ut suam donaret. Non inquam ad hoc venerat Christus, ut regnum terrestre præriperet, sed ut cæleste donaret. Non venerat ad potestates dignitatesq; rapiendas, sed ad contumelias, & injurias perferendas. Non ad hoc venerat, ut sacrum illud caput ad diadema gemmatum, sed ut ad coronam spineam præpararet. Non inquam ad hoc venerat, ut constitueretur supra sceptra magnificus, sed ut crucifigeretur illusus. Nascente ergo Domino conturbatur Herodes, & omnis Hierosolyma cum eo. (Matt. 2) Quid mirum si pietate nascente perturbetur impietas? Ecce jacentem in præsepio pertimescit armatus, contremiscit humilem Rex superbus, obvolutum pannis metuit purpuratus, cum simulatione alloquitur Magos: Ite inquit requirite de puero, & cum inveneritis renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum. Simulabat adorare se velle, quem conabatur occidere. Sed non timet veritas falsitatis insidias. *Et infra.* Christum non potest invenire perfidia, quia DEUS non crudelitate sed credulitate quærendus est. *Ibid. ser: 9 de Ss Innocentibus ser: 2.*

Nascente pietate perturbatur impietas. Est quod in terris timeatur.

Veritas tuta à falsitatis insidiis. Credelitate non crudelitate quærendus Deus.

Diserta tacendo stella.

Nunquam tali stella quisquam est significatus, quia nunquam talis est natus. Verumtamen quis esset, ubi esset, quorum Rex esset, sidus illud & si tacebat, lucebat. Sed quærentia DEUS & pulsantia corda non fraudans, alio modo sine dubio petentibus revelavit, quod stella indicare non potuit. *Et infra.* Sed alia nimirum revelatione judicatum est divinitus, quod luce sideris tacitè signabatur. *T, 10. decem & septem sermon: ser: 1. in Epiph: Dom.*

Verbum caro factum est & habitavit in nobis. (Joã 1.) Nolite putare multum esse ad vos, filios DEI fieri: propter vos filius hominis factus est, qui erat filius DEI. Si factus est ipse ut minus esset qui plus erat: non potest facere ex eo quod minus eramus, ut aliquid plus esse possimus. Descendit ad nos, & non ad illum ascendemus? Accepit pro nobis mortem nostram, & non nobis daturus est vitam suam? Passus est propter te mala tua, & non tibi daturus est bona sua? *T, 10. ser: de div: ser: 24. de verbis Evang. In principio erat verbum &c.*

Altus, excelsus, & æqualis Patri, per quem facta sunt omnia, per quem factus es tu, factus est quod tu, factus est propter te homo, propter te natus, propter te mortuus. Ægrote quomodo sanaberis, qui de medicamento tuo erubescis? Elige tempus. Nunc est tempus, postea contemptus. Ille veniet admirandus, judicatus ille, veniet judicaturus, occisus ille, veniet excitaturus: exhonoratus ille veniet honoraturus. Modo & postea. Modo in fide res est, postea in manifestatione erit. Elige hoc tempore, quàm partem teneas in futuro. *Et infra.* Natus est, resurrexit, & ascendit in Cælum. Duo prima duo novissima: duo prima, natus est mortuus, duo novissima, resurrexit, ascendit in Cælum. In duobus primis, conditionem tuam tibi ostendit, in duobus novissimis mercedis exemplum præbuit. *Ibid. ser: 36. De Convers: S. Pauli.*

Contumeliarū honor pedissequus.

Resurrectio et ascensio Christi mercedis exemplum.

Habitavit in terris Habitator Cælorum: ut homo habitator terræ habitaret in cælis. Natus est ergo nobis Salvator, passus est, diem partus repudiatæ legis conceptus. Natus autem de Patre semper, de Matre semel. Etenim Domini nostri JESU Christi duas accepimus Nativitates: primo divinam, deinde humanam: sed planè utramq; mirabilem. In illa ut Matris, in hac ut Patris officia cessarent. Unam æternam, ut crearet temporales: alteram tempora-

Nativitas prodigiosa.

poralem ut præstaret æternos. *T. 10. parte 2. ser: de diver. 52. in Nativit: Dni, ser: 1.*

Posuit tenebras latibulum suum in circuitu suo, cum se tabernaculo carnis obtexit. Tali ergo & tam ineffabili Sacramento, Christus Deus noster & homo habetur & Deus. Per Matrem homo, per Patrem Deus. Sicq; fit ut utrumq; illud verum sit quod ait: Pater major me est: & ego & Pater unum sumus. Nam divinitate æquatur Patri, incarnatione subditur Patri. *Ibidem.*

Ps. 17. 12.

Lucis latibulum tenebræ.

Christus Divinitate æqualis Patri, humanitate minor.

Prima nativitas ex Patre naturam servavit: secunda nativitas ex Matre gratiam seminavit. Jlla tenuit Majestatem divinæ substantiæ: ista suscepit societatem mortalitatis humanæ. In hanc autem ideo venire dignatus est, ut fieret obediens usq; ad mortem, & moriendo vinceret mortem. Utraq; nativitas ineffabilis, utraq; mirabilis. Quod enim cor humanum comprehendere, quæve lingua valeat explicare, quomodo natus sit Christus semper ex Deo, aut quomodo nuper ex utero. *Et infra.* Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut Gigas. Processit enim hodie de sacro thalamo, hoc est beatorum Virgineorum viscerum abdito incorruptoq; secreto. Processit inde Virginis filius, Virginis sponsus, Filius videlicet Mariæ, Sponsus Ecclesiæ. Universæ enim Ecclesiæ loquebatur Apostolus quando dicebat. Aptavi vos uni viro Virginem castam exhibere Christo. Ad has tales nuptias Christi Pater Sponsi, primum invitavit populum Judæorum. Sed quid ait Evangelium? Qui invitati erant, non fuerunt digni. Invitata est postea universarum gentium multitudo, ipsa implevit Ecclesiam, ipsa accepit de mensa Dominica non viles epulas, aut ignobiles potus, sed ipsius pastoris, ipsius occisi Christi carnem prælibavit & sanguinem? Occisus est ad nuptias suas ipse innocens agnus, occisus est ad nuptias: & quoscunq; invitavit, de carne sua pavit. Occisus epulas præparavit: resurgens nuptias celebravit. *Et infra.* Exultavit ut Gigas ad currendam viam. Processit ut Sponsus, exultavit ut Gigas: pulcher & fortis. Pulcher ut Sponsus, fortis ut Gigas. Pulcher ut ametur, fortis ut timeatur. Pulcher ut placeret, fortis ut vinceret. *Et infra.* Exultavit ut Gigas ad currendam viam. Descendit enim, & cucurrit: ascendit & sedit. Nostis quia sic confiteri soletis: postquam resurrexit, ascendit in Cælum, sedet ad dexteram Patris. Hunc nostri Gigantis excursum brevissime ac pulcherrimè cecinit B. Ambrosius in hymno, quem paulo ante cantastis. Loquens enim de Domino Christo sic ait: Egressus ejus à Patre, regressus ejus ad Patrem, excursus usq; ad inferos, recursus ad sedem Dei. *Ibid. ser: 54.*

Mors victoria mortis.

Ps. 18. 5.

Christus Ecclesiæ Sponsus.

2. Cor. 11. 2.

Christianorũ Convivium Christi Caro.

Lu. 14. 24.

Resurrectio Christi nuptiæ

Ps. 18. 6.

Sanctificavit nobis fratres istum diem, Dies qui fecit omnem diem. *Et infra.* Quis est dies de die nisi filius de Patre, lumen de lumine; Sed dies ille hunc genuit diem, qui de Virgine natus est hodie. Dies ergo ille non habet ortum, non habet occasum. Diem dico Patrem Deum. Quid est dies nisi lumen? non oculorum carnalium, non lumen commune cum pecoribus: sed lumen quod Angelis lucet, lumen cui videndo corda purgantur. Transit ista nox in qua modo vivimus, in qua nobis accenduntur lucernæ scripturarum: & veniet illud quod in psalmo canitur. Mane astabo tibi & contemplabor te. Dies ergo ille Verbum Dei, dies qui lucet Angelis, dies qui lucet in illa, unde peregrinamur Patria. Vestivit se carne, natus est de Maria Virgine. Mirabiliter natus. Quid mirabilius Virginis partu? Concipit, & Virgo est, parit & Virgo est. Creatus est de ea, quam creavit: attulit ei fæcunditatem, non corrupit ejus integritatem. *Et infra.* Longe enim veritas erat quæ de ter-

Dies de die Christus de Patre

Deus dies sine ortu & occasu.

Vita mortalium nox.

Vita nostra peregrinatio.

Virginis Matris Concepto filio integritas.

terra orta est. Dormiebas, venit ad te: gravi opprimebaris somno, excitavit te: viam tibi fecit per se, ne perderet te. Ergo veritas de terra orta est, quia Christus de Virgine natus est: justitia de Cælo prospexit, ut per justitiam homines resipiscerent, qui per injustitiam desipuerunt. *Et infra.* Omnis homo quando nascitur, à miseria inchoat. Noli quærere prophetantem: interroga nascentem, vide flentem. Cum hæc esset in terra DEI indignatio, qualis subito *Idem vitæ miseriæ exordium.*
Ps:84. 12. facta est? Veritas de terra orta est. Creavit omnia, creatus est inter omnia. Fecit diem, venit in diem. Dominus Christus in æternum sine initio apud Patrem: habet & natalem in principio verbum. Qui nisi haberet humanam generationem, nos ad divinam non perveniremus regenerationem. Natus est, ut renasceremur. Christus natus est, nemo dubitet renasci, generatus est, non regenerandus. Cui enim necessaria erit regenaratio, nisi cujus damnata est generatio. *Ibid. ser: 55. de eodem ser: 4.*

Exultent viri, exultent fæminæ: Christus vir est natus ex fæmina, uterq; ergo honoratus est sexus. *Et infra.* Omnes Christiani exultate, natalis est Christi. Exultemus servi natalis est dominantis. Exultemus liberi, liberantis est natalis. Hic de Matre natus diem sæculis commendavit, qui de Patre natus creavit sæcula. *Et infra.* Merito ergo Prophetæ nuntiaverunt nasciturum: cæli vero atq; Angeli natum. Jacebat in præsepio continens mundum infans, & verbum quem Cæli non accipiunt, unius fæminæ sinus ferebat. Jlla Regem nostrum ferebat in quo sumus: illa portabat panem nostrum, illa lactabat. O manifesta infirmitas, & mira humilitas, in qua sic latuit tanta divinitas! Matrem cui subjacebat infantia, regebat potentia. Perficiat in nobis munera sua, qui sumere non abhorruit etiam nostra primordia: & in se nos faciat DEI filios, qui propter nos dignatus est fieri hominis filius. *Ibid. ser: 56. de eodem 5.*

Nativitatis dies seculorũ celebratio.

Cælis major, exiguo Virginis sinu, comprehensa Majestas.

Dilectissimi fratres de verbo æterno, quis temporale digne proferat verbum? Magnis infima quomodo sufficiant? Laudant Cæli, laudant virtutes, laudant & puerperæ potestates, laudant luminaria, laudant sidera, ut potest, laudat & terra, non ut dignè laudet, sed ne segregata damnetur. Quis explicat, quis loquitur, quis vel sapit eum qui attingit à fine usq; ad finem fortiter, & disponi omnia suaviter. *Ibid. ser: 5 de eodem 6.* *Creaturæ in laudes Dei disertæ.*

Generationem ejus quis enarrabit? ad ambas generationes
Isa:53. 8. referri potest. Quis digne narret generatum DEUM? Quis digne narret Virginis partum? Jllud sine die, hoc certo die. Utrumq; sine humana æstimatione, & cum magna admiratione. *Ibid. ser: 59. de eodem 8.*

Dominus JESUS homo esse voluit propter nos. Non vilescat misericordia, tacet in terra sapientia. *Et infra.* O cibus & panis Angelorum: de te implentur Angeli, de te sanantur, & non fastidiunt. De te vivunt, de te sapiunt, de te beati sunt. Ubi es propter me? In diversorio angusto, in pannis, in præsepio. Propter quem? Qui regit sidera, sugit ubera. Implet Angelos, fatur in sinu Patris, tacet in sinu Matris. Sed locuturus est competente ætate, impleturus Evangelium nobis: Propter nos passurus, propter nos moriturus, ad exemplum præmii nostri resurrecturus, ante oculos discipulorum in Cælum ascensurus, ad judicium de Cælo venturus. Ecce qui in præsepio jacebat diminutus est, sed non perdidit se. Accepit quod non erat, sed mansit quod erat. Ecce habemus infantem Christum, crescamus cum illo. *Ibidem.*

Diserta taciturnitas.

Humiliata dignitas non perdit Honorem.

Diem istum Christiani non divinæ Nativitatis celebremus, sed huma-

humanæ, ſcilicet quia contemperatus eſt nobis: ut per inviſibilem viſibilem factum, à viſibilibus ad inviſibilia tranſiremus. Debemus enim fide Catholica retinere duas eſſe nativitates Domini: unam divinam, alteram humanam. Jllam ſine tempore, hanc in tempore: ambas autem mirabiles. Jllam ſine matre, iſtam ſine Patre. Si iſtum non comprehendimus, illum quando enarramus? Quis comprehendat novitatem novam, inuſitatam, unicam in mundo, incredibilem credibilem factam, & toto mundo incredibiliter creditam: ut Virgo Conciperet, Virgo pareret, Virgo pariens permaneret? Quod humana ratio non invenit, fides capit: & ubi humana ratio deficit, fides proficit. Quis enim dicat non potuiſſe Dei verbum per quod facta ſunt omnia facere carnem ſibi etiam ſine Matre, ſicut primum hominem ſine Patre fecit & Matre. *Et infra.* In nullo igitur ſexu debemus injuriam facere creatori: utrumque ad ſperandam ſalutem commendavit nativitas Domini. Honor maſculini ſexus eſt in carne Chriſti: honor fæminini eſt in Matre Chriſti. Vicit ſerpentis aſtutiam gratia Jesu Chriſti.

Fides profunda intelligit.

Et infra. Concipitur, naſcitur: infans eſt. Quis eſt iſte infans? Infans enim dicitur, quod non poſſit fari, id eſt loqui. Ergo & infans, & verbum eſt. Per carnem tacet, per Angelos docet. Nuntiatur paſtoribus princeps paſtorq; paſtorum: & in præſepi jacet fidelium cibaria jumentorum. *Et infra.* Bene ergo nuntiemus diem ex die ſalutare ejus. Annuntiemus in gentibus gloriam ejus, in omnibus gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus. In præſepio jacet: ſed mundum continet. Ubera ſugit; ſed Angelos paſcit. Pannis involvitur, ſed immortalitate nos veſtit. Lactatur: ſed adoratur. Locum in diverſorio non invenit: ſed templum ſibi in credentium cordibus facit. Ut enim fieret fortis infirmitas, infirma facta eſt fortitudo. Magis ergo miremur quàm contemnamus ejus etiam carnalem nativitatem, & ibi agnoſcamus tantæ propter nos celſitudinis humilitatem. Inde accendamus charitatem, ut perveniamus ad ejus æternitatem. *Ibid ſer: 61. de eodem ſer. 10.*

Corda Credentium templum Dei.

Veritas cui cælum non ſufficit de terra orta eſt: ut in præſepio poneretur. Cujus bono in tanta humilitate venit tanta ſublimitas? Nullo utiq; ſuo, ſed magno ſi credamus noſtro. Expergiſcere homo: pro te Deus factus homo. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Pro te inquam Deus eſt homo. In æternum mortuus eſſes: niſi in tēpore natus eſſet. Nunquam liberareris à carne peccati: niſi ſuſcepiſſet ſimilitudinem carnis peccati. Perpetua te poſſideret miſeria, niſi fieret hæc miſericordia. Non revixiſſes niſi tuæ morti conveniſſet. Defeciſſes, niſi ſubveniſſet. Perijſſes niſi veniſſet. *Ibid. ſer: 62. de eodem ſer: 11.*

Jlli (loquitur de Paſtoribus) Deum ex eo quod Chriſtum viderunt, laudaverunt; iſti autem viſum Chriſtum etiam adoraverunt. In illis gratia prior: in iſtis humilitas amplior. Fortaſſe ergo illi paſtores minus rei, de ſalute alacrius exultabant: iſti autem Magi multis onerati peccatis ſubmiſſiùs indulgentiam requirebant. Hæc eſt illa humilitas, quàm plus in eis qui ex gentibus erant, quàm in Iudæis divina ſcriptura commendat. *Et infra.* Adoraverunt primitiæ gentium inhiantem uberibus Matris, adorant gentes ſedentem ad dexteram Dei Patris. *Ibid. ſer: 64. de Epiph: Dñi.*

Peccatorum gravitas profundius nos Deo inclinat.

Lætetur omnis anima, omnis concinat lingua, & terra Deum pſallat univerſa. Hodie enim gratiam lucis in die lucis filius hominis irradiat. Conſentiant terrena cæleſtibus; hymnum dicant cum ſummis poteſtatibus cuncta quæ videntur in mundo. Hodie effulſit veritas cum Rege cæleſti. Chriſti enim præſentiæ veræ lucis adven-

Chriſtus filius hominis.

Dei præſentia adventus lucis eſt.

ventus est, & totius mundi vera libertas. Adverte ergo charissime, dignam DEO Ecclesiæ disciplinam, adverte cælestis desiderij inextinguibilem flammam: adverte corporis hanc naturam, Angelorum ministeriis coæquare *Et infra.* Et erat novum miraculum DEus inter homines, Dominus inter servos sanctificandos sanctificans. *Ibid. ser: 65. de Epiph.* *Novum Miraculũ Deus inter homines.*

Mat. 2 Magi veniunt ab oriente, Regem Judæorum requirentes: qui tot Reges Judæorum nunquam antea quæsierunt. Requirebant autem non aliquem virilis ætatis, sive grandævum, humanis oculis in excelsa sede conspicuum, exercitibus potentem, armis terrentem, purpura nitentem, diademate refulgentem, vel de cruce sibi exultantem, in qua universos Martyres redimeret confitentes, vel ab inferis resurgentem, aut in Cælos ascendentem: sed recens natum, in cunis jacentem, uberibus inhiantem, nullo ornatu corporis, nullis membrorum viribus, nullis parentum opibus, non sua ætate, non suorum potestate præstantem. Et quærunt Regem Judæorum à Rege Judæorum, Ab Herode homine, Christum DEUM, & hominem. *Ibid. ser: 66. de eodem.* *Adoratio Magorum.*

Nascitur Christus; Virgo concipit, Virgo parit, Virgo nutrit. Adest fæcunditas: nec abest integritas. Angeli annuntiant, pastores glorificant, cæli enarrant, Magi desiderant, Reges formidant, Judæi demonstrant, Gentes adorant. Frustrantur sævientes, coronantur infantes, admirantur credentes. Quæ est ista humilis celsitudo, infirmi fortitudo, parvuli magnitudo! Profecto illud verbum fecit hæc omnia, per quod facta sunt omnia. Verbum quod longè erat à nobis, caro factum est, ut habitaret in nobis. *Ibidem.* *Humilis Celsitudo.*

Ecce ex DEO nati sunt Unde factum est, ut ex DEO nascerentur, qui primo ex hominibus nati sunt? Unde factum est, unde? *Joã. 1.* Et verbum caro factum est ut habitaret in nobis. Magna mutatio ille factus caro, isti Spiritus. Quid est hoc? Qualis dignatio fratres mei! Erigite animum ad speranda & capienda potiora. Nolite vos addicere cupiditatibus sæcularibus. Pretio empti estis: Propter vos verbum caro factum est. Propter vos qui erat filius DEI, factus est filius hominis: ut qui eratis filij hominum, efficeremini filii DEI, Quid erat ille? Quid factus est? Quid eratis vos? Quid facti estis? Erat Filius DEI. Quid factus est? Filius hominis. Eratis vos filii hominum. Quid estis facti? Filii DEI Communicavit nobiscum mala nostra, nobis daturus bona sua. Sed illo ipso quo factus est filius hominis, distat à nobis. Nos filii hominum per concupiscentiam carnis: ille filius hominis per fidem virginis. *Ibid. ser: 85. in die S. Paschæ.*

Et lux luxit in tenebris. Ipse unigenitus totus manens apud *Joã. 1.* Patrem, totus lucet in tenebris, totus in Cælo, totus in terra: totus in virgine, totus in infante, non alternis temporibus, tanquam de loco ad locum migrando. Nam & totus est in domo tua, & totus in Ecclesia. Sed quando in Ecclesia, non in domo tua: quando in domo tua non in Ecclesia? Non ergo sic totus in Cælo, totus in terra, totus in virgine, totus in infante: ut aliud nihil commemorem, quasi migrando de Cælo in terram, de terra in virginem, de virgine in infantem, sed ubiq; simul totus. Non enim quasi aqua refunditur, aut quasi terra molimine separatur, atq; transfertur. Quando totus in terra est, cælum non deserit. Sed & cum Cælum implet, à terra non recedit. Attingit enim à fine usq; ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. *Ibid. ser: 102 de S. Vincentio Mart.* *Dei præsentia ubiq; Deus implẽdo Cælũ à terra non recedit.*

Quotquot eum receperunt dedit eis potestatem filios DEI fie- *Joã. 1.* ri. Erige cor genus humanum, respira in aura vitæ, & securissimæ liber-

Incarnationis beneficio filii Dei filii hominum.

libertatis. Quid audis? Quid tibi promittitur? Dedit eis potéstatem. Quam potestatem? An forte unde inflantur homines, judicandi de capitibus humanis, ferendi sententias de innocentibus & nocentibus? Potestatem inquit dedit eis, filios DEI fieri. Jam enim non erant filij & fiunt filii, quia ille per quem fiunt filij DEI, jam erat filius DEI, & factus est filius hominis. Jam ergo & illi erant filii hominum, & facti sunt filii DEI. Descendit ad id quod non erat, quia aliud erat. Erige ergo spem. Magnum est quod tibi promissum est, & incredibile videtur, & quasi non posse æstimatur, filios hominum fieri filios DEI. Sed plus pro illis factum est, quia filius DEI factus est filius hominis. Erige ego spem o homo, pelle à corde infidelitatem. Incredibilius jam pro te factum est, quàm quod tibi promissum est. Miraris si homo habeat vitam æternam? Miraris si homo perveniat ad vitam æternam? mirare potius quod DEUS pro te pervenit ad mortem. Quid dubitas de promisso, tanto pignore accepto? *T. 10. ser. nov. serm: 8. de sacrificio vespertino.*

Promissio Dei hominibus fidē superat.

Mors Dei prodigiorum prodigium.

Hoc fixum & firmnm tenete, si vultis perseverare Catholici, quia DEUS Pater DEUM filium genuit sine tempore, & fecit ex virgine in tempore. Nativitas illa excedit tempora: nativitas ista illuminat tempora. Ambæ tamen nativitates mirabiles: illa sine Matre, ista sine Patre. Quando genuit DEUS filium de se genuit, non de Matre: quando genuit mater filium, virgo genuit non de viro. De Patre natus est sine initio: de Metre natus est hodie certo initio. De Patre natus fecit nos: de Matre natus refecit nos. De Patre natus est ut essemus: de Matre natus est ne periremus. *Ibid. serm: 16. in die Natalis Dñi.*

Dei Nativitas lumen temporum.

Quod factus erat propter nos hoc noverant, quod nos fecit non noverant. Ipse est Christus, & factor & factus. *Ibid. ser: 17. Fer. 4. post Pascha.*

Fortibus ab invalidis metuendum.

Infirma mundi hujus elegit DEUS, ut confundat fortia, & stulta hujus mundi elegit DEUS, ut confundat sapientes, & ignobilia hujus mundi elegit DEUS, & ea quæ non sunt, id est quæ non computantur, ut quæ sunt evacuentur. Venerat idem dicere humilitatem, & expugnare superbiam. Venerat humilis DEUS ut nullo modo hic prius altos quæreret, qui tam humilis venerat. Primo quia elegit nasci de illa fæmina, quæ desponsata erat fabro. Non ergo elegit amplos natales: ne in hac terra nobilitas superbiret. Non elegit saltem nasci in amplissima Civitate, sed natus est in Bethleem Judæ, ea quæ nec civitatis nomine nuncupatur. Hodieq; illam incolæ loci illius villam appellant: tam parva tam exigua prope nulla est, nisi pristina Domini Christi nativitate nobilitaretur. Elegit ergo infirmos pauperes, indoctos: non quia reliquit firmos, divites, sapientes, nobiles: sed si ipsos primos eligeret, merito divitiarum suarum, merito substantiarum suarum, merito natalium suorum sibi eligi viderentur, atq; inflati de his rebus, salutem humilitatis non reciperent, sine qua nemo redire potest ad illam vitam, unde non laberemur, nisi per superbiam. *T. 10. Ex frag: ser: de Quinquag. resurrectionis Dñi.* 1. Cor. 17.

Ampli Natales nobilitatis superbia.

Bethleē sola Nativitate Christi nobilitata.

Causa cur Christus pauperes elegit discipulos.

Natalis dies Christi, est natalis omnium, & quidē peccatorum.

Hi non ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex DEO nati sunt. Ut autem homines nascerentur ex DEO primo ex ipsis natus est DEUS. Christus enim DEUS & Christus natus ex hominibus. Non quæsivit quidem nisi Matrem in terra, quia Patrem habebat in Cælo: natus ex DEO per quem efficeremur, natus ex fæmina per quam reficeremur. Noli ergo mirari o homo quia efficeris filius per gratiam, quia nasceris ex DEO secundum verbum ejus. Prius ipsum verbum voluit nasci ex homine, ut tu securus nascereris ex DEO. *T, 9. in Evang. Ioan. Tract. 2. de cap. 1.* Ioā. 1.

Filij gratiæ, ubi fratres Christi nati.

Et

Et Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis. Si verbum
Ioã: 1. non erubuit nasci de homine, homines erubescunt nasci de Deo?
Hoc autem quia fecit curavit: quia curavit videmus. Hoc enim
quod Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, medicamentum nobis factum est, ut quia terrâ cæcabamur, de terra sanaremur. *Non frustra hospes noster factꝰ Christus*
Ibid Tract: 3. de cap: 1.

Cum sit Verbum Dei infans in præsepe jacuit, & cum ipse Matrem suam condiderit, lac infantiæ de Matre suxit. *Ib. Tra: 14, de c: 3.* *Semen, verbũ in præsepi. Agnus lactatur ut lactet.*

Loquitur parvulis parvus, sed ipse ita parvus ut & magnus: nos autem parvi sed in illo magni: Loquitur enim tanquam fovens & nutriens lactentes, & amando crescentes. *Ibid Tract: 21. de cap: 5.* *Accõmodat se omnibus Christus*

Noluit se separare, sed dignatus est agglutinari. Longè à nobis erat, & multum longe. Quid tam longè quàm conditum & conditor? Quid tam longè quàm Deus & homo? quid tam longè quàm justitia & iniquitas? Quid tam longè, quàm æternitas, & mortalitas. Ecce quàm longe erat Verbum in principio Deus apud Deum per quem facta sunt omnia. Quomodo ergo factus est prope ut esset quod nos & nos in illo? Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. *T, 9. ibidem.* *Quis sit proximus Deo.*

Humiliavit se propter nos, glorificemus illum nos. Non enim filius hominis propter se est, sed propter nos. *Ibid Tra: 25. de c: 6.* *Christus filius dominus, ut coronet Hominem.*

Venisti ut qui non vident videant: rectè quia lumen es: rectè quia dies es: rectè quia de tenebris liberas. *Ibid. Tract: 44. de cap: 9.* *Dux Cæcorum Christus Sol.*

Quòd est unigenitus æqualis Patri non est gratiæ sed naturæ: quod autem in unitatem personæ unigeniti assumptus est homo, gratiæ est, non naturæ, confitente Evangelio atq; dicente: Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo. *Ibid. Tract: 74. de cap: 14.* *Natalis Christi dies gratia*

Quid igitur hæretice? Cum Christus Deus sit & homo, loquitur ut homo: & calumniaris Deo? Jlle in se naturam commendat humanam, tu in illo audes deformare divinam? Infidelis, ingrate, ideone tu minuis eum qui fecit te, quia dicit ille quid factus sit propter te? Æqualis enim Patri filius, per quem factus est homo, ut minor esset Patre, factus est homo: quod nisi fieret quid esset homo? *Ibid. Tract. 78. de cap: 14.* *Humilitas magnatum non despicienda.*

Et Jesus proficiebat sapientiâ & ætate & gratia apud Deum
Luc. 2. 52. & homines. Secundum hoc igitur rectè possumus dicere, quod cum ad naturam Dei non pertineat natura humana, ad personam tamen unigeniti filij Dei per gratiam pertinet natura humana; & tantam gratiam, ut nulla sit major, nulla prorsus æqualis. Neq; enim illam susceptionem hominis ulla merita præcesserunt, sed ab illa susceptione merita ejus cuncta cæperunt. *Ibid. Tra: 82. de cap: 15.* *Vita Christi, est vita gratiæ & profectus nostri.*

Non venit filius hominis ut judicet mundum, sed ut salvetur
Ioã: 5. 17. mundus per ipsum. Mundus eo judicante damnatur, mundus eo subveniente salvatur: quoniam sicut arbor foliis & pomis, sicut area paleis & frumentis, ita infidelibus & fidelibus plenus est mundus. *Ibid. Tract: 95. de cap: 16.* *Restauraturus orbem, venit.*

Et in ipsis quæ sumimus alimentis, usq; adeo non est lacti contrarius solidus cibus, ut ipse lactescat quo possit esse aptus infantibus ad quos per Matris vel nutricis pervenit carnem: sicut fecit etiam Mater ipsa sapientia, quæ cum sit in excelsis Angelorum solidus cibus, dignata est quodammodo lactescere parvulis, cum Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis. Sed ipse homo Christus, qui vera carne, vera cruce, vera morte, vera resurrectione sincerum lac dicitur parvulorum, cum bene à spiritualibus capitur, invenitur Dominus Angelorum. *Ibid. Tract: 98. de cap: 16.* *Deus in alimentis nostris abiit. Carne competisti carne Dei hominis lactãtur. Ablactamur Christo.*

Christus ad omnes æqualiter se præstat. Quia Verbum Caro factum est & habitavit in nobis. Princeps in medio eorum: inde & mediator DEI & hominum, quia DEUS cum Patre, quia cum hominibus homo. Non mediator homo præter Deitatem: non mediator DEUS præter humanitem. Ecce mediator: Divinitas sine humanitate non est mediatrix: humanitas sine humanitate non est mediatrix: humanitas sine divinitate non est mediatrix: sed inter divinitatem solam, & humanitatem solam mediatrix est humana divinitas, & divina humanitas Christi. *T. 9. lib. de ovibus in cap: 34. Ezech: cap:12.* *Ioã. 1.*

In Christo nativitas originis, & nativitas causæ. Generationem ejus quis enarrabit? Natus de Patre sine tempore, natus ex Virgine est in plenitudine temporis. Istam nativitatem antecesserunt tempora: opportunitate temporis. Quando voluit, quando sciebat tunc natus est; non enim nolens natus est. Nemo nostrum quia vult nascitur, & nemo nostrum quando vult moritur. Ille quando voluit natus est, quando voluit mortuus est: quomodo voluit natus est de virgine, quomodo voluit mortuus est in cruce. Quidquid voluit fecit: quia sic erat homo ut lateret DEUS: susceptor DEUS susceptus homo, unus Christus DEUS & homo. *T, 9. lib: 1. de Symbolo ad Catechum: cap: 3.*

Rex magnus in corpore parvo. Nascitur Christus ex virgine sicut flos ex virga, sine ullo composito semine. Nascitur infans parvus Rex magnus. *Et infra.* Moriuntur parvuli pro Christo nescientes, parentes plangunt Martyres morientes: ille nondum loquentes idoneos suos efficit testes. Ecce quomodo regnat, qui sic regnare venerat. Ecce jam liberat liberator, & salutem præstat Salvator. *Et infra.* Hanc turbam Apocalypsis beati Joannis Apostoli demonstrabat dicens: Videte turbam multam quam dinumerare nemo poterat ex omni tribu, stantes in conspectu DEI, & induti erant alba veste, & palmæ fuerunt in manibus eorum. O magnum donum gratiæ! Quibus eorum meritis præstitum est, ut sic vincerent infantes? Nedum loquuntur, & Christum confitentur. Nedum motibus membrorum valent suscipere pugnam, & victoriæ jam efferunt palmam. Quomodo regnas Herodes qui sic vinceris? Parvus ille non te armatorum virorum fortium superavit manu, sed innumerabili vicit turba morientium parvulorum. Vis nosse quid infantibus quos trucidasti præstiteris? Ideo accelerasti ad eorum vitam, ne cum suis parentibus occiderent veram vitam: hoc illo per te agente qui novit bene uti etiam malis tuis. *Ibid. lib. 3. de Symbolo ad Catechum: cap: 4.*

Testis martyr. *Servi debent accommodari Dominis.* *Apo: 7. 9.* *Malo in bonũ uti.*

Nocendo aliis interitum nobis paramus. Sævit Herodes ut inter multos perdat unum: & plurimum necando se efficit reum, nec occidit quem quærit hominem DEUM. O Herodes magna tua iniquitas, & infantes necas. & tuæ nequitiæ testes cumulas, & Christus à te non invenitur, quia nondum venit ejus hora ut patiatur. *Ibid. lib. 4. de Symb: ad Catech: cap: 4.*

Gratias ago tibi pro sancta incarnatione, & nativitate ejus, & pro gloriosa genitrice sua, de qua ipse carnem assumere dignatus est, propter nos & propter nostram salutem, ut sicut verus DEUS ex DEO, ita verus homo ex homine esset. *Ibid. lib. Meditat: cap: 14.*

CHRISTUS PASSUS

Mors Christi vera, quia destructa unio vera naturalis. Vera morte carnis mortuus est pro nobis, qui Te interpellat pro nobis. *T, 1. lib. 9 Confess: c. 4.*

Mediator Christus. Mediator Christus JESUS demonstratus est antiquis sanctis, ut ita ipsi per fidem futuræ passionis ejus, sicut nos per fidem præteritæ salvi fierent. In quantum enim homo, in tantum Mediator. *Ibid. lib. 10. Confess: c. 43.*

Quo-

Victi triumphant.

Quomodo amâſti nos Pater bone, quomodo amâſti nos! pro quibus æqualis tibi, factus eſt ſubditus uſq; ad mortem Crucis, pro nobis tibi victor & victima, & ideo victor quia victima, pro nobis Sacerdos & ſacrificium, & ideo Sacerdos quia ſacrificium, faciens nos tibi de ſervis filios, de te naſcendo, nobis ſerviendo, meritò mihi ſpes valida eſt in illo, alioquin deſperarem. *Ibid. cap:* 43.

Paſſio Chriſti medicina.

Multi & magni ſunt languores mei, multi ſunt & magni, ſed major & amplior eſt medicina tua. *Ibidem.*

Gratitudo pro Chriſti Paſſione.

Potuimus putare verbum tuum remotum eſſe à conjunctione hominis & deſperare de nobis, ſed prohibuiſti & confirmaſti me dicens: Ideo pro omnibus Chriſtus mortuus eſt, ut qui vivunt, jam ſibi non vivant. *Ibidem.*

Pretium ſalutis.

Jlle tuus unicus redemit me ſanguine ſuo, cogito pretium meum, & manduco & bibo, & erogo, & pauper ſaturari cupio, exeo inter illos, qui edunt & ſaturantur & laudabunt Dominum. *Ibidem.*

Induit dolores noſtros ne doleremus.

Delectat me imitari quantum valeo manſuetudinem Domini mei Jesu Chriſti qui etiam ipſius mortis malo, quo nos exuere vellet, indutus eſt. *Ibid. lib.* 1. *de mor: Eccl. Cathol: c.* 2.

Chriſtus humilitate Regnat.

Non Chriſtus Regno terreno decoratus, nec Chriſtus terrenis opibus dives, nec Chriſtus ulla terrena felicitate præfulgens, ſed Chriſtus crucifixus per totum terrarum Orbem prædicatur. Crediderunt autem priùs pauci nunc populi. Sic tandem advertit terrena ſuperbia, nihil in ipſis terrenis eſſe potentius humilitate Divinâ; ut etiam ſaluberrimã humilitas humana contra inſultantem ſibi ſuperbiam, Divinæ imitationis patrocinio tueretur. *Ibid. Epiſt:* 42.

Vera prædicatio quæ Deus ſit Crucifixus, mortuusq.

Sicut in homine una perſona corpus & anima eſt, ita in Chriſto Verbum & Homo una perſona eſt. Et ſicut homo verbi gratiâ Philoſophus non utiq; niſi ſecundum animam dicitur: nec ideo tamen abſurdè dicitur Philoſophum cæſum, mortuum, ſepultũ, cum totum ſecundùm carnem accidat, non ſecundum quod eſt Philoſophus; ita Chriſtus Deus Dei Filius, ſecundum verbum dicitur, & tamen rectè dicitur Deus crucifixus; cum hoc eum ſecundùm carnem paſſum eſſe, non ſecundùm illud quod Dominus gloriæ eſt, non habeatur incertum. *Ibid. Epiſt:* 102.

Noſtro nomine paſſus Chriſtus.

Eccleſia in illo patiebatur, quando pro Eccleſia patiebatur: ſicut etiam in Eccleſia patiebatur ipſe, quando pro illo Eccleſia patiebatur. Nam ſicut audivimus Eccleſiæ vocem in Chriſto patientis, Deus Deus meus reſpice &c. Sic etiam audivimus vocem Chriſti in Eccleſia patientis. Saule Saule quid me perſequeris. *Ibid. Epiſt:* 120. *cap.* 6.

Tribulationes Paſſiones, firmiores homines reddũt.

Ps:21.16. Exaruit velut teſta virtus mea. Teſta igne firmata eſt, ſic & virtus Corporis Chriſti, non ſicut fænum igne conſumitur; ſed ſicut teſta paſſione velut igne firmatur. *T,* 1. *Epiſt.* 120. *c.* 15.

Tribulationes regnum conferunt.

Ps:12.29. Domini eſt Regnum & ipſe dominabitur gentium. Jlle irriſus, ille crucifixus, ille derelictus hoc Regnum acquirit & tradet in fine Deo, & Patri non ut ipſe amittat, ſed quod in fine ſeminavit, cum venit minor Patre hoc perducat ad ſpeciẽ, in qua æqualis non receſſit à Patre. *T,* 2. *Epiſt.* 120. *c.* 27.

Paſſio Chriſti pretiũ mundi.

Paſſio Domini eſt pretium Orbis terrarum. *Ibid. Epiſt:* 171.

Morte vita paratur.

Pro nobis dignatus eſt mori ut viveremus etiam mortui, & nè mors ipſa ab homine tanquam conſumptura hominem timeretur; nè mortuorum quiſquam pro quibus vita mortua eſt, tanquam vitam perdiderit doleretur. *Ibid. Epiſt:* 248.

Mors Crucis Chriſti, exemplum noſtrũ.

Parva fuit Domini noſtri pro nobis humilitas in naſcendo, acceſſit etiam, ut mori pro mortalibus dignaretur, factus ſubditus uſq; ad mortẽ, mortem autem crucis, nè quiſquam noſtrûm etiamſi mor-

mortem poſſet non timere aliquod genus mortis quod homines ignominioſum arbitrantur, horreret. *T, 3. lib. de Fid & Symbolo c. 5.*

Iniquitas humilitate et ſãguine Christi mundatur.

Iniquorum & ſuperborum una mundatio eſt, ſanguis juſti & humilitas. *Ibid. lib. 4. de Trinit: c. 2.*

Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent; ex forma enim ſervi crucifixus eſt, & tamen Dominus gloriæ crucifixus eſt. Talis enim erat illa ſuſceptio, quæ DEUM hominem faceret, & Hominem DEUM. *Ibid lib. 1. de Trinit: c. 13.* 1 Cor. 2. 8.

Ideo illum eſſe opus erat, & hominem & DEUM: niſi enim homo eſſet, non poterat occidi, niſi DEus eſſet non crederetur noluiſſe quod potuit, ſed non potuiſſe quod voluit, nec ab eo juſtitiam potentiæ prælatam fuiſſe; ſed ei defuiſſe potentiam putaremus.

Juſtitia eo major Christi quo humilior.

Ideo gratior facta eſt in humilitate juſtitia, quia poſſet ſi noluiſſet humilitatem non perpeti, tantâ in Divinitate potentiâ: ac ſic à moriente tam potente, nobis mortalibus impotentibus & commendata eſt juſtitia, & promiſſa potentia. Horum enim duorum unum fecit moriendo, alterum reſurgendo. Et juſtitiâ ergo prius, & potentiâ Diabolum vicit; juſtitiâ, quia nullum peccatum habuit, & ab illo injuſtiſſimè eſt occiſus: potentiâ verò quia revixit mortuus, nunquam poſtea moriturus. Et paulò ſuperiùs. Poſtpoſuit quod potuit, ut priùs ageret quod oportuit. *Ibid. lib 13 de Trin: c. 14.*

Sanguis Christi pretiũ, & gladius.

In hac redemptione tanquam pretium pro nobis datus eſt ſanguis Chriſti: quo accepto Diabolus non ditatus eſt, ſed ligatus, ut nos ab ejus nexibus ſolveremur. *Ibid. cap: 15.*

Pro inimicis vitam poſuit Deus.

Multò magis reconciliati ſalvi erimus in vita ipſius: in vita ſalvi qui per mortem reconciliati. Quis enim dubitat daturum amicis vitam ſuam, pro quibus inimicis dedit mortem ſuam; cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus DEO per mortem Filij ejus. *Ibid. cap: 16.*

Obedientiæ exemplum in Cruce.

Quod majus obedientiæ nobis præberet ut exemplum, qui per inobedientiam perieramus, quàm DEO Patri DEus Filius obediens uſq; ad mortem crucis? quod præmium tantæ obedientiæ ubi oſtenderetur melius, quàm in carne tanti Mediatoris, quæ ad vitam reſurrexit æternam. *Ibid. cap: 17.*

Paſſus Christus ſine Divinitatis imminutione.

Sicut Martyres paſſos & mortuos dicimus in corporibus, quæ portabant, ſine animarum interfectione vel morte, ſic filium DEI paſſum & mortuum dicimus in homine, quem portabat ſine Divinitatis aliqua commutatione vel morte. *Ibid. l. de agone Christi: c: 23.*

Speciale bonũ inter bona cæleſtia terreſtria Paſſio Christi.

Temporalium bonorum atq; carnalium & ſpiritualium atq; æternorum, quæ clarior certiorq; diſtinctio eſt, quàm paſſio Domini noſtri JEſu Chriſti? in cujus morte ſatis conſiſtit, non iſtam terrenam tranſitoriamq; felicitatem á Domino DEO pro magno munere ſperandam & optandam: quandoquidem in Unigenito Filio ſuo quem tanta illa perpeti voluit; longè aliud à ſe peti expectariq; oportere, apertiſſima diſtinctione declaraverit. *T, 4. l: 4. quæſt: ſupra Numer: Quæſt: 33.*

Victima Cæli glorioſa, juſtus ad mortem decertans.

Abominamenta enim quæ Dominus odit, fecerunt Dijs ſuis, quoniam & filios ſuos & filias ſuas comburunt igne Dijs ſuis. Quid Pſ 105. 37. evidentiùs oſtendi poteſt, his ſacræ ſcripturæ teſtimoniis non ſolum non diligere, ſed & odiſſe talia ſacrificia, in quibus homines immolantur? Jlla quippe diligit & coronat, cum quiſq; juſtus iniquitatem patiens uſq; ad mortem pro veritate decertat. *Et infra.* Sanguinem ſuum, ipſe fudit pro nobis & ſacrificium ſeipſum obtulit DEO. Sic utiq; obtulit, ut ab inimicis pro juſtitia occideretur, hunc imitata Martyrum millia uſq; ad mortem pro veritate certarunt, & ab inimicis ſævientibus immolata ſunt, de quibus dicit ſcriptura.

Tan;

Sap. 3. 6. Tanquam aurum in fornace probavit illos. *Ibid. lib: 7. quæst: supra Iudic. quæst: 49.* *Tribulatio probat viros Bonos.*

Dan. 3. 49. Ascendit Angelus Domini in flamma. Quod ergo stetit Angelus in altaris flamma, magis significasse, intelligendus est illum magni consilij Angelum in forma servi, hoc est in homine, quem suscepturus erat, non accepturum sacrificium, sed ipsum sacrificium futurum. *Ibid. in Iudic: quæst: 53.* *Christi Crucifixi figura.*

Ma: 26 67. Quod dictum est spuerunt in faciem ejus, significavit eos, qui ejus præsentiam gratiæ respuunt. Item tanquam colaphis eum cædunt, qui honores suos ei præferunt, palmas in faciem ejus dant, qui perfidiâ cæcati eum non venisse affirmant, tanquam præsentiam ejus exterminantes & repellentes. Quod Petrus nec dum solidatus in fide, DEUM ter negavit, videtur trina ipsa ejus negatio pravum hæreticorum errorem designasse. Nam error hæreticorum de Christo tribus generibus terminatur, aut enim de Divinitate ejus, aut de humanitate, aut de utroq; falluntur. Quod ad passionem euntem Dominum à longè sequebatur Petrus, significat Ecclesiam secuturam quidem, hoc est imitaturam passionem Domini sed longè differentur, Ecclesia enim pro se patitur, at ille pro Ecclesia. *Ibid. lib. 1. quæst Evang: quæst: 45.* *Qui spuunt in faciẽ Christi.* Marci. 14. 30. *Negatio Petri ternæ, quid significet.* Ma. 26 58.

Ma. 22 25. Quod Dominum in passione exuerunt veste propriâ, & induerunt fucatâ, significati sunt hi hæretici, qui eum ajunt non verum corpus habuisse sed fictum, *Ibid. lib. 2. quæst: Evang: quæst: 61.* *Quibus Christus veste aliena indutus in Passione.*

Io: 22. 42. Pater si fieri potest transfer calicem. Non enim dixit si facere potes sed si fieri potest. Fieri autem potest quod ipse voluerit. *Ibid. lib. 3. de consensu Evan: cap: 4.* *Resignatio in volũtatẽ Dei.*

Marci. 14 36. Abba Pater volens ostendere, illam se tristitiam in persona sui corporis id est Ecclesiæ suscepisse, cui factus est angularis lapis venientibus ad eum, partim ex Hebræis ad quos pertinet quod ait Abba, partim ex gentibus ad quas pertinet quod ait Pater. Etiam Paulus non prætermittens hoc Sacramentum: In quo clamamus inquit Abba Pater. *Ibid. cap: 4.* *In persona nostra passꝰ Christus in Cruce.* Rom. 8 18.

Oportuit ut bonus Magister & verus Salvator in seipso demonstraret, non debere suos Martyres desperare, si qua forte cordibus eorum irreperet sub tempus passionis ex humana fragilitate tristitia, cum eam vincerent, voluntati suæ præponendo voluntatem DEI, quia ille scit, quid expediat quibus consulit. *T, 4. ibid: c. 4.* *Christus passus Magister.*

Lu. 21. 61. Cum frequentiùs soleant Evangelistæ in narrationibus suis ponere JESUM, quàm Dominum, modo Lucas Dominum posuit dicens: Conversus Dominus respexit Petrum, Matthæus autem & Marcus quia de ista respectione Domini tacuerunt, non verbi Domini, sed verbi JESU, eum recordatum esse dixerunt, ut ex hoc intelligamus, illam respectionem à JESU non humanis oculis sed divinitus factam. *Ibid. cap: 6.* *Domini est respicere miserias alienas.*

Et supra ibidem mihi videtur illa respectio divinitùs facta, utque ita misericorditer Domino respiciente pæniteret eum & salubriter fleret, sicut quotidie dicimus Domine respice me. *Ibidem.* *Oculi Domini Dei misericordia pleni.*

Marci. 15. 15. Io. 19. 14. Cur Marcus adjunxerit Erat autem hora tertia & crucifixerunt eum. (nam Joannes dixit hora sexta) quia sciebat à militibus suspensum Dominum non à Judæis, sicut Joannes apertissimè dicit occultè ostendere voluit eos magis crucifixisse, qui clamaverant, ut crucifigeretur, quàm illos qui ministerium Principi suo secundum suum officium præbuerunt. *Ibid. lib. 3. de Consen: Evang: c. 13. & infra ibidem clarius.* *Peccatores magis crucifigunt Christum quã carnifices crucifixerint.*

Corruat impia pertinacia & credat Dominum JESUM Christum, & tertiâ horâ crucifixum lingua Judæorum, & sextâ manibus mili- *Lingua Christum Cruci affigit, & manus.*

militum. Invalescebant voces eorum. Quis non ideo videat factum, quia videbat Pilatum nolle eis tradere Dominum. Et quia hoc magnopere nolebat non utiq; in momento temporis cessit, sed vel duæ horæ & aliquid amplius in illa cunctatione transierunt. Tunc cum flagellâsset JESUM, & à militibus ibidem veste illusoria, multisq; illusionibus malè tractari permisisset, credo ut hoc saltem modo eorum furorem mitigaret, nè usq; ad mortem sævire pertenderent. Et dicit eis. Ecce homo, ut illa velut ignominiosa specie visa placarentur. *Ibidem cap: 13.* Io: 19. 5.

Miseriis alienis ad misericordiã flecti.

Exemplum est passio Christi.

Qui pro eis mansvetus passus fuerat mansuefactos pro se pati jubebat. Ex ipsis Christum persecutoribus fuerat & Apostolus Paulus, & in Christianos maximè sæviebat; sed postea credens & Apostolus factus missusq; ut Evangelium gentibus prædicaret, graviora perpessus pro nomine Christi, quàm fecerat contra nomen Christi. *Ibid. lib. de Cath: rud. cap: 23.*

Non sine vulnere mundum tenemus.

Mundus mihi cruxifixus est ait, ut me non teneat: & ego mundo, ut eum non teneam, id est ut neq; mundus mihi nocere possit, Gal. 6. 14. nec ego de mundo aliquid cupiam. Qui autem in cruce Christi gloriatur, non vult placere in carne, quia persecutiones carnalium non timet, quas prior ut crucifigeretur ille sustinuit, ut vestigia sua sequentibus præberet exemplum. *Ibid. l. ex epist. ad Gal. fol: 392.*

Qui Christo passo affectus Carne patiente probatur.

Qui spuunt in faciẽ Christi.

Nec in faciem meam pepercerunt spuere. Execranda namq; facies Christi est, his, qui præcepta ejus cum contemptu exhorrent, vel malè me innotescere fecerunt morum suorum pravitate. *Ibid. lib. Annot: in Iob cap: 30.*

Mors animæ fugienda non corporis.

Quod possit delectare in Dæmonum immortalitate miserum est; quod possit offendere in Christi mortalitate, jam non est. Ibi ergo cavenda est miseria sempiterna, hîc mors timenda non est, quæ esse non potuit sempiterna: & beatitudo amanda est sempiterna. Ad hoc quippe se interponit medicus immortalis & miser, ut ad immortalitatem beatam transire non sinat, quoniam persistit, quod quod impedit id est miseria. Ad hoc autem se interposuit mortalis & beatus, ut mortalitate transacta, & ex mortuis faceret immortales, quod in se resurgendo monstravit, & ex miseris beatos, unde nunquam ille discessit; alius est ergo medius malus qui separat amicos, alius bonus qui reconciliat inimicos. *T, 5. l. 9 de Civ: Dei. c. 15.*

Bonum in medio.

Vulnus lateris Christi arca Nóé est.

Quod ostium in latere accepit (intellige arcam Nóé) profecto Io. 19. illud est vulnus, quando latus Crucifixi lancea perforatum est, hac 34. quippe ad illum venientes ingrediuntur, quia inde Sacramenta ma- Gen: 6. narunt, quibus credentes initiantur, & quod de lignis quadratis fi- 16. eri jubetur, undiq; stabilem vitam Sanctorum significat. *Ibid: l. 15. de Civit: Dei. cap: 26.*

Internus affectus erga Christum Passum.

Hanc passionem Christi in sono tantum vocis reprobi annuntiant. Non enim quod annuntiant intelligunt. Probi autem in interiore homine habent tam grande mysterium, atq; honorant intus in corde infirmum & stultum DEI, quod fortius est & sapientius hominibus. *Ibid. lib. 16. cap: 2.*

Christus jacens in sepulchro, Leo dormiens.

Accubuisti ut Leo quis suscitabit eum, ubi & mors Christi prædicta est verbo dormitionis & non necessitas vel potestas in morte nomine Leonis. Quàm potestatem in Evangelio ipse prædicat dicens: Potestatem habeo ponendi animam meam, sic Leo fremuit, sic quod dixit implevit. Ad eam namq; pertinet potestatem, quod de resurrectione ejus adjunctum est. Quis suscitabit eum? hoc est quia nullus hominum nisi se ipse. Ipsum autem genus mortis, hoc est sublimitas crucis in uno verbo untelligitur, quod ait, ascendisti: quod verò addidit recumbens dormivisti, Evangelista exponit, ubi Io: 19. dicit. Et inclinato capite tradidit Spiritum. *Ibid. cap: 41.* 30.

Somnus Christi in Cruce.

Fo-

Foderunt manus meas & pedes meos, quibus utiq; verbis, in
Ps:21. 17. Cruce Corpus Domini significavit extensum, manibus pedibusq; *Vulnera Christi fenestræ.*
confixus & clavorum transverberatione confossis, eoq; modo se
spectandum considerantibus & conspicientibus præbuisse. Ipsi verò
consideraverunt & inspexerunt me. ***Ibid. lib.** 17. **cap:** 17.*

Mortuus est Christus Octavo Calendas Aprilis, resurrexit tertia die sicut Apostoli suis etiam sensibus probaverunt. ***Ibid. lib.** 18. **cap:** 54.*

Et ecce apparuit illis Moyses & Elias cum eo loquentes, qui *Libri Taciti Oratores.*
Mar.9 3. sunt Moyses & Elias, nisi lex & Prophetæ? loquebantur cum illo *Mortui loquuntur.*
quia locuti erant de illo; ostendebant, quæ prædixerant manifestabant, quem prophetaverant, Loquebantur. Putas quid loquebantur? ut Judæi convincerentur, Pagani converterentur, Manichæi confunderentur, Heretici comprimerentur, Catholici confirmarentur. Loquebatur lex & gratia, lenitas & asperitas, terror & mansvetudo, præceptum & adjutorium, ferramentum & Medicus, Umbra & lux, & Præco & Judex, sententia & misericordia. Et quid
Mar:9 3. postea, respondens Petrus dixit ad JESUM, Domine bonum est nobis hîc esse, si vis, faciamus hîc tria trabernacula, &c. Quid dicis *Publicum amat Deus.*
Sancte Petre? mundus parturit & tu secretum petis? Vides ergo tot
Jn.8.6 gentes in unum convenisse, & tu requiem quæris? Vides tenebras mundi & tu lumen abscondis? nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum ut luceat omnibus, qui in Domo sunt. Ista Domus totus est mundus; lucernæ accensio Verbi est incarnatio. Candelabrum autem, crucis est lignum, lucerna in candelabro lucens, Christus in Cruce pendens. Vides tu videamus & nos. *Et infra.* alloquens Judæos ait: sæviistis, occidistis, sanguinem Christi fudistis, Filio DEI increduli fuistis, in periculo positi estis. Quid ergo facere nunc habetis? hoc ut credentes baptisemini, & baptisati bibatis sanguinem quem fudistis. Non est quod horreatis, fusus est sanguis Medici, & factus est medicamentum phrenetici, quid dubitatis? gustate & videte quoniam suavis est Dominus. *T, 6 lib. de quinq; hæresibus. cap: 7.* *Incarnatione Christi, mundus est illustrior.* *Etiam hostibus prodesse Christi virtus est.*

Passio ejus, totius jam Orbis festivissimum tempus est. ***Ibid. lib. con: Epist: fundamen. c** 8.* *Passio Christi festivissimum tempus*

Suscipiendo ignominiosum apud homines mortis genus Dominus JESUS Christus, hoc est mortem crucis, commendavit nobis dilectionem suam ut meritò Apostolus diceret, accendens nos in e- *Mors Christi Idea amoris.*
Gal. 3. 13. jus charitatem, Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, ut non solum nullam mortem, sed etiam nullum mortis genus Christiana libertas, sicut Judaica servitus formidaret. ***Ibid. lib. coń. Adiman. cap:** 21.*

Habet magnam vocem Christi sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus respondetur Amen. Hæc est clara vox sanguinis, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium & eodem sanguine redemptorum. ***Ibid. lib.** 12 **coń Faust. cap:** 10.* *Orator, Christi sanguis.*

Qui jam quærit expositorem, dum legit, velut ovis ad victi-
Isa:53. 7 mam ductus est, & omnia quæ illic multipliciter & evidenter dicuntur. Quia livore ejus sanati sumus: quis non quasi Evangelium *Christus Passus, est ovis.*
Isa:53. cantari arbitretur? foderunt manus meas & pedes, quis nisi nimium cæcus jam impleri non cernat. *T, 6. lib 12. con: Faust cap: 43.*

Sicut percussâ petrâ manavit aqua sitientibus, sic plaga Domi- *Plaga prodest.*
Ex 17. 61 nicæ passionis effecta est vita credentibus, habemus enim de hac re,
1 Cor: 10. 4. præclarissimam & fidelissimam vocem Apostoli, cum inde loquere- tur, dicentis, Petra autem erat Christus. *T, 6. lib. 16. con: Faust: c: 17.*

Deut: 28. Videbis vitam tuam pendentem, & non credes vitæ tuæ. Cum

Anathema vitæ futuræ Christus in Cruce.

vero & ipse dicat. Ego sum vita & cum pependisse constet ante oculos non ei credentium Judæorum, non video cur dubitare debeamus, id etiam de Christo scripsisse Moysem, de quo Christus ait, ille de me scripsit. *Ibid. lib. 16. con: Faust. cap:22.*

Passio quietis & divinæ diei est meritoria.

Christus cum tempora passionis & Resurrectionis suæ haberet in potestate, id egit ut caro ejus in sepultura Sabbatho requiesceret, ab omnibus operibus suis; ut tertio die resurgens, quem Dominicum dicimus, qui post Sabbathum numeratur Octavus, etiam Circumcisionem Octavi diei ad se prophetandum pertinere declararet. Quid enim significat circumcisio carnis, nisi expoliationem mortalitatis, quam de carnali generatione portamus? propter quod dicit Apostolus. Exuens se carnem principatus & potestates exemplavit, fiducialiter triumphans eos in seipso. *Ibid. cap: 29.* Col: 2. 15.

Triumphus Christi, est nostra Corona.

Non est passio Christi ex indigentia, sed ex misericordia, præbuit enim exemplum patientiæ nobis de nobis, id est homini de homine, carni de carne, non tamen in illa carne, ipse deterior factus, sed caro in illo melior facta est. *Ibid lib 2. de actis cum Felice Manichæo. cap: 9.*

Ut aliis prodesset, elegit nocuisse sibi.

Jacebat quantum ad corpus mortuus in sepulchro, mortuos resuscitans in inferno, vitam tribuens universis in cælo. *Ibid. lib. con: Felicia: Arria: cap: 17.*

Mortuus Christus, ne nos moriamur.

Credo mortuum esse Filium DEI, non secundùm pœnam justitiæ, quam ex toto non habuit, sed secundùm legem naturæ, quàm pro humani generis redemptione suscepit: illa morte de qua dicitur: quis est homo qui vivit, & non videbit mortem? non illâ de qua Isaias dicit; Mortui autem vitam non videbunt. *Ibid. cap: ult.*

Judas est qui Christum fugit.

Jlle judicetur socius ejus qui tradidit Christum, qui cum toto Orbe se non tradidit Christo. Ipsum judicemus traditoris hæredem, ille pertineat ad Christi venditorem, qui Christum negat Orbis redemptorem. *T, 7. lib. con: liter. Petil. cap: 9.*

Foderunt manus meas &c. Quid hujus crucis pretio? quid tantæ celsitudinis tantâ humilitate, quid illo innocentissimo & Divino sanguine comparatum est? nisi quod illic in consequentibus dicitur: convertentur ad Dominum universi fines terræ. *Ibid. lib. de unitate Ecclesiæ cap: 8.* Ps:11. 28.

Verba morientis Christi novissima nostra sunt.

Quid est hoc rogo, cum verba novissima hominis morientis audiuntur ituri ad inferos, nemo eum dicit esse mentitum, & impius judicatur hæres, qui fortè contempserit illa. Quomodo ergo effugiemus iram DEI, sive non credentes vel contemnentes repulerimus verba novissima, & unici Filij & Domini nostri ac Salvatoris, & ituri in cælum, & inde prospecturi quis ea negligat, quis observet? & inde venturi, ut de omnibus judicet. *Ibid cap: 11.*

Mors Christi libera, Potestativa in subjectiva.

Quod Dominum dicit sine peccato mori potuisse. illi etiam nasci potestas misericordiæ non conditio naturæ fuit, sic etiam mortuus est potestate; & hoc est pretium nostrum, quo nos à morte redimeret. *Et infra.* Surgite eamus hinc: quia non morior necessitate peccati, sed obedientiæ voluntate. *Ibid. lib. de Natura & gratia. cap: 24.* Mat 26 46.

Patiētia Christi, causa.

Ut nobis patiendi præberet exemplum, non habuit ille mala sua, sed per tulit aliena in doloribus pro nobis, non in cupiditatibus fuit. *Ibid. lib. 5. con: Iulian: cap: 15.*

Morte à morte revocamur.

Jlli ergo vivunt, pro quibus ut vivant, mortuus est qui vivebat. Quod apertiùs ita dicitur: Jlli sunt à mortis vinculo liberi, pro quibus mortuus est inter mortuos liber. Vel sic multò apertius. Jlli liberati sunt à peccato, pro quibus mortuus est, qui nunquam fuerat in peccato. *Ibid. lib. 6. con: Iulian. cap. 15.*

Quan-

Salus omnium à morte Christi.

Quantælibet fuisse virtutis antiquos prædices justos, non eos salvos fecit, nisi fides Mediatoris qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit. *Ibid lib. 1. ad Bonifac: cap: 21.*

Christus passus etiã à discipulis derelictus.

Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me. Tam scili-
Ps:3 1 cet multiplicati sunt, ut etiam de numero discipulorum non defuerit, qui numero accesserit persequentium. Multi dicunt animæ meæ. Non est salus illi in Deo ejus. Manifestum est quod nisi desperarent resurrecturum, non utiq; occiderent. *Ibid. in Psal: 3.*

Regnum iniquitatis framea Dei debellatur. Anima framea.

Erue animam meam ab impijs. Erue animam meam resusci-
Ps: 21. 11. tando me à morte quæ mihi ab impijs irrogata est. Frameam tuam ab inimicis manus tuæ. Anima enim mea framea tua est, quàm assumpsisti manus tua, id est æterna virtus tua: ut per ipsam regna debellet iniquitatis, & dividat justos ab impijs. *Ibid. in Psal: 16.*

Iustificatio per sanguinẽ Christi maxima gratia.

Justificati gratis per sanguinem ipsius. Quia gratis ideo gratia.
Rom. 3. 24. Non enim est gratia nisi gratuita: quia nihil boni ante feceramus ut talia bona mereremur. Nihil præcesserat in meritis nostris nisi unde
Ps: 18. 1. damnari deberemus. Hæc est gloria Dei, hanc Cæli enarraverunt: hæc est inquam gloria Dei, non tua. Nihil boni fecisti & tamen tan-
Ps: 38 11. tum bonum accepisti. Dic Domino Deo tuo Deus meus misericordia ejus præveniet me. Præveniet enim te, utiq; prævenit quia nihil in te boni invenit. Prævenisti supplicium ejus superbiendo, ille prævenit supplicium tuum peccata delendo: tanquam enim ex peccatore justificatus, ex impio piùs factus, ex damnato in regnum assum-
Ps: 113 9. ptus, dic Domino Deo tuo. Non nobis Domine non nobis, sed Nomini tuo da gloriam. Dicamus non nobis quia si ita faceret sicut nobis, non nisi pœnas infligeret nobis. *Ibid. Exposit: 2. in Psal: 18.*

Homo sola pœna dignus.

Per diem spirituales et boni, per noctem, Carnales & improbi designantur.

Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicit scientiam spiri-
Ps: 18. 2. tales spiritibus. Et nox nocti, carnales carnalibus. Utriq; enim audiunt, & si non utriq; similiter sapiunt. Quando Dominus Christus loquebatur Apostolis, dies diei eructabat verbum: quando Judas Dominum Christum prodidit Judæis, nox nocti annuntiabat scientiam. *Ibidem.*

Mors hominibus post Christi passionẽ nocere nõ potest.

Exultabimus in salutari tuo. Exultabimus quod tibi mors ni-
Ps: 19. 6. hil nocebit, ita enim nec nobis eam nocere posse monstrabis. Et in Nomine Domini Dei nostri magnificabimur. Et confessio tui Nominis non solùm non perdet, sed etiam magnificabit nos. Impleat
Ps: 19. 7. Dominus omnes petitiones tuas. Impleat Dominus non solum petitiones quas habuisti in terra, sed etiam quibus in Cælo interpellas pro nobis *Ibid. in Psal: 19.*

Christus etiã nunc irridetur.

Anniversaria recordatio quasi repræsentat quod olim factum est, & sic nos facit moneri, tanquam videamus in cruce pendentem Dominum, non tamen irridentes sed credentes. Pendens enim in ligno irrisus est, sedens in Cælo adoratur. An forte adhuc irridetur, & jam non est irascendum Judæis, qui vel morientem deriserunt non regnantem? Et quis est qui Christum adhuc irrideat? Utinam unus esset, utinam duo, utinam numerari possent. Tota palea areæ ipsius irridet eum, & gemit triticum irrideri Dominum. Hoc volo gemere vobiscum Tempus enim est lugendi. Passio Domini celebratur: tempus gemendi est, tempus flendi, tempus confi-
Ps: 118 136. tendi & deprecandi. Et quis nostrûm est idoneus ad effundendas lachrymas pro dignitate doloris tanti? Sed quid modo ait Propheta? Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? Si verè fons lachrymarum esset in oculis nostris nec ipse sufficeret. *Ibid. Præf: in 2 exposit: Psal: 21.*

Tempus Quadragesimale tempus flendi est.

Deus meus, Deus meus quare me dereliquisti. Quid voluit di-
Ps: 21. 2. cere Dominus? Non enim dereliquerat eum Deus, cum ipse esset

Christus in Cruce pendēdo infirmitatē hominum in suo Corpore portabat.

Tribulatio medicamentū est ad salutem.

Deus exaudit aliquando ad utilitatē aliquando ad damnationem.

Deus, utiq; Filius Dei Deus, utiq; Verbum Dei Deus. Quare dicitur, nisi quia nos ibi eramus, nisi quia Corpus Christi Ecclesia? nisi quia pro delictis Nostris ipse precatur, & delicta nostra, sua delicta fecit, ut justitiam suam nostram justitiam faceret. Dixit utiq; de me, de te, de illo. Corpus enim suum gerebat id est Ecclesiam. Non est fortior miles quàm Imperator. Ideo Paulus optat mortem, ut sit cum Christo, & ipse Christus timet mortem? Sed quid nisi infirmitatem nostram portabat, & pro his qui adhuc timent mortem in corpore suo constitutus, ista dicebat? Per diem clamabo & *Ps:21. 3.*
non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi. Intelligat homo Medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pænam ad damnationem. Sub Medicamento positus ureris, secaris, clamas: non audit Medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem. Tu autem in sancto habitas laus Israel. In illis habitas quos sanctificasti, & quos facis intelligere: quia ad utilitatem quosdam non exaudis, & ad damnationem quosdam exaudis. Ad utilitatem non est exauditus Paulus, ad damnationem exauditus est Diabolus. *2. Cor. 12.* Petijt Job ad tentandum & concessum est. Dæmones petierunt se ire in porcos, & exauditi sunt. *Mar. 5 12.* Dæmones exaudiuntur, Apostolus non exauditur. Sed illi exaudiuntur ad damnationem Apostolus non exauditur ad salutem: quia non ad insipientiam mihi. Tu autem in Sancto habitas laus Israel. Quare non exaudis & tuos? quare dico ista? Mementote semper dici Deo gratias *Ibid. Expos: 2. in Psal: 21*

Considerandū est non solum quid Christus passus sed etiam Quare.

Scriptura Sacra Cor Christi crucifixi est.

Primum quæramus quæ passus est, deinde quare: & videamus quàm sint hostes Christi qui confitentur, qvia tanta passus est, & tollunt quare. Videte quæ patitur Dominus, attendite Christiani. *Et infra.* Sicut aqua effusus sum & dispersa sunt omnia ossa mea. *Ps:21. 5.* Factum est cor meum tanquam cera liquescens, in medio ventris mei. *Ibid.* Aqua quando effunditur, aut abluit aut irrigat. Effusus est Christus sicut aqua, abluti sunt sordentes, rigatæ sunt mentes. Ossa sua firmos suos dicit. Quando dispersit ossa sua? Quando dixit illis. Ecce ego mitto vos velut agnos in medio luporum. *Matt. 10. 16* Firmos suos dispersit, & sicut aqua effusus est. Cor ipsius, scriptura ipsius, id est sapientia ipsius, quæ erat in scripturis. Clausa enim erat scriptura, nemo illam intelligebat. Crucifixus est Dominus & liquefacta est, sicut cera, ut omnes infirmi intelligerent scripturam. Nam inde & velum templi scissum est; quia quod velabatur revelatum est. *Et infra.* Dinumeraverunt omnia ossa mea. *Ps:21. 18.*

Sacramenta, vestimēta sūt Christi Crucifixi

Tunica Christi nō divisa, charitas est.

Fructus Passionis Christi.

Non potuit melius describi extensio corporis in ligno. Consideraverunt & conspexerunt me. *Ibid.* Consideraverunt, & non intellexerunt, conspexerunt & non viderunt. Usq; ad carnem oculos, non usq; ad verbum cor habuerunt. Diviserunt sibi vestimenta mea. *Ibid.* Vestimenta ipsius Sacramenta ipsius, potuerunt dividi per hæreses, sed erat ibi vestimentum quod nemo divisit. Erat ibi tunica dicit Evangelista desuper texta. Quæ est ista tunica nisi charitas, quàm nemo potest dividere? Quæ est ista tunica nisi unitas? Sacramenta sibi Heretici dividere potuerunt, charitatem non diviserunt. Et quia dividere non potuerunt, recesserunt, illa autem manet integra. *Et infra.* O Christe Fili Dei si nolles non patereris, ostende nobis fructum passionis tuæ. Audi inquit fructum. Ego non taceo, sed surdi sunt homines. Audi inquit fructum, quare passus sum ista omnia. Narrabo Nomen tuum fratribus meis. In medio Ecclesiæ cantabo te. *Ps:21. 23.* Qui timetis Dominum laudate eum. ***Ibidem.***

In sacco ferebat pretium nostrum: percussus est lancea fossus

est saccus, & manavit pretium orbis terrarum. Mortuus est Dominus moriuntur & pauperes. Additur & mors discipulorum morti Magistri. Quare? Da mihi fructum; Cōmemorabuntur & convertētur ad Dominū universi fines terræ. Quocunq; te verteris Christus est. Fines terræ habes hereditatem, huc veni, totam mecum posside. *Ibid.*

De latere Christi pretiū orbis manavit.

Redime me & miserere mei. Valeat mihi ad perfectionem liberationis tantum pretium Sanguinis Domini mei, & in periculis hujus vitæ misericordia tua non deserat me. *Ibid. Enar: 1. in Ps. 25.*

Ps: 25. 11.

Muta efficiantur labia dolosa, quæ loquuntur adversus justum iniquitatem in superbia & contemptu. Justus iste Christus est. Multa labia loquuntur adversus eum iniquitatem in superbia & contemptu. Quare in superbia & contemptu? Quia contemptibilis superbis apparuit, qui tam humilis venit. Non vis ut contemnatur ab eis qui honores amant, ille qui tantas contumelias accepit? Non vis ut contemnatur ab his qui pro magno habent istam vitam, ille qui mortuus est? Non vis ut contemnatur ab eis qui quasi damnationis mortem crucis turpem putant, ille qui crucifixus est? Non vis ut contemnatur à divitibus, ille qui pauperem vitam gessit in mundo cum esset creator mundi? Omnia ista quæ amant homines quia noluit illa habere Christus, ut non habendo ostenderet contemnenda, non quia in potestate non habuit possidenda: omnes qui amant hæc, contemnunt illum. Et quicunq; voluerit servorum ejus sequi vestigia ipsius, ut ambulet & ipse in ea humilitate, in qua didicit ambulasse Dominum suum, contemnitur in Christo, quasi membrum Christi: & cum caput & membra contemnuntur, totus ipse Christus contemnitur, quia totus ipse justus est caput & corpus. *Ibid Con: 3 in Psal: 30.*

Ps: 30. 19.

Qui mūdi vanitatem amāt Christū contemnunt.

David interpretatur fortis manu vel desiderabilis. In hoc enim est manu fortis quia mortem nostram vicit: in hoc desiderabilis quia vitam æternam promisit. Quid enim fortius manu hac quæ tetigit loculum & mortuus surrexit? Quid fortius manu hac quæ mundum vicit, non ferro armata sed ligno transfixa? Quid autem desiderabilius eo, quem non videntes Martyres mori voluerunt, ut ad illum venire mererentur? Ergo psallamus illi. Illi cor nostrum, illi lingua nostra digna cantet: si tamen ipse dignabitur donare quod cantet. *Ibid. præfat: in Psal: 34.*

Christus fortis manu, resurgendo; desiderabilis æternitatē promittendo.

Quid fecit manu fortis? (sic enim interpretatur David) Nemo intrat in domum fortis ut vasa ejus diripiat, nisi prius alligaverit fortem. Potestate sua sacratissima magnificentissima alligavit Diabolum effundendo frameam ad concludendum eum, ut eruat inopem & egenum, cui non erat adjutor. Quis enim adjutor tibi nisi Dominus, cui dicis, Domine adjutor meus, & Redemptor meus? Si de tuis viribus præsumere volueris, inde cades unde præsumpseris, si de alterius, dominari vult non subvenire. Ille ergo unus quærendus est, qui & redemit & liberos fecit: & sanguinem suum ut eos emeret dedit, & servos suos fratres fecit. *Ibid. Con: 1. in Psal: 34.*

Matt. 12. 29

Ps: 18. 15.

Fortitudo Christi in debellato diabolo.

Non enim tentationes caput hoc pertulit & corpus non perfert. Aut verò fuit causa patiendi capiti, nisi ut corpori præberet exemplum? Dominus enim voluntate passus est, nos necessitate: ille miseratione nos conditione. Proinde illius voluntaria passio nostra est necessaria consolatio: ut quando talia forte perpetimur intueamur caput nostrum, ut ejus exemplo communiti dicamus nobis. Si ille, quid nos? Et quemadmodum ille, ita & nos. Quantumlibet enim sævierit inimicus, usq; ad mortem corporis accedere potuit: quòd corpus nec ipsum extinguere potuit in Domino, quia tertio die resurrexit. Quod in illo factum est die tertio hoc in

In Christi passiōe, quid Christus passus, quid nos patimur, quēadmodū ille, et nos quomodo? attendendum.

 nostro

noſtro fiet in fine ſæculi. Spes reſurrectionis noſtræ differtur, nunquid aufertur? *Ibid. Con: 2. in Pſal: 34.*

Quid ſic ignorabat Chriſtus, quàm blaſphemare? Hinc interrogabatur à perſecutoribus, & quia verùm dixit blaſphemaſſe judicatus eſt. Sed à quibus? de quibus ſequitur. Retribuebant mihi mala pro bonis, & ſterilitatem animæ meæ. Ego attuli fæcunditatem, ipſi retribuebant ſterilitatem: ego vitam, ipſi mortem: ego honorem, ipſi contumelias: ego medicinam, ipſi vulnera, & in his omnibus quæ retribuerant, utiq; ſterilitas erat. Hanc ſterilitatem in arbore maledixit, & ubi fructum cum quæreret non invenit Folia erant & fructus non erant, verba erant & facta non erant. Vide in verbis numeroſitatem & in factis ſterilitatem. Qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non adulterandum, adulteras. *Ibidem.*

Pſ. 34. 12.

Cum verbis Prædicatoris, vita ejuſdem cõcordare debet.

Bibere volebat Chriſtus quando dixit mulieri Samarithanæ. Da mihi bibere. Dixit in cruce ſitio. Quid eſurivit, quid ſitivit Chriſtus niſi bona opera noſtra? In illis enim crucifigentibus & perſequentibus, quia nulla bona opera invenerat, jejunabat: tribuebant enim ſterilitatem animæ ipſius. Nam quale jejunium ipſius fuit? qui vix invenit unum latronem, quem in cruce guſtaret? Apoſtoli enim fugerant, & ſe in turba abſconderant. *Ibidem.*

Io. 4. 7. *Io. 19. 28.*

Chriſtus, bona opera noſtra ſitit et eſurit.

Quomodo medicus non curat quidquid audiat à phrenetico, ſed quomodo convaleſcat & fiat ſanus phreneticus, nec ſi & pugnum ab illo accipiat, curat: ille illi facit nova vulnera, ille veterem febrem ſanat. Sic & Dominus ad ægrotum venit, ad phreneticum venit, ut quidquid audiret, quidquid paſſus eſſet contemneretur: hoc ipſo eos docens humilitatem, ut humilitate docti ſanarentur. *Ibid. in Pſal: 35.*

Chriſtus in paſſione medicus inferentes ei paſſionẽ phrenetici.

Venit ille & vocavit, & redemit & ſanguinem fudit. Hoc pretium dedit, hæc bona fecit, & mala paſſus eſt. Attende quæ fecerit Deus eſt: attende quæ paſſus ſit. homo eſt. Quis iſte Deus homo? Si tu o homo non dimitteres Deum; non fieret pro te Deus homo. Parum tibi enim erat ad remunerationem, vel ad donum ejus, quia & hominem te fecit, niſi & homo pro te fieret. Ipſe eſt enim qui direxit greſſus noſtros, ut viam ejus vellemus. A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet. Jam cum ſequeris viam Chriſti, non tibi ſæculi proſperitates promittas. Per dura ambulavit, ſed magna promiſit. Sequere. Noli tantum attendere qua iturus, ſed & quo venturus ſis. Tolerabis dura temporalia, ſed ad lætitiam pervenies ſempiternam. Si vis ſuſtinere laborem attende mercedem. Nam & operarius in vinea deficeret, niſi attenderet quid accepturus eſſet. Cum autem attenderis quid ſis accepturus, omnia tibi erunt vilia quæ pateris, nec digna æſtimabis pro quibus illud accipias. Miraberis tantum dari pro tanto labore. Nam utiq; fratres pro æterna requie labor æternus ſubeundus erat. Æternam felicitatem accepturus, æternas paſſiones ſuſtinere deberes. Sed ſi æternum ſuſtineres laborem quando venires ad æternam felicitatem? Ita fit ut neceſſario temporalis ſit tribulatio tua, qua finita venias ad felicitatem infinitam. Sed plane Fratres poſſet eſſe longa tribulatio pro æterna felicitate. Verbi gratia, ut quoniam felicitas noſtra finem non habebit; miſeria noſtra & labor noſter, & tribulationes noſtræ diuturnæ eſſent. Nam & ſi mille annorum eſſent, appende mille annos contra æternitatem. Quid appendis cum infinito quantumcunq; finitum? Decem millia annorum, decies centena millia, ſi dicendum eſt & millia millium quæ finem habent, cum æternitate comparari non poſſunt. Huc accedit quia non ſolum temporalem voluit laborem tuum Deus, ſed etiam brevem.

Pſ. 36. 23.

Via Chriſti proſperitatibus vacua.

Æterna felicitas æterno labore conquirenda.

Æternitatis menſura.

Et

Et infra. Si ergo per totam vitam ſuam homo in laboribus & in ærumnis eſſet, in doloribus, in tormentis, in carcere, in plagis, in fame & ſiti omnibus diebus, horis omnibus per totam vitam ſuam, uſq; ad ætatem ſenectutis, pauci dies ſunt tota vita hominis: quo labore tranſacto, veniet regnum æternum, veniet ſine fine felicitas, veniet æqualitas Angelorum, veniet hæreditas Chriſti, veniet cohæres Chriſtus. Pro quanto labore quantam mercedem accipimus? Veterani homines qui laborant in militia, & verſantur inter vulnera tot annos, incipiunt militare à juventute, exeunt ſenes: ut paucos habeant dies ſenectutis ſuæ, quando eos jam ipſa ætas gravare incipit, quos bella non gravant, quanta dura tolerant, quæ itinera, quæ frigora, quos ſoles, quantas neceſſitates, quæ vulnera, quæ pericula? & non attendunt patientes hæc omnia niſi paucos dies quietos illos ſenectutis, ad quos utrum perveniant, neſciunt. Ergo à Domino greſſus hominis dirigentur & viam ejus volet. Hinc dicere cœperam, viam Chriſti ſi vis, & vere Chriſtianus es (ipſe eſt enim Chriſtianus, qui non aſpernatur viam Chriſti, ſed vult viam Chriſti ſequi per paſſiones ipſius) noli per aliam viam velle ire quàm per illam qua ipſe ivit. Dura videtur, ſed iſta eſt tuta via: alia forte delicias habet, ſed latronibus plena eſt. Et viam ejus volet. *Et infra.* Quid enim timebis homo cujus directi ſunt greſſus, ut velles viam Domini. Quid timebis? dolores? flagellatus eſt Chriſtus. Contumelias timebis? Audivit, Dæmonium habes, qui dæmonia excludebat. Forte factionem & conſpirationem malorum? conſpiratum eſt adverſus illum. Non potes oſtendere forte conſcientiam tuam bonam in aliqua accuſatione, & vim pateris quod adverſus te falſi teſtes audiuntur. Contra ipſum falſum teſtimonium dixerunt, non ſolum ante mortem, ſed etiam poſt reſurrectionem. Inducti ſunt falſi teſtes ut à Judicibus damnaretur: acceſſerunt falſi teſtes cuſtodes ad ſepulchrum. Reſurrexit ille cum tanto miraculo, commota terra prodidit Dominum reſurgentem. Erat illic & terra cuſtodiens terram. Sed terra durior mutari non potuit. Nuntiavit vera ſed ſeducta eſt à falſa. *Vide plura Con: 2. in Pſal: 36.*

Homines in ſæculo multa in cõmoda propter ſpẽ futuri cõmodi perferunt.

Via paſſionis dura ſed tuta eſt.

Chriſti paſſio, incitamẽtum eſt ad patiendum.

Amici mei proximi mei à longe ſteterunt. Appropinquaverunt
Pſ: 37. 12. enim corpore ſed longe ſteterunt corde. Qui tamen propinqui corpore quàm qui in crucem levaverunt? qui tam longe corde quàm qui blaſphemaverunt? Audite iſtam longinquitatem ab Iſaia Pro-
Iſa. 29. 13. pheta: Populus hic labijs me honorat: ecce propinquat corpore: cor autem eorum longe eſt à me. Iidem propinqui, ijdem longinqui. Propinqui labijs, longinqui corde. *Ibid tit: Pſal:* 37.

Crucifixores Chriſti, propinqui illi fuerũt corpore, longinqui corde

Sicut ovis coram tondente ſe ſine voce, non aperuit os ſuum.
Pſ: 37. 7. Oportebat ut taceret in paſſione, non taciturus in Judicio. Judicandus enim venerat qui poſtea judicaturus veniret: & ideo cum magna poteſtate judicaturus, quia cum magna humilitate judicatus *Ibidem.*

Chriſtus cum poteſtate judicaturus eſt quã cum humilitate judicatus.

Multiplicati ſunt qui me oderunt inique. Quid eſt qui ode-
Pſ: 37. 20. runt inique? bona ſibi volentem oderunt, qui ſi redderent mala pro malis boni non eſſent: qui ſi non redderent bona pro bonis ingrati eſſent. Reddunt autem mala pro bonis qui oderunt inique. Tales fuerunt Judæi, venit ad illos Chriſtus cum bonis, reddiderunt illi mala pro bonis. Cavete hoc malum fratres. *Ibid. in Pſal:* 37.

Ingratitudo Iudæorum.

Maledictus omnis qui pendet in ligno. Oſtendit ergo quia &
Deut. 21, 23. Filius DEI vera morte mortuus eſt, quæ mortali carni debebatur: ne non maledictum putares, non vere mortuum. Quia vero illa mors non erat falſa, ſed ex illa propagine deſcenderat, quæ venerat

Chriſti mors, nobis vitã, ejꝰ maledictio benedictionẽ nobis attulit.

rat de maledicto, cum diceret Deus. Morte moriemini, omnino & ad ipsum pervenit vera mors, ut ad nos perveniret vera vita : etiam ad ipsum pervenit mortis maledictio, ut ad nos perveniret vitæ benedictio. *Ibidem.*

Vetustatē hominū infirmitate sua Christus in Cruce reparavit.

Deus meus Deus meus ut quid dereliquisti me. Non illum dimisit Deus. *Ps. 21. 2.* Si te non dimittit credentem in se, Christum dimitteret Pater & Filius & Spiritus Sanctus unus Deus? Sed personam in se transfiguraverat primi parentis. Scimus dicente Apostolo: qua vetus noster homo crucifixus est cum illo. Non autem careremus vetustate, nisi crucifigeretur in infirmitate. *Ibidem.*

Sanguis Christi semen Ecclesiæ.

Sparsus est sanguis justus, & illo sanguine tanquam seminatione per totum mundum facta seges surrexit Ecclesiæ. *Ibid. in Psal: 39.*

Christus citiō quā speremus, benefacit.

Corde credidit ore confessus est. Memento mei inquit Domine cum veneris in regnum tuum. Salutem suam longe futuram sperabat, & post longum tempus accipere contentus erat. *Io. 15. 20.* In longum sperabat dies, non est dilatus ille dixit. Memento mei cum veneris in Regnum tuum. Jlle respondit. Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradyso. Hodie mecum inquit eris in paradyso. *Io. 25. 20.* Paradysus habet ligna felicia: hodie mecum in ligno crucis: hodie mecum in ligno salutis. *Ibid. in Psal: 39.*

Quod Christus passus, & Ecclesia patitur.

Tristis est anima mea usq; ad mortem. Non enim timebat mori, qui venerat mori, aut recusabat mori, qui potestatem habebat *Marc: 14. 34.* ponendi animam suam. Sed loquebantur membra in capite, & loquebatur caput pro membris. *Et infra.* Quod patitur Christus patitur & Ecclesia: quod passum est caput, patiuntur & membra. *Ibid. Enar: in Psal: 40.*

Christus, dum de Cruce non descendit, potentius quid fecit, quam si descendisset.

Si Filius Dei est descendat de cruce. Non descendebat qui poterat, non potentiam demonstrabat, sed patientiam docebat. *Matt. 27. 42.* Si enim hæc illis dicentibus de cruce descenderet, quasi insultantibus cessisse videretur, & victus opprobria tolerare non potuisse crederetur: magis mansit in cruce illis insultantibus, fixus illis nutantibus. Ideo enim & caput agitabant, quia vero capiti non inhærebant. *Matt. 15. 29.* Nam quod est fortius fecit. Multo est enim potentius de sepulchro surgere quàm de cruce descendere. *Ibid. in Psal: 40.*

Innocentia Christi in Passione.

Me autem propter innocentiam meam suscepisti. Vere innocentiam: *Ps. 40. 13.* integritatem sine peccato, redditionem sine debito, flagellum sine merito. *Ibidem.*

Verba illa ut quid dereliquisti me, à Christo nomine hominū prolata.

Caput nostrum, vocem de cruce non dixit suam sed nostram. *Matt.* Ut quid dereliquisti me. Nam sequitur ibi. Longe à salute mea *27. 46.* verba delictorum meorum. *Ps. 21. 2.* Ostendit ex quorum persona hoc dixerit. Non enim in ipso delictum potuit inveniri. *Ibid. in Psal: 43.*

Vestis Christi Sancti ejus et tota Ecclesia est.

Vestimenta ejus sunt sancti ejus, tota Ecclesia ejus: quam sibi sicut vestem exhibet sine macula, & ruga, propter maculam abluens in sanguine, propter rugam extendens in cruce. Mirrha & gutta & casia à vestimentis tuis. Odores boni à vestimentis tuis. *Ibid. in Psal: 44.*

Sanguis Christi medicina peccatorum.

Compuncti corde dixerunt. Quid faciemus? Tanquam magna desperatione. *Act. 2. 37.* Jlle tantus est quem nos occidimus, nos ubi erimus? *Ibid.* Et Petrus. Agite pænitentiam & baptisetur unusquisq; vestrum in Nomine Domini nostri Jesu Christi: & dimittuntur vobis peccata vestra. Nihil enim hoc peccato gravius cogitare potuerunt. Quid gravius peccatori ægro, quàm Medici interfectio? Quid gravius potest æger facere, quàm si Medicum suum occidat? Cum hoc dimittitur quid non dimittitur? Ab illo ergo cui dictum est refugium & virtus, acceperunt magnam securitatem. Baptisetur unusquisq; &c. In illius nomine quem occidistis baptisamini, & dimittun-

mittuntur vobis peccata vestra. Medicum vel postea cognovistis jam securi bibite sanguinem quem fudistis. ***Ibid. in Psal:*** 45.

Quoniam hic est DEUS, DEUS noster. Terra videbatur, terræ conditor non videbatur: caro tenebatur, sed DEUS in carne non agnoscebatur. Tenebatur caro ab eis ex quibus sumpta fuerat ipsa caro. (ex semine Abrahæ enim Virgo MARIA.) Ad carnem remanserunt divinitatem non intellexerunt. O Apostoli o Civitas magna. In turribus tuis prædica, & dic: Hic est DEUS DEUS noster. Sic sic quomodo contemptus est, quomodo lapis ante pedes jacuit offendentium, ut humiliaret corda confitentium: sic hic est DEUS noster. ***Ibid. in Psal:*** 47.

In Passionē Deꝰ non agnitus.

Filium hominis sicut hic cum esset adhuc judicandus, & mali viderunt & boni: viderunt enim Apostoli qui secuti sunt, viderunt Judæi qui crucifixerunt: sic cum venerit judicaturus, & boni illum videbunt & mali. Boni ut percipiant mercedem quia secuti sunt, mali ut percipiant pænam quia crucifixerunt. Soli ergo illi damnabuntur qui crucifixerunt. Audeo dicere soli. Ergo nos inquiunt peccatores hujus sæculi securi sumus. Si non animam interrogat DEUS securi estis. Quid est quod dixi? Intelligat charitas vestra; ne hoc dicant in judicio DEI quia non intellexerunt & Judæi quia viderunt Christum crucifixerunt, tu quia non vides Christum, verbo ipsius resistis. Nunquid ergo qui verbo resistis carnem non crucifigeres si videres? Contempsit Judæus ligno pendentem, contemnis tu in Cælo sedentem. ***Ibid. Con:*** I. ***in Psal:*** 48.

Qui Verbo resistit carnem ejus crucifigeret.

Si Filius DEI esset descenderet de cruce. Viderunt Christum pendentem in cruce & contempserunt dicentes: non videntes quid sit interitus. Si viderent quid sit interitus, se viderent, ille moriebatur temporaliter, ut revivisceret in æternum; illi vivebant temporaliter, ut morerentur in æternum. ***Ibid. in Psal:*** 48.

Matt. 27.42.

Christus mors vita nostra est.

Nonne verissimum. Ego & Pater unum sumus. Unde ergo DEus DEus meus ut quid dereliquisti me? nisi quia in carne infirmitatis agnoscebatur vox peccatoris. Qui enim suscepit similitudinem carnis peccati, cur non susciperet similitudinem vocis peccati. ***Ibid. in Psal:*** 49.

Matt. 27.46.

Christus et similitudinē et vocē infirmitatis peccatī suscepit.

Patior inquit indignus pro dignis, ut eos dignos faciam vitâ meâ, pro quibus indigne patior mortem illorum. *Et infra.* Ut vincas cum judicaris. Tu solus juste judicas injuste judicatus. Vincis cum judicaris, Omnes homines superas quia plus es quàm homines, & per te facti sunt homines. ***Ibid. in Psal:*** 50.

Ps. 50. 9.

Suscepit pænam nostram & ideo soluit culpam nostram. Merito ergo in Adam omnes moriuntur, in Christo autem omnes vivificantur. ***Ibidem.***

In Adā omnes mortui in Christo vivificantur.

Quis dabit ex Sion salutare Israel? O stulti increpastis, insultastis, colaphizastis, sputis illinistis, spinis coronastis, in crucem erexistis. Quem? Salutare Israel. Nonne ipse de quo dixistis. Non est DEUS? In avertendo Dominus captivitatem populi sui. Non enim avertit captivitatem populi sui, nisi qui voluit inter vestras manus esse captivus. ***Ibid in Psal:*** 52.

Ps. 13. 7.

Ps. 125 1.

Christus captivus, avertit captivitatem populi sui.

Venisti o Christe, humilis apparuisti, contemptus es, flagellatus es, crucifixus es, occisus es, infirmus nobis prædicatus es. Neq; enim & ille Doctor gentium dixit aliquid inter nos se scire nisi Christum JESUM & hunc crucifixum: ut ejus eligeremus opprobrium, verumtamen de illo quid ait? Et si mortuus est ex infirmitate, sed nunc vivit ex virtute DEI. Venit ergo ut moreretur ex infirmitate, venturus est ut judicet in virtute DEI. Sed per infirmitatem crucis clarificatum est Nomen ejus. Quisquis non crediderit

Infirmitas Christi in passione.

Virtus et Majestas in judicio.

rit in Nomen clarificatum per infirmitatem, expavescet ad Judicem cum venerit in virtute. *Ibid. in Psal: 53.*

Vespera crux, Mane resurrectio, Meridies ascensio.

Vespere, mane, & meridie narrabo & annuntiabo, & exaudies vocem. Vespere Dominus in cruce, mane in resurrectione, meridie in ascensione. Enarrabo vespere patientiam morientis. Annuntiabo mane vitam resurrectionis. Orabo & exaudies meridie sedens ad dexteram Patris. Exaudiet vocem meam qui interpellat pro nobis. Quanta hujus securitas, quanta consolatio, quanta refectio. *Ibid. in Psal: 54.* Ps. 54. 18.

Titulus super crucem tribus linguis tanquam tribus testibus approbatus.

Erat ibi titulus inscriptus Hæbraicè, græcè, & latinè, Rex Judæorum. Tribus linguis tanquam tribus testibus titulus approbatus: quia in ore duorum vel trium stabit omne verbum *Ib. in Ps: 55.* Io. 19. 26.

Custodes sepulchri Christi, corrupti à Iudæis.

Caro ipsius jam sepulta falsos testes pertulit. Parum fuit omnes perpeti in judicio, perpessus est in sepulchro. Acceperunt pecuniam ut mentirentur & dixerunt: Cum dormiremus venerunt discipuli ejus, & abstulerunt eum. Tales autem cæci erant Judæi, ut crederent dicto omnino incredibili, crediderunt testibus dormientibus. Aut falsum erat quod dormierunt, & mendacibus credere non debuerunt: aut verum erat quod dormirent, & quod factum est nescierunt. *Ibidem.* Matt. 28 13.

Immutare titulũ cruci inscriptum non poterant Iudæi.
Veritas Immutabilis.

Rex Judæorum. Indignati sunt Judæi, quia inscriptus erat titulus Rex Judæorum. Puduit illos habere Regem, quem crucifigere potuerunt. Non enim viderunt, quia ipsa crux in qua eum fixerunt, futura erat in frontibus Regum. Et quia jam cantatum erat per Spiritum Sanctum. In finem ne corrumpas in tituli inscriptionem: respondit eis Pilatus. Quod scripsi scripsi. Quid mihi suggeritis falsitatem? Ego non corrumpo veritatem. *Ibid. in Psal: 56.* Io. 19. 21.

Veræ cicatrices Passionis veræ indices.

Quia veritas est verax propterea cicatrices veras ostendit, quia vera vulnera pertulit. Has cicatrices tenuerunt discipuli, palpaverunt, manifestaverunt sibi: exclamavit qui misit digitos, in compunctum latus & ait. Dominus meus, & DEUS meus. Misericordiâ pro illo mortuus erat, & veritate ad illum resurrexerat: Misit de Cælo misericordiam suam, & voluntatem suam. *Ibidem.* Ps. 56. 4.

A Pilato flagellatus Christus, ut à morte liberari posset.

Unde eum flagellavit Pilatus, & veste ignominiosa induit, & flagellatum ad eorum oculos perduxit, ut saltem pæna flagellorum ejus satiati, eum occidi non extorquerent *Ibidem.*

Linguâ tanquã gladio acuto, Christus occiditur.

Lingua eorum gladius acutus. Noli attendere inermes manus, sed os armatum. Inde gladius processit, quo Christus occideretur; quomodo & de ore Christi unde & Judæi occiderentur. *Et infra.* Exaltare super Cælos DEUS. Vidit Dominum in spiritu ipse Propheta humiliatum, cæsum, flagellatum, colaphis percussum, expalmatum manibus, sputis illitum, spinis coronatum, ligno suspensum. Exaltare inquit super Cælos DEUS. Homo in cruce, & super Cælos DEUS. Remaneant in terra sævientes tu esto in Cælo judicans. *Et infra.* O Hæretica insania quod non vides credis mecum, quod vides negas? Credis mecum exaltatum Christum super Cælos, quod non vidimus: & negas gloriam ejus super omnem terram quod videmus. Exaltare super Cælos DEUS, & super omnem terram gloria ejus *Ibidem.* Ps. 56. 5. Ps. 56. 6.

Christus Homo in cruce humiliatur, et Deus in cælo exaltatur.

Virga ferreâ reguntur obedientes, conteruntur resistentes.

Cum Dominus crucifigeretur, titulus inscriptus est à Pilato, & positus Rex Judæorum. Tribus linguis, hæbræâ, græcâ, & latinâ, quæ linguæ toto orbe maxime excellunt. Igitur Judæi Regẽ suum crucifixerunt, & quidem quantum in illis fuit perdiderunt Christum, sed sibi non nobis. Et mortuus est ille pro nobis, & sanguine suo redemit nos Et modo non est corruptus titulus: quia ille Rex est non solum gentium, sed etiam Judæorum. Nam ille Rex virgam Io. 19. 20.

ferream gerit qua regit & frangit. Reges eos in virga ferrea, & tan-
Ps. 9 quam vas figuli conteres eos. Quos regit? quos conterit? Regit obedientes, conterit resistentes. *Ibid. in Psal: 58.*

Deus meus, Deus meus quare me dereliquisti. In cruce pen-
Ps. 21. 2. dens ex persona corporis locutus est. Non enim dereliquerat Christum à quo derelictus non est. Aut vero sic ad nos venit ut illum desereret, aut sic illum dimisit ut ab illo discederet. *Ibidem.*

Quomodo in cruce Christus derelictus.

De viris sanguinum salvum me fac. Erant illi viri sanguinum,
Ps. 50. quia cum vellet alienigena lotis manibus dimittere Christum, clamaverunt: Crucifige, crucifige. Erant viri sanguinum quibus cum jam objiceretur crimen sanguinis Christi, responderunt propinantes posteris suis: sanguis ejus super nos & super filios nostros. Sed
Matt. 27. 25. nec in ejus corpus exsurgere viri sanguinum cessaverunt. Ibi primo Stephanus lapidatus est, & quod vocabatur accepit. Stephanus enim corona dicitur. Humiliter lapidatus, sed sublimiter coronatus. *Ibid. Enar: in I partem Psal: 58.*

Iudæi viri sanguinum.

Stephanus humiliter lapidatus, sublimiter Coronatus.

Plane etiam illud considerandum est, quia magnum pietatis judicium est nosse quis pro te, quid sustinuit. Non quicunq; par-
Phil. 2. 8. vus pro te magno, sed pro te infirmo ille summus. Quid? Factus parvulus. Humiliavit se factus obediens usq; ad mortem. *Et infra.* Veni non recedens, ascendi non deserens *Ibidem.*

Magnum pietatis judicium nosse, quis pro hõine et quid sustinuit.

Ps. 58. 7. Convertentur ad vesperam. Quid est ad vesperam? Postea. Quid est ad vesperam? Serius. Ante enim debuerunt quàm crucifigerent Christum Medicum agnoscere. Quare jam eo crucifixo, resurgente, in cælum ascendente: compuncti sunt de conscientia
Act. 2. sua, consilium salutis ab Apostolis petierunt, audierunt: Agite pænitentiam & baptisetur unusquisq; vestrum in Nomine Domini nostri Jesu Christi, & dimittuntur vobis peccata vestra. Post occisum Christum, post effusum Christi sanguinem dimittuntur peccata vestra. Ille sic mori voluit, ut sanguine suo etiam effusores ejusdem sanguinis redimeret. Fudistis sævientes, bibite confitentes. *Ibidem.*

Sanguis Christi, suis effusoribus profuit ad salutem.

Multi conversi ad eum quem occiderunt, & in eum credendo veniam de effusione ipsius sanguinis meruerunt: exemplumq; præbuerunt hominibus, quod non debeant diffidere, dimitti sibi qualecunq; peccatum, quando & interfectio Christi dimissa est confitentibus. *Ibid Enar: in partem 2. Psal: 58.*

Conversi post occisũ Christũ Iudæi docent non desperandum.

Ex maledicto & mendacio annuntiabuntur consummationes. Fecistis quod ad maledictum pertinebat o Judæi. Maledictus enim omnis qui pendet in ligno. Crucifixistis Christum, tanquam maledictum putastis. Adde maledicto mendacium. Custodes ad sepulchrum posuistis: ut mentirentur, pecuniam dedistis. Ecce Christus resurrexit. Ubi est maledictum crucis quod fecistis? ubi est mendacium custodum quos corrupistis? Ex maledicto & mendacio annuntiabuntur consummationes. *Ibid. Con: 2. in Psal: 58.*

Iudæorum mẽdacia inter passionẽ Christi et Resurrectionem.

Nisi granum ceciderit in terram, non multiplicaretur, solum
Jo. 12 24. maneret. Cecidit in terram Christus in passione, sed secuta est fructificatio in Resurrectione. In grano vis proferens fructum abscondita est. Sic in Christi cruce abscondita erat virtus, apparebat infirmitas. *Ibid. in Psal: 59.*

Christus in passione et Resurrectione Grano assimilatur

Quidquid pateris cogita quia prior passus est, & cogita quo fine passus est, ut moreretur & resurgeret. Talem & tu finem spera qualis in illo præcessit. *Ibid. in Psal: 60.*

Finis passionis

Cucurri in siti. In cruce positus, sitio dixit, quamvis illi non
Jo. 19. 25. hoc dederint quod sitiebat, ipsos enim ille sitiebat: at illi acetum dederunt non vinum novum, quo implerentur utres vini: sed vinum vetus, & malum vetus. Dicitur enim & vinum vetus veteres

In Cruce sitivit Christus conversionem Iudæorum.

homines de quibus dictum est. Non enim est illis commutatio. *Ibid. in Psal: 61.*

Christus Crucifixo pretiũ fudit pro Orbe.

Rex vero lætabitur in Deo. Crucifixus fudit pretium, quo e- *Ps: 62. 10.*
mit orbem terrarum. *Ibid. in Psal: 62.*

Clamantes Iudæi prius Christũ crucifixerunt quàm eorum milites. Lingua Crucifixor.

Crucifige crucifige. Quidam Evangelista dicit hora sexta cru- *Lu. 23. 11.*
cifixum Dominum, & quidam hora tertia. Apparitores potestatis
hora sexta crucifixerunt; prævaricatores legis hora tertia clamave-
runt. Quod illi manibus hora sextâ, hoc illi linguâ hora tertia. Rei
magis isti, qui clamando sæviebant, quàm illi qui obtemperando
administrabant. *Et infra.* Intenderunt arcum rem amaram, ut sa- *Ps. 63. 4.*
gittarent in abscondito immaculatum. Magna iniquitas. Ecce de
abscondito venit sagitta quæ immaculatum ferit, quibus insidiis &
dolis egerint ut sagittarent in abscondito immaculatum, qui nec
tantum habebat maculæ, quantum potest pungi à sagitta. Agnus

Christo Agno immaculatus.

quippe immaculatus, totus immaculatus semper immaculatus; non
cui maculæ ablutæ sunt, sed qui maculas nullas contraxerit. Nam
fecit multos immaculatos donando peccata, ipse immaculatus non
habendo peccata. Repente sagittabunt eum & non timebunt. O *Ps: 63. 6.*
cor durum, occidere velle hominem, qui mortuos suscitabat: re-
pente id est insidiose: quasi inopinate quasi non prævise. Similis
enim nescienti erat inter ipsos Dominus. Obfirmaverunt sibi ser- *Ps: 63. 6.*

Crudeliores in Christũ Iudæi quã Gentiles.

monem malignum. Facta sunt tanta miracula, non sunt moti, per-
stiterunt in consilio sermonis maligni. Traditus est Judici: trepidat
Judex & non trepidant qui judici tradiderunt. Contremiscit pote-
stas & non contremiscit immanitas. Vult ille lavare manus, illi in-
quinant linguas. Sed quare hoc? Firmaverunt sibi sermonem ma-
lignum. Crucifige crucifige. Repetitio confirmatio est sermonis
maligni. Regem vestrum crucifigam? Dixerunt. Nos non habe- *Io. 19. 15.*
mus Regem nisi Cæsarem. Offerebat ille Regem Filium Dei, illi
ad hominem recurrebant; digni qui illum haberent, & illum non
haberent.

Iniquitas eũ occidit à quo non occiditur.

Et infra. Foderunt ante faciem meam foveam, & inciderunt in *Ps: 56. 7.*
eam. Dominum mors non occidit sed ipse mortem: illos autem ini-
quitas occidit, quia noluerunt occidere iniquitatem. Prorsus Fra-
tres certum est: aut occidis iniquitatem, aut occideris ab iniquita-
te. Et post pauca. Faverunt Febri, repugnaverunt Medico. Quid-
quid suggerebat febris faciebant: quidquid jubebat contra Medi-
cus negligebant. Ergo illi magis occisi sunt non Dominus: nam in

Christi occisores magis ipsi interierunt.

Domino mors occisa est in illis iniquitas vixit. Vivente autem in
se iniquitate illi mortui sunt. Narraverunt ut absconderent musci-
pulas, dixerunt quis videbit eas? Latere putabant eum quem occi-
debant, latere Deum. Ecce puta homo erat Christus sicut & cæteri *Ps: 63. 6.*
homines: nesciebat quid de illo cogitarent, nunquid & Deus ne-

Oculos Dei nihil effugere potest.

scit? O cor humanum quare tibi dixisti. Quis videt me, cum ille
videat qui te fecit? Dixerunt quis videbit eas? Videbat Deus,
videbat & Christus, quia & Christus Deus. Sed quare videbatur
eis non videre? audi sequentia. Perscrutati sunt iniquitatem, de- *Ps: 63. 7.*
fecerunt scrutantes scrutationes: id est acerba & acuta consilia.
Non tradatur per nos, sed per discipulum suum: non occidatur à no-
bis, sed à Judice. Totum nos faciamus, & nihil fecisse videamur.

Simulata æquitas duplex iniquitas est.

Et ubi est clamor linguæ Crucifige crucifige? Sic cæci estis, ut &
surdi sitis. Simulata innocentia non est innocentia, simulata æqui- *Lu. 23. 11.*
tas non est æquitas, sed duplex iniquitas, quia & iniquitas & simu-
latio. Ibi ergo isti defecerunt scrutantes scrutationes. *Ibid. in Ps: 63.*

Pecunia sanguinis est, non illam mittamus in gazophylacium. *Matth. 27. 6.*
Quid est gazophylacium? Arca Dei ubi colligebantur ea, quæ ad

indi-

indigentiam servorum DEI mittebantur. O homo cor tuum sit potius arca DEI, ubi habitent divitiæ DEI, ubi sit nummus DEI, mens tua habens imaginem Imperatoris tui. Cum ergo hæc ita sunt, qualis illa innocentiæ simulatio fuit, pecuniam sanguinis non mittere in arcam, & ipsum sanguinem mittere in conscientiam. *Ibidem.*

Cor humanum arca Dei esse debet.

Homo erat propter hominem, & DEUS latens in homine: venerat nescientibus exemplum fortitudinis dare, ideo ipse sciens omnia sustinebat. Passus est se teneri ut homo. Non enim teneretur nisi homo, aut videretur nisi homo, aut cæderetur nisi homo, aut crucifigeretur, aut moreretur nisi homo: sed si ille non esset homo non liberaretur homo. *Ibidem.*

Deus homo factus & passus propter hominem.

Dixerunt Pilato Seductor ille. Hoc appellabatur nomine Do-
Matt. 27.63 minus JESUS Christus ad solatium servorum suorum quando dicuntur seductores. *Ibidem.*

Christus seductor appellatus propter solatium opprobriæ patientiumq;

Et facta ejus intellexerunt. Quid est facta ejus intellexerunt?
Ps. 63. 10. Hoc erat illud o Domine JESU Christe quod tacebas, & sicut ovis ad victimam ducebaris, & non aperiebas coram tondente os tuum, & nos te putabamus in plaga & dolore esse positum, & scientem ferre iniquitatem. Hoccine erat quod abscondebas speciem tuam speciose forma præ filijs hominum? hoccine erat illud in quo videbaris non habere speciem neq; decorem? Portabas in cruce in-
Matt. 27.42. sultantes & dicentes. Si filius DEI est descendat de cruce. Quis forte sciens potestatem tuam servus & dilectus tuus non exclamavit in corde suo, & dixit. O si modo descenderet, & isti omnes qui insultant confunderentur? Sed non erat sic. Moriendum erat propter morituros, & resurgendum, propter semper victuros. Hoc illi qui volebant illum de cruce descendere non intelligebant, at ubi resurrexit & glorificatus ascendit in Cælum intellexerunt opera Domini. *Ibidem.*

Opera Christi passi non agnita.

Fusus Domini sanguis donatus est homicidis, ut non dicam
1 Cor. 2. 8. Deicidis: quia si cognovissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Modo homicidis donatus est fusus sanguis innocentis: Et ipsum sangninem quem per insaniam fuderunt per gratiam biberunt. *Ibid. in Psal: 65.*

Sanguis Christi donatus Deicidis.

Audivimus eum dicentem: Solvam templum hoc & post tri-
Matt. 27.40. duum resuscitabo illud. Post triduum resuscitabo audierunt, solvam non audierunt, sed audierant solvite. Unum verbum mutaverunt, & paucas literas, ut falsum testimonium molirentur. Sed cui mutas verbum o humana vanitas? o humana infirmitas? Verbo incommutabili verbum mutas? mutas tu tuum verbum nunquid mutas DEI verbum? Unde alio loco dicitur. Et mentita est iniquitas sibi. Quare ergo tibi mentiti sunt inimici tui o Domine cui jubilat omnis terra? In multitudine potentiæ tuæ mentientur
Ps. 65. 3. tibi inimici tui. Dicunt solvam, cum tu dixeris solvite. Quare te dixerunt dixisse solvam: & non dixerunt quod tu dixisti solvite? ut quasi ipsi se à crimine soluti templi defenderent sine causa. Christus enim quia voluit mortuus est, & tamen vos occidistis. *Ibid. in Psal: 65.*

Propter falsũ testimonium, verba Christi mutarũt crucifixores.

Dictum est ab Apostolo. Qui me dilexit & tradidit semetipsum
Eph. 5. 2. pro me. Dictum est de Patre. Qui proprio filio suo non pepercit,
Rom. 8. 32. sed pro nobis omnibus tradidit illum. Si ergo Pater Filium tradidit, & Filius semetipsum tradidit, Judas quid fecit? Pater tradendo Filium ad mortem pro nobis bene fecit; Christus tradendo seipsum pro nobis, fecit bene: tradendo Judas Magistrum pro avaritia sua fecit male. Non enim quod nobis præstitum est de passione Chri-

Christus traditur à Patre æterno, à semetipso, et Iudæ ad patiendum sed dispari ratione.

sti, malitiæ Judæ deputabitur. Habet ille mercedem malitiæ, Christus laudem gratiæ. Prorsus ipse solverit templum, ipse solverit qui dixit. Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: nemo tollit eam à me, sed ego ipse pono eam à me, & iterum sumo eam. Ipse solvit templum gratiâ suâ non malitiâ vestrâ. *Ibidem.* Io 10. 18.

Passio Christi mari assimilatur.

Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Gratias ipsius misericordiæ, qui venit in altitudinem maris, & glutiri à marino cæto dignatus est: sed evomitus est tertio die. Venit in altitudinem maris: in qua altitudine nos depressi eramus, in qua altitudine nos naufragium passi eramus. Fluctus passus est ipsos homines, tempestates voces dicentium Crucifige crucifige. Augebatur tempestas donec demergeretur qui venerat in altitudine maris Et passus est Dominus inter manus Judæorum, quod non est passus cum super aquas ambularet: quod non solum ipse passus non erat, sed nec Petrum pati permiserat. *Ibid. Con: 1 in Psal: 68.* Ps: 68. 3.

In locum Discipulorũ Latro in cruce sufficitur.

Quando passus est, quando mortuus est, omnes discipuli desperaverunt, quod ipse esset Christus. A latrone Apostoli victi sunt, qui tunc credidit, quando illi defecerunt. *Ibidem.*

Inimici Capilli.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui oderunt me gratis Capillis capitis sui comparavit inimicos suos. Merito rasi sunt quando in loco Calvariæ crucifixus est. Accipiant membra vocem hanc, discant odio haberi gratis Jam enim si necesse est Christiane, ut mundus oderit te, quare non facis ut gratis te oderit. *Ibidem.* Ps: 68. 5.

Tempus Passionis Christi tẽpus misericordiæ Dei est.

Tempus beneplaciti DEUS in multitudine misericordiæ tuæ. Ecce enim sepelitur granum exurget fructus De hoc tempore & Prophetæ dixerunt, quod commemorat Apostolus: Ecce nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis. Hoc est tempus beneplaciti in multitudine misericordiæ tuæ. Nam si non esset multitudo misericordiæ tuæ, quid nos faceremus de multitudine iniquitatis nostræ. *Ibidem.* Ps: 68. 14.

Iudæi in volentẽ se curare Christũ sævierunt.

Cæci Medicum occiderunt, qui tanquam pernitiose febrientes phrenetici, faciebant injuriam ei à quo illis fuerat salus allata. Ille volebat curare, illi sævire. *Ibid. Con: 2. in Psal: 68.*

Sũma iniquitas Iudæorum in morte Christo illata.

Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum. Iniquitas ipsorum erat, quia hominem occiderunt justum. Addita est alia quia Filium DEI crucifixerunt. *Ibidem.* Ps: 68. 28.

Christo gratiæ pro passione agendæ.

Gratias grano tritici, quia mori voluit & multiplicari: Gratias unico Filio DEI Domino & Salvatori nostro JEsu Christo, qui mortem nostram subire non dedignatus est, ut nos vita sua dignos faceret. *Ibid. in Psal: 69. præfat.*

Christus in passione nullã vitas pressuram.

Nolite timere eos qui corpus occidunt. Exemplo faciens quod verbo præcepit, ut nec coram, verberantium manus vellet devitare, nec alapas percutientium, nec salivas conspuentium, nec coronam de spinis imponentium, nec crucem interficientium. Nihil horum vitare voluit, cui nihil opus erat eos quibus hoc opus erat: faciens ægrotis de seipso medicamentum. *Ibidem.* Matt. 10. 28.

Per Christi passionem omnia mysteriorũ secreta patuerunt.

Neq; frustra illo crucifixo velum templi medio scissum est, nisi quia per ipsius passionem omnium mysteriorum secreta patuerunt. *Ibid. Con: 2. in Psal: 70.* Matt. 27. 51.

Quare cicatrices in corpore resurgente relictæ.

Terruerunt eos vulnera, firmaverunt cicatrices. Posset Dominus JEsus Christus sine ulla cicatrice resurgere (quid enim illius potestati magnum erat) ad tantam integritatem compagem corporis revocare, ut nullum omninò vestigium præteriti corporis appareret. Habebat potestatem, unde illud etiam sine cicatrice

sana-

sanaret, sed habere voluit unde nutantes columnas firmaret. *Ibid. in Psal: 74.*

Nos non habemus Regem nisi Cæsarem. O ergo Judæi qui *Christus Rex Judæorum.*
Io. 19. 15. vocamini & non estis! si non habetis Regem nisi Cæsarem. Defecit jam Princeps de Juda, venit ergo ille cui repromissum est. *Ibid. Præfat: in Psal: 75.*

Ps: 76. 15. Notam fecisti in populis virtutem tuam. Quam virtutem suam fecit in populis? Nos autem prædicamus Christum crucifixum. *Ibid. in Psal: 75.* *Virtus Christi in passione innotuit.*

Si Filius DEI est descendat de cruce. Nihil valere videbaris.
Matt. 27. 47. Prævaluit super te persecutor: Demonstrasti hoc antea quia & Jacob
Gē 32. 26. ipse prævaluit Angelo in luctando. Quando nisi vellet Angelus? Et prævaluit homo & victus est Angelus: & victor homo tenet Angelum, & dicit: Non dimittam te nisi benedixeris mihi Magnum Sacramentum. Et stat victus, & benedicit victorem, victus quia voluit carne infirmus, majestate fortis, & benedixit. Vocaberis inquit Israel. Tetigit tamen & femoris latitudinem & aruit, eundemq; hominem unum fecit & benedictum, & claudum. Vides claudicasse populum Judæorum: vide ibi & benedictum genus Apostolorum. Excita ergo potentiam tuam. Quamdiu videris infirmus? crucifixus ex infirmitate resurge in virtute. *Ibid. in Psal: 79.* *Christus in passione victor Angelo cōparatus.* *Gē 32.*

Deus quis similis erit tibi? Multis enim similis in humilitate *Deus in passione cui similis.*
Ps: 70. 29. esse voluisti usq; adeo, ut & latronibus qui tecum sunt crucifixi. *Ibid. in Psal: 82.*

Et jacebant inquit ægroti in quinq; porticibus. Quinq; illæ *Portico legē, aqua in ea, passionēChristi significabat.*
Ioā. 5. porticus lex est in quinq; libris Moysis. Ergo lex perdebat ægrotos non sanabat. Perturbata aqua Passionem Domini significabat, quæ facta est perturbata gente Judæorum. Sanabatur unus quia unitas. *Ibid. in Psal: 83.*

Pro impijs mortuus est. Neq; enim merita nostra præcesse-
Rō. 5. 6. runt, pro quibus filius DEI moreretur: sed magis quia nulla erant merita, magna erat misericordia. Quàm certa ergo quàm firma promissione servat justis vitam suam, qui donavit injustis mortem suam. *Ibid. Exposit: Psal: 85.* *Eo major erga homines misericordia Dei, passi quia eam non meruerūt*

Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt? Quem petit?
Lu. 23. 34. pro quibus petit? Quis petit? ubi petit? Patrem Filius pro impijs crucifixus inter ipsas injurias non verborum, sed mortis illatæ pendens in cruce: tanquam ad hoc extensas manus habuerit, ut sic pro illis oraret, ut dirigatur oratio ejus tanquam incensum in con-
Ps 142. 2. spectu Patris *Et infra.* Demonstrabit potentiam qui demonstavit patientiam. In cruce patientia erat, in judicio potentia erit. *Ibid. in Psal: 85* *Filius Dei pro suis Crucifixoribus Patrem deprecatur.*

Io 19. 30. Perfectum est. Et inclinato capite emisit Spiritum. Quid perfectum est? Jam demensura passionum nihil mihi deest, quia omnia quæ de me dicta sunt completa sunt, tanquam ideo expectaret ut complerentur. Quis est qui sic proficiscatur quomodo ille de corpore egressus est? Sed quis est qui hoc potuit? Qui primo dixerat, potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me, & iterum sumo eam. Posuit quando voluit, sumpsit quando voluit, nemo abstulit nemo extorsit. Ergo impletæ erant omnes passiones sed in capite: restabant adhuc Christi passiones in corpore. *Ibid. in Psal: 86.* *Christus prime in mēte, deinde in corpore passus.*

Pro quibus si contristatum dicamus & Dominum cum ejus passio propinquaret. in qua illi se immanissimo scelere fuerant obligaturi: non incongrue nos dicere existimo. *Ibid. in Psal: 87.* *Peccata Deū contristant.*

Sanguis Christi pretium est totius orbis.

Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid nisi totius orbis? Quid nisi omnes gentes? Valde ingrati sunt pretio suo, aut multum superbi sunt qui dicunt aut illud tam parvum esse ut solos Apostolos emerit: aut se tam magnos esse pro quibus solis illud sit datum. Non ergo exultent, non superbiant; pro toto dedit quantum dedit. Novit quid emerit, quia novit quanti emerit, & quanti dederit. *Ibid. in Psal. 95.*

Christo David sua manu fortis in sua passione.

Inscribitur psalmus ipsi David cum terra ejus restituta est. *Et infra.* Ergo David Christus, quia & interpretatur David manu fortis. Et quis tam manu fortis, quàm qui de cruce mundum vicit? Nam post resurrectionem & ascensionem ejus, accepto Spiritu Sancto, loquentibus Apostolis varijs linguis commota multitudo eorum ipsorum qui eum crucifixerunt consilium quæsivit salutis: accepit, credidit, ignotum est, donatus est reatus sanguinis Christi,

Restitutio passioni facta.

impertitùs est potus Sanguinis Christi, facti sunt fideles ejus, cujus fuerant persecutores: crediderunt in eum quem crucifixerunt, & ante quem insultantes caput agitaverunt, eum ipsum caput habere voluerunt. Ita ergo restituta est terra ejus, quod habet titulus psalmi. *Ibid. in Psal: 96.*

Tu conditione natus es, ille voluntate, tu conditione morieris, ille misericordia. *Ibid. in Psal: 96.*

Deus Domino nobis est in passione. Æstimandus passione Deus.

Scitote quoniam Dominus ipse est DEUS. (*Ps: 99. 3.*) Quis nescit quia Dominus ipse est DEUS? Sed de Domino dicit quem non putabant homines DEUM. Scitote quoniam Dominus ipse est DEUS. Dominus ille non vobis vilescat quem crucifixistis, flagellastis, sputis illinistis, spinis coronastis veste ignominiosa vestistis, in ligno suspendistis, clavis confixistis, lancea percussistis, custodes ad sepulchrum posuistis. Ipse est DEUS. *Ibid. Exposit: Psal: 99.*

Ipsa sibi cibus crudelitas.

Alios salvavit, se salvare non potest. Pascebantur cibo crudelitatis suæ, & ille pascebatur cibo misericordiæ suæ, Pater inquit ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. *Ibid. Enar: in Psal: 100.*

Similis factus sum pelicano. (*Ps: 101. 8.*) Dicat nobis Pauper iste caput nostrum: pauper voluntate loquatur pauperibus in necessitate. Quid enim dicitur vel etiam legitur de hac ave id est pelicano, non taceamus non aliquid affirmantes temere: sed tamen non tacentes quod qui scripserunt, & legi & dici voluerunt. Vos sic audite, ut si verum est, congruat: si falsum est, non teneatur. Dicuntur hæ aves tanquam colaphis rostrorum occidere parvulos filios suos, eodemq; in nido occisos à se, lugere per triduum. Postremo dicunt Matrem seipsam graviter vulnerare, & sanguinem suum super filios fundere: quo illi superfusi reviviscunt. Fortasse hoc verum, fortasse falsum sit: tamen si verum est quemadmodum illi congruat, qui nos vivificavit sanguine suo, videte. Congruit illi quod Matris caro vivificat sanguine suo filios suos? Satis congruit. Nam & ipse gallinam se dicit super pullos suos. Hierusalem Hierusalem quoties volui congregare filios tuos tanquam gallina pullos suos sub alas suas & noluisti. (*Matt: 23.37.*) Habet enim paternam authoritatem, habet maternum affectum, sicut & Paulus & Pater est & Mater est, non per seipsum sed per Evangelium. *Ibid. ser: 1. de 1. parte Psal: 101.*

Deus nos occidendo vivificat.

Et Pater & Mater Deus.

Securitas nostra Resurrectio illius.

Animæ pretium.

Redempta est vita tua de corruptione, jam securus esto. Initus est bonæ fidei contractus, nemo fallit Redemptorem tuum, nemo circumvenit, nemo premit. Egit hic commercium, jam pretium solvit, sanguinem fudit. Sanguinem inquam fudit unicus Filius DEI pro nobis. O anima erige te, tanti vales: redimet de corruptione vitam tuam. Ostendit exemplo quod promisit in præmio.

Mor-

Mortuus est propter membra quod in capite demonstratum est. Non curabit membra sua quorum caput levavit in Cælum? *Ibid. Enar: in Psal:* 102.

Ps. 108 2. Os peccatoris & os dolosi super eum apertum est: & ideo illud apertum est, quia operta virtus hujus fuit. Ideo autem dicit apertum est os dolosi, quia odium quod dolo tegebatur erupit in vocem. *Ibid. in Psal:* 108. *Difficile est celare peccatum.*

Et est mirabilis in oculis nostris. In oculis interioris hominis, in oculis credentium, sperantium, diligentium: non in oculis carnalibus eorum qui quasi hominem contemnendo reprobaverunt. Hic est dies quem fecit Dominus. *Ibid. Expos: psal:* 117. *Non omnibus oculis mirabilis Deus.*

Omnium calumniæ superborum tanquam colubrorum venena vincuntur, cum vigilantissima pietate Christus crucifixus attenditur: propter quod præfigurandum Moyses DEO miserante ac Ge. 21. 8. jubente exaltavit in Eremo similitudinem serpentis in ligno, ut similitudo carnis peccati crucifigenda præfiguraretur in Christo. Hanc intuentes salutiferam crucem omne calumniantium superborum virus expellimus. Quam prorsus etiam iste quodammodo Ps. 118 123. valde intente intuens ait: oculi mei defecerunt in salutare tuum. *T. 8. Con: 26. in Psal:* 118. *Memoria Christi passi inducit patientiam linguarum.*

Primò servos fecit quos redemit. Sanguis enim ille pro servis pretium est, pro sponsa pignus est. *Ibid. Enar: in Psal:* 122. *Sanguis Christi est pretium & pignus.*

Ejecerunt illum extra Civitatem suam, & eum foris crucifixerunt. Et ipse ejecit illos extra Civitatem suam id est æternam Hierusalem, Matrem omnium quæ est in Cælis. *Ibid. Exposit: Ps:* 124. *Pœna respondet culpæ.*

Unum sanguinem fudit ejus, qui non justificatus, sed justus natus est. Ille sanguine fuso perdidit, quos tenebat. *Ib Enar: in Ps:* 125.

Speciosus forma præ filijs hominum. Omnes homines superat Ps. 44. 3. illius pulchritudo. Quam rem amamus in Christo? Membra crucifixa, latus perforatum, ac claritatem? Quando audimus quia passus est pro nobis, quid amamus? Charitas amatur. Amavit nos ut redamaremus eum: & ut eum redamare possemus visitavit nos Spiritu suo. Pulcher est ille & absens est. *Et infra.* Absens est sponsus noster interroga conscientiam tuam. Vis ut veniat, an adhuc vis ut tardet? *Ibid. Expos: Psal:* 127. *Pulchritudo patientis.*

Sanguis innocens fusus delevit omnia peccata nocentium: Pretium tantum datum redemit omnes captivos de manu captivantis inimici. Ergo est apud te propitiatio. Nam si non esset apud te propitiatio, si Judex solum esse velles, & misericors esse nolles, observares omnes iniquitates nostras, & quæreres eas quis sustineret? Quis ante te staret & diceret. Innocens sum? Quis staret in judicio Ps. 129 4. tuo? Spes ergo una est. Quoniam est apud te propitiatio. Propter legem tuam sustinui te Domine. *Ibid. Enar: in Psal:* 129. *Misericordia Dei.*

Nullum lumen exaltatum est, nisi Christus. Quomodo exaltatum est? Primo in cruce, postea in Cælo. Exaltatus in cruce cum humiliaretur, sed humiliatio ipsius non potuit nisi alta esse. *Ibid. Enar: in Psal:* 137. *Sublimis humilitas.*

Ps. 138 2. Tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Quid hic sessio? Quid hic resurrectio? Qui sedet humiliat se. Sedit ergo Dominus in passione, surrexit in resurrectione. *Ibid. Expos: Psal:* 138. *Idem.*

Oravit JESUS intenta oratione, & sudavit sanguinem. Quid est de toto corpore sanguinis effusio, nisi de tota Ecclesia Martyrum passio? *Ibid. Expos: Psal:* 140. *Oratio sanguinis.*

Ps. 139 6. In via se putat ponere scandalum Paganus quando mihi dicit. Colis DEUM crucifixum? Reprehendit crucem Christi quàm non intelligit. In Christo se ponere putat, quod juxta viam ponit. Non

egrediar à Christo, & non incidam à via in muscipulam. Insultet ille crucifixo Christo videam ego in frontibus Regum, crucem Christi. Quod irridet ibi salvor. Nihil est superbius ægro qui deridet medicamentum suum? si non derideret acciperet & ipse & sanaretur. Crux illa signum est humilitatis, ille autem superbia nimia non agnoscit unde sanetur tumor animæ suæ. Si autem ego agnosco in via ambulabo. Usq; adeo de cruce non erubesco, ut non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem. *Ibid. Enar: in Psal: 141.*

Superba infirmitas.

Æstimatio Crucis.

Nihil feci unde moriar, sed facio ut moriar: & illi per innocentis mortem liberentur, qui habebant quare morerentur. Collocaverunt me in tenebrosis tanquam in infernis, tanquam in sepulchro, tanquam in passione velut mortuum sæculi, eum qui dicit. Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber. Quid est liber. Quare liber? Quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Deniq; non solveret à vinculis, nisi liber à vinculis. Ille liber mortem occidit, vinculum vinxit, captivitatem captivavit. Et collocaverunt eum in tenebrosis tanquam mortuos sæculi. *Ibid. Expos: Psal: 142.*

Mors morte victa.

Libera innocentia in vinculis.

Ps 142. 3.

Ps: 87. 5.

Ps 142. 3.

Æstimatio est quanti pretij sit quidq;. Quanti æstimavit hominem qui pro eo unici sanguinem fudit. Quid est homo quoniam innotuisti ei? *Ibid. Exp. s. Psal: 143.*

Pretium hominum.

Ps 143. 3.

Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Magnum pretium video Christi. Videam quid emisti: Commemorabuntur & convertentur ad Dominum universi fines terræ. In uno eodemq; psalmo emptorem video, & pretium & possessionem. Emptor Christus est, pretium sanguinis, possessio orbis terrarum *Ibid Expos: Psal: 147.*

Ingens pretiũ pro vili.

Patientia cõtempsit orbem

Ps: 21. 18.

Quoniam benefacit Dominus in populo suo. Quid tam beneficum quàm mori pro impijs: quid tam beneficum quàm sanguine justo delere chirographum peccatoris? Quid tam beneficum quàm dicere. Non ad me pertinet quod fuistis, estote quod non fuistis. Benefecit Dominus in populo suo dimittendo peccata, promittendo vitam æternam. Benefacit aversum convertere, pugnantem adjuvare, vincentem coronare. Benefacit Dominus in populo suo. *Ibid. Expos: Psal: 149.*

Protheo bene faciẽs, seu multiplex in benefaciẽdo Deus.

Ecce eijcio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor. Quid etiam in triduo suæ passionis, & dormitionis & evigilationis ostendit. Crucifixus est enim & sepultus, & resurrexit. In cruce de principibus & potestatibus triumphavit, in sepulchro requievit, in resurrectione exaltavit. Pænitentia cruciat, tranquillat, vita æterna glorificat. *Ibid. Enar: in Psal: 150.*

Cujus consequentia.

In auditu auris obedivit mihi. Judæa gens cognovit, & crucifixit orbis terrarum audivit & credidit. *T. 10. ser: de verb: Domini ser: 6. De puero Centurioris.*

Fides ex auditu.

2 Reg. 22. 45.

Gaudete quia ego vici mundum. Respondeamus ei si placet. Gaude sed tu. Si tu vicisti, tu gaude. Quæres nos? Quare nobis dicit. Gaudete: nisi quia nobis vicit, nobis pugnavit? Ubi enim pugnavit? quia hominem suscepit. Tolle quod de Virgine natus, tolle quod semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Tolle hoc, ubi luctamen? ubi certamen? ubi tentatio? ubi victoria quam non præcessit pugna. *Ibid. ser. 21. De illo: de die illo & hora nemo scit &c.*

Vita Christi victoria nostra.

Io. 16. 33.

Mortuus est pro nobis unicus, ne remaneret unus. Noluit esse unus, qui mortuus est unus. Multos enim filios DEI fecit unicus filius DEI. Emit sibi fratres sanguine suo, probavit reprobatus,

tus, redemit venditus, honoravit injuriatus, vivificavit occisus. Dubitas quod non dabit tibi bona sua, qui non dedignatus est suscipere mala tua? *Ibid. ser: 32. De illo, Homo quidam descendit ab Hierusalem in Hiericho &c.* *Mors vivificat. Dat bona sua qui mala aliena suscipit.*

2. Reg. 22. 45. Populus quem non cognovi servivit mihi: in auditu auris obedivit mihi. Non ibi fui & auditus sum: affui & occisus sum. *Ibid. ser: 40. De Nathanaele.*

Ubi est mors aculeus tuus? Percussisti, vulnerasti, dejecisti: sed 2. Cor. 15. 55. vulneratus est pro me, qui fecit me. O mors o mors, vulneratus est pro me, qui fecit me, & de morte sua vicit te. Et nunc triumphantes dicturi sunt. Ubi est mors contentio tua? *Ibid. ser: 43. de illo Si ego testimonium perhibeo de me &c.* *Etiam morte triũphatur.*

Missus est Christus unicus filius Patrisfamilias, & ipsum occiderunt heredem, & ideo perdiderunt hereditatem. In contrarium eis vertit malum consilium. Ut possiderent, occiderunt: & quia occiderunt, perdiderunt. *Ibid ser: 59. De operariis vineæ.*

1. Cor. 2. 8. Si cognovissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Nunquid adhuc contemnendus est sedens in cælo, si contemptus est, cum penderet in ligno. *Ibidem.*

Quod est mortuus, de nostro mortuus est, quod vivimus de ipsius vivimus. Nec ille potuit mori de suo, nec nos vivere de nostro. *T. 10 ser: 64. De illo secundum eundem. Amen amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui audient &c.* *Aliena vivimus morte. Mors avaritia.*

Quid est melius ridere phreneticum, an plorare sanum? eligit sibi homo fletum cum sanitate, quàm risum cum amentia? Tantum valet mentis sanitas, ut etiam cum planctu eligatur. Isti enim qui sanos se putabant, multo periculosius, & desperatius ægrotabant, & ipsa ægritudine, qua mentes perdiderant, etiam medicum cædebant. Parum est cædebant, dicam totum; non solum cædebant, sed etiam occidebant. Ille autem etiam cum occideretur, medicus erat, vapulabat, & curabat: patiebatur phreneticum, nec deserebat ægrotum: tenebatur, alligabatur, colaphis percutiebatur, arundine plagas accipiebat, irridebatur, insultabatur ei, postremo audiebatur, damnabatur, ligno suspendebatur, undiq; circumfremebatur: & medicus erat. Agnoscis phreneticos, agnosce & Medicum. Lu. 23. 34. Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Illi perdita mente sæviebant, & Medici sanguinem sæviendo fundebant: ille autem etiam de ipso sanguine suo ægrotis medicamenta faciebat. *T. 10. ser: de verb: Apost: ser: 9. De illo Apost: Fidelis ser: & omni acceptione &c.* *Mœtus sanitas etiã cum plãctu eligitur. Æger, mente amissa medicũ cadit. Misericordia crudelitate à benefaciendo non deterretur. Sanguis Christi medicamẽtũ ægrotorũ.*

Rom. 4. 25. Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Quid est propter justificationem nostram? Ut justificaret nos, & justos faceret nos. Eris opus Dei, non solum quia homo es, sed etiam quia justus es. Melius est enim justum esse, quam te hominem esse. Si hominem te fecit Deus, & justum tu te facis, melius aliquid facis, quàm fecit Deus. Sed sine te fecit te Deus. Non enim adhibuisti aliquem consensum, ut te faceret Deus. Quomodo consentiebas qui non eras? Qui ergo fecit te sine te, non te justificat sine te. Ergo fecit nescientem, justificat volentem. Tamen ipse justificat. *Ibid. ser: 15.* *Justũ esse melius est quam hominem. Deus non nisi volentẽ justificat.*

Is. 53. 2. Et vidimus eum, & non habebat speciem neq; decorem. Deformitas Christi te format. Ille enim si deformis esse noluisset, tu formam, quam perdidisti non recepisses. Pendebat ergo in cruce deformis: sed deformitas illius pulchritudo nostra est. In hac ergo vita deformem Christum teneamus. Quid est deformem Christum? Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per *Deformitas Christi pulchritudo nostra.*

quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Hæc est deformitas Christi. Nunquid dixi me aliquid scire in vobis nisi viam? Hæc est via credere in crucifixum: hujus deformitatis signum in fronte portamus: de ista deformitate Christi non erubescamus. *Ibid. ser: 20. de Psal: 95.*

Morsus serpẽtis exaltatione Crucis sanatur.

Si tentatio serpentina momorderit, conspectu illius exaltatione serpentis, tanquam mortis in carne Domini victæ atque triumphatæ, eodem crucis medicamento sanetur. *T, 10. 50. Homil: Hom: 20.*

Mortis amaritudo consumatur dulcedine

Ut occideret mortem vestitus est morte. Non potuit mors mori nisi in vita. Non moritur amaritudo nisi in dulcedine: non moritur frigus nisi in calore, non est mortua mors nisi in vita Quid est vita? Christus noster. Sed vita induta erat mortem. Crucifixus est, occisus est, mortuus est & resurrexit, tota vita. Interfecta morte & deglutita morte jam vita surrexit, ut diceret de illa Apostolus: Scimus quia Christus non moritur, & mors ei ultra non domi- Rom. 6.
nabitur. *Ibid. Hom: 35. De prædictione temporum Christianorum in scri-* 9.
pturis divinis.

Christus terræ sitiẽtis radix.

Ascendet sicut virgultum, & sicut radix de terra sitienti. Qua- If. 51.
re ut radix? Ideo quia non est illi species neq; honor. Passus est, 2.
humiliatus est, consputus est, non habebat speciem: homo apparebat, cum DEUS esset. Sed quomodo radix non est pulchra, sed intus habet vim pulchritudinis suæ. Attendite fratres mei, videte misericordiam DEI. Attendis arborem pulchram, amænam, folijs virentem, fructibus opulentam, laudas. Delectat aliquid de fructu carpere, sub umbra ejus sedere, & requiescere ab æstu: laudas totam illam pulchritudinem. Si radix attendatur tibi nulla pulchritudo in ea est. Noli contemnere quod abjectum est: inde processit quod miraris, ut radix in terra sitienti. Attendite modo claritatem arboris. Crevit Ecclesia, crediderunt gentes, victi sunt terræ Principes sub nomine Christi, ut essent victores in orbe terrarum. Positum est collum eorum sub jugo Christi. Persequebantur ante Christianos pro idolis, persequuntur idola propter Christum. Omnes confugiunt ad auxilium Ecclesiæ in omni pressura, in omni tribulatione sua. Crevit illud granum sinapis, factum est majus super omnia olera. Veniunt volatilia Cæli superbi sæculi, & requiescunt sub ramis ejus. Unde hæc tanta pulchritudo? Nescio de qua radice surrexit, & ista pulchritudo in magna gloria est. Quæramus radicem. Consputus est, humiliatus est, flagellatus est, crucifixus est, vulneratus est, contemptus est. Ecce hic species non est: sed in Ecclesia gloria radicis pollet. *Ibid. Hom: 36. de illo Esaiæ. Ascendet sicut virgultum &c.*

Pulchritudo interna.

Abjecta in honore sunt dum contemnũtur.

Minima ad sũmorũ non raro perveniunt fastigium.

Maxima pollet gloria cui species non est.

Non habuit speciem, sed vultus ejus abjectus & deformis, po- If. 53.
sitio ejus ab omnibus hominibus. Homo in plaga, in plaga homo, ante plagam DEUS, post plagam DEUS homo; homo in plaga & qui sciat ferre infirmitates. Infirmitates quorum? Ipsorum à quibus patiebatur. Medicus ferebat infirmitates phreneticorum, & cum ipse crucifigeretur, orabat, & dicebat, Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Attendite: amemus Christum. Quanto magis deformis nobis commendatur, tantò charior, tantò dulcior factus sponsæ, propter quod & avertit se, Avertit se ne illum intelligerent illi qui eum crucifigebant. *Et infra.* Omnes ut oves erravimus, & Dominus tradidit illum pro peccatis nostris. Evangelium est, an prophetia? Quid dicunt contra ista Judæi? *Et infra.* Dicite, dictum est illis. Quia dormientibus nobis venerunt discipu- Matt.
li ejus, & subtraxerunt illum. O vanitas vendens vanitatem, vani- 29. 13.
tatem audituris vanis, & credituris. Hodieq; hoc est apud Judæos

Inimicum superat qui Deũ oratione pro illo interpellat.

Vanitas mercatur vanitatem.

sic

sic habetur ipsa fama, quàm vana, quàm falsa, quàm inanis. Testimonium Martyrum nolunt audire ut vivant: & testimonium dormientium audiunt, ut pereant. Si dormiebant custodes, unde scire potuerunt quis illum tulerit de sepulchro. Aut quid vigilabas mane? O male de quo non sine causa dixit Propheta. (*Is: 53. 9.*) Dabo malos pro sepultura ejus. O mali, o pessimi, aut vigilabatis & custodire debuistis; aut dormiebatis, & quid sit factum nescistis. Impletum est enim quod Spiritus Sanctus per Psalmistam multo ante prædixerat: (*Ps: 20. 12.*) Cogitaverunt consilium quod non potuerunt stabilire. *T, 10 Ibidem.*

Magi ex gentibus erant, ipse etiam Pilatus ex gentibus: illi stellam viderunt in cælo, ille titulum fixit in ligno: utriq; tamen non Regem gentium sed Judæorum, vel quærebant, vel agnoscebant *Et infra.* Nam Magi ab oriente, Pilatus ab Occidenre venerat. Unde illi orienti hoc est nascenti, illi autem occidenti hoc est morienti attestabantur Regi Judæorem. *T, 10. ser: de Temp: ser: 31. in Epiph. Dni 3.*

Cur Magi ab Oriente Pilatus ab occidēte venerat.

Res vetus erat, ut homo moreretur. Quod ne semper valeret in homine, res nova facta est, ut DEUS moreretur. Sed quia in carne mortuus est, non in divinitate, per sempiternam vitam divinitatis, non permisit esse sempiternum interitum carnis. *Ibid. ser: 39. Dnca 1. post Epiph. ser: 1.*

Quanta pro nobis sustinuerint ipse, puto charitatem vestram ignorare non posse: tamen exinde aliquid dicam, si tamen de tanto aliquid digne dicam. Prius illud quod DEus homo: quod verbum caro factum est, quod multa bona fecit, & mala perpessus est, quod mortuos suscitavit, & mortuus est, quod singularis illa patientia pertulit diabolum tentatorem, discipulum traditorem, quod ipsum Judam priusquam ostenderet traditorem, pertulit furem, & ante experimentum vinculorum, crucis ac mortis labijs ejus dolosis non negavit osculum pacis. In ipsa autem morte quanta iustinuit? Pertulit odiorum flammas, ministras pessimi cordis linguas. Clamaverunt Judæi, Crucifige, crucifige, ut rei remanerent Judæi, innocens ab eis crucifixus est Filius DEI Ad crucem ducitur, expalmatur, quia est vera palma victoriæ. Spinis coronatus, qui spinas peccatorum venit confringere. Ligatur, qui solvit compeditos, Ligno suspenditur, qui erigit elisos. Aceto potatur fons vitæ, disciplina cæditur, salus vulneratur, vita moritur, occidit ad tempus vitam mors, ut in perpetuum à vita occcideretur mors. *Ibid. ser: 46. Dnca 4. post Octavam Epiph. ser: 1.*

Scelera potius occultanda quā vulganda.

Lingua pessimi cordis ministra.

Vincas cum judicaris. Judicatus est enim & vicit: quia sine (*Ps 50. 6.*) peccato judicatus est. Patientiæ fuit, sustinere judicium, non reatus. *Ibid ser: 49 Dnica 5. post Epiph: ser: 2.*

Et erit inquit principatus ejus super humerum ejus. Tunc enim Christus principatum super humeros ejus habuit, quando (*Is: 9. 6.*) crucem suam admirabili humilitate portavit. Non incongrue crux Christi significat principatum. Nam per ipsam & diabolus vincitur, & totus mundus ad Christi notitiam vel gratiam revocatur. *Et infra.* Videte DEUM cum hominibus magna pietate certantem. Abraham mortalem filium non moriturum obtulit DEO, & DEus immortalem filium pro hominibus tradidit morti. Potest tamen & de B Isaac, & de illo ariete etiam sic intelligi, ut in Beato Isaac significata sit divinitas, in ariete humanitas Christi. Et quia in passione non divinitas crucifixa creditur, ideo non Isaac sed aries immolatur. DEI enim Filius vel unigenitus offertur, & Virginis primogenitus immolatur. *Et infra.* Hieronymus Presbyter

Principatus, Crux
Crux mundè victoria.

Isaac Divinitatē aries humanitatem significat.

ter scripsit ab antiquis & Senioribus Judæis se certissime cognovisse, quod ibi immolatus sit Isaac, ubi postea Christus crucifixus est. Deniq; ab eo loco unde Beatus Abraham jussus est proficisci, tertio die ad locum ubi Christus crucifixus est, pervenitur. Etiam hoc antiquorum relatione refertur, quod & Adam primus homo in ipso loco, ubi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus, & ideo Calvariæ locum dictum esse, quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum. Et vere fratres non incongrue creditur, quia ibi erectus sit Medicus, ubi jacebat ægrotus. Et dignum erat ut ubi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret divina misericordia: & sanguis ille pretiosus etiam corporaliter pulverem antiqui peccatoris dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur. *Ibid. ser: 71. Fer: 6. post Dom: primam Quadr.*

Christus Crucifixus ubi Isaac Immolatus

Locus Crucifixionis, Adami sepulchrum.

Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Intelligebat Medicus phreneticos mente perdita medicum occidentes, & occidendo Medicum nescientes, sibi medicamentum facientes. De Domino enim occiso omnes nos curati sumus, illius sanguine redempti, pane illius corporis à fame liberati. *Ibid. ser: 74. Dñica 2. Quadra. ser: 1.* Lu. 23. 34.

Christus occisus medela nostra.

Gens Judæa ut ab Evangelio repelleretur, superbia inflata est, quod legem accipere meruisset, quod de ipsa gente Patriarchæ processerunt, Prophetæ extiterunt. *Et infra.* Erat unde extolleretur gens Judæa, & per ipsam superbiam factum est, ut Christo nollet humiliari, authori humilitatis, repressori tumoris, medico Deo, qui propter hoc cum Deus esset, homo factus est, ut se homo hominem cognosceret. Magna medicina Hæc medicina si superbiam non curat, quid eam curet nescio: Deus est, & fit homo. *Ibidem.*

Efficax superbiæ medicina humilitas Christi.

Postea quam passione pretiosum granum frumenti mortuum est, & sepultum per universum mundum, de uno illo grano messis Ecclesiæ pullulavit. *Ibid. ser: 84. Dnica 3. Quadrag: ser: 2.*

Granum passionis Christi messis Ecclesiæ.

Cum elevaret manus Moyses vincebat Israel. Attendite fratres Moyses manus quidem levat, non tamen extendit. Cui ergo servabatur ut manus extenderet, nisi Domino nostro Jesu Christo, qui extentus in cruce universum orbem complexurus brachia pietatis expandit. *Ibid. ser: 93. Fer. 6. post 3. Dnicā Quadrag. ser: 2.* Ex. 17. 11.

Tunc de illa spirituali uva de qua nobis vinum lætitiæ prælum crucis expressit cum secura conscientia bibere poterimus, si nos nec luxuria sordidaverit, nec iracundia combusserit, nec inflaverit superbia, nec avaritia obscuraverit, nec invidia vipereo veneno percusserit. *Ibid. ser: 100. Fer: 13 post 4. Dnicā Quadr. ser: 1.*

Invidia venenum vipereū.

Nunc vero, qui vult diaboli vitare venenum, Christum respiciat crucifixum. Et quia mors à morsu nomen accepit, & generi humano morsus antiqui serpentis occiderat, & mors nisi à morte superari non poterat, ideo mortem Christus sustinuit, ut injusta mors justam vinceret mortem, & liberaret reos juste, dum pro eis occidebatur injuste. *Et infra.* Quæ non rapui inquit, tunc exsolvebam. Quod ergo juste debebat Adam, Christus injuste mortem suscipiendo persolvit. Jlle expandit manum ad pomorum dulcedinem, iste ad crucis amaritudinem. Jlle arborem necis, iste salutis ostendit. Jlle se contra Deum erexit, & cecidit, Christus se humiliavit, ut omnes erigeret. Adam mortem universis intulit, & Christus vitam omnibus reparavit. Respiciebat ergo unusquisq; serpentem æneum, & à venenatis serpentibus sanabatur. Serpens æneus in ligno positus, venena vivorum serpentum separavit, & Christus in cruce suspensus & mortuus antiqua diaboli venena restrinxit, & Nu. 21. 8.

Miserorū sublevatio Christi humilitas.

omnes

omnes qui ab eo percussi fuerant, liberavit. Quare tamen serpens ille non de auro, non de argento, sed de æramento fuerit factus, videamus. Hoc mihi videtur quod duas significationes habere possit. Unam propter diuturnitatem, quia vasa ænea durare diutius solent. Aliam propter vocis claritatem: nam inter omnia metalla vasa ærea majorem tinnitum reddere, & longius sonare solent. Doctrina non in una tantum gente Judæa innotescere, sed per universum mundum claro salutiferæ prædicationis sono poterat pervenire: ideo serpens ille æneus efficitur, ut doctrina Christi in universo mundo clarius prædicetur: secundum illud quod de Apostolis scriptum est In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Ibidem.*

Cur serpens æneus appensus in deserto.

Ps. 18. 4.

De edente exivit cibus, & de forti est egressa dulcedo. Quid aliud significat, quàm Christum à mortuis resurgentem? De edente utiq; id est de morte quæ cuncta devorat, atq; consumit, exivit cibus ille qui dixit. Ego sum panis vivus qui de Cælo descendi: quem humana exacerbavit iniquitas, eiq; aceti, & fellis amaritudinem propinavit, atq; ab eo plebs gentium, vitæ dulcedinem conversa suscepit: ac sic de mortui leonis ore, id est de Christi morte, qui accubans dormivit ut leo aptum, id est Christianorum processit examen. Quod autem dicit. Non invenissetis propositionem meam, nisi arassetis in vitula mea: hæc vitula id est Ecclesia revelata sibi à viro suo, secreta fidei, mysteria Trinitatis, resurrectionis, judicij, pariter & regni, in fines terræ Apostolorum & Sanctorum doctrina, & prædicatione vulgavit, & intelligentibus, atq; cognoscentibus æternæ vitæ præmia repromisit. *Ibid. ser: 107. Dnica in Passione ser: 1.*

Jud. 14. 14.

Mortis avaritia, omnibus exhaustis non satiatur.

Nu. 24. 9.

Christiani apes de ore leonis Christi.

Jud. 14

In passione quid egit? Docuit quid toleremus. In Resurrectione quid egit? Ostendit quid speremus. Hic opus, ibi merces. Opus in passione, merces in resurrectione. *Ibid. ser: 119. Fer: 2. post Dnic Palm: ser: 3*

Resurrectio bonorū malorū merces.

Verè pius, verè Salvator, qui in tantum dilexerit opus suum, qui in tantum reputaverit servum suum, id est humanum genus universum: ut culpam ejus suo verbere expiaret, vulnera ejus suo livore sanaret. Deniq; ille peccat, hic vapulat. Jlle prævaricatur, iste crucifigitur. Quis hoc existimet, & quis cogitet? Quis compenset Dominum pro servis mori dignatum? Et hoc pro quibus? Pro sceleratis, pro impijs. Quid tibi Domine retribuet opus tuum bonum à te factum propria volũtate, perversum, sed tua miseratione reparatum? *Et infra.* Tu omnipotens, ego egens, tu immortalis, ego mortalis. Accepisti ex me egestatem pulveris, sumpsisti de me mortem carnis. Fudisti pro me pretium redẽptionis. O pretiosum pretium perditorum! Dicant nunc qui redempti sunt à Domino quos liberavit de manu hostis? Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Dicat ei terra redempta, terra irrigata, redempta sanguine, irrigata baptismate. Magna iniquitas mea, sed major est redemptio tua. Audiat ergo vocem Domini mei humani generis adversarius, & nihil jam sibi applaudat elatus, quia pro totius mundi facinore in cruce pependit Dominus noster JESUS Christus. Nunc inquit judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi mittetur foras. Et ego cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. O quàm bene te tuo impetu diabole percussisti! Crudelitas tua tibi exitium, nobis attulit commodum. Dum nulli parcis teipsum tandem interimis. Per unius delictum omnes captivasti, per unius justitiam omnes nihilominus amisisti. Si illum qui tibi consenserat invasisti, istum in

Homo pulveris egestas.

Ps. 117. 1.

Jo. 12. 32.

Vis magnetica Crucis.

Crudelitas Tyrãno exitium.

quo nihil inveneras cor indebite occidisti! Effudisti innoxium sanguinem, redde damnatam progeniem.

Sanguis effusus triumphat.

Et infra. Jlle igitur sanguis quem effudisti, te vicit, me redemit. Deniq; illum bibo & veneni tui pernitiem salvatus ultra non timeo. Prævaluisti in paradyso, sed victus es de patibulo. Quid mihi circumjectum paradyso igneum trophæum opponis? Ecce exaltati Crucifixi profluens unda restinxit versatilem flammam. Jam jam patet humano generi paradysus, in quo latronem confitentem reduxit Dominus JESUS Christus. O quàm grande mysterium? Paradysus qui clausus fuerat prævaricatori, jam reseratur latroni. An forte & in hoc latrone totum hominem, vel illum etiam primum generis humani parentem advertere convenit? Si enim is qui alijs interficiendo intulerat mortem latronis accepit nomen: quantò magis qui ipsam mortem, quæ non erat, peccando invenit, latronis non immerito crimen incurrit? Christus autem ait latroni. Hodie mecum eris in paradyso. Cui aliquando charissimi tarda videatur esse conversio, cum latronis jam pendentis, jam morientis non fuerit repudiata confessio? O ampla Domini miseratio, obliviscentis injusti crimen, suscipientis pænitentis fidem, pro scelere damnatum facientis electum mortis debitorem, reddentis æternitatis vitæ participem. Sed planè hujus latronis extrema quidem sed non minima fides, qui Dominum tunc non suscitantem mortuos, sed morientem pro peccatoribus propemodum agnoscere & confiteri promeruit. Solus deniq; Petrus passionis timore perterritus quasi hominē denegat, latro crucifixum adorat. Sed Petrum Dominus correxit respiciendo, latronem verò beatificavit in gloria assumendo. O latronem laudabilem, mirabilem, imitabilem, sævientem gladio, violentum cælo, rapinis inhiantem, fide ferventem Sed hæc mutatio dexteræ excelsi est, ut versam redderet diabolo; Christus videlicet, ut quemadmodum diabolus primum depravando hominem abstulerat de paradyso, sic Christus latronem confitentem erueret de inferno. Jlle præsumentem de interdicto ligno decepit, iste pendentem de pænali ligno redemit. *Ibid. ser: 122. Fer: 3. post Dnic Palm: ser: 3.*

Triumphatur ubi de victoria actum est

Quod prævaricator perdit, latro accipit.

Peccatū primi Parētis generis humani latrocinium.

Lu. 23. 43.

Etiā sera Pænitētia paradysum aperit

Christi respectus errantem corrigit, latronē beatificat.

Latro Pænitens Cælo violentus.

Mors Christi nostra liberatio.

Quia passio illius nostra est vita, mors illius nostra est liberatio. *Ibid. ser: 123. de eodem.*

Sic est tota Quadragesima abstinere, orare, vel psallere, & in passione Domini, id est in Parasceve de Ecclesia se subtrahere: & quomodo si quis cum grandi labore studeat terram colere, & messem non mereatur accipere. *Ibid. ser: 127. Fer: 5. in Cæna Dom.*

Non indiget tumulo in terra, cuī Cælū sedes.

Ut quid ei propria sepultura, qui in se mortem propriam non habebat? Et quid illi tumulus in terris, cujus sedes manebat in Cælis? Ut quid illi sepultura, qui tridui tantum temporis, non tam in sepulchro mortuus jacuit, quàm veluti in lecto conquievit? Ipsa enim temporis brevitas declarat, potius somnum fuisse quàm mortem. Sepulchrum autem mortis est habitaculum. Necessarium ergo non erat mortis habitaculum Christo, qui vita est, nec opus habebat semper vivens habitaculo defunctorum. Recte autem hanc vitam nos in nostro sepulchro condimus, ut vivificet mortem nostram, ut cum ipso à mortuis resurgamus. *Ibid. ser: 133. Sabb: in vigilia Paschæ, 2.*

Mors Christi somnus.

Victurus semper non indiget habitaculis mortuorū.

Sic perturbati sunt quando eum viderunt in ligno pendentem, ut obliviscerentur docentem, non expectarent resurgentem, nec tenerent promittentem. Nos inquiunt sperabamus, quia ipse erat redempturus Israel. O discipuli sperabatis; ergo jam non speratis? Ecce Christus vivit, & spes mortua est in vobis. Prorsus vivit Christus. *Ibid. ser: 140 Fer: 2. Paschæ ser: 1.* Lu. 24. 21.

Et

Et vita erat lux hominum. Ipse nobis vita, nos illi mors. Sed qualis mors? Dignatione, non conditione, quia dignatus est, quia voluit, quia misertus est. Potestatem inquit habeo ponendi animam meam. *Et infra.* Memento inquit Domine dum veneris in
Lu 23. 42. regnum tuum. Magna fides! huic fidei quid posset addi ignoro. Titubaverunt qui viderunt Christum mortuos suscitantem: credidit ille, quem videbat secum in ligno pendentem. Quando illi titubaverunt tunc ille credidit. Qualem fructum Christus de arido ligno percepit? Quid enim Dominus dixerat? Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradyso. Tu differs te, ego agnosco te. Quando hoc speraret latro, adductus de latrocinio ad judicem, à judice ad crucem, de cruce ad paradysum. *Et infra.* Non solum credebat resurrecturum, sed etiam regnaturum? Pendenti crucifixo, cruento ligno hærenti, Cum veneris inquit in regnum tuum: Et illi; nos speramus, ubi latro invenit, discipulus perdidit. ***Ibid. ser: 144. Fer. 3. Paschæ ser: 1.***

Condemnatus est justus pro injustis, & pænam quæ peccatoribus debebatur, sine peccato ipse suscepit, ut illorum pro quibus punitus est, & pænam auferret, & peccata deleret. Mortuus est morte brevi ac temporali, ne nos subiremus mortem æternam. ***T, 10. ser: 193 in Fest: S. Trin: ser: 5.***

Quem dicunt homines esse filium hominis? alij Eliam. Sicut
Matt. 16. 14. ergo orante Helia post tres annos, & sex menses pluvia de Cælo descendit; ita & in adventu Salvatoris, tribus annis, & sex mensibus, quibus prædicare dignatus est, pluvia verbi Domini, totum mundum feliciter irrigavit. ***Ibid. ser: 201. Dnica 3. post Trinit: ser: 2.*** *Verbum Domini pluvia.*

Quid est ascende calve, ascende calve: nisi ascende crucem in
4 Reg. 2. 24. loco Calvariæ. Et hoc attendite fratres, quia sicut sub Helisæo quadraginta duo pueri lacerati sunt, ita & post quadraginta duos annos passionis Dominicæ, venerunt duo Ursi Vespasianus & Titus. Et hoc considerate fratres, quia in solennitate Paschali facta est obsidio Judæorum, ut justo DEI judicio, ex omnibus Provincijs congregati Judæi, in ipsis diebus pænam sibi debitam sustinerent, in quibus verum Helisæum Dominum & Salvatorem nostrum, in cruce suspenderunt. Jllo enim, id est quadragesimo secundo anno à die passionis Domini nostri, quasi divina manu acti Judæi, Hierosolymis sicut solebant, ad celebrandum Pascha convenerant. In historijs legimus, quod tunc tricies centena millia hominum ex Judæis, Hierosolymis fuerint congregata; ex quibus ferro & fame, undecies centena millia leguntur esse consumpta; & centum millia juvenum, Romam perducti sunt in triumphum. Duobus enim annis obsessa est Civitas illa, & tanta multitudo mortuorum de Civitate projecta est, ut muris ipsa cadavera coæquarentur. ***Ibid. ser: 204. Dnica 4. post Trinit: ser: 3.*** *Strages ingẽs Judæorũ post mortẽ Christi Hierosolymis.*

Humiliavit semetipsum factus odediens usque ad mortem.
Phil. 2. 8. Quia parvuli eramus, parvulum se fecit: Quia mortui jacebamus, pius se medicus inclinavit: quia & revera fratres, nemo potest jacentem erigere, si se noluerit inclinare. ***Ibid. ser: 207. Dnica 5. post Trin: ser: 2.***

Sap. 2. 6. Venite ergo fruamur bonis quæ sunt, & utamur creaturâ, tanquam in juventute celeriter. Vino pretioso, & unguentis nos impleamus. Circumveniamus justum contumeliâ & tormento inter-
Sap. 2. 19. rogemus eum, morte turpissimâ condemnemus eum. Vinum sequitur furor, unguenta tormenta, sanguis rosas, ira lætitiam. A talibus ligatus, cæsus, interfectus est Dominus. Quis de coronis florentibus cruenta vincula formidaret? Quis de suavibus poculis dolo- *Vinum furor sequitur.* *Latet inter suavia dolor.*

dolores sævissimos prævideret? Quis de mollibus pratis tam dirum crucis lignum prænosceret, & tamen nulla ætas, nulla luxuria, nisi juventus, flori temporis comparata est: sic enim dixerunt. Utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter. *Ibid. ser: 246. Dñica 23. post Trinit: ser: 2.*

Quia proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Fecit enim per Judæos nescientes, unde redimerentur scientes, & confunderentur negantes. Nesciunt enim quid boni nobis operati sint malo suo. Suspensus est saccus, & quasi lætatus est impius. Conscidit saccum lanceâ persecutor, & fudit pretium nostrum Redemptor. Cantet Christus Redemptor, gemat Judas venditor, erubescat Judæus emptor. Ecce Judas vendidit, Judæus emit; malum negotium egerunt, ambo damnati sunt, seipsos perdiderunt venditor & emptor. Dicat ergo caput nostrum, dicat pro corpore occiso, pro corpore dedicato. Dicat, audiamus: Conscidisti saccum meum, & accinxisti me lætitiâ: id est conscidisti mortalitatem meam, & accinxisti me immortalitate, & incoruptione: ut cantet tibi gloria mea, & non compungar. *Ibid. ser: 256. In anniver: dedicat: Eccl: ser: 5.*

Christi venditio est inferni negotiatio.

Ps: 29. 12.

Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Oravit in homine, qui exaudivit cum Patre. Nam & modo orat pro nobis, orat in nobis, & oratur à nobis. Ut Sacerdos noster orat pro nobis, ut caput nostrum orat in nobis, ut DEUS noster oratur à nobis. Quando ergo in cruce pendens orabat, videbat, & prævidebat omnes inimicos, sed multos ex illis futuros amicos prævidebat, & ideo omnibus veniam postulabat. Jlli sæviebant, & ille orabat. J'li dicebant Pilato: Crucifige: ille clamabat, Pater ignosce. In asperis clavis pendebat, sed levitatem non amittebat. Jllis jam petebat veniam, à quibus tantam accipiebat injuriam. Jlli sæviebant, illi circumlatrabant, illi insultando caput agitabant, quod sanum non habebant, quia caput quod est Christus non habebant; & quasi in uno summo Medico in medio constituto phrenetici circumquaq; sæviebant: pendebat ille, & sanabat. Pater ignosce illis. Attendite fratres. Magna pietas! Pendebat, & tamen petebat. Et non descendebat, quia de sanguine suo medicamentum phreneticis faciebat. *T, 10. ser: de Sanctis ser: 4. In Fest: S. Stephani ser: 4.*

Lu. 23: 34.

Inimicis condonandæ injuriæ.

Marc. 15: 24.

Magna pietas petere veniã, & tamen injuriari.

Quando consilium contra JESUM fecimus, multum nobis profuimus, quia prævaluimus, circumvenimus, dedimus, accepimus, ligavimus, tradidimus, superavimus, oppressimus, crucifiximus: Amatori cupiditatis dedimus pecuniam, quàm de mammonâ iniquitatis distraximus unusquisq; Ligavimus inculpabilem filium virginitatis, tradidimus judici judicem æquitatis, superavimus superantem imperium vanitatis, oppressimus opprimentem superbiam calamitatis, conspuimus faciem sanctitatis, & crucifiximus cæci, filium Majestatis. Occidimus tamen, sepelivimus, ejusq; sepulchrum annulô nostrô signavimus, sed ab Angelo resignatum invenimus: *Ibid. ser: 6.*

Donec pervenias, tene pignus mortem Christi. Promittens enim nobis victurum se esse nobiscum, non potuit nobis majus pignus dare, quàm mori pro nobis. Mala inquit vestra pertuli, bona mea non reddam? Promisit cautionem, fecit pignus. Dedit Evangelium, & tu dubitas credere. *Ibid. ser: 48. In Festis plurium Mart: ser: 4.*

Mors Christi veniæ pignus.

Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Non enim repulit falsos testes, nec sævientem clamorem dicentium, Crucifigatur. Rabida corda, & ora furentium non potestate compressit,

Ps: 68. 3.

Rabidæ corda patiẽtiâ comprimuntur non potestate.

pressit, sed patientia toleravit. Fecerunt ei quanta voluerunt; quia factus est obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Postea verè resurrexit à mortuis, ut pro discipulis in Ecclesia tanquam in navi constitutis, & fide crucis suæ, tanquam ligno portatis, & tentationibus hujus sæculi tanquam fluctibus maris periclitantibus, solus oraret. *T.10. ser: de diver: ser: 22. De eo quod Petrus vacillavit in mari.* *Tentationes sæculi fluctus maris.*

Venite ad me, & discite à me, quoniam mitis sum & humilis corde, videamus quemadmodum utrumq; exhibeat: & in se ostendat sua eloquia consonare. Mitis est & humilis corde: quia sicut ovis ad immolandum ductus est, & sicut agnus coram tondente sine voce sic non aperuit os suum: ligno suspensus pertulit odiorum flammas, sustinuit ministras pessimi cordis linguas. Quibus linguis illi percusserunt immaculatum, crucifixerunt Justum. *Et infra.* Discite à me quoniam mitis sum & humilis corde. Discamus à te quoniam mitis es, & humilis corde Ubi magis apparere vel potuit, vel debuit dignius, quàm in ipsa cruce? Cum ligno membra penderent, cum clavis confixæ manus, & pedes essent, cum illi adhuc sævirent linguis, cum se fuso sanguine non satiarent, cum ægrotantes medicum non agnoscerent. Pater inquit ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Tanquam diceret. Ego veni ægros curare. Quod me non agnoscunt febris immanitas facit. Mitis ego & humilis corde dicit, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. *Ibid. ser: 36. de conversione S. Pauli.* (*Matt. 11.29.* *Lu 23 34.*)

Christus factus est obediens. Si parum est usq; ad mortem: & si aliquid etiam de genere mortis addendum, mortem autem crucis Habemus tale humilitatis exemplum superbiæ medicamentum. Quid ergo intumescis o homo? O pellis morticina quid tenderis? O sanies fœtida quid inflaris? Anhelas, doles, æstuas, quia tibi nescio quis fecit injuriam. Unde tu flagitas ultionem, sitis arenti, fauce vindictam: nec prius ab intentione desistis, donec de illo qui te læserat, vindiceris. Si Christianus es, expecta Regem tuum. Priùs se vindicet Christus. Nondum enim vindicatus est, qui pro te tanta perpessus est. Et utique Majestas posset vel nihil perpeti, vel continuo vindicari. Sed cum esset in illo tanta potentia, ideo fuit etiam tanta patientia: quia pro nobis est passus, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Videtis certe dilectissimi, quia præter effusionem cruoris, præter vincula & carceres, præter flagella & ungulas, sicut multi in quibus possumus sequi Christum. *Ibid. ser: 37. de S. Laurentio Mart.* (*Phil: 2 8.* *Vindicta de hostibus non sumenda.* *Ubi major potentia major patientia.*)

Ipsi vero consideraverunt, & inspexerunt me. Spectabatur illudendus, spectabatur ab eis qui non ei saltem faverent in illo spectaculo, sed sævirent: quomodo spectari fecit Martyres suos primitus, dicente Apostolo: Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Sed duo genera hominum talia spectacula spectant: unum carnalium, alterum spiritualium. Carnales spectant, miseros putantes eos Martyres, qui bestijs subjecti sunt, qui capite cæsi, qui ignibus concremati, detestantes eos & exhorrentes. Alij vero sicut & Sancti Angeli spectant non attendentes corporum laniatus, sed mirantes fidei integritatem. Magnum spectaculum præbet oculis cordis integer animus, corpore dissipato. *T. 10. parte 2. ser: de diver: ser: 63 de Consonantia Evangelistarum.* (*Ps: 21. 18.* *Magnum spectaculum, integer animus corpore dissiluso.*)

Nulla culpa Jechoniæ dicitur, quare sit regno privatus: sed magis illorum peccata inducuntur, qui ei successerunt. Sequitur ergo captivitas, itur in Babyloniam. Non eunt soli mali: sed cum his etiam pergunt Sancti. In illa captivitate erat Ezechiel Propheta in illa erat Daniel: in illa erant tres pueri, inter flammas (*Jer: 22*)

nobilitati. Jerunt autem secundum Prophetiam Hieremiæ Prophetæ. Mementote Iechoniam sine ulla culpa improbatum inde destitisse regnare & fecisse transitum ad gentes, cum transmigratum est in Babyloniam, & attendite præmonstratam imaginem rerum futurarum in Domino JEsu Christo. Noluerunt enim Judæi sibi *Lu 23.*
regnare Dominum nostrum JEsum Christum: in quo nullam cul- *24.*
pam invenerunt. *Ibidem.*

Qui JEsu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum passio- *Gal. 5.*
nibus & concupiscentijs. In hac quidem cruce per totam istam vi- *24.*
tam, quæ in medijs tentationibus ducitur perpetuo debet pendere Christianus: non est enim in hac vita tempus evellendi clavos, de quibus in psalmo dicitur. Confige clavis à timore tuo carnes me- *Ps. 118*
as: Carnes sunt carnales concupiscentiæ: clavi sunt præcepta justi- *120.*
tiæ. His illas timor DEI configit, qui nos illi acceptabilem hostiam crucifigit. *Ibid. ser: 68. Dnica 1. in Quadrag.*

Christianus perpetuo in Cruce pendere debet.

Clavi Christi- præcepta justitiæ.

Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, & super *Lu. 11.*
candelabrum: ut luceat omnibus qui in domo sunt. Domus mun- *33.*
dus est: candelabrum Christi crux est: lucerna in candelabro lucens, Christus in cruce pendens. In ipso candelabro lucebat etiam ille, qui prius lapidantium vestimenta servabat, de Saulo Paulus, de lupo agnus, & parvus & magnus: raptor agnorum, & pastor agnorum. In ipso candelabro lucebat, quando dicebat: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri JEsu Christi. *Ibid. ser: 92. in Natali S. Stephani.*

Crux candelabrũ est, domus, mundus. Christus in cruce lucerna.

Et inclinato capite tradidit Spiritum. Quis ita proficiscitur; *Io. 19.*
ut ille defunctus est? Quanta veritate, quanta potestate; quam ille *30.*
qui dixerat: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo eam tollit à me: sed ipse eam pono à me: & iterum sumo eam. Agnoscit regnum viventis, qui digne cogitaverit potestatem morientis. *Ibid. ser: 109. de Machabæis.*

Agnitio Regni viventis, morientis cogitatio.

Utinam aliquando vinum ejus bibatis, cui adhuc blasphemando acetum propinatis. *Ibidem.*

Immisit diabolus in cor Judæ, ut traderet Christum. Malus *Io. 13.*
diabolus, malus Judas. Qualis organarius, tale organum. Usus est *2.*
ergo diabolus male vase suo: usus est ambobus Dominus bene. Conati sunt ergo ad nostram pernitiem: DEus hoc vertere dignatus est ad nostram salutem. *Ibid. ser: 110. de ijsdem*

Potestatem inquit habeo ponendi animam meam, & potesta- *Io. 10.*
tem habeo iterum sumendi eam. Nemo eam tollet à me. Potestas *18.*
hæc magna, qua posset & non mori: sed major misericordia qua voluit mori. Ad hoc enim fecit per misericordiam quod posset & non facere per potestatem, ut nobis constitueret fundamentum resurrectionis: ut illud quod propter nos mortale portabat, & moreretur, quia morituri sumus: & ad immortalitatem resurgeret, ut immortalitatem speremus. *Ibid. ser: 121. De Resurrectione mortuorum.*

Ait Apostolus Petrus, pro nobis passus est, relinquens nobis e- *1. Pet.*
xemplum ut sequamur vestigia ejus. Pati te docuit, & patiendo te *2. 21.*
docuit. Parum erat verbum nisi adderet exemplum, & quomodo docuit fratres? Pendebat in cruce; Judæi sæviebant. In asperis clavis pendebat, sed lenitatem non amittebat. Jlli sæviebant, illi circumlatrabant. Jlli pendenti insultabant, quasi uno summo medio in medio constituto phrenetici circumquaq; sæviebant. Pendebat ille, sanabat. Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Petebat, & tamen pendebat: non descendebat, quia de sanguine suo medicamentum phreneticis faciebat. *Et infra.* Sed qui

Plus prodest exemplũ quã verbum.

volun-

voluntate sua præstiterat decori ejus virtutem, avertit faciem suam & factus est conturbatus. Avertit inquit Dominus faciem suam, ostendit Petro Petrum, sed postea respexit, & Petrum firmavit in Petra. *Et infra.* Respexit eum Dominus & recordatus est Petrus. *Matt. 26.75.* Quid est respexit eum? Non enim Dominus in facie corporali eum tanquam commemorando respexit. Non sic est, Evangelium legite, Dominus in interioribus domus judicabatur, Petrus in atrio tentabatur. Ergo respexit eum Dominus non corpore sed Majestate, non oculorum carnis intuitu, sed misericordia altissima. *Et infra.* Præsumptor perijsset, nisi redemptor respexisset, & ecce lachrymis suis ablutus, correptus, & ereptus prædicat Petrus. Prædicat qui negaverat. Credant qui erraverant. Valet in phreneticis medicina illa sanguinis Domini. Bibunt credentes, quod fuderunt sævientes. *T. 10. Homil: 11. de diver: ser: 1. in Natali Marty.*

Christus respexit Petrũ non corpore sed majestate.

Præsumptio periculosa.

Jllos facinora sua, illum crucifixerunt nostra: verumtamen etiam in uno illorum satis apparuit, quantum valeret non cruciatus pendentis, sed pietas confitentis. Acquisivit latro in dolore, *Lu. 23.* quod Petrus perdiderat in timore, scelus admisit, crucem ascendit, causam mutavit, paradysum comparavit. Merito omnino causam mutare, qui non contempsit in Christo similitudinem pœnæ. Judæi contempserunt miracula facientem, ille credidit in pendentem. Consortem crucis Deus agnovit, & in regnũ cælorum latro violentus credendo vim fecit. Tunc in Christo latro credidit, quando fides Apostolica trepidavit. Merito audire meruit Hodie mecum eris in paradyso: hoc quidem sibi ipse non promiserat, magnæ quidem se misericordiæ commendabat, sed & sua merita cogitabat. Domine inquit memento mei dum veneris in regnum tuum. Quousq; veniret Dominus in regum suum, in pœnis se futurum sperabat, & saltem in ejus adventum per misericordiam in se fieri flagitabat: proinde se latro sua merita cogitans differebat, sed Dominus latroni quod desperaverat, offerebat, tanquam diceret. Tu petis ut meminerim tui, cum venero in regnum meum. Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradyso. Agsnosce cui te commendas, quem credis venturum, antequam veniam ubiq; sum: Ideoq; quamvis in inferna descensurus, habeo te hodie in paradyso, non alteri commendatum, sed mecum. Ad homines enim mortales, & ad ipsos mortuos descendit humilitas mea, de paradyso autem nunquam discedit divinitas mea. *Ibid. ser: 4. In Natali S. Caij & Æmilij Mart.*

Facinora scelestorũ Crux.

Pietas confitentis lenimẽtum Cruciatuum pendentis.

Fides violentam vim infert Calo.

Deus antequã venit ubique est.

Venerat filius hominis quærere, & salvare quod perierat, etiam ipsos invenit. *Lu. 19. 10.* Sed nescio ubi tanquam à lupis deprædati latebant in vepribus, & quia latebant in vepribus, ideo ad eos inveniendos non pervenit, nisi spinis passionis dilaceratus tamen pervenit, invenit, redemit. Jlli occiderunt non magis ipsum quàm se. Salvi facti sunt per occisum pro se. Loquentibus enim Apostolis compunctis, qui pupugerant lancea, compunctis conscientia, compuncti autem concilium quæsierunt, datum receperunt, pœnitentiam egerunt, gratiam invenerunt, & credentes sanguinem biberunt, quem sævientes fuderunt. *Ibid. ser: 9. de arbore cui male dixit Dominus.*

Qui Deo manus infert se interimit.

Nunquid dixi me scire aliquid in vobis, nisi Jesum Christum, *1. Cor. 2. 2.* & hunc crucifixum? & si hoc solum sciebat, nihil est quod nesciebat. Magnum est scire Christum crucifixum, sed ante oculos parvulorum tanquam involutum posuit thesaurum. Christum inquit crucifixum. Quanta habet intus iste thesaurus? *Et infra.* In quem credamus? In Christum crucifixum, quod non vult audire superbia,

Sapiens ignorantia.

Involutus Thesaurus Christus Crucifixus.

bia, hoc audiat ſapientia. *Et infra.* Abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri JESU Chriſti. Poterat dicere, in ſapientia Domini noſtri JESU Chriſti, & verum dicere poterat; in majeſtate & verum dicere poterat, in poteſtate: ſed dixit in cruce: ubi mundi Philoſophus erubuit, ibi theſaurum Apoſtolus invenit, non contemnendo vile involutum, pervenit ad pretioſum obvolutum. Abſit inquit mihi gloriari, niſi in cruce Domini noſtri JESU Chriſti, bonam ſarcinam ſuſtuliſti, ibi totum eſt, quod quæſiſti, & quid ibi magnum lateret, oſtendit. Quale adjutorium, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Quando tibi crucifigeretur mundus, niſi pro te crucifigeretur per quem factus eſt mundus? Ergo qui gloriatur in Domino glorietur, quo Domino? Chriſto crucifixo, ubi humilitas, ibi & majeſtas, ubi infirmitas, ibi poteſtas, ubi mors, ibi vita. Si vis ad illam pervenire, noli iſta contemnere. *Et infra.* Poteſtis bibere inquit calicem quem ego bibiturus ſum? Chriſtum quæritis excelſum, redite ad crucifixum. Vultis regnare, & gloriari in ſedibus Chriſti? Prius diſcite dicere. Mihi abſit gloriari niſi in cruce Dñi noſtri JESU Chriſti. Hæc eſt doctrina Chriſtiana, humilitatis præceptum, humilitatis cõmendatio, ut non gloriemur niſi in cruce Dñi noſtri JESU Chriſti. Nam non eſt magnum in Chriſti ſapientia gloriari, magnum eſt in cruce Chriſti gloriari, unde tibi inſultat impius, inde glorietur pius, unde tibi inſultat ſuperbus, inde glorietur Chriſtianus. Noli erubeſcere de cruce Chriſti, ideo in fronte tãquam in ſede pudoris ſignum ipſum accepiſti. Recole frontem tuam, ne linguam expaveſcas alienam. Signum veteris teſtamenti circumciſio in latenti carne, ſignum novi teſtamenti crux in libera fronte. Ibi enim occultatio eſt, hic revelatio, illud eſt ſub velamine hoc in facie. *Ibid. ſer: 11. In illud. Qui gloriantur in Domino &c.*

Gal. 6. 14. — *Matt. 11.29.* — *Crux Chriſti pretioſæ ſarcinæ omnia continens.* — *Ubi humilitas ibi majeſtas.* — *Matt. 20.22.* — *Phil. 2.6.* — *Frons pudoris ſedes.* — *Ioã. 2. 19.*

Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Tu ſerve redempte ſanguine crucifixi Domini tui, non imitaberis Salvatorem tuum? Quid enim illi opus erat tanta pati, cui licebat & non pati. *T. 10. ſer: nov: ſer. 1. De luctatione Iacob.*

Lu. 23. 34.

De voce tua te convincit Dominus tuus. Vocas pecuniam tuam ſanguinem tuum, & ideo exigis à ſervo tuo empto fidem, quia pro eo dediſti non utique ſanguinem, ſed nummum vel aurum. Ego quid dederim recolis. Tabulas tuas lege, ſi non recolis, lege pro te mortem Salvatoris, lanceam percuſſoris, pretium redemptoris. Poteſt & homo vivens vena ut dixi percuſſa dare ſanguinem ſuum & tamen vivere. Plus eſt quod tibi dicit Dominus tuus. Non de me vivente ſanguis expreſſus eſt, ſanguine meo te emi, addo, morte mea te emi. *Ibid. ſer: 5. de illo Pſal: 63. Iucundabitur juſtus in Dño.*

Pecunia ſanguis poſſidentis. — *Pſ. 4.*

Videte verbum, videte verbum carnem, verbum ante carnem. In principio erat verbum, & verbum erat apud DEUM, & DEUS erat verbum, omnia per ipſum facta ſunt. Ubi hic ſanguis? Ecce jam auctor tuus, ſed nondum pretium tuum. Unde ergo redemptus? quia verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Paulo ſuperius attende. Lux inquit lucet & tenebræ eam non comprehenderunt. *Ibid. ſer: 8. De ſacrificio veſp.*

Qui me videt, videt & Patrem. Hoc in illo Judæi quia videre non poterant, tanquam hominem ſuperbum & impium habebant, æqualem ſe facientem DEO. Turbatio erat, turbabatur aqua, Angelus venerat. Dictus eſt enim & Dominus magni conſilij Angelus, quia nuntius voluntatis Patris. Angelus enim græce, latinè nuntius eſt, & habes Dominum dicentem annuntiare ſe nobis regnum cælorum. Venerat ergo ille magni conſilij Angelus, ſed Dominus

Io. 14. 9. — *Io. 5. 7.*

minus omnium Angelorum. Et propter hoc Angelus, quia carnem suscepit: Dominus autem Angelorum ex eo, quòd omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Si enim omnia, & Angeli. *Ibid. ser: 15. de 5. porticibus.*

Matt. 11.29. Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Discamus à te quia mitis es, & humilis corde. Ubi magis apparere vel potuit, vel debuit digniùs, quàm in ipsa cruce? Cum ligno membra penderent, cum clauis confixæ manus, & pedes essent, cum adhuc illi sævirent in linguis, cum se sanguine fuso non satiarent, cum ægrotantes Medicum non agnoscerent. Pater inquit ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Tanquam diceret. Ego veni ægros curare; quòd me non agnoscerent, febris immanitas, fecit. *Ibid ser: 24. de S. Paulo Apost.*

Insultetur nobis, quod credimus in crucifixum, in occisum. Planè in occisum; Sed de quo nisi sanguis manaret, chirographum peccatorum nostrorum adhuc maneret. Prorsus in occisum credidi: Sed hoc in illo occisum est, quod sumpsit de me, non unde fecit me. Prorsus in occisum credo. Sed in quem occisum? Qui venit aliquis, & accepit aliquid. Quis venit? Qui cum in formâ DEI esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis DEO. Ecce quis venit? Quid accepit? Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus. Jlle factor factus, ille creator creatus. Sed in quo factus & creatus? In formâ servi, accipiendo formam servi, non amittendo formam DEI. *Ibidem.*

Sanguis Christi delevit peccatorũ Chirographum.

Phil. 2.6.

Humilitas nõ perdit honorem.

Ioã 2. 19. Solvite templum hoc, & in triduo suscitabo illud. Sic ergo Christum intellige potestate natum ex virgine, non conditione sed potestate: potestate mortuum, potestate sic mortuum. Ad bonum suum utebatur nescientibûs malis, & frementem populum insanum in usum suæ virtutis ad nostram beatitudinem transferebat, & in his à quibus moriebatur, suos victuros secum videbat; & videns eos in insano populo adhuc insanos, Pater inquit ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Ego inquit, ego Medicus tango venam, de ligno ægrotos inspicio, pendeo & tango, morior & vivifico, sanguinem fundo,& inde inimicis medicamentum salutis conficio. Sæviunt & fundunt: credent & bibent. *Ibid. ser: 26. de S. Laurentio.*

Corpus Christi templum.

Ps: 6. 4. Nunc anima mea turbata est. Agnoscite vos in me, ut quando forte turbati fueritis, non desperetis, sed ad caput vestrum revocetis aspectum, & dicatis vobis: Quando Dominus dicebat. Anima mea turbata est, nos in illo eramus, nos significabamur. *Ibidem.*

Iste justus agnoscitur, nos pro nobis patimur; pro malis nostris patimur. Domine vide quid dicat socio pœnæ suæ. Christus pariter pendebat, sed non pariter vilescebat. Agnoscebatur Dominus à pendente. Unum erat crucis consortium, non erat unum præmium. Quid dico? Das Christo præmium, qui datór est præmiorum? Domine inquit memento mei cum veneris in regnum tuum. Pendentem videbat, crucifixum videbat, & regnaturum sperabat. Memento inquit mei, non modò, sed cùm veneris in regnum tuum. Multa inquit mala feci: requiem celerem non mihi spero. Sufficiant tormenta mea usq; ad adventum tuum. Modò torquear: cùm veneris tunc mihi parce. Jlle differebat; sed Christus paradysum non petenti offerebat. Memento mei: sed quando? cùm veneris in regnum tuum. Et Dominus: Amen dico tibi. Hodie mecum eris in paradyso. Discipuli mei dimiserunt me, discipuli mei desperaverunt de me, & tu in cruce agnovisti me, non contempsisti moriturum, sperasti regnaturum. Hodie mecum eris

Vnum Crucis consortiũ, non unũ reportat præmium.

Luc: 23.

Liberalitas Dei, etiã non petentibus donat.

in

in paradyso, non à te recedo. Discreta est causa, nunquid pœna? *Ibid, ser: 27. In Natali unius Mart.*

Absit à te Domine, non fiet istud. Timebat, ne vita moreretur. Modò cùm S. Evangelium legeretur audistis quid B. Petrus responderit Salvatori passionem suam pro nobis prænuntianti, & quodammodo promittenti. Captivus contradicebat redemptori. Quid agis Apostole? quomodo contradicis? quomodo dicis, Non fiet istud? Ergo Dominus non est passurus? scandalum tibi verbum crucis, pereuntibus stultitia est. Redimendus es, & mercatori contradicis? Dimitte, patiatur; novit quid agat, novit quare venerit: novit quomodo te quærat, novit quomodo te inveniat. Noli docere Magistrum tuum, quære de latere ipsius pretium tuum. *T. 10. ser: 29. in Natali plurium Mart.* *Matt. 16. 22.*

Vulnera ditant.

Habuit ille sanguinem unde nos redimerét: & ad hoc accepit sanguínem, ut esset quem pro nobis effunderet redimendis. Sanguis Domini tui si vis, datus est pro te: si nolueris esse, non est datus pro te. Fortè enim dicis: Habuit sanguinem Deus meus, quo me redimeret: sed jam cùm passus est totum dedit, quid illi remansit quod det & pro me? *Et infra.* Sanguis Christi volenti est salus, nolenti supplicium. *Ibid. ser: 31. de amore Dei, & sæculi.*

Sanguis Christi nolẽti supplicium.

Non veni inquit vocare justos, sed peccatores. Si peccatores inquit ad me non accedunt quare veni? propter quos veni? Si omnes sani sunt, quare tantus Medicus de Cælo descendit? quare nobis medicamentum non de armario suo, sed de sanguine suo fecit? Ergo illud genus ægrotorum, qui mitius ægrotabant, qui se ægrotare sentiebant, ut sanarentur medico cohærebant. Jlli autem qui periculosiùs ægrotabant, Medico insultabant, ægros calumniabantur. Ad extremum quo processit phrenesis ipsorum? ut medicum tenerent, ligarent, flagellarent, spinis coronarent, ligno suspenderent, cruce necarent. Quid miraris? Medicum occidit ægrotus: sed cùm Medicus occisus sanavit phreneticum. *Et infra.* Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Omnes videbat sed suos futuros ibi cognoscebat. Deniq; mortuus est, quia sic expediebat, ut morte sua occideret mortem. Mortuus est Deus, ut compensatio fieret cælestis cujusdam mercimonij, ne mortem videret homo. Deus enim Christus, sed non ibi mortuus, ubi Deus. Idem Deus, idem homo, unus enim Christus, Deus & homo. Homo adsumptus est, ut in melius mutaremur, non Deum ad deteriora detorsit. *Et infra.* Qualia mercimonia? quid dedit, & quid accepit. Mercantes homines veniunt ad commercia, ad res mutandas. Nam antiqua commercía rerum mutatio fuit. Dabat homo quod habebat, & accipiebat quod non habebat. v. G. habebat triticum, sed hordeum non habebat; alter hordeum habebat, & triticum non habebat. Dabat ille triticum quod habebat, accipiebat hordeum quod non habebat. Quanti erat, ut major copia vilem speciem compensaret! *Et infra.* Tamen nemo dat vitam, ut accipiat mortem. Non ergo vox Medici pendentis in ligno inanis fuit. Vt enim moreretur pro nobis, quia verbum mori non poterat, Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Pependit in cruce, sed in carne. Ibi vilitas, quam contempserunt Judæi: ibi charitas per quam liberati sunt Judæi. Pro ipsis enim dictum est, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt; & non vacavit vox illa. *Ibid ser: 34. de Oratione.* *Matt. 9. 13.* *Lu 23. 34.*

Periculosa infirmitas insultare Medico, calumniari ægrotos.

Mors Dei cõpensatio cælestis mercimonij.

Major copia vilem speciem compensat.

Desideremus vitam Christi, quia tenemus pignus, mortem Christi. Quomodo nobis non dabit bona sua, qui passus est mala nostra! *Et infra.* Quoniam omnis mercator, dat & accipit: dat quod habet, & accipit quod non habet; etiam Christus in ista mercatura,

Pignus vitæ, nostræ, mors Christi.

ra, dedit, & accepit. Sed quid accepit? Quod hic abundat, nasci, habitare, & mori. Et quid dedit? Renasci, resurgere, & in æternum regnare. O bone mercator eme nos. Quid dicam eme nos, cum gratias agere debeamus, quia emisti nos. Pretium nostrum erogas nobis: sanguinem tuum bibimus. Evangelium legimus instrumentum nostrum: servi tui sumus, creatura tua sumus, fecisti nos, redemisti nos. Emere quisq; potest servum suum; creare non potest. Dominus autem servos suos & creavit & redemit. *T, 10. ex fragm: operum D. August: fragmento ex ser: de miraculo quinq; panum.*

Rõ. 6. 4 Consepulti illi sumus per baptismum in mortem, ut quemadmodum resurrexit Christus à mortuis, sic & nos in novitate vitæ ambulemus. Per hoc Sacramentum, agnoscamus, nos & peccato mortuos esse cum Christo, & justitiæ vivere in Christo. In cruce dolor est confessorum; In sepultura requies absolutorum. In resurrectione vita justorum. *Ibid. fragmento ex ser: de resur: Dni.*

Rõ. 5. 6 Si cùm inimici essemus, reconciliati sumus DEO per mortem filij ejus: multo magis salvi erimus in vita ipsius. Ergo pro impijs Christus mortuus est. Et Christus DEUS est. Quomodo non regnavit inventus in vita DEI justus, quando ne periret, morte DEI quæsitus est impius? In vita enim DEI salvi erimus, quia in vita nostra perieramus. *Ibid fragmento ex ser: de Passione Domini.*

Ioã. 1. Et DEUS erat verbum. Sed quare crucifixus est? Quia lignum tibi humilitatis ejus necessarium erat. Superbiâ enim tumueras, & longe ab illa Patria projectus eras, & fluctibus hujus sæculi interrupta est via, & quâ transeatur ad Patriam, non est nisi ligno porteris. Ingrate irrides eum qui ad te venit, ut redeas. Ipse factus est via, & hoc per mare. Inde in mari ambulavit ut ostenderet in mari esse viam. Sed tu quoniam ipse ambulare in mari non potes, navi portare, ligno portare: crede in crucifixum, & poteris pervenire. Propterea crucifixus est ut humilitatem doceret: & quia si sic veniret, ut DEUS non agnosceretur. Si enim veniret ut DEUS, non veniret eis qui videre DEUM non poterant. *T, 9. in Evang. Ioan: Tract. 2. de cap: 1.* *Superbia cruce Christi comprimitur. Crux est Cathedra humilitatis. Crux est, via crux est navis.*

Io: 14. 6.

Quod times pati pro te, patior pro te. Hæc est gratia, & magna gratia. Quis illam dignè collaudat? De humilitate Christi loquor fratres mei. Majestatem Christi & divinitatem Christi, quis loquitur? *Ibid. Tract: 3. de cap: 1.* *Bona dare est gratia, major mala ferre.*

Populi, spernentes propter superbiam suam, humilitatem DEI, crucifixerunt Salvatorem suum, & fecerunt damnatorem suum. *Ibid. Tract: 4. de cap. 1.* *Superbus crucifixor Christi Carnifex.*

Ut daret pretium pro nobis, crucifixus est: ut crucifigeretur, contemptus est: ut contemneretur, humilis apparuit. Tamen quia quasi in nocte apparuit in corpore mortali, lucernam sibi accendit unde videretur. Ipsa lucerna Joannes erat. *Ibidem.* *Pretium nostrum in Cruce thesaurus.*

Tu exurgens, inquit, misereberis Sion, quoniam venit tempus ut miserearis ejus. Quando venit tempus ut misereretur DEUS? Venit agnus. Qualis agnus est? Quem lupi timent. Qualis agnus est? qui leonem occisus occidit. Dictus est enim diabolus leo circumiens & rugiens quærens quem devoret: sanguine agni victus est leo. Ecce spectacula Christianorum. *Ibid. Tract: 7. de cap: 1.* *Etiam agnus leonem jugulavit.*

Rom. 4. 25. Eruit eam de mancipatu diaboli: mortuus est propter delicta ejus resurrexit propter justificationem ejus. Quis offerat tanta sponsæ suæ? Offerant homines quælibet ornamenta terrarum, aurum, argentum, lapides pretiosos, equos, mancipia, fundos prædia: Nunquid aliquis offert & sanguinem suum? Si enim sanguinem suum sponsæ dederit, non erit qui ducat uxorem. Dominus *Dona Christi pretiosissima.*

Incarnatio Christi, desponsatio.

autem secutus moriens, dedit sanguinem suum pro ea; quàm resurgens haberet, quàm sibi jam conjunxerat in utero Virginis. Verbum enim Sponsus, & Sponsa caro humana: & utrumq; unus Filius Dei, & idem filius hominis, ubi factus est caput Ecclesiæ; ille uterus Virginis MARIÆ thalamus ejus: inde processit tanquam Sponsus de thalamo suo sicut scriptura prædixit: Et ipse tanquam Ps. 18. 5.
sponsus procedens de thalamo suo. *Ibid. Tract: 8. de cap: 2.*

In gravi necessitate testari affectum, gloriosum est.

Unde ille latro laudatus, ipso die meruit esse in paradyso? quia in cruce confixus, tunc confessus est Christum, quando de illo discipuli dubitaverunt. Ergo invenit eos nutantes, & quodammodo arguentes seipsos, quòd in illo redemptionem speraverant. Dolebant tamen eum sine culpa occisum, quia noverant innocentem. *Ibid. Tract: 9. de cap: 2.*

Christus arca Noe pro mortis diluvio.

Christus figuratus est in Noe, & in illa arca orbis terrarum. *Et infra.* Ut per lignum liberaretur figura orbis terrarum, quia in ligno figenda erat vita orbis terrarum. *Ibidem.*

Adamus totũ in se continet orbem.

In Adam qui est forma futuri. Quis autem nesciat quòd de illo exortæ sunt omnes gentes: & in ejus vocabulo quatuor literis quatuor orbis terrarum partes, per græcas appellationes demonstrantur. Si enim græce dicantur Oriens, Occidens, Aquilo, Meridies, sicut omnes eas plerisq; locis Sancta scriptura commemorat, in capitibus verborum, invenis Adam. Dicuntur enim græcè quatuor memoratæ mundi partes *Anatoli, Disis, Arctos, Mesimbria*. Ista quatuor nomina, si tantum versus quatuor sub invicem scribas, in eorum capitibus Adam legitur. Hoc in Noe propter arcam figuratum est, in qua erant omnia animalia: quæ significabant omnes gentes. Hoc in Abraham: cui apertiùs dictum est. In semine tuo benedicentur omnes gentes: Hoc in David de cujus psalmis, ut alia omittam, modo cantavimus: Surge DEus judica terram, quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus. Cui enim DEo dicitur surge, nisi ei qui dormivit: Surge DEus, judica terram. Tanquam diceretur: dormivisti judicatus à terra; surge ut judices terram. *Ibidem.*

Idem Christo competit.

Congregata sunt inquit in me flagella, & nesciebam. Flagellatus est flagellis Judæorum, flagellatur blasphemijs falsorum Christianorum: multiplicant flagella Domino DEo suo, & nesciunt. Ps. 34. 15.
Et infra. Qui flagellandus erat ab eis, prior illos flagellavit. Signum quoddam nobis ostendit, quod fecit flagellum de resticulis: & inde indisciplinatos, negotiationem in DEI templo facientes flagellavit. Etenim unusquisq; in peccatis suis restem sibi texit. Propheta dicit: Væ his qui trahunt peccata sua sicut restem longam. Et quis facit restem longam? Qui peccato addit peccatum. Quomodo adduntur peccata peccatis? Cum peccata quæ facta sunt, cooperiuntur alijs peccatis. *T. 9. in Evan: Ioan: Tract: 10. de cap: 2.*

Vindicta.

Quisq; suæ pænæ author. Flagra Christi nostra scelera.

Passio Christi misericordiæ opus.

Quem quæritis? At illi dixerunt JESUM Nazarenum. Et ille: Ego sum. Hac voce audita redierunt retro & ceciderunt. In eo quòd eos respondens dejecit, ostendit, potestatem: ut in eo quòd Jo. 18. 6.
ab eis comprehensus est, ostenderet voluntatem. Ergo quod passus est misericordiæ fuit. *Ibid. Tract: 11. de cap: 3.*

Gloria major ex humilitate Principum.

Pendebat & insultabatur ei. De cruce descendere poterat: sed differebat ut de sepulchro resurgeret. Pertulit superbos servos Dominus, medicus ægrotos. Si hoc ille, quid illi quos opportet nasci ex spiritu? si hoc ille verus Magister in Cælo, non hominum tantum sed & Angelorum. *Ibid. Tract: 12. de cap: 3.*

Mortalis per passionẽ Christi immortalis.

A mortali mortales nati, & ex immortalibus mortales facti. Ab Adam omnes homines mortales. JESUS autem Filius DEI, verbum DEI per quod facta sunt omnia, unicus æqualis Patri, morta-

lis

lis factus est: quia verbum caro factum est & habitavit in nobis. Ergo mortem suscepit & mortem suspendit in cruce: & de ipsa morte liberantur mortales. *Et infra.* Quid sunt serpentes mordentes? Peccata de mortalitate carnis. Quis est serpens exaltatus? Mors Domini in cruce. Quia enim à serpente mors, per serpentis effigiem figurata est mors. Morsus serpentis lethalis, mors Domini vitalis. Attenditur serpens, ut nihil valeat serpens. Quid est hoc? Attenditur mors, ut nihil valeat mors. Sed cujus mors? Mors vitæ, si dici potest mors vitæ, imò quia dici potest mirabiliter dicitur. Sed nunquid non erit dicendum quod fuit faciendum? Ego dubitem dicere quod Dominus pro me dignatus est facere? Nonne vita Christus? Et tamen mortuus Christus. Sed in morte Christi mors mortua est, quia vita mortua occidit mortem, plenitudo vitæ deglutivit mortem; absorpta est mors in Christi corpore. *Ibid. Tract: 12 de cap: 3.*

Peccatum serpens.

Ps. 18. 5.

Mors serpentis.

Crede in Christum factum propter te mortalem, ut illum capias immortalem: quando enim cæperis ejus immortalitatem, nec tu eris mortalis. Vivebat, moriebaris; mortuus est ut vivas. Attulit gratiam DEI, abstulit iram DEI. DEus bibit mortem, ne mors biberet hominem. *Ibid. Tract: 14. de cap. 3.*

Nostram mortem in cruce Christus passus.

Gen. 2. 21. Non detraxit carnem unde faceret mulierem, sed detraxit os; & detracto osse formata est mulier, & in locum ejus caro adimpleta est. Poterat pro osse os reddere, poterat ad faciendam mulierem non costam sed carnem detrahere. Quid igitur significavit? facta est mulier in costa tanquam fortis: factus est Adam in carne tanquam infirmus. Christus est & Ecclesia. Illius infirmitas, nostra est fortitudo. Quare ergo horâ sextâ? Quia ætate sæculi sexta. Computa in Evangelio tanquam unam horam, unam ætatem ab Adam usq; ad Noe: secundam à Noe usq; ad Abraham: tertiam ab Abraham usque ad David: quartam à transmigratione Babyloniæ, usq; ad baptismum Joannis. Inde sexta agitur. *Ibid. Tract: 15. de cap: 4.*

Beneficia melioribus reddit Deus.

Ætate sextâ Christus moritur horâ sextâ.

Joã. 5. Adventu Domini turbatur aqua: sed qui turbat latet. Et tamen sanandus est turbatâ aquâ, æger unus magnus, passò Domino totus mundus. *Et infra.* Non hinc irascebantur quia Patrem suum dicebat DEUM, sed quòd longè alio modo quàm homines. Ecce intelligunt Judæi quod non intelligunt Ariani. Ariani quippe, inæqualem Patri filium dicunt, & inde Hæresis pulsat Ecclesiam. Ecce ipsi cæci, ipsi interfectores Christi, intellexerunt tamen verba Christi. Non eum intellexerunt esse Christum, nec eum intellexerunt Filium DEI: sed tamen intellexerunt in illis verbis: quia talis commendaretur Filius DEI, qui æqualis esset DEO. *T. 9. in Evan: Ioan: Tract: 17. de cap: 5.*

Medicina de Christo passo.

Hæretici Iudæis sunt pejores.

Commoti sunt Judæi & indignati sunt. Meritò quidem quòd audebat homo æqualem se facere DEO: sed ideo immeritò quia in homine intelligebant DEUM. Carnem videbant DEUM nesciebant: habitaculum cernebant, habitatorem nesciebant. Caro illa templum erat, DEUS inhabitabat intus. Non ergo JESUS carnem æquabat Patri, non formam servi Domino comparabat: non quod factum est propter nos, sed quod erat quando fecit nos. *Ibid. Tract: 18. de cap: 15.*

Ex externis non debemus judicare.

Io. 18. Quem quæritis? Responderunt JESUM. Et ille. Ego sum: non se occultans sed manifestans. Ad eam tamen manifestationem illi non substiterunt, sed recedentes retro, ceciderunt. Et tamen quia pati venerat surrexerunt, tenuerunt, ad judicem adduxerunt, & occiderunt. Sed quid fecerunt? Quod ait quædam scriptura.

Etiam hostes admirantur majestatem passam.

Caro Christi, sacculus auri pretiosi, sanguinis. Terra tradita est in manus impijs: caro data est in potestatem Judæis. Et hoc propterea, ut quasi sacculus conscinderetur, unde nostrum pretium manaret. *Ibid. Tract: 28. de cap: 7.*

Moriens Christus potentiam ostendit. Perfectum est. Et inclinato capite reddidit Spiritum. Videtis potestatem morientis quia hoc expectabat volens donec omnia complerentur, quæ de illo prædicta fuerant ante mortem futura. *Ioã. 19 30.* Dixerat enim Propheta. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto: expectabat ut hæc omnia complerentur. *Christi viaticũ ad mortem.* Posteaquam completa sunt dixit, Perfectum est: & abscessit potestate quia non venerat necessitate. Ideo quidam plus mirati sunt *Major mors Christi miraculis.* istam potestatem morientis, quàm potentiam miracula facientis. Ventum est enim ad crucem ut corpora deponerētur de ligno quoniam Sabbathum illucescebat: & inventi sunt latrones viventes: supplicium quippe crucis ideo durius erat,, quia diutius cruciabat, & omnes crucifixi, longa morte necabantur. Jlli autem ne remanerent in ligno, cruribus fractis coacti sunt mori, ut possent inde deponi. Dominus autem inventus est mortuus, & admirati sunt omnes. Et qui eum vivum contempserunt, mortuum sic mirati sunt, ut dicerent quidam: vere Filius DEI est hic. *Ibid. Tract: 31. de cap: 7.*

Christi patiẽtia fecius, mala bonis compensas. Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Videbat quosdam suos inter multos alienos, illis jam petebat veniam, à quibus *Lu. 23. 34.* adhuc accipiebat injuriam. Non enim attendebat quod ab illis moriebatur, sed quia pro ipsis moriebatur. Multum est quod illis concessum est, & ab ipsis, & pro ipsis, ut nemo de sui peccati dimissione desperet, quando illi veniam meruerunt, qui Christum occiderunt. Mortuus est Christus pro nobis, sed nunquid à nobis? At vero illi viderunt Christum suo scelere morientem: & crediderunt in Christum suis sceleribus ignoscentem. Quousq; biberent sanguinem quem fuderant, de sua salute desperaverunt. Ergo hoc dixit: Quæretis me & non invenietis, & ubi sum ego vos non potestis venire: quia quæsituri illum erant post resurrectionem compuncti. *Ioã. 7. 34.* Nec dixit ubi ero: sed ubi sum: semper enim ibi erat Christus quo fuerat rediturus: sic enim venit ut non recederet.

Et infra. Inter iniquos reputatus est. Latro euasit, Christus damnatus est. Accepit indulgentiam criminosus, damnatus est, qui *Pœnas nostras tulit Christus & suppleuit pro nobis.* omnium crimina confitentium relaxavit: tamen & ipsa crux si attendas, tribunal fuit. In medio enim judice constituto, unus latro qui credidit liberatus, alter qui insultavit damnatus est. Jam significabat quod facturus est, de vivis & mortuis, alios positurus *Judicij futuri norma ad Crucem Christi.* ad dexteram alios ad sinistram. Similis ille latro futuris ad sinistram, similis alter futuris ad dexteram. Judicabatur & judicium minabatur. *Tomo 9. Ibidem.*

Patiẽtia major potentia. Si filius DEI est, descendat de cruce, non descendit ut eis suam potestatem descendendo monstraret? Quia patientiam docebat, ideo potentiam differebat. Si enim quasi commotus ad eorum verba descenderet, victus convitiorum dolo reputaretur. Prorsus non descendit fixus permansit, quando vellet abscessurus. Nam quid ei magnum fuit de cruce descendere, qui potuit de sepulchro resurgere. *Ibid. Tract: 37. de cap: 8.*

Memoria Christi crucifixi. Elegit genus mortis hoc est ut in cruce penderet, & ipsam crucem in frontibus fidelium figeret; ut dicat Christianus. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri JESU Christi. In ipsa cruce quando voluit corpus dimisit, & abscessit: in ipso sepul- *Christi mors, quies.* chro quamdiu voluit, jacuit: quando voluit tanquam de lecto surrexit. *Ibid. Tract: 43. de cap: 8.*

Agnoscitis pretium vestrum: quod non à me datur, sed per me præ-

prædicatur. Jlle quippe emit, qui pretiosum saguinem fudit: pretiosus sanguis & illius sine peccato. Fecit tamen ipse etiam suorum sanguinem pretiosum, pro quibus dedit sanguinis pretium; nam si suorum sanguinem non faceret pretiosum, non diceretur Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. *T, 9. in Evang: Ioan: Tract: 47. de cap: 10.*

Pretiosa passio Christi.

Ego sum. Redierunt retro & ceciderunt in terram. Qui ceciderunt ad unam vocem Christi morituri, quid facient sub voce judicaturi? *Et infra.* Ad tempus exiguum anima deservit carnem, sed redeunte animâ resurrecturam: à verbo autem animam separatam esse non dico. Latronis animæ dixit: Hodie mecum eris in paradyso: fidelem latronis animam non deserebat, & deserebat suam? Absit sed illius ut Dominus custodivit, suam vero inseparabiliter habuit. *Ibid. Tract: 47. de cap: 10.*

Vox Christi patientis in Iudicio erit gravissima peccatoribus.

Ioã. 7. 30. Quærebant eum apprehendere. Utinam apprehenderent sed credendo & intelligendo, non sæviendo & occidendo. *Ibid. Tract: 48. de cap: 10.*

Apprehensio intellectualis placet Christo passo.

Unus autem ex ipsis Caiphas, cùm esset Pontifex anni illius,
Ioã 18. 14. dixit eis: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit. Hoc docemur, etiam homines malos prophetiæ Spiritu futura prædicere: quod tamen Evangelista divino tribuit
Ioã. 18. Sacramento, quia Pontifex fuit id est summus Sacerdos. Potest autem movere quomo dicatur Pontifex anni illius, cum DEUS, unum constituerit summum Sacerdotem, cui mortuo unus succederet. Sed intelligendum est per ambitiones & contentiones inter Judæos postea constitutum, ut plures essent, & per annos singulos vicibus ministrarent. Nam & de Zacharia hoc dicitur. Factum est autem cum Sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante DEUM. *Et infra.* Et fortè etiam unum annum, plures ministrabant, quibus alio anno alij succedebant, ex quibus forte exibat quis ut incensum poneret. *T, 9. in Evan: Ioan: Tract: 49. de cap: 11.*

Etiam hostes bene consulere possunt.

Judas Iscariotes qui eum erat traditurus dixit: Quare hoc unguentum non venijt trecentis denarijs, & datum est egenis? Væ tibi miser, bonus odor occidit te. Quare enim hoc dixerit, Evangelista Sanctus aperiat. Putaremus autem & nos si mens ipsius nobis per Evangelium non proderetur, pauperum curâ hoc illum dicere potuisse. Non ita est Sed quid? Audias rem veracem. Dixit autem
Io. 12. 6. hoc, non quia de egenis pertinebat ad illum, sed quia fur erat, & loculos habens, & ea quæ mittebantur portabat. Portabat an exportabat? Sed ministerio portabat, furto exportabat. *Ibid. Tract: 50. de cap: 12.*

Caruit bono defactu Iudas

Invidiosi fures.

Dispensatores sæpe Iudam æmulantur.

Videtis quia nihil proficimus? Ecce mundus totus post eum abijt. Turba turbavit turbam. Quid autem invides cæca turba quia post eum vadit mundus, per quem factus est mundus? *Ibid. Tract: 51. de cap: 12.*

Sequi Dominum.

Quod facis fac celeriter: arbitrati sunt quidam quod eum iusserit propter diem festum necessaria præparare, vel indigentibus aliquid dare? *Ibidem.*

Passio Christi pauperibus datur.

Nunc anima mea turbata est. Quid est hoc? Quomodo sequi ju-
Io. 12. 27. bes animam meam si turbari video animam tuam? Quomodo sufferam, quod grave tanta firmitas sentit? Quale firmamentum quæram si Petra succumbit? Sed videor mihi audire in cogitatione mea respondentem mihi Dominum meum, & quodammodo dicentem. Magis sequaris quia sic me interpono ut sufferas. Audisti ad

Vires suas Christus nobis cedit.

te vocem fortitudinis meæ. audi in me vocem infirmitatis tuæ. Vires suggero ut curras, nec reprimo quod acceleras, sed transfero in me quod trepidas, & substerno qua transeas. *Et infra.* Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu vis Pater. Sic enim homo ab humanis in divina erigitur, cùm voluntati humanæ, voluntas divina præponitur. *Ibid. Tract: 52. de cap. 12.* Matt. 26.39.

Voluntatem Dei, agens divinū agit hominum.

Per Christi passionem in membra ulius eligimur.

Per Christi fidem, quæ morte ejus & resurrectione firmata est, per ejus sanguinem qui in remissionem fusus est peccatorum, millia credentium à dominatu liberantur diaboli, Christi corpori copulantur, & sub tanto capite, uno ejus Spiritu fidelia membra vegetantur. Hoc vocabat judicium, hanc discretionem, hanc à suis redemptis diaboli expulsionem. Et ego inquit si exaltatus fuero à terra omnia traham post me. Si omnia ipsi homines intelligendi sunt, omnia prædestinata ad salutem possumus dicere: ex quibus omnibus ait nihil esse periturum cum supra de suis ovibus loqueretur. Aut certe omnia hominum genera, sive in linguis omnibus, sive in ætatibus omnibus, sive in gradibus honorum omnibus, sive in diversitatibus ingeniorum omnibus, sive in artium licitarum, & utilium professionibus omnibus: & quidquid aliud dici potest, secundum innumerabiles differentias, quibus inter se præter sola peccata homines distant, ab excellentissimis usq; ad humillimos, à rege usq; ad mendicum; omnia inquit traham post me ut sim caput eorum, & illi membra mea. *Et infra.* Lapis quem reprobaverunt ædificantes factus est in caput anguli. Hinc dedignati sunt credere in Christum quia eorum impietas contempsit mortuum, risit occisum: & ipsa erat mors grani multiplicandi, & exaltatio trahentis post se omnia. *Ibid. Tract: 52. de cap: 12.* Io. 12. 31. 1 Pet. 2. 5.

Crucifixus Iesus magnes.

Mors vita.

Sanguis Christi munimentum & Dux.

Sicut ovis ad immolandum ducitur Christus, cujus sanguine illitis postibus nostris, id est cujus signo crucis signatis frontibus nostris, à perditione hujus sæculi tanquam à captivitate vel interemptione Ægyptia liberamur: & agimus saluberrimum transitum cum à Diabolo transimus ad Christum, & ab isto instabili sæculo, ad ejus fundatissimum regnum: Ideo quippe ad DEUM permanentem transimus ne cum mundo transeunte transeamus. *T, 9. in Evan: Ioan: Tract: 55. de cap: 13.* Isa. 53 7.

Hostis aperti tolerantia.

Hosti parcere.

Optime imperatur exēplo.

Hosti gratiæ præstare.

Mala bonis compensare.

Factum ergo jam fuerat in corde Judæ per immissionem Diabolicam ut traderet discipulus Magistrum, sed quem non didicerat DEUM? Jam talis venerat ad convivium explorator pastoris, insidiator Salvatoris, venditor redemptoris: jam talis venerat & videbatur, & tolerabatur, & se ignorari arbitrabatur: quia in eo quem volebat fallere, fallebatur. At ille isto in ipso corde intus ins pecto nesciente scienter utebabtur. Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus. Ergo & ipsum traditorem *Et infra.* Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à DEO exiit, & ad DEUM vadit. Cum illi ergo omnia Pater dedisset in manus, ille discipulorum non manus sed pedes lavit, & cum se sciret à DEO exisse, & ad DEUM pergere non DEI Domini sed hominis servi implevit officium. Ad hoc autem pertinet quod etiam de traditore ipsius, quia jam talis venerat qui nec ab illo ignorabatur, proloqui voluit: ut hoc quoq; ad maximum cumulum humilitatis accederet, quòd etiam illi non dedignatus est pedes lavare, cujus manus jam prævidebat in scelere. *Et infra.* Quid mirum si misit aquam in pelvim unde lavaret pedes discipulorum, qui in terram sanguinem fudit quo immunditiam dilueret peccatorum? Quid mirum si linteo quo erat præcinctus pedes quos laverat, tersit, qui carne qua erat indutus, Evangelistarum vestigia confirmavit? *Et infra.* Passurus igitur Io. 13. 2. Io. 13.

exitia, præmisit obsequia: non solum eis pro quibus erat subiturus mortem, sed etiam illi, qui eum fuerat traditurus ad mortem. Tanta est quippe humanæ humilitatis utilitas, ut eam suo commendaret exemplo etiam divina sublimitas: quia homo superbus in æternum periret, nisi illum DEus humilis inveniret. Venit enim filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat. Perierat autem superbiam deceptoris secutus, ergo humilitatem redemptoris sequatur inventus. *Ibid. Tract: 55. de cap: 13.*

Humile obsequiũ magister virtutũ.

Lu. 19. 10.

Venit ergo ad Simonem Petrum: & dicit ei Petrus; Domine tu mihi lavas pedes? Quis enim non expavesceret lavari sibi pedes à DEI filio? Quamvis itaq; magnæ fuisset audaciæ contradicere, servum Domino, hominem DEO: tamen hoc Petrus facere maluit, quàm perpeti ut sibi pedes lavarentur à Domino & DEO. *Et infra.* Venit ergo ad Simonem Petrum: quasi aliquibus jam lavasset, & post eos venisset ad primum. Quis enim nesciat primum Apostolorum esse Beatissimum Petrum? Sed non ita intelligendum est quod post aliquos ad illum venerit: sed quòd ab illo cæperit. Quando ergo pedes discipulorum lavare cæpit, venit ad eum à quo cæpit, id est ad Petrum: & tunc Petrus, quod etiam quilibet eorum expavisset, expavit, atq; ait: Domine tu mihi lavas pedes? Tu mihi. Quid est tu? Quid est mihi? Cogitanda sunt potius quàm dicenda: ne forte quod ex his verbis, aliquatenus dignum concipit anima, non explicet lingua. *Et infra.* Si non lavero te inquit, non habebis partem mecum. Ita dictum est, si non lavero te, cùm de solis pedibus ageretur, quomodo dici assolet calcas me quando sola planta calcatur. At ille amore & timore perturbatus, & plus expavescens, Christum sibi negari, quàm usque ad suos pedes humiliari: Domine ait non tantum pedes meos, sed & manus & caput. Quandoquidem sic minaris lavando tibi membra mea, non solum ima non subtraho, verum etiam prima substerno. Ne mihi neges capiendam tecum partem, nullam tibi nego abluendam mei corporis partem. *Ibid. Tract: 56 de cap: 13.*

Jo. 13. 6. *Jo. 13. 6.* *Ibid:*

Digniorib⁹ primo præstãda gratia.

Immundi reijciũtur à Christo, exhæreditantur.

Turbatus est Spiritu. Turbatus ergo potestatem habens ponendi animam suam, & potestatem habens iterum sumendi eam. Turbatur tam ingens potestas, turbatur petræ firmitas. An potius in eo nostra turbatur infirmitas? Ita vero nihil indignum credant servi de Domino suo, sed agnoscant se membra in capite suo. Qui mortuus est pro nobis, prius turbatus est idem ipse pro nobis. Qui ergo potestate mortuus est, potestate turbatus est. Qui transfiguravit corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ: transfiguravit etiam in se affectum infirmitatis nostræ compatiens nobis affectu animæ suæ. Proinde quando turbatur magnus, fortis, certus, invictus, non ei timeamus quasi deficiat: non perit, sed nos quærit. Nos inquit nos omnino sic quærit. *Et infra.* Quantum itaq; bonum de participatione divinitatis ejus expectare & sperare debemus, cujus nos & perturbatio tranquillat, & infirmitas firmat? Sive ergo isto loco, ipsum Judam pereuntem miserando turbatus est, sivè sua morte propinquante turbatus est, non est tamen ullo modo dubitandum, non eum animi infirmitate sed potestate turbatum: ne nobis desperatio salutis oriatur, quando non potestate sed infirmitate turbamur. *Ibid. Tract: 60. de cap: 13.*

Joã. 12 27. *Phil: 3 21.*

Domini est subditorum ærumnas tolerare

In infirmitatĩbus Christum invenimus.

Infirmitas cẽ firmat.

Hanc perturbationem Sanctorum suorum, per Schismaticos, & hæreticos futuram quodammodo prænuntians Dominus, præfiguravit in seipso cum exituro Juda homine malo, & commixtionem frumenti in qua diu fuerat toleratus, separatione apertissimâ relicturo, turbatus est in carne sed spiritu. Spirituales enim, in hujusmo-

Mala alienã etiã nos tangere debent.

juſmodi ſcandalis non perverſicate ſed charitate turbantur. *Ibid. Tract: 61 de cap: 13.*

Fervens deſiderium Paſſionis. Quod facis fac citius. O verbum libentius parari quàm irati! O verbum non tam pœnam exprimens venditoris quàm mercedem ſignificans redemptoris! Dixit enim: Quod facis fac citius, non tam in perniciem perfidi ſæviendo, quàm ad ſalutem fidelium feſtinando: quia traditus eſt propter delicta noſtra, & dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea. *Et infra.* Tradidit Judas Chriſtum, tradidit Chriſtus ſeipſum: ille agebat negotium ſuæ venditionis, iſte noſtræ redemptionis. Quod facis fac citius: non quia tu potes, ſed quia hoc vult qui omnia poteſt. *Et infra.* Habebat & Dominus loculos: & à fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſſitatibus, & alijs indigentibus tribuebat. Tunc primum Eccleſiaſticæ pecuniæ forma eſt inſtituta, ubi intelligeremus quod præcepit, non cogitandum eſſe de craſtino; non ad hoc fuiſſe præceptum ut nihil pecuniæ ſervetur à Sanctis: ſed ne Deo pro iſta ſerviatur, & propter inopiæ timorem juſtitia deſeratur. Nam & Apoſtolus in poſterum providens ait: ſi quis fidelis habet viduas, ſufficienter tribuat eis ut non gravetur Eccleſia, quo veris viduis ſufficere poſſit. Cum ergo accepiſſet ille buccellam, exijt continuo. Erat autem nox, & ipſe qui exivit erat nox. Cum ergo exijſſet nox, ait Jesus: nunc clarificatus eſt filius hominis. Dies ergo diei eructavit verbum, id eſt Chriſtus diſcipulis fidelibus, ut audirent eum & amarent ſequendo: & nox nocti annuntiat ſcientiam id eſt Judas Judæis infidelibus, ut venirent ad eum & apprehenderent perſequendo. *Ibid. Tract: 62. de cap: 13.*

Io. 13. 27.

Theſaurus Sanctorum Chriſtianorum.

Peccator nox.

Peccatores, vel adverſa glorificant Chriſtum. *Pſ. 18. 2.*

Nunc inquit clarificatus eſt filius hominis. Quare nunc? Nunquid quia exijt qui tradat, quia imminent qui terreant & occidant? Itane nunc clarificatus eſt quia prope eſt ut humilietur amplius: cui jam impendet ut alligetur, ut judicetur, ut condemnetur, ut irrideatur ut crucifigatur, ut interimatur? Hæccine eſt clarificatio an potiùs humiliatio? Nonne quando miracula faciebat ait tamen de illo iſte ipſe Joannes, Spiritus non erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus? Tunc ergo nondum erat glorificatus, cùm mortuos ſuſcitaret, & nunc eſt glorificatus cum mortuis propinquaret? Nondum erat glorificatus faciens divina, & glorificatus eſt paſſurus humana? Mirum ſi hoc Deus ille Magiſter ſignificabat & docebat his verbis. Altius eſt perſcrutandum altiſſimi dictum, qui ſe aliquantum manifeſtat ut inveniamus: & iterum occultat ut inquiramus, & de inventis ad invenienda tanquam paſſibus innitamur. Video hîc aliquid quod præfiguret magnum aliquid. *Et infra.* Tale aliquid erit, cum victus à Chriſto tranſierit hic mundus, & nemo in populo, Chriſto remanebit immundus: cùm zizanijs à tritico ſeparatis juſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris ſui. Hoc futurum prævidens Dominus, & nunc ſignificatum eſſe conteſtans, diſcedente Juda tanquam zizanijs ſeparatis, remanentibus tanquam tritico Apoſtolis Sanctis. Nunc inquit clarificatus eſt filius hominis. Tanquam diceret: Ecce in illa clarificatione mea quid erit ubi malorum nullus erit, ubi bonorum nullus perit. *Ibid. Tract: 63. de cap: 13.*

Io. 13. 31.

Humilitas nō minuit, ſed amplificat honorem.

Miraculis major eſt patientia.

Matt. 13. 30.

Societates Sanctæ glorificāt Deum.

Amen amen dico tibi, non cantabit Gallus donec ter me neges. Ecce quomodo tibi cito apparebis, qui magna loqueris, & te parvulum neſcis. Qui mihi promittis mortem tuam, ter negabis vitam tuam. Qui te jam putas mori poſſe pro me, prius vive pro te: nam timendo mortem carnis tuæ, mortem dabis animæ tuæ. Quanta enim vita eſt confiteri Chriſtum, tanta mors eſt negare Chriſtum?

Io. 13. 38.

Nimia S. Petri præſumptio.

Timor mortis carnis, eſt animæ mors.

Excusator Petri cruor in negatione.

ſtum? An Apoſtolus Petrus ſicut eum quidam favore perverſo excuſare nituntur Chriſtum non negavit, quia interrogatus ab ancilla hominem ſe neſcire reſpondit, ſicut alij Evangeliſtæ conteſtantur expreſſius? Quaſi vero qui hominem Chriſtum negat non Chriſtum neget? & hoc in eo negat quod factus eſt propter nos ne periret quod fecerat nos. Ergo qui ita confitetur Chriſtum Deum ut hominem neget: non pro illo mortuus eſt Chriſtus quia ſecundum hominem mortuus eſt Chriſtus Qui negat hominem Chriſtum non reconciliatur per mediatorem Deo: unus enim Deus, & unus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jesus. *Et infra.* Non accuſemus Chriſtum cum defendimus Petrum. Peccatum agnoſcat infirmitas, nam mendacium non habet veritas. Agnovit plane peccatum ſuum infirmitas Petri: prorſus agnovit, & quantum mali Chriſtum negando commiſerit plorando monſtravit. Ipſe ſuos redarguit defenſores & unde eos convincat producit lachrymas teſtes. Neq, nos cum iſta dicimus primum Apoſtolorum accuſare delectat: ſed hunc intuendo admoneri nos oportet, ne homo quiſquam de hominis viribus fidat. *Ibid. Tract: 66. de cap: 13.*

Magnitudinẽ Petri delicti oſtendit copia lachrymarũ.

Nimia fiducia ſui.

Ps 122. 1. Ad te levavi animam meam qui habitas in Cælis, ſed ſub tanto pondere ubi ingemiſcimus gravati, quomodo levabo animam meam niſi mecum levet qui poſuit pro me ſuam. *Ibid. Tract: 69. de cap: 14.*

Levamur ad cælos alterante Chriſto.

Surgite eamus hinc. Diſcumbens enim diſcumbentibus loquebatur. Eamus autem dixit: Quo niſi ad illum locum unde fuerat tradendus ad mortem qui nullum habebat meritum mortis? Sed tradendus ad mortem qui nullum habebat meritum mortis? Sed habebat ut moreretur mandatum Patris, tanquam ille de quo prædictum erat: Quæ non rapui tunc exſolvebam: mortem ſine debito ſoluturus, & nos à morte debita redempturus. *Ibid. Tract: 79. de cap: 14.*

Io: 26. 46. — Ps: 68. 5.

Expedita Chriſti obedientia.

Petro tam magnum atq; divinum teſtimonium perhiberi de Chriſto ut ille qui occiſus ab eis inter mortuos deputabatur, reſurrexiſſe & vivere probaretur compuncti corde converſi ſunt, & tanti ſanguinis tam impie atq; immaniter fuſi indulgentiam perceperunt ipſo redempti ſanguine quem fuderunt. Chriſti enim ſanguis ſic in remiſſionem peccatorum omnium fuſus eſt, ut ipſum etiam peccatum poſſet delere quo fuſus eſt. *Ibid. Tract: 92. de cap: 15.*

Io. 15. 10.

Vulnera ab hoſte illata Chriſto, hoſti proſunt.

Chriſtus autem crucifixus & lac ſugentibus & cibus eſt proficientibus. *T, 9. in Evan: Ioan: Tract. 98. de cap: 16.*

Chriſti vulneribus, lac & cibus venit.

Latro ille crudelis in ſcelere, fidelis in cruce. *Et infra.* Latro vero ille tunc credidit quando in ipſis doctoribus fides quæ fuerat qualiſcunq; defecit. Nec ipſe itaque per eorum verbum credidit in Chriſtum Jesum: & tamen ſic credidit ut quem viderat crucifixum, confiteretur non ſolum reſurrecturum, verum etiam regnaturum dicendo. Memento mei cum veneris in regnum tuum. *Ibid. Tract: 109. de cap: 17.*

Latro in cruce Doctor, Fidelis.

Io. 18. 1. Sciebat inquit & Judas qui tradebat eum, locum. Ordo verborum eſt ſciebat locum qui tradebat eum. Quia frequenter inquit, Jeſus convenerat illuc cum diſcipulis ſuis. Ibi ergo lupus ovina pelle contectus, & inter oves alto Patrisfamilias conſilio toleratus didicit ubi ad tempus diſpergeret gregem, inſidijs appetendo paſtorem. Judas ergo inquit cum accepiſſet cohortem, & à Principibus & Phariſæis Miniſtros, venit illuc cum laternis & facibus, & armis. Cohors non Judæorum, ſed militum fuit. *Et infra.* Et ſic armata veniebat, ut vel terreret, vel etiam repugnaret, ſi quiſquam Chriſtum defendere auderet. Ita quippe ejus abſcondebatur poteſtas, & obtendebatur infirmitas, ut hæc inimicis neceſſaria viderentur adverſus

Captivitas Chriſti in horto.

Chriſtus voluntarie hoſtium tulit manus.

ſus eum, in quem nihil valuiſſet, niſi quod ipſe voluiſſet: bene utens bonus malis, & faciens bona de malis, ad faciendos bonos ex malis, & diſcernendos bonos à malis. *Et infra.* Ut ergo dixit eis. *Ibidem*
Vox Christi, tecum & arma fortiſſima. Ego ſum, abierunt retrorſum & ceciderunt in terram. Ubi nunc militum cohors & miniſtri Principum ac Phariſæorum? ubi terror & munimen armorum? Nempe una vox dicentis. Ego ſum tantam turbam odijs ferocem, armiſque terribilem, ſine telo ullo
Vox Christi in judicio graviſſima peccatoribus futura. percuſſit repulit, ſtravit. DEUS enim latebat in carne, & ſempiternus dies ita membris occultabatur humanis, ut laternis & facibus quæreretur occidendus à tenebris. Ego ſum dicit & impios deijcit. Quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit? Et nunc ubiq; per Evangelium. Ego ſum dicit Dominus: & à Judæis expectatur Antichriſtus, ut retro redeant, & in terram cadant, quoniam deſerentes cæleſtia, terrena deſiderant. Certe ad comprehendendum JESUM perſecutores cum traditore venerunt, quem quærebant invenerunt. Audierunt, Ego ſum. Quare non comprehenderunt, ſed abierunt retro *Io. 18.*
Prælecta, voluntarieq; ſuſcepta Christo comprehenſio. & ceciderunt, niſi quia hoc voluit qui potuit quidquid voluit? Verum ſi nunquam ſe ab eis permitteret apprehendi, non quidem illi facerent propter quod venerant, ſed nec ipſe faceret propter quod quod venerat.

Et infra. Si me inquit quæritis ſinite hos abire. Inimicos videt, & hoc faciunt, quod jubet: ſinunt eos abire quos non vult perire. Nunquid autem non erant poſtea morituri? Cur ergo ſi tunc morentur perderet eos niſi quia nondum ſic credebant, quomodo
Inimico beneficia præſtare. credunt quicunq; non pereunt? Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum & percuſſit ſervum principis Sacerdotum: & abſcidit ejus auriculam dexteram: Erat autem nomen ſervo Malchus. *Io. 18. 10.* Solus hic Evangeliſta etiam nomen hujus ſervi expreſſit: ſicut Lucas ſolus, quod ejus auriculam Dominus tetigerit, & ſanaverit eum. Malchus autem interpretatur regnaturus. Quid ergo auris pro
Auditores verbi Domini conregnant Christo. Domino amputata, & à Domino ſanata ſignificat: niſi auditum amputata vetuſtate renovatum, ut ſit in novitate Spiritus, & non in vetuſtate literæ? Quod cui præditum fuerit à Chriſto, quis dubitet regnaturum eſſe cum Chriſto? Quod autem ſervus dictus eſt,
Christus libertatē nobis reſtituit in ſua cōprehenſione. & hoc ad illam pertinet vetuſtatem, quæ in ſervitutem generat quod eſt Agar. Sed cum acceſſit ſanitas figurata eſt & libertas. *Et infra.* Comprehenderunt JESUM & ligaverunt eum. Comprehenderunt ad quem non acceſſerunt: quoniam dies illi vero tenebræ per-
Peccator etiā proximus maxime corpore Christi, longè tamen eſt ab illo. manſerunt, nec audierunt. Accedite ad eum & illuminamini: ſi enim ſic accederent non eum manibus occidendum, ſed recipiendum corde comprehenderent. Nunc autem quando eum illo modo comprehenderunt, tunc ab illo longius receſſerunt, & ligaverunt eum à quo ſolvi potius velle debuerunt. Et erant fortaſſis in eis qui tunc impoſuerunt Chriſto vincula ſua: atq; ab eo poſtea li-
Eſt in Regione longinqua. berati dixerunt. Dirupiſti vincula mea. *T. 9. in Evan: Ioan: Tract: 112. de cap: 18.* *Pſ. 115. 7.*

Dicit ergo Petro ancilla oſtiaria. Nunquid & tu ex diſcipulis
Negatio D. Petri. hominis es iſtius? Dicit ille non ſum. Ecce columna fortiſſima ad unius auræ impulſum mota contremuit! Ubi eſt illa promittentis *Io. 18. 17.* audacia & de ſe plurimum præſumentis? Ubi ſunt verba illa, quod ait. Quare non poſſum te ſequi modo? Animam meam pro te ponam? Hoccine eſt ſequi Magiſtrum ſe negare diſcipulum? Siccine pro Domino anima ponitur, ut hoc ne fiat, vox ancillulæ formidaretur? Sed quid mirum ſi DEUS vera prædixit, homo autem falſa præſumpſit? Sane in iſta quæ jam cœpta eſt negatione Apoſtoli Pe-

is & gentibus opportunius aptiusq; respondens. Regnum meum non est de hoc mundo. Quod si interroganti Pilato continuo respondisset: non etiam Judæis sed solis gentibus hoc de se opinantibus respondisse videretur. Nunc vero quoniam respondit Pilatus. Nunquid ego Judæus sum? Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi: Quid fecisti? abstulit à se suspicionem qua possit putari à semetipso dixisse, quod JESUM Regem dixerat esse Judæorum, id est à Judæis audisse demonstrans. Deinde dicendo quid fecisti? Satis ostendit illud ei pro crimine objectum. Tanquam diceret: si regem te negas, quid fecisti ut tradereris mihi? Quasi mirum non esset si puniendus Judici traderetur, qui se diceret Regem. Si autem hoc non diceret quærendum ab illo esset, quid aliud forte fecisset, unde tradi Judici dignatus esset. Audite ergo Judæi & gentes, audi circumcisio, audi præputium, audite omnia regna terrena? Non impedio Dominationem vestram in hoc mundo, regnum meum non est de hoc mundo. Nolite metuere metu vanissimo, quo Herodes ille major, cum Christus natus nuntiaretur expavit, & tot infantes, ut ad eum mors perveniret occidit, timendo magis quàm irascendo crudelior. Regnum inquit meum non est de hoc mundo. Quid vultis amplius? Venite ad Regnum quod non est de hoc mundo: venite credendo & nolite sævire metuendo. *Et infra.* Est autem consvetudo vobis, ut unum dimittam vobis. Regem Judæorum? Credo cum dixisset Pilatus quid est veritas? in mentem illi venisse continuo consvetudinem Judæorum, qua solebat eis dimitti unus in Pascha: & ideo non expectavit ut responderet ei JESUS quid esset veritas, ne mora fieret cum recoluisset morem, quo posset eis per Pascha dimitti, quod eum valde voluisse manifestum est. Avelli tamen ex eius corde non potuit JESUM Regem esse Judæorum, tanquam hoc ibi sicut in titulo ipsa veritas fixerit, de qua quid esset interrogavit. Sed hoc audito clamaverunt rursum omnes dicentes. Non hunc sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro. Non reprehendimus o Judæi, quod per Pascha liberatis nocentem, sed quod occidistis innocentem: quod tamen nisi fieret verum Pascha non fieret. Sed umbra veritatis à Judæis errantibus tenebatur, & mirabiliter dispensatione divinæ sapientiæ, per homines fallaces ejusdem umbræ veritas implebatur, quia ut verum Pascha fieret Christus velut ovis immolabatur. *T. 9. in Evan: Ioan: Tract: 115. de cap: 18.*

Timor herodis major crudelitate.

Consvetudo pia.

Electio sibi nociva.

Passio Christi Pascha fuit.

Ibidem Tunc apprehendit Pilatus JESUM & flagellavit. Hoc Pilatus non ob aliud fecisse credendus est, nisi ut ejus injurijs Judæi satiati sufficere sibi existimarent, & usq; ad ejus mortem sævire desisteret. Ad hoc pertinet quod idem Præses cohortem suam etiam permisit facere quæ sequuntur: aut fortassis & jussit; quamvis hoc Evangelista tacuerit. Dixit enim quid deinde fecerint milites. Pilatum tamen id jussisse non dixit. Et milites inquit plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus, & veste purpurea circumdederunt

Ibidem eum, & veniebant ad eum & dicebant. Ave Rex Judæorum. Et dabant ei alapas. Sic implebantur quæ de se prædixerat Christus. Sic Martyres informabantur ad omnia quæ persecutori libuisset facere, perferenda. Sic paulisper occultata tremenda potentia, commendabatur prius imitanda patientia. Sic regnum quod de hoc mundo non erat, superbum mundum non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate vincebat. Sic illud granum multiplicandum seminabatur horribili contumelia, ut mirabili pullularet in gloria. Exijt iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco eum foras, ut

Ioã 19. 15. agnoscatis quia in eo nullam causam invenio. Exijt ergo JESUS

Flagellatio Christi.

Coronatio.

Faciei percussio.

Imago Martyrum Christus flagellatus.

Patientiã Regnũ cæli capimus, Reges futuri.

Ecce Homo.

portans ſpineam cornam, & purpureum viſtimentum, & dicit eis. Ecce homo. *Et infra.* Egreditur ad eos JESUS portans ſpineam coronam & purpureum veſtimentum, non clarus imperio, ſed plenus opprobrio, & dicitur eis: Ecce homo. Si regi invidetis jam parcite quia dejectum videtis. Flagellatus eſt, ſpinis coronatus eſt, ludibrioſa veſte amictus eſt, amaris convitijs illuſus eſt, alapis cæſus eſt: fervet ignominia frigeſcat invidia. Sed non frigeſcit, inardeſcit potius, & increſcit. Cum ergo vidiſſent eum Pontifices & Miniſtri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum.

Vulnera Christi non tẽperarunt odiũ Iudæorum.

Et infra. Nos legem habemus & ſecundum legem debet mori quia filium DEI ſe fecit. Ecce altera major invidia. Prima quippe illa videbatur velut affectione illicito auſu regiæ poteſtatis, & tamen neutrum ſibi JEsus mendaciter uſurpavit, ſed utrumq; verum eſt. Et unigenitus DEI filius eſt, & rex ab eo conſtitutus ſuper Sion montem Sanctum ejus. & utrumq; tunc demonſtraret niſi quantò erat potentior, tantò mallet eſſe patientior. Cum ergo audiſſet Pilatus hoc verbum magis timuit. *Et infra.* Proinde ubi non reſpondebat ſicut ovis ſilebat: ubi reſpondebat ſicut paſtor docebat. Diſcamus ergo quod dixit, quod & per Apoſtolum docuit: quia non eſt poteſtas niſi à DEO: & quia plus peccat qui poteſtati innocentem occidendum livore tradit: quàm poteſtas ipſa ſi eum timore alterius majoris poteſtatis occidit. Talem quippe Pilato DEUS dederat poteſtatem, ut etiam eſſet ſub Cæſaris poteſtate. *Et infra* Et ideo non ait verax Magiſter qui me tradidit tibi, ipſe habet peccatum tanquam ille non haberet: ſed ait majus habet peccatum ut etiam ſe habere intelligeret. *Et infra.* Judæi autem clamabant dicentes. Si hunc dimittis non es amicus Cæſaris. Omnis enim qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari. Majorem ſe ingerere timorem putaverunt Pilato, terrendo de Cæſare ut occideret Chriſtum, quem ſuperius, ubi dixerunt nos legem habemus & ſecundum legem debet mori, quia filium DEI ſe dicit. Eorum legem quippe ille non timuit ut occideret: ſed magis filium DEI timuit ut occideret Nunc vero ſic potuit contemnere Cæſarem authorem poteſtatis ſuæ quemadmodum legem gentis alienæ. *Ibid Tract: 116. de cap: 19.*

Potẽtia Regis Christi, patientia.

Verba, & ſilentiũ Christi in paſſione.

Quid eſt quod Marcus Evangeliſta dicit: Erat autem hora tertia & crucifixerunt eum: niſi quia hora tertia crucifixus eſt Dominus linguis Judæorum, hora 6. manibus militum? ut intelligamus horam quintam jam fuiſſe tranſactam, & aliquid de ſexta cæptum quando ſedit pro tribunali Pilatus quæ dicta eſt à Joanne, hora quaſi ſexta: & cum duceretur, & ligno cum duobus latronibus configeretur, & juxta ejus crucem gererentur quæ geſta narrantur hora ſexta, integra compleretur, ex qua hora uſq; ad nonam ſole obſcurato tenebras factas trium Evangeliſtarum, Matthæi, Marci, & Lucæ conteſtatur authoritas. Sed quoniam Judæi facinus interfecti Chriſti à ſe in Romanos id eſt in Pilatum & ejus milites tranſferre conati ſunt: propterea Marcus ſuppreſſa ea hora, qua Chriſtus à militibus crucifixus eſt, quæ agi ſexta jam cæperat, tertiam potius horam recordatus expreſſit, qua hora intelliguntur apud Pilatum clamare potuiſſe, Crucifige, crucifige: ut non illi tantum reperiantur crucifixiſſe JESUM, id eſt milites qui eum ligno ſexta hora ſuſpenderunt: verum etiam Judæi qui ut crucifigeretur hora tertia clamaverunt. *Et infra.* Suſceperunt inquit JESUM & eduxerunt: & bajulans ſibi crucem exijt in eum qui dicitur Calvariæ locum, hebraicè Golgotha, ubi crucifixerunt eum. Ibat ergo ad locum ubi fuerat crucifigendus, portans crucem ſuam JESUS. Grande ſpectaculum. Sed ſi ſpectet impietas, grande ludibrium: ſi pietas

Lingua crucifixit Dominũ, Judæus, milos hora 6ta.

Ioã. 19.

Quare ſcriptũ eſt hora tertia crucifixũ Chriſtũ non ſexta.

Bajulatio Crucis.

Ibidem

Ibidem

li Petri debemus advertere, non solum ab eo negari Christum, qui dicit eum non esse Christum; sed ab illo etiam qui cum sit, negat se esse Christianum. *Et infra.* Qui ergo Christi se negavit esse discipulum, ipsam rem negavit, cujus nomen est vocari Christianum. Quam multi postea non dico senes & anus, in quibus hujus vita satietas facilius potuit mortem pro Christi confessione contemnere, nec solom juventus utriusq; sexus de qua ætate convenienter videtur exigi fortitudo. Sed etiam pueri puellæq; potuerunt, & innumerabilis Societas Sanctorum Martyrum in regnum Cælorum fortiter & violenter intravit, quod tunc iste non potuit qui claves regni ejus accepit. Ecce unde dictum, sinite hos abire: quando se pro nobis tradidit, qui suo sanguine nos redemit, ut impleretur sermo quem dixit. Quia quos dedisti mihi non perdidi ex eis quenquam. Utiq; enim Petrus si negato Christo hinc iret quid aliud quàm periret?

Confessiones SS Martyrum.

Io: 18. 9.

Et infra. Respondit JESUS: si male locutus sum testimonium perhibe de malo; si autem bene quid me cædis? Quid ista responsione verius, mansvetius, justius? Quis est enim de quo Prophetica vox præcesserat. Intende & prospere procede, & regna propter veritatem, & mansuetudinem & justitiam. Si cogitemus quis acceperit alapam, nonne vellemus eum qui percussit, aut cælesti igne consumi, aut terra dehiscente sorberi, aut correptum dæmonio volutari, aut aliqua hujusmodi qualibet pæna, vel etiam graviore puniri? Quid enim horum per potentiam jubere non potuisset, per quem factus est mundus, nisi patientiam nos docere maluisset qua vincitur mundus? Forte hic dicit aliquis cur non fecit quod ipse præcepit. Patienti enim non sic respondere, sed maxillam debuit alteram præbere. Quid quod & veraciter mansvete justeq; respondit, & non solum alteram maxillam iterum percussuro sed totum corpus figendum præparavit in ligno? Et hinc potius demonstravit quod demonstrandum fuit, sua scilicet magna illa præcepta patientiæ, non ostentatione corporis sed cordis præparatione facienda. Fieri enim potest ut alteram maxillam visibiliter præbeat homo & iratus. *Et infra.* Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. Ad illum enim sicut Matthæus dicit, ab initio ducebatur, quoniam ipse erat illius anni Princeps Sacerdotum. Alternis quippe intelligendi sunt agere solere ambo Pontifices, id est Principes Sacerdotum, qui erant illo tempore Annas & Caiphas, quos Lucas Evangelista commemorat: & narrans quo tempore cæperit Domini præcursor Joannes prædicare regnum Cælorum, & congregare discipulos. Sic enim dicit: sub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto, & cætera. Proinde isti ambo Pontifices vicissim suos annos agebant: & erat tunc annus Caiphæ, quando passus est Christus. Ideo secundum Matthæum cum comprehensus esset, ad eum ductus est, sed prius ad Annam, secundum Joannem, venerant cum illo, non quia Collega sed quia socer ejus erat. *Ibid. Tract: 113. de cap: 18:*

Ibidem

Mansuetudinis imago facies Christi cæsa.

Patientiæ Idea facies Christi cæsa.

Lu 6. 19.

In facie cæsus non negat totum corpus concidi.

Tempus Passionis Christi.

Adducunt ergo JESUM inquit ad Caipham in prætorium. Ad Caipham quippe ab Anna Collega & Socero ejus dixerat missum. Sed si ad Caipham cur in prætorium? Quod nihil aliud vult intelligi quàm ubi Præses Pilatus habitabat. Aut igitut aliqua urgente causa de domo Annæ, quo ad audiendum JESUM ambo convenerant Caiphas perrexit ad prætorium præsidis, & socero suo JESUM reliquerat audiendum: aut in domo Caiphæ prætorium Pilatus acceperat, & tanta domus erat ut seorsim habitantem Dominum suum,

Cur captivus Christus primò ad Annam ductus:

suum, seorsim judicem ferret. Erat autem mane, & ipsi id est qui ducebant JESUM non introierunt in prætorium: hoc est in eam partem domus quam Pilatus tenebat, si ipsa erat domus Caiphæ. Cur autem non introjerunt in prætorium exponens causam, ut non contaminarentur inquit, sed ut manducarent pascha. Dies enim agi cæperant Azymorum, quibus diebus contaminatio illis erat, alienigenæ habitaculum intrare. O impia & stulta cæcitas; habitaculo videlicet contaminarentur alieno, & non contaminarentur scelere proprio? Alienigenæ Judicis prætorio contaminari timebant, & fratris innocentis sanguinem fundere non timebant? Ut hoc solum interim dicam ubi rea malorum conscientia, tenebatur. Nam quod etiam Dominns erat, qui eorum impietate ducebatur ad mortem, & vitæ dator occidebatur; non eorum conscientiæ, sed ignorantiæ deputetur.

Politics Iudaica.

Io. 18. 18.

Parva timemus mala, & tamen majora non formidamus perpetrare.

Et infra. Dicit ergo eis Pilatus. Accipite eum vos & secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo Judæi. Nobis non licet interficere quenquam. Quid est quod loquitur insana crudelitas? an non interficiebant, qui interficiendum offerebant? An forte crux non interficit? Sic desipiunt qui non sectantur sed insectantur sapientiam. Quid est autem nobis non licet interficere quenquam? Si malefactor est cur non licet? Nonne lex eis præcepit ne malefactoribus præsertim qualem istum putabant à suo DEO seductoribus parcant? Sed intelligendum est eos dixisse, non sibi licere interficere quenquam propter diei festi sanctitatem, quem celebrare jam cæperant, propter quem de ingressu etiam prætorij contaminari metuebant. Itane obduruistis falsi Israelitæ? Itane omnem sensum nimia malitia perdidistis, ut ideo vos à sanguine innocentis impollutos esse credatis, quia eum fundendum alteri tradidistis? Nunquid & Pilatus illum qui potestati ejus à vobis ingeritur occidendus suis est manibus occisurus? Si non eum voluistis occidi si non insidiati estis ei, si non vobis tradendum pecunia comparastis, si non comprehendistis, vinxistis, adduxistis, si non occidendum manibus obtulistis, vocibus poposcitis, non eum à vobis interfectum esse jactate. Si autem illis omnibus vestris præcedentibus factis, etiam crucifige, crucifige, clamastis: audite quod contra vos etiam Propheta clamat, Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum machæra acuta. Ecce quibus armis quibus sagittis qua machæra justum interfecistis: quando vobis non licere quenquam interficere dixistis. Hinc est quod ad comphendendum JESUM, cum Sacerdotum non venissent Perincipes sed misissent. Lucas tamen Evangelista in eodem narrationis suæ loco ait: Dixit autem inquit JESUS ad eos qui venerant ad se Principes Sacerdotum, & magistratus templi, & Seniores. Quasi ad latronem existis, & cætera. Sicut ergo Principes Secerdotum non per seipsos, sed per eos quos miserant ad comphendendum JESUM, quid aliud quàm ipsi in sua jussionis potestate venerunt? sic omnes qui crucifigendum JESUM impiis vocibus clamaverunt, non quidem per seipsos eum, sed tamen ipsi per illum qui eorum clamore ad hoc nefas impulsus est, occiderunt. *Ibid. Tract: 114. de cap: 18.*

Ibidem

Homicida quis quis est, qui est occasio alienæ injustæ necis.

Etiam verbis possumus esse homicidæ.

Ps. 56. 5.

In servis potestas Imperantium omenitur.

Poterat Dominus quod ait regnum meum non est de hoc mundo ad primam interrogationem præsidis respondere; ubi ei dixit. Tu es Rex Judæorum? Sed eum vicissim interrogans utrum hoc à semetipso diceret, an audisset ab alijs, illo respondente, ostendere voluit hoc sibi apud illum fuisse à Judæis velut crimen objectum: patefaciens nobis cogitationes hominum quas ipse noverat, quoniam vanæ sunt: eisq; post responsinem Pilati etiam Judæ-

Regijcit à se Titulū Regis.

Io. 18. 36.

is

tas grande mysterium. Si spectet impietas grande ignominiæ documentum; si pietas grande fidei munimentum. Si spectet impietas ridet Regem pro virga regni lignum sibi portare supplicij: si pietas ridet Regem bajulantem lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus Regum. In eo spernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda Sanctorum Dicturo enim Paulo. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, ipsam crucem suam suo gestans humero commendabat: & lucernæ arsuræ quæ sub modio ponenda non erat candelabrum ferebat.

Ignominia Crucis gloriosa. *Gal. 6.* *Crux candelabrum.*

Et infra. Respondit Pilatus. Quod scripsi, scripsi. O ineffabilem vim divinæ operationis etiam in cordibus ignorantium! Nonne occulta vox quædam Pilato intus quodam si dici potest clamoso silentio personabat, quod tanto ante in psalmorum literis prophetatum est. Ne corrumpas tituli inscriptionem? Ecce tituli inscriptionem non corrumpit: quod scripsit, scripsit. Sed etiam Pontifices qui hoc corrumpi volebant, quid dicebant? Noli scribere inquiunt Rex Judæorum, sed quia ipse dixit. Rex sum Judæorum. Quid loquimini insani? Quid fieri contradicitis quod mutare nullo pacto potestis? Nunquid enim propterea non erit verum quia Jesus ait. Rex sum Judæorum? si corrumpi non potest quod Pilatus scripsit, corrumpi potest quod veritas dixit? Sed Judæorum tantum Rex est Christus, an & gentium? Imo & gentium. Cum enim dixisset in Prophetia. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem Sanctum ejus prædicans præceptum Domini: ne propter montem Sion solis Judæis eum Regem quisquam diceret constitutum, continuo subjecit: Dominus dixit ad me Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Und & ipse jam per os proprium loquens apud Judæos. Habeo inquit alias oves quæ non sunt de hoc ovili: oportet me & ipsas adducere, & vocem meam audient, & fiet unus grex, & unus pastor. Cur ergo magnum volumus intelligi in hoc titulo Sacramentum in quo scriptum erat Rex Judæorum, si Rex est Christus & gentium? Quia scilicet Oleaster factus est particeps pinguedinis oleæ, non olea particeps facta est amaritudinis oleastri. Nam in eo quod de Christo veraciter scriptum est in titulo Rex Judæorum: qui sunt intelligendi Judæi nisi semen Abrahæ filij promissionis qui sunt etiam filij Dei? Quoniam non qui filij carnis ait Apostolus hi filij Dei, sed qui filij promissionis deputantur in semine. *Et infra.* Ideo Pilatus quod scripsit scripsit, quia Dominus, quod dixit dixit. *Ibid. Tract: 117. de cap: 19.*

Titulus Crucis *Joã: 19* *Omnium Rex Christus.* *Ps. 2. 2*

Factum est quod voluerunt Judæi. Non ipsi sed milites, qui parebant Pilato judicante ipso, crucifixerunt Jesum: & tamen si voluntates, si insidias, si operam, si traditionem, si postremo si extorquentes clamores eorum cogitemus, magis utiq; Judæi crucifixerunt Jesum. Sed de partitione & sortitione vestimentorum ejus non est prætereunter loquendum. Quamvis enim omnes Evangelistæ quatuor hujus rei meminerint, cæteri tamen brevius quam Joannes: & clausè illi, iste vero apertissime. Nam Matthæus ait: postquam autem crucifixerunt eum diviserunt vestimenta ejus sortem mittentes Marcus: Et crucifigentes eum diviserunt vestimenta ejus mittentes sortem super eis, quis quid tolleret, Lucas: Dividentes vero vestimenta ejus miserunt sortes Joannes autem & quot partes de vestimentis ejus fecerint dixit: id est quatuor, ut singulas tollerent. Unde apparet quatuor fuisse milites, qui in eo crucifigendo præsidi paruerunt. Et in-

Jo. 19. *Quis magis crucifixit IESUM, milesnè an Judæus.* *Ibidem* *Sortitio vestium.* *Jo. 19.* *Quot milites Christũ Cruci affixerunt.*

Vestis Christi totum orbem texit.

Et infra. Quadripartitam vestis Domini nostri Jesu Christi; quadripartitam figuravit ejus Ecclesiam: toto scilicet qui partibus quatuor constat terrarum orbe diffusam, & omnibus eisdem partibus æqualiter id est concorditer distributam. Propter quod alibi dicit missurum se Angelos suos ut colligant electos ejus à quatuor ventis: quod quid est nisi à quatuor partibus mundi, Oriente, Occidente, Aquilone, & Meridie? Tunica vero illa sortita omnium partium significat unitatem: quæ charitatis vinculo continetur. De charitate autem locuturus Apostolus: supereminentem inquit viam vobis demonstro. Et alio loco ait. Cognoscere etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi. Itemq; alibi super omnia autem hæc charitatem quæ est vinculum perfectionis. Si ergo charitas & supereminentiorem habet viam, & supereminet scientiæ, & super omnia præcepta est: merito vestis qua significatur desuper contexta perhibetur. Inconsutilis autem ne aliquando dissuatur, & ad unum pervenit, quia in unum omnes colligit. *T, 9. in Evan: Ioan: Tract: 118. de cap: 19.*

Unitas Ecclesiæ Deo placuit, quæ vinculum est charitatis.

Joannes filius Mariæ adoptatur. Joannes solatiũ Mariæ. Magnum, imo miraculum in tribulatione nosse suos. Quare matrẽ in Cana dixit mulierem, in Cruce Matrẽ professus. Joannis Evangelistæ premium paupertatis, Maria Virgo. Thesaurus Virgo Maria. Communis mater Societatis Apostolicæ Maria.

Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Hæc nimirum est illa hora de qua Jesus aquam conversurus in vinum dixerat matri: Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Hanc itaq; horam prædixerat quæ tunc nondum venerat in qua deberet ab ea agnosci moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Tunc ergo divina facturus non divinitatis, sed infirmitatis Matrem velut incognitam repellebat: tunc autem humana jam patiens ex qua fuerat factus homo, affectu commendabat humano. Tunc enim qui Mariam creaverat innotescebat virtute: nunc verò quem Maria pepererat, pendebat in cruce. *Et infra.* Sed in quæ sua Joannes Matrem Domini accepit? Neq; enim non ex eis erat, qui dixerunt ei. Ecce nos dimisimus omnia & secuti sumus te: sed ibi quoq; audierat. Quicunq; ista dimiserit propter me, accipiet in hoc sæculo centies tantum. Habebat ergo ille discipulus centupliciter plura quàm dimiserat in quæ susciperet ejus Matrem, qui hæc illi donaverat. Sed in ea Societate beatus Joannes receperat centuplum ubi nemo dicebat aliquid suum, sed erant illis omnia communia: sicut in Apostolorum actibus scriptum est. Sic enim Apostoli erant quasi nihil habentes & omnia possidentes. Quomodo ergo Matrem Magistri & Domini sui, Discipulis, & famulis accepit in sua, ubi aliquid suum nemo dicebat? An quia paulo post in eodem libro legitur: Quotquot enim possessores prædiorum vel domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, & ponebant ad pedes Apostolorum, distribuebatur autem unicuiq; prout cuiq; opus erat: intelligendum est sic distributum fuisse huic discipulo quod opus erat, ut illic etiam beatæ Mariæ tanquam Matris ejus portio poneretur; magisq; sic debemus accipere quod dictum est. *Io. 19.* Ex illa hora suscepit eam discipulus in sua: ut ad ejus curam quid quid ei esset necessarium pertineret. Suscepit ergo eam in sua, non *Ioã. 2.* prædia quæ nulla propria possidebat; sed officia quæ propria dispensatione exequenda curabat.

Procurator Mariæ Ioãnes

Et infra. Et inclinato capite emisit Spiritum. Quis potest quæ *Ibidem* facit ita disponere quomodo disposuit homo iste quæ passus est? Sed homo mediator Dei & hominum, homo de quo prædictum legitur. Et homo est & quis agnoscet eum? quoniam homines per quos hæc fiebant. Videbant hominem, sed non agnoscebant Deum. Homo namq; apparebat qui Deus latebat. *Et infra.* Et in siti mea potaverunt me aceto: Sitio inquit. Tanquam diceret hoc minus fecistis date quod estis. Judæi quippe ipsi erant acetum, degeneran-

Sitis in cruce longiorũ cruciatuum.

nerantes à vino Patriarcharum, & Prophetarum: & tanquam de pleno vase de iniquitate mundi hujus impleti, cor habentes velut spongiam cavernosis quodammodo atq; tortuosis latibulis fraudulentum. Hyssopum autem cui circumposuerunt spongiam aceto plenam, quoniam herba est humilis, & pectus purgat, ipsius Christi humilitatem congruenter accepimus: quàm circumdederunt, & se circumvenisse putaverunt. *Et infra.* Faciebat ista populus impius, patiebatur misericors Christus. Qui faciebat quid faceret nesciebat, qui patiebatur autem non solum quid fieret, & cur fieret sciebat, verum etiam de male facientibus bene ipse faciebat. Cum ergo accepisset JESUS acetum dixit: Consummatum est. Quid nisi quod prophetia tanto ante tempore prædixerat? Deinde quia nihil remanserat, quod antequam moreretur fieri adhuc opporteret, tanquam ille qui potestatem habebat ponendi animam suam, & iterum sumendi eam: peractis omnibus quæ ut peragerentur expectabat. Inclinato capite tradidit Spiritum. Quis ita dormit quando voluerit, sicut JESUS mortuus est quando voluit? Quis ita cum voluerit obit, quomodo cum voluit obijt? quis ita vestem ponit cum voluerit, sicut se carne exuit quando voluit? Quanta speranda vel timenda potestas est judicantis si apparuit tanta morientis? *T. 9. in Evan: Ioan: 119. de cap: 19.*

Malo in bonū uti.

Jo. 19.

Voluntarius exitus vitæ Christo. Potestas morientis Christi, ostēdit potestatem gravis Iudicij futuri.

Jo. 19. Ad JESUM autem cum venissent, & viderunt eum mortuum, non fregerunt ejus crura: sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua. Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud sed aperuit: ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam quæ vera vita est, non intratur. Jlle sanguis in remissionem fusus est peccatorum: aqua illa salutare temperat poculum. Hoc & lavacrum præstat & potum. Hoc prænuntiabat quod Noe in latere arcæ ostium facere jussus est, qua intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura, quibus præfigurabatur Ecclesia. Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, & appellata est vita materq; vivorum. Magnum quippe significavit bonum, atq; magnum prævaricationis malum. Hic secundus Adam inclinato capite in cruce dormivit, ut inde formaretur ei conjunx, quod de latere dormientis effluxit. O mors unde mortui reviviscunt! Quid isto sanguine mundius? Quid vulnere isto salubrius?

Gen: 6. 16. *Gen.*

Vulnus cordis Christi Ianua vitæ. Ex latere Christi Sacramēta proluxerunt. Et lavat & inebriat cor Christi. Refugij locus Cor Christi.

Ex corde Christi prodijt Ecclesia.

Et infra. Acceperunt ergo corpus JESU & ligaverunt illud linteis cum aromatibus sicut mos est Judæis sepelire. Non mihi videtur Evangelista frustra dicere voluisse, sicut mos est Judæis sepelire: ita quippe nisi fallor admonuit in hujusmodi officijs quæ mortuis exhibentur morem cujusq; gentis esse servandum. *Et infra.* Sicut in MARIÆ Virginis utero nemo ante illum, nemo post illum conceptus est: ita in hoc monumento nemo ante illum, nemò post illum sepultus est. Ibi ergo propter parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum posuerunt JESUM. Acceleratam vult intelligi sepulturam ne advesperasceret: quando jam propter parasceven, quam cænam puram Judæi latine usitatius apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat. *Ibid Tract: 120. de cap: 19.*

Jo. 19.

Sepulchrum Christi immaculatum.

Jo. 20. Pax vobis. Et cum hoc dixisset ostendit eis manus & latus. Clavi enim manus fixerant, lancea latus ejus aperuerat: ubi ad dubitantium corda sananda, vulnerum sunt sanata vestigia. Moli autem corporis, ubi divinitas erat ostia clausa non obstiterunt. Jlle quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente Virginitas Matris inviolata permansit. *Ibid Tract: 121. de cap: 20.*

Vulnera Christi corda nostra sanant.

Qui fundit, & qui bibit sanguinem Christi.

Ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Mortem sempiternam ab eis expellebat, prece misericordissima, & potentia præstantissima. Multi ex eis crediderunt, & dimissus est eis fusus sanguis Christi. Primo fuderunt cum sævirent, biberunt cum crederent. *Ibid. Tract: 1. de cap: 1.*

Pulchritudo Christi passi in nos trasfuga. Pulcher, qui diligit.

Vidimus eum & non habebat speciem neque decorem. Isai 53.
Semetipsum exinanivit formam servi accipiens: in similitudinem 2.
hominum factus, & habitu inventus ut homo. Non habebat spe- Philip. 2.
ciem neq; decorem, ut tibi daret speciem & decorem. Quam spe- 7.
ciem? Quem decorem? Dilectionem charitatis: ut amans curras, currens ames. Pulcher es jam: sed noli te attendere ne perdas quod accepisti. Illum attende à quo factus es pulcher. Ideo sis pulcher ut ille te amet. *T. 9. in Epist: Ioan: Tract: 9. de cap: 4.*

Verba Christi in Cruce.

Fratres cogitate visceribus Christianis, si heredibus sunt tam dulcia, tam grata, tam magni ponderis, verba Patris ituri in sepulchrum: heredibus Christi qualia debent esse verba novissima non redituri in sepulchrum, sed accessuri in Cælum? *Ibid. Tract: 10. de cap: 5.*

Ad Christi crucē debemus accedere non cogi.

Sed Afer fuerit Cyrenensis, Beatum putas quod angariatus cru-
cem tulerit? Quanto melius forte diceret quis, in Arimathia re- Io. 19.
mansisse Ecclesiam Christi quia Joseph ille dives ab Arimathia habens ante oculos regnum DEI non angariatus, non coactus venit ad crucem Domini: cum cæteri formidarent petijt à Pilato sepeliendum corpus Domini de ligno deposuit, obsecutus est funeri, in sepulchro condidit, laudatus est in Evangelio? *T. 9. lib. de Pastor: in cap: Ezech: 34. cap: 17.*

Passio Christi magnæ gratiæ argumentum.

Quando passus est sub Pontio Pilato, quando passus est, crucifixus, mortuus & sepultus. Quis? Quid? Pro quibus? Quis? Filius DEI unicus Dominus noster. Quid? Crucifixus, mortuus & sepultus. Pro quibus? Pro impijs & peccatoribus. Magna dignatio, magna gratia. *T. 9. l. 1. de Symbolo ad Cathech: cap: 3.*

Cur Christus infimū genus mortis elegit.

Scrucis præmium.

De cruce ipsius quid loquar? quid dicam? Extremum genus mortis elegit, ne aliquod genus mortis ejus Martyres formidarent. Doctrinam ostendit in homine, exemplum patientiæ demonstravit in cruce: ibi opus quia crucifixus. Exemplum operis crux: præmium operis resurrectio. Ostendit nobis in cruce quid tolerare, ostendit in resurrectione quid sperare debeamus. Prorsus tanquam Agonotheta summus dixit, fac & tolle. Fac opus, & accipe præmium, certa in agone & coronaberis. Quod est opus? Obedientia. Quod est præmium? Resurrectio sine morte. Quare addidi sine morte? Quia surrexit Lazarus & mortuus est. Resurrexit Christus, jam non moritur, mors ei ultra non dominabitur. *Ibidem.*

In cruce formata Ecclesia.

Sponsus Ecclesiæ Christus, in cruce.

Quid egit iniquitas Judæ, qui eum vendidit, à quo redimi debuit? Ecce nec Judas tenuit pretium, nec Judæi quem comparaverat Christum. Illi dico ubi est quod accepisti? Judæo dico. Ubi est quod emisti? Illi dico quando vendidisti tunc te decepisti: illi dico quod emisti possidere non potuisti. Exulta Christiane in commercium inimicorum tuorum, tu vicisti. Quod Judas vendidit, & Judæus emit, tu acquisivisti. Exulta, exulta Sponsa Ecclesia: quia nisi ista in Christo facta essent, tu ab illo firmata non esses. Venditus redemit te, occisus dilexit te: & quia te plurimum dilexit mori voluit propter te. O magnum Sacramentum hujus conjugij! O quàm magnum mysterium hujus Sponsi & hujus Sponsæ; non explicabitur digne humanis verbis. De sponso sponsa nascitur, & ut nascitur statim illi conjungitur, & tunc sposa nubit, quando Sponsus moritur: & tunc ille sponsæ conjungitur, quando à mor-

mortalibus separatur. Quando ille super Cælos exaltatur, tunc ista in omni terra fæcundatur. Quid est hoc? Quis est iste sponsus absens & præsens? Quis est iste sponsus præsens & latens? quem sponsa Ecclesia fide tantum concipit, & sine ullo amplexu membra ejus quotidie parit? Quis est iste qui natus est, sic crevit, sic mortuus est? Quis est iste qui infans regem terruit, puer Judæos convincit, juvenis Pontium Pilatum turbavit? Quis est iste? Vultis nosse? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Corpus Christi sacculus auri.

Ps. 23. 8.

Et infra. Christus enim pro impijs mortuus est, mox sacculum carnis suæ in crucis ligno solvit, & pretium nostrum exactori tradidit. Ibi statim illum latronem fecit confessorem, ut per eum impiorum restauraret ruinam. Videte redemptum quem diabolus possederat homicidam: videte Dominum virtutum, & in ipsa morte miracula facientem. Tunc latro confitebatur, quando Petrus turbabatur: tunc iste agnovit quando ille negavit. Sed nunquid quia Dominus acquisivit latronem, Petrum perdidit negatorem? Absit, absit. Agebat mysterium qui fundebat pretium, in Petro demonstrans non in se quenquam justum debere præsumere: in latrone nullum impium conversum posse perire. Timeat bonus ne pereat per superbiam: non desperet malus de multa malitia. Collidantur præsumentes, colligantur desperantes. Magnum pretium pro nobis datum esse agnoscimus, quia sanguine Christi redempti sumus. Agamus quomodo tali Domino non displiceamus. Ecce amavit servos, & quos redemit servos, liberos fecit. Ecce parum est, quia donavit libertatem, exhibet fraternitatem, permittit etiam hæreditatem. Habes amplius quod expectes. Suscepit veniendo mortem tuam, donavit resurgendo vitam suam. *Et infra.* Noli timere mortem, quia cum vincere non posses, ego sum mortuus, ut tu vinceres: vinceres non per te sed per me, quia & ego quod sum mortuus, non propter me, sed propter te. Tu enim mori noveras resurgere non noveras; suscepi mortem quàm noveras, demonstravi resurrectionem quam ignorabas: credendo a-ma resurgentem, ut per illum & tu resurgas. *T, 9. l. 2. de Symb: ad Catech: cap: 6.*

Latronis Confessio. — Io. 19. — *Bonorum Petrus exēplar, malorū latro.* — *Pretium salutis nostræ, sāguis Christi.* — *Frater noster Christus.* — *Mors Christi est vita nostra.*

Nisi crucifigeretur ille, mundus non redimeretur. Pæna illa salus est nostra. Quod Judæus & gentilis detestatur. Christianus inde salvatur. *Et infra.* Clamaverunt & dixerunt. Noli ipsum dimittere sed Barabbam. Fuit autem Barabbas ut Evangelista narrat, insignis latro. O cæcitas Judæorum! O furia phræneticorum! Noli ipsum dimittere sed Barabbam: quid fuit aliud dicere quam occidatur Christus Salvator quia suscitavit mortuum: dimittatur latro, ut iterum perpetret homicidium. Sed clamate: quid clamatis nescientes? occidatur à vobis Christus, & redimantur gentes. *Et infra.* Hoc antidotum, ex sanguine crucifixi confectum, etiam ipsi Reges terræ biberunt, & qui erant Ecclesiæ persecutores ejus facti sunt defensores. *Ibid. cap: 5.*

In cruce salus ignominia gloriam tulit. — *Etiam hostibus benè voluit Christus.*

Crucifixus. Ex hoc omni libertate assumpta fiduciam sibi anima capiat Christiana. Non enim erubescere debet in crucifixum se credidisse Christum. Crux illa fidelibus non est opprobrium, sed triumphus. Crux illa vexillum nostrum est contra adversarium nostrum diabolum: pugnavit enim Rex noster pro nobis contra adversarium nostrum. *Et infra.* Ego sum, abierunt retro & ceciderunt in terram. Ecce radius veræ lucis latens adhuc sub nube carnis respexit tenebras, & prostravit ad terram. Quomodo tunc Judæi audebunt illam respicere claritatem, quando istam infirmitatem tolerare minimè potuerunt. *Ibid. cap: 5.*

Crux triumphus.

Spinas inquit & tribulos pariet tibi. An respondebis non te esse terram spinosam? Si spinas non haberes, capiti creatoris tui coronam spineam non imponeres. Quia ergo & tu talis es, spinarum multitudine id est peccatorum prægravata es. Ideo tibi talis cultura impenditur, propterea crucis ligno exararis, propterea cælesti pluviæ præpararis, ut cum fæcunda effecta fueris non gratuleris de tuis quæ nulla sunt meritis, sed reddens bonos fructus Christi prædices gratiam. Vis nosse qualis tibi adhibeatur cultura qualis te desuper perfundat gratia? Ecce agnosce. Christi cruce exararis, quando ejus signo in fronte signaris: ejus sanguine rigaris, quando in morte ipsius baptizaris. Quotquot enim ait Apostolus in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus. *T, 9. de 4. fer: Tract: 3. de cap: 1.*

Spina peccatum. — *Cruce terra sterilis arãda.* — *Agricultura animæ facta.*

Ager ille quem comparavit Judas figuli dictus est: habet potestatem figulus luti ex eadem conspersione aliud vas quidem facere in honorem, aliud in contumeliam. O terra tanto rigata sanguine, responde tanto sanguini, non Caim & Judas verba excusationis, sed sicut Sancti Martyres verba confessionis. *Et infra.* Hi sunt, dictum est, qui laverunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine agni. Jam agnoscis anima Christiana, quemadmodum & tu ex illo sanguine efficiaris candida, ut omnis & corpore, & corde pulchra ascendas de fonte Christi consecrata in sanguine. Quid enim manavit ex illo latere crucifixi? Sanguis & aqua: ex aqua splendor. *T, 9. Ibid. cap: 4.*

Matt. 27.10. — *Bons animæ sanguis Christi lavacrum.*

Ubi est, Petre animam meam pro te ponam, & tecum sum usq; ad mortem? Quam celeriter negasti quasi hominem mortuum, quem antea confessus fueras vivi Dei filium! Hæc dum ille secum in corde sermocinaretur, respexit divinitas, & flevit humanitas. Agnita est dulcedo & periit amaritudo: suscepta est charitas & deleta est iniquitas: redijt amor, & fugatus est timor. Ecce subito quem negaverat quia non habebat speciem neq; decorem, agnoscit resurgentem speciosum forma præ filijs hominum, conjunctamque illi videt sponsam, tunicam illam immortalitatis, quam antea Petrus timuerat perituram, indutam videt. *Ibid. cap: 5.*

Inconstantia in bono etiam elector tãgit. — *Hominis conversio est dexteræ excelsi mutatio.*

Domine memento mei: Latro enim sua attendens merita, de seipso diffidebat, sed Dominus tanquam pius Pater latroni quasi filio quod desperaverat offerebat. *Et infra.* Si Petrus antequam Christus pro omnibus crucifigeretur regni Cælorum claves accepit: quà illuc introivit latro ille, jam non reus, nisi per latus quod aperuit Judæus? Et nunc veniant omnnes quicunq; amant paradysum locum quietis, locum securitatis, locum perpetuæ felicitatis, locum in quo non pertimescas barbarum, in quo nullum patiaris adversarium, nullum habebis inimicum. Venite omnes, intrate omnes, est qua possitis intrare, patet latus. Ostendit enim ille latro quo debeant omnes intrare, neminem suo exemplo docuit desperare. *T, 9. lib. de temp: barbarico Tract: 5. cap: 7.*

Lu. 13. 14. — *Diffidẽtia sui, comes gratia.* — *Latro exemplũ fiduciæ in Deum.*

Contendite ait Dominus intrare per angustam portam. Quid angustius illo foramine quod unus ex militibus percutiendo latus crucifixi aperuit? & tamen per has angustias pæne jam totus mundus intravit. Venite & vos Judæi, vocat vos quem crucifixistis, filius Dei: contendite intrare per angustam portam, per hanc enim introjerunt Patres vestri. Jlli qui ut crucifigeretur clamaverunt, qui in ligno suspensum viderunt, qui irriserunt, qui caput agitaverunt, per istas tamen angustias introjerunt. Non enim inaniter clamabat ille pendens in cruce Pater ignosce illis quia nesciunt, quid faciunt. Per has ergo ut dixi angustias, per angustam portam

Mat. 7. 13. — *Io. 19.* — *Latus Christi porta cæli.* — *Christi beneficentia etiam ad Crucifixores se extẽdit.*

tam lateris Christi ingressus est latro mutatus, pænitens Judæus, conversus omnis paganus, & ab eo exijt foras malus hæreticus Arianus. *Ibid. cap: 8.*

Intuere dulcem natum toto corpore extensum, cerne manus innoxias pio manantes sanguine, & remitte placatus scelera quæ patrarunt manus meæ. Considera inerme latus crudeli perfossum cuspide, & renova me sacro fonte quem inde in me credo fluxisse. *Et infra.* Aspice mitissime conditor dilectæ sobolis humanitatem, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem. Candet nudatum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia crura pandent marmorea, rigat terebratos pedes beati sanguinis unda. Specta gloriose genitor gratissimæ prolis lacerata membra, & memorare benignus quæ mea est substantia. Conspicare DEI hominis pænam, & relaxa conditi hominis miseriam. Vide redemptoris supplicium, & redempti dimitte delictum. *Et infra.* Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. Ego tuæ passionis livor, tui cruciatus labor. O mirabilis censuræ conditio! o ineffabilis mysterij dispositio! Peccat iniquus & punitur justus: delinquit reus & vapulat innocens: offendit impius & damnatur pius: quod meretur malus patitur bonus: quod perpetrat servus exsolvit Dominus: quod committit homo sustinet DEUS. Quo nate DEI quo tua descendit humilitas? quo tua flagravit charitas? quo processit pietas? quo excrevit benignitas? quo tuus attigit amor? quo pervenit compassio? *T: 9. lib. Meditati: cap: 7.*

Christi vulnera Patris aeterni iram mitigant.

Christi patientis spectaculum est Divinæ in nos misericordiæ incitamentum.

Amoris Christi magnitudo in passione.

Multum est quod mea meretur impietas, longe autem majus quod Redemptoris mei reposcit jure pietas. Magna enim est mea injustitia fateor; verum major Redemptoris justitia. Quantò namque est superior DEUS homine, tantò mea malitia est inferior ejus bonitate in qualitate & quantitate. Quid enim deliquit homo quod non redemit filius DEI factus homo? Quæ tanta superbia tumeret quàm non tanta humilitas sterneret? Quodnam tantum mortis imperium, quod nati DEI non destrueret crucis supplicium? *T, 9. ibid. cap. 15.*

Christi humilitas humanæ ruina superbiæ.

O impensa pietas, o inæstimabilis charitas, ut liberares servum filium tradidisti. DEUS factus est homo ut perditus homo de potestate dæmonum erueretur. *Et infra.* Pius Dominus, & vere multum pius pastor. O charitas, o pietas! Quis audivit talia? quis super tanta misericordiæ viscera non obstupescat? *T, 9. Ibid. cap. 15.*

Christi passio hominis in libertatem assertio.

Miserere ne desperem, sed sperando respirem. Etsi ego commisi unde me damnare potes, tu non amisisti unde salvare soles. Tu Domine non vis mortem peccatorum, nec lætaris in perditione morientium: imò ut mortui viverent, tu mortuus es, & mors tua peccatorum mortem occidit. *T, 9. lib: Meditat: cap: 39.*

Peccatorum spes in morte Christi

Vita nostra in Christi morte abscondita.

CHRISTUS RESURGENS

Resurrectio ejus à mortuis, nihil hominis perire naturæ, cum omnia salva sunt DEO satis indicavit. *T, 1. l. de ver. relig: c 16.*

Transitus quidam de morte ad vitam in illa passione Domini & resurrectione sacratus est. Nam vocabulum Pascha hebræum esse dicunt, ab eo quod transitur de morte ad vitam, Pascha transitus dicitur. *T, 2. Epist: 119 cap: 1.*

Restitutio Christo facta in resurrectione via Regia sacra, in morte Christi.

Quia vero in toto tempore sæculi nunc tertium tempus apparuit, ideo resurrectio Domini triduana est. Primum enim tempus ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia: ubi jam mani-

Status Christi & gratiæ, status vitæ.

manifestatio est Sacramenti priùs occulti in prophetico ænigmate. *Ibid. cap: 3.*

Decies apparet Christo Apostolis resurgens quia crucifixi memoriam ingerebat osia gloriosus.

Invenimus apud quatuor Evangelistas decies commemoratum Dominum visum esse ab hominibus post resurrectionem. Semel ad monumentum mulieribus. Iterum ijsdem regredientibus à monumento in itinere. Tertiò Petro. Quartò duobus euntibus in Castellum. Quintò pluribus in Jerusalem, ubi non erat Thomas. Sextò ubi eum vidit Thomas. Septimò ad mare Tyberiadis. Octavò in monte Galileæ secundum Matthæum. Nonò quod ait Marcus novissimè recumbentibus, quia jam non erant in terra cum illo convivaturi. Decimò in ipso die non jam in terra; sed elevatum in nube, cum in cælum ascenderet. *Et infra.* Atq; omnino per illos quadraginta dies quoties voluit, quibus voluit, quemadmodum voluit sicut Petrus dicit: non quod quotidie per dies quadraginta cum illo manducassent & bibissent, nam erit contrarium Joanni, qui octo dies interposuit, quibus ijs visus non est, ut tertiò manifestaretur ad mare Tyberiadis. Inde jam etsi quotidie illis visus & cum illis convivatus est nihil repugnat. *T, 4. l. 3. de consen: Evang: circa finem.*

Luctus frater est gaudium.

Ex duobus illis hominibus Abel, qui interpretatur luctus, & ejus Fratre Seth, qui interpretatur resurrectio, mors Christi & vita ejus, ex mortuis præfiguratur. *T, 5. l. 15. de Civi. Deì c. 18.*

Dextera Dei.

Deducet te mirabiliter dextera tua. Nos, dextera ipsius, ipsum, dextera sua. Jlle enim Deus nos homines. Dexterâ suâ deductus est id est potentiâ suâ. *T, 8. Enar: in Psal: 44.* Ps: 44. 5.

Gloria passio Christi.

Super omnem terram gloria tua. Vide illum cujus pedes & manus fixi sunt clavis, cujus ossa in ligno pendentia numerata sunt super cujus vestimentum sors missa est. Vide regnantem quem illi viderunt pendentem. Vide in Cælo sedentem quem contempserant in terra ambulantem. Hæc videns exclama cum gaudio. Sicut audivimus ita & vidimus. Merito sic vocatur ipsa Ecclesia de gentibus. Audi Filia & vide. Non vide & audi, sed audi & vide; prius audi postea vide. Audis primo quod non vides, videbis postea quod audisti. *Ibid. Enar. Psal: 47.* Ps: 47. 9.

Tormentum est inimico videre felicē quem odit.

In multitudine potentiæ tuæ mentientur tibi inimici tui. Potentia Domini nostri Jesu Christi maxime apparuit in Resurrectione. Et resurgens apparuit discipulis suis. Non apparuit inimicis suis sed discipulis suis. Crucifixus apparuit omnibus, resurgens fidelibus, ut etiam postea qui vellet crederet, & credenti resurrectio promitteretur. Multi Sancti multa miracula fecerunt, nullus eorum mortuus resurrexit: quia & qui ab eis resuscitati sunt, morituri resuscitati sunt. *Ibid. in Psal: 65.* Ps: 65. 3.

Sublimis adoratio Christi.

Omnis terra adoret te, & psallat tibi, psallat Nomini tuo altissime. Paulo ante humillime inter manus mentientium inimicorum, altissime super verticem laudantium Angelorum. O Gentes o ultimæ nationes venite & videte opera Domini, relinquite Judæos mentientes, venite venite confitentes. *Ibid. in psal: 65.* Ps. 65. 4.

Vita renovata sublimat Deum.

Qui ascendit super occasum: sive quia non eum excipit nova vita si ad eum converteris nisi vetus acciderit huic sæculo renuntiantis: sive quia ascendit super occasum, cum resurgendo vicit corporis casum. *Ibid. in Psal: 67.* Ps. 67. 5.

Loco meriti respōdet locus præmij.

Qui ascendit super Cælum ad orientem. In his verbis ille non intelligit Christum, qui ejus resurrectionem ascensionemque non credet. Ad Orientem verò quod addidit, nonne etiam ipsum locum, quoniam in partibus Orientis est ubi resurrexit, & unde ascendit expressit. *Ibidem.* Ps. 67. 34.

Sic

Matt. 12.40. Sic erit & Filius hominis in corde terræ in tribus diebus, & tribus noctibus: ideo totum pro parte non insolenter accipitur, quia non ait totis tribus diebus, & totis tribus noctibus. Unus quippe medius fuit totus dies, duorum autem partes primi ultima prima. *Ibid. in Psal*: 87.

Pauciora patimur quia Deo minatur.

Ps. 92 1. Dominus regnavit. Ille qui stetit ante Judicem, ille qui alapas accepit ille qui flagellatus est, ille qui consputus est, ille qui spinis coronatus est, ille qui colaphis cæsus est, ille qui in ligno suspensus est, ille cui pendenti in ligno insultatum est, ille qui in cruce mortuus est, ille qui lancea percussus est, ille qui sepultus est, resurrexit. Dominus regnavit. Sæviant quantum possunt regna. Quid sunt factura Regi regnorum Domino omnium Regum, creatori omnium sæculorum? An ideo contemnitur quia tam submissus, & tam humilis apparuit? Misericordia est non impotentia. Ille enim humilis apparuit ut eum caperemus. Sed jam videamus Dominus regnavit. *Ibid. Expos: Psal*: 96.

Regnum patientiæ.

Non ei respondit Ecclesia in via infirmitatis, sed in via fortitudinis suæ: quia post resurrectionem vocavit Ecclesiam de toto orbe tarrarum, jam non infirmus in cruce, sed fortis in Cælo. Non enim laus fidei Christianorum est, quia credunt mortuum Christum; sed quia credunt resurrexisse Christum. Nam mortuum & Paganus credit: & hoc tibi pro crimine objicit, quia in mortuum credidisti. Quæ igitur laus tua? Credere resurrexisse Christum & sperare te resurrecturum esse per Christum: hæc est laus fidei. *Ibid. Con: 2. de 2. parte Psal*: 101.

Exaggerata fides de alio bona credere.

Gen. 2 22. Semel Christus dormivit ut illi conjunx de latere fieret, dormivit in cruce manifestum est. Mortuus est enim ut diceret. Ego
Ps. 3.5 dormivi & somnum cœpi. Sed nunquid qui dormit non adjiciet ut
Ibidem resurgat? Propterea ibi sequitur & exurrexi quia Dominus suscepit me. *Ibid. Enar: in Psal*: 102.

Pati somnium est.

Non magnum est credere quia mortuus est Christus. Hoc & Pagani, Judæi & omnes iniqui credunt. Hoc omnes credunt quia mortuus est. Fides Christianorum resurrectio Christi est. *Ibid. Exposit: Psal*: 120.

Exurge Domine in requiem tuam. Tu & arca sanctificationis
Ps. 131 8. tuæ. Id est Exurge ut exurgat & arca sanctificationis tuæ, quàm sanctificasti. Ipse caput nostrum: arca ejus Ecclesia ejus. Surrexit prior surget & Ecclesia. Non autem auderet sibi resurrectionem corpus promittere, nisi prius exurgeret caput. Exurge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ Et corpus Domini nostri JESU Christi, quod ex MARIA Natum est, intellectum est à quibusdam arca sanctificationis: ut hoc diceret. Exurge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ. Cum corpore exurge, ut palpent qui non credebant. *Ibid. Enar: in Psal*: 131.

Arca Ecclesiæ

Deus non vult solus felix esse.

Adhuc mihi dicturus es. Surgat aliquis ex mortuis. Ego non credo nisi aliquis venerit & dixerit. O Domine gratias misericordiæ tuæ. Voluisti mori ut aliquis ab inferis surgeret: sed ipse aliquis non quicunq;, sed veritas surrexit ab inferis: qui verum de inferis diceret: etsi ad inferos non veniret. Et tamen propter voces imperitorum malorum ecce ipse mortuus est, ecce resurrexit ab inferis. Quid dicis hæretice? Quid dicis? Modo te audiam. Finitæ sunt omnes excusationes tuæ. Et si verba derides divitis apud inferos constituti, surrexit à mortuis Christus. Dignatus vel ipsum audire. *Ibid. Exposit. Psal*: 147.

Resurrectio Christi.

Potentia orationis.

Quid enim quia resurrexit à mortuis, quia in eodem corpore resurrexit? Bene quia cicatrices ostendit: quia ut crucifixus est at sepultus, ita redditus ita demonstratus. *Ibidem*. Et

Omnis Christi actio est Æterni Patris glorificatio.

Et clarificavi, cum de Virgine natus est, cum virtutes operatus est, cum Cælo indice per stellam à Magis adoratus est, cum à Sanctis Spiritu Sancto plenis agnitus est, cum descendente Spiritu in specie columbæ declaratus, cum voce de Cælo sonante monstratus, cum in monte transfiguratus, cum miracula multa fecit, cum multos sanavit atq; mundavit, cum de paucissimis panibus tantam multitudinem pavit, cum ventis & fluctibus imperavit. Et iterum clarificabo cum resurget à mortuis, cum mors ei ultra non dominabitur cum exaltabitur super Cælos DEUS. *T, 9. in Evan: Ioan: Tract: 52. de cap: 12.* Io. 13. 18.

Christus Dux Ecclesiæ ad cæleste Patriam.

Iusto mors ad vitã reprobo mors cedit ad interitum.

Spes membris in capite data est, quod essent illo transeunte, sine dubio secutura. Quid ergo infideles, & ab hoc capite atq; ab ejus corpore alieni? Nonne & ipsi transeunt, quia non permanent? Transeunt plane & ipsi: sed aliud est transire de mundo, aliud est transire cum mundo: aliud ad Patrem aliud ad hostem. Nam & Ægiptij transierunt non enim persequendo manserunt: non tamen transierunt per mare ad regnum, sed in mari ad interitum. Sciens ergo JESUS quia venit hora ejus ut transiret ex hoc mundo ad Patrem: Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Utiq; ut & ipsi de hoc mundo ubi erant ad suum caput quod hinc transisset ejus dilectione transirent. Quid est enim in finem, nisi in Christum? Finis enim legis Christus ait Apostolus ad justitiam omni credenti. Finis perficiens, non interficiens: finis quousq; eamus, non ubi pereamus. Sic omnino intelligendum est Pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse est finis noster in illum est transitus noster. *T, 9 in Evang: Ioan: Tract: 5. de cap: 13.* Io. 13. 9. Rō: 10. 4.

Caritas nos Dei sequaces reddit.

Finis vitæ nostræ et viæ est Christus.

Christus etiam post ascensionẽ mundo præsens.

Reliquit mundum corporali discessione, perrexit ad Patrem hominis ascensione, nec mundum deseruit præsentiæ gubernatione. *Ibid. Tract: 102. de cap: 16.*

Quare Angeli unus ad caput alter ad pedes sederit.

Et vidit duos Angelos in albis sedentes; unum ad caput & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus JESU. Quid est quod unus ad caput & ad pedes alter sedebat? An quoniam qui græce dicuntur Angeli latine sunt nuntij, isto modo Christi Evangelium velut à capite usq; ad pedes ab initio usque in finem significabant esse nuntiandum? *Et infra.* Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum. Non ait Patrem nostrum. Aliter ergo meum, aliter vestrum. Naturâ meum, gratiâ vestrum. Et DEUM meum & DEUM vestrum. Neq; hic dixit DEUM nostrum. Ergo & hic aliter meum, aliter vestrum. DEUM meum sub quo & ego sum homo DEUM vestrum inter quos & ipsum, mediator sum. *Ibid. Tract: 121. de cap: 20.* Io. 20. 12.

Deus est Pater Christi natura, noster gratia.

Visio Christi, Thomæ fidem confert.

Infer inquit digitum tuum huc, & vide manus meas. Quid aliud ait, quàm tange & vide? Nec tamen oculos ille habebat in digito. Ergo sive intuendo, sive etiam tangendo, quia vidisti me inquit credidisti: Quamvis dici possit non ausum fuisse discipulum tangere, cum se offerret ille tangendum: non enim scriptum est, & tetigit Thomas, sed sive aspiciendo tantum, sive etiam tangendo viderit, & crediderit: illud quod sequitur magis gentium fidem prædicat atq; commendat. Beati qui non viderunt & crediderunt. Præteriti temporis usus est verbis: tanquam ille qui quod erat futurum, in sua noverat prædestinatione jam factum. *Ibidem.* Io. 20.

Angelis videre nisi datũ est hominibus etiam tangere Christum.

Et præbuit se ex tempore palpandum manibus hominum, qui semper se præbet videndum aspectibus Angelorum: & palpavit ille discipulus & exclamavit, Dominus meus & DEUS meus. Quia tetigit hominem confessus est DEUM. Et Dominus consolans nos qui ipsum jam in Cælo sedentem manu contrectare non possumus, fide

Io. 20. ſed fide contingere ait illi. Quia vidiſti credidiſti, beati qui non viderunt & crediderunt. Nos deſcripti ſumus, nos deſignati ſumus. Fiat ergo in nobis beatitudo, quàm Dominus prædixit futuram. *Ibid. Tract: 1. de cap: 1.*

Fide Chriſtus in Cælo attingitur.

Vivificabit poſt duos dies, in die tertio ſuſcitabit nos. Prima dies Paſſio Domini Salvatoris eſt. Secunda qua deſcendit ad infernum. Tertia autem reſurrectionis eſt dies. *Et infra.* Via etiam trium dierum poteſt intelligi, bene cogitare, bene loqui, bene operari. Et revera qui hoc agit, & tota animi virtute cuſtodit, non in nocte, ſed in die ambulat: nec filius tenebrarum, ſed filius lucis efficitur: impletur in illo illud quod Apoſtoſtus dicit. Fuiſtis aliquando tenebræ nunc autem lux in Domino, ut Filij lucis ambulate. *T, 10. ſer: de Temp: ſer: 90. Fer: 5. poſt 3. Dñicam in Quadr. ſer: 1.*

Ex: 3. 18.

In die ambulat, bene operans.

Eph. 5. 8.

Bene operantes lucis filij.

Quem dolebant occiſum fuiſſe non credebant vivum eſſe, Patres fidei, nondum fideles Magiſtri. Ut crederet totus Orbis terrarum quod prædicaturi fuerant: & propter quod fuerant morituri nondum credebant. Quem viderant mortuos ſuſcitaſſe, non credebant reſurrexiſſe. *Ibid. ſer: 141. Fer: 2. Paſchæ ſer: 2.*

Magna infidelitas conditionis humanæ. Quando locuta eſt Eva quod dixerat ſerpens, audita eſt: cito mulieri creditum eſt, feminis vera dicentibus quod viveret Chriſtus, minus creditum eſt. Nam hoc eſt quod egit Dominus JESUS Chriſtus, ut prius illud ſexus femineus nuntiaret. Quia ergo per ſexum femineum cecidit homo per ſexum femineum reparatus eſt homo: quia Virgo Chriſtum peperit, femina reſurrexiſſe nuntiabat: per feminam mors, per feminam vita. *Ibid. ſer: 144. Fer: 3. Paſchæ ſer: 1.*

Fæmina peccati & reparationis origo.

Bene dominicus ſermo, ac reſurrectio Domini conjungitur. Venerabilis eſt hic dies, qui dominicus dies, & dies primus atq; perfectus eſt, & dies clarus in quo viſa eſt prima lux. In quo tranſgreſſi ſunt filij Iſrael mare rubrum ſiccis pedibus, & in quo pluit manna filijs Iſrael in deſerto, & quo Dominus baptizatus eſt in Iordane. Quo vinum de aqua in Cana Galileæ factum eſt, quo benedixit Dominus quinq; panes, quibus ſatiavit quinq; millia hominum. In quo reſurrexit Dominus à morte, quo intravit Dominus in domos clauſas, ubi erant diſcipuli congregati propter metum Judæorum: in quo Spiritus S. deſcendit in Apoſtolos, & in quo ſperamus Dominum noſtrum JESUM Chriſtum ad judicium venturum: in quo die omnis creatura reformabitur in melius, ut ſol & luna ſeptuplum lumen accipiant, & Sancti homines vitam æternam propter meritum bonæ obedientiæ recipiant à DEO. *Et ſupra.* Hodie fides Eccleſiæ confirmata eſt in Chriſto. *Ibid ſer: 154. Fer: 6. Paſchæ ſer: 3.*

Dominicus dies, dies perfectus.

Die Dominico mundum judicaturus eſt Deus.

Reſurrexit Chriſtus, ut reſurrecturum ſe non dubitet Chriſtianus. Quod enim præceſſit in capite, ſequetur in corpore. *Ibid. ſer: 162. Dnica in Octa: Paſchæ ſer: 6.*

Reſurrectionis noſtræ pignus.

Paſcha Chriſti dilectiſſimi, regnum eſt Cæli ſalus mundi, vita credentium, occaſus inferni, gloria ſupernorum, reſurrectio mortuorum, teſtimonium reſurrectionis divinæ, pretium redemptionis humanæ, cognitio mortis obolitæ. Quæ feſtivitas DEI ſacrata myſterio, & cognita ſacramento virtutem Dominicæ reſurrectionis, per Angelos indicat, per Apoſtolos manifeſtat, per corda credentium bona multiplicat. Hic igitur eſt dies dilectiſſimi, quem fecit Dominus ut audiſtis, celſior cunctis, lucidior univerſis, in quo Dominus reſurrexit, in quo ſibi novam plebem, ut ipſi videtis, regenerationis ſpiritu conquiſivit, in quo ſingulorum mentes gaudio & exultatione perfudit. Hic ergo dies reſurrectionis Chriſti, defunctis vita, peccatoribus venia, ſanctis eſt gloria. *Ibid ſer: 163. in eadem Dnica ſer: 7.*

Paſcha Chriſti, eſt regnum Cæli.

Pſ: 23. b. 8.

Vita defunctorum Chriſti reſurrectio.

Ascensio. Salvator noster dilectissimi fratres ascendit in Cælum? non ergo turbemur in terra. Ibi sit mens, & hic erit requies. Ascendamus cum Christo interim corde: cum dies ejus promissus advenerit, sequemur & corpore. Scire tamen debemus fratres, quia cum Christo non ascendit superbia, non avaritia, non luxuria, nullum vitium nostrum ascendit cum medico nostro. *Ibid. ser: 175. in Vigilia Ascens: ser: 2.*

Peccata Cælũ non ascendunt.

Christi in Cælum ascendentis Hypotyposis. Sanctificatur divino comitatu immensus àér, & omnis illa volitans turba per auras Christo ascendente transtringit, pavet omne cælum; mutantur astra, concurrit confestim fulmineus ille militiæ cælestis exercitus. Vident Regem suum vivæ carnis manubias reportare, atq; hoste debellato hominem in superna conscendere, agnoscunt in cicatricibus signa bellorum: adorant in carne vulnera jam sanata, ubi nihil peccati macula extinxerat, nec quidpiam sua virulentia gravidus ille veneni dracò vomuerat. Serpens enim vestigium in Petra non figebat. Plaudunt agmina, tubæ sonant lætis se miscentia blanda modulamina choris funduntur. *Et infra.* Et introibit Rex gloriæ. Ascendebat enim cruoris rubore perfusus, à trophæis victricibus laureatus. Viderunt cælites cuncti speciosum vulneribus Christum, spolia castris tyrannicis reportata: & admirantes fulgentia divinæ virtutis vexilla, talibus concrepant hymnis deducuntq; lætantes: Quis est inquiunt iste Rex gloriæ? Et ajunt Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ. Hic est ille candidus & roseus, compunctus à multitudine: hic est ille qui non habuit speciem neq; decorem, infirmus in laqueo, fortis in spolio, vilis in corpusculo, armatus in prælio, fædus in morte, pulcher in resurrectione, candidus ex Virgine, rubicundus in cruce, fuscus in opprobrio, clarus in Cælo. *Et infra.* Recepit igitur se intra velamina divina cum carne majestas, didicit cælum portare hominem, atq; sub pedibus Christi famulantia æthera jacuerunt. Ecce iam porta patet, quàm clauserat Adam, claustrum quod cælo iniquitas infixerat, reparatum est. *Ibid ser: 178. in eadem vigilia ser: 5.* *Ps. 23. 8.*

Jam super aspidem & basiliscum ambulavit, & conculcavit leonem & draconem: pede mortis, plausu resurrectionis. Mirabilis in oculis nostris clarificatus coruscat ascensionis virtutibus, sedens super nubem levem, compluens Apostolos pacis hereditate, & testamentaria charitate: Pacem inquit meam do vobis, pacem relinquo vobis. *Et infra.* Sic veniet. Vna erit evectio, una lætitia nubifera, una species mansveta, sed justis clarificatio, & peccatoribus metuenda. Non vos terrebit adventus, quos consolatur ejus ascensus. Sic veniet clavorum vulnera illæsa demonstrans, & foraminum cruenta monilia. Vobis filijs sponsi cum coronam cælestis exhibebit imperij, crucis vulnera non mutabit, quia signum filij hominis fulgebit. *Ibidem ser: 6.* *Ps. 90. 13.*

Descensio Christi ad judiciũ, non dispar ab ascensione. Timor in cruce, amor in nube, visus delectabilis in àére. O dulcis descendentis affectus! o delectabilis evolantis aspectus! Facit vale, & benedicit in pace. Jlli se commendant, & ille benedictionis gratiam relinquit. Benedicit eis extensis manibus, & præparatis in occursum imponitur nubibus. Finit eloquium, & jam repetit Cælum. *Et infra.* Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in Cælum. Profectus est desiderabilis, non veniet vobis terribilis: nubes in occursu, nubes in reditu. Vulnera portavit, ipsa iterum reportabit. Crucem retulit cum triumpho, signum filij hominis vobis patebit in Cælo. Sic veniet ipso corpore, in ipsa nube, in ipsa veritate, vobis in amore, impijs in tremore. Beati quibus vere dicitur: Sic veniet quemadmodum vidi- *Act. 1. 11.*

stis

stis eum euntem in Cælum. Nunquid sic veniet oculis peccatorum? Ipsa erit veritas, sed non erit ipsa securitas. Dulcerit tremendi judicij, descensus Angelorum resurrectio mortuorum. Ascendent Angeli & quodam digito tubæ sonantis tangent sepulchra terræ trementis, ut pignora restituant throno igneo judicantis. Ascendent Angeli, ad sepulchra Prophetarum, & ipsorum Apostolorum omniumq; Sanctorum, & dicent eis: Ecce est qui sic iterum redit, quomodo ascendit. Nos diximus quia sic veniet, quomodo eum vidistis euntem in Cælum: qui deduxistis euntem, suscipite redeuntem. *Ibid. ser: 180. in eadem vigilia ser: 7.*

Thronus judicantis Dei igneus.

Apostoli & Prophetæ, descēdentē Christum ad judicium excipient.

Adhuc trepidantibus& mirantibus prægaudio. Jam gaudium erat, & adhuc trepidatio permanebat. Res enim incredibilis erat facta, sed tamen facta. Nunquid nunc incredile est quia resurrexit caro Domini de sepulchro? Totus hoc credidit mundus. Qui non credidit, remansit immundus. *Et infra.* Hæc sunt verba quæ locutus sum vobis,dum adhuc essem vobiscum. Quid est hoc, Dum adhuc essem vobiscum? Nunquid non tunc cum illis erat, cum illis loquebatur? Quid est cum adhuc essem vobiscum? Vobiscum eram quando moriturus eram. Quid est vobiscum? Cum morituris moriturus. Modo jam non vobiscum, quia cum morituris nunquam ulterius moriturus. *T, 10. sermonum decem & septem ser: 4. Fer: 3. Paschæ.*

Gaudium non absq; timore.

Ut levaret post se spem nostram, levavit primo carnem suam. Et ut speraremus hoc secuturum in nobis, illud præcessit, quod accessit ex nobis. *T. 10. parte 2. ser: de diver: ser: 53. de Nativ: Dni ser: 3.*

Res nova inferis DEUS præsens: res nova cælis homo assumptus. *Ibid. ser: 57. de eodem ser: 6.*

Nova inferi cælisq;.

In resurrectione Christi constabilita est fides nostra. Passionem Christi & Pagani, & impij, & Judæi crediderunt, Resurrectionem non nisi Christiani. Passio Christi significat miserias hujus vitæ. Resurrectio Christi ostendit beatitudinem futuræ vitæ. In præsenti laboremus: in futura speremus. Modo tempus est operis, tunc mercedis. Qui piger est in exhibendo opere, impudens est in exigenda mercede. *Ibid. ser: 86. habito die S. Paschæ.*

Passio Christi mundi miserias. Resurrectio beatitudinem significat.

CHRISTUS JUDEX

NEc quisquam erit homo nostrorum temporum, qui se in illo judicio, de sua possit infidelitate defendere, cum Christum cantet, & justus ad æquitatem, & periurus ad fraudem; & Rex ad imperium, & miles ad pugnam &c: & ebriosus ad phialam, & mendicus ad januam: & bonus ut præstet, & malus ut fallat: & Christianus venerator; & paganus adulator: Omnes Christum cantant; & quâ voluntate atq; ore cantent, eidem ipsi quem cantant, rationem sine dubio reddituri sunt. *T, 2. epist: 42.*

Omnes Christum sed non æqualiter canimus.

Timete illum quem priùs judicatum irrisit superbus Orbis terrarum: & nunc Judicem subjectus expectat. *Ibidem.*

Passus Christus judicabit.

Eum enim decebat venire ad Judicium resurgentium, qui præcesserat ad exemplum: neq; ad exemplum omnium resurgentium, sed ad exemplum eorum, qui sic resurrecturi sunt, ut cum illo vivant & regnent in sempiternum, quorum etiam caput est, tanquam corporis sui. Ex ipsorum enim resurrectione etiam prædestinatus est, ut ipsis Princeps fieret: (primogenitus ex mortuis) cæterorum autem in sua conditione resurgentium non Princeps, sed Judex est *T, 4. lib. exposit: Epist: Pauli ad Rom: fol: 361.*

In extremo judicio erit Princeps Christus, prædestinatorū, Iudex damnatorum.

Et potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est.

Cum vulneribus, seu signis passibilis carnis judicabit.

Hic ostendit quòd in ea carne veniet judicaturus, in qua venerat judicandus. *T, Item lib: 20. de Civit. Dei. c, 6.*

Seducti judicabuntur novissimo manifestoque judicio per JESUM Christum justissimè judicaturum, injustissimè judicatum. *Ibid c. 19.*

Vox Christi judicantis, gravissima judicandis.

DEUS manifestè veniet DEUS noster & non silebit. Manifestus enim veniet, inter justos & injustos judicaturus justè, qui priùs venit occultus, ab injustis judicandus injustè. Ipse inquam manifestus veniet, & non silebit, id est in voce Judicis evidens apparebit, qui prior cum venisset occultus, ante Judicem siluit & sicut Agnus coram tondente se, fuit sine voce, quemadmodum de illo per Isaiam legimus prophetatum & in Evangelio videmus completum. *Ibid. c. 24.* Ps. 49

Christus in passione Agnus, in Judicio Leo.

Angeli justos ad judicium deferent.

Congregate illi justos ejus, profectò enim per Angelicum ministerium tanta res peragenda est. *T, 5. lib: 20. de Civit: Dei c, 24.* Ps. 49 5.

Et accedam inquit ad vos in Judicium, & ero testis velox super maleficos & super adulteros &c. quibus damnabilibus enumeratis criminibus addidit, quoniam ego Dominus DEUS vester, & non mutor. tanquam diceret cum vos mutaverit & in deterius culpa vestra, & in melius gratia mea, ego non mutor. Testem verò se dicit futurum. Quia in Judicio suo non indiget testibus. Eumq; volocem, sive quia repentè venturus est, sive quia ipsas convincet, sine ulla sermonis prolixitate conscientias. In cogitationibus enim sicut est impij interrogatio erit, sic ergo Dominus futurus testis intelligendus est velox, cum sine mora revocaturus est in memoriam, unde convincat puniatq; conscientiam. *Ibidem c, 26.* Mal. 3 Mal. 3 6.

In judicio novissimo Testis & Iudex ipse Christus.

Et in nomine ejus gentes sperabunt, quis inquam speraret gentes in Christi nomine speraturas esse; quando tenebatur, ligabatur, cædebatur, illudebatur, & crucifigebatur: quando & ipsi discipuli spem perdiderant, quam in illo habere jam cæperant? Quod tunc vix unus latro speravit in cruce, nunc sperant gentes longè lateq; diffusæ: & nè in æternum moriantur, ipsâ in qua ille mortuus est, cruce signantur. Nullus igitur vel negat, vel dubitat per JESUM Christum tale quale istis sacris literis prænuntiatur futurum esse novissimum judicium, nisi qui eisdem literis, nescio quâ incredulâ animositate seu cæcitate, non credit: quæ jam veritatem suam orbi demonstravêre terrarum. In illo itaq; judicio has res didicimus esse venturas: Eliam Thesbitem, fidem Judæorum, Antichristum persecuturum, Christum judicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum, malorumq; direptionem, mundi conflagrationem, ejusdemq; renovationem. Quæ omnia quidem ventura esse credendum est, sed quibus modis, & quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quàm nunc valet consequi ad perfectum hominem intelligentia. Existimo tamen eo quo à me commemorata sunt ordine esse ventura *Ibid. c, 30.* Rō. 15. 11.

Cruce Christi armamur contra ipsius severũ Tribunal.

Latet ultima mundi dies.

Quid sibi vult nescio, quæ præsumptio quæ annis computatis certissimum sperat post septem annorum millia diem Domini? Nos igitur quod nescire nos Dominus voluit, libenter nesciamus. *T, 8. in Psal: 6.*

Dies Iudicij dies confirmationis.

Erubescant & conturbentur. Non video quemadmodum evenire possit, nisi illo die cum manifesta fuerint justorum præmia, & supplicia peccatorum. Nam nunc usq; adeo non erubescunt impij, ut infirmos homines de Christi nomine erubescere faciant. *Et infra.* Convertantur & confundantur. Quis non judicet esse justissimam pænam, & conversionem ad confusionem habeant qui ad salutem habere noluerunt. *T, 8. ibidem.* Ps. 6. 11.

Veni-

Veniet ipsa vita judicatura & damnatura eos, quibus dicetur. Ite in ignem æternum. Jlli autem quibus insultatum est, & qui irrisi sunt quia credebant, audient ab ipsa vita quam habent Pastorem. Venite benedicti Patris mei. *Ibid. Con: 2. in Psal: 48.* *Vita condemnatrix.*

Dedit ei potestatem judicij faciendi quoniam filius hominis est. Secundum quod Filius DEI nunquam accepit potestatem judicandi, qui nunquam caruit potestate judicandi. Secundum quod filius hominis accepit tempus sicut nascendi & patiendi sicut & moriendi & resurgendi, & ascendendi: ita veniendi & judicandi. Dicit in illo ista & corpus ejus: non enim sine istis judicabit. Dicit quippe in Evangelio. Sedebitis super duodecem sedes, judicantes duodecem tribus Israel. Ergo totus Christus dicit, id est caput & corpus in Sanctis. Cum accepero tempus ego justitias judicabo. *Dies Iudicij.* *Christus Iudex.*

Matt. 19.28. Modo autem quid? Defluxit terra. Si defluxit terra unde defluxit nisi de peccatis? Ideo & delicta dicuntur. Delinquere est tanquam de liquido quodam defluere à stabilitate firmamenti, virtutis atq; justitiæ. *Ibid. in Psal: 74.* *Peccatū enarrat orbem.*

DEus manifestus veniet. DEUS noster & non silebitur. Cui
Ps. 49. 3. dicitur hîc: ne taceas, tacuit enim ut judicaretur quando venit occultus. Non autem tacebit ut judicet, quando veniet manifestus. Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te extulerunt
Ps. 82. 2. caput. Novissimos dies significare mihi videtur, quando hæc quæ nunc metu comprimuntur, in liberam vocem eruptura sunt: sed plane irrationabilem ut sonitus magis quàm locatio vel sermo dicendus sit. *Ibid: in Psal: 82.* *Loquetur aliquando qui nunc silet.*

Nisi primo DEus per misericordiam parceret, non inveniret quos per Judicium coronaret. *Et infra.* Ecce misericordiam & judicium cantabo tibi Domine. Sed minatus est de judicio. Nunquid ideo judicium DEI tantummodo formidandum est & non amandum? Formidandum malis propter pœnam, amandum bonis propter coronam. *Ibid. Enar: in Psal: 100.* *Misericordia Christi.* *Iudiciū Christi & timendum & amādum.*

Erunt cum illo Angeli etiam mundo igne flagrante: & erit incendium mundi non incendens Sanctos DEI. Quod fuit caminus Regis, tribus pueris, hoc erit ardens mundus justis in Trinitate signatus. *T, 8. Con: 2. de 2. parte Psal: 101.* *Fornax Babylonis figura mundi in die Iudicij.*

Prima tempora Ecclesiæ ante Virginis partum Sanctos habuerunt qui desiderarent Incarnationis ejus adventum: ista verò tempora ex quo ascendit in Cælum Sanctos habent qui desiderent ejus manifestationem ad vivos & mortuos judicandos. *Ibid. Con: 20. in Psal: 118* *Sancti desiderant diem Iudicij.*

Sed cum res venerit nunquid spes erit? Quod enim videt quis quid sperat? Veniet Dominus DEus noster primo, formam ipsam in qua crucifixus est & resurrexit, demonstraturus generi humano, ut videant pij & impij. Jlli videant & gratulentur invenisse se quod crediderunt antequam viderunt: & illi erubescant non se credidisse quod videbunt. Erubescentes damnabuntur, & gratulati coronabuntur. Dicetur confusis Ite in ignem æternum qui paratus est
Matt. 25. diabolo & Angelis ejus. Dicetur gaudentibus venite benedicti Patris mei percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Quod cum acceperint jam spes non erit, quia res tenebitur. *Ibid. Enarrat: in Psal: 129.* *Crucifixus judicabit orbem.*

Si amamus Christum utiq; adventum ejus desiderare debe-
Matt. 6. 10. mus. Perversum est enim & nescio utrum verum, quem diligis timere ne veniat: orare veniat regnum tuum & timere ne exaudiaris. *Ibid. Enar: in Psal: 147.* *Cum dicimus adveniat regnum &c. oramus approperationē diei Iudicii.*

Quis ergo venturus est? quare non gaudes? Quis venturus

est judicare te nisi qui venit judicari propter te? Non timeas accusatorem: de quo ipse dixit Princeps hujus mundi missus est foras. Non timeas malum advocatum: ille enim tibi modo advocatus est, qui tunc Judex futurus est. Ille erit & tu & tua causa, sermo causæ tuæ, testimonium conscientiæ tuæ. Quisquis ergo futurum Judicem times, præsentem conscientiam tuam modo corrige. *Ibid.* Ioã. 28 31.

Qui timet Iudicē corrigat conscientiam.

Videbunt in quem pupugerunt. Ipsam formam videbunt, quam lanceâ percusserunt. Sedebit judex, qui stetit sub Judice. Damnabit veros reos, qui factus est falsus reus. Ipse veniet, forma illa veniet. Hoc & in Evangelio habes. *T, 10. ser: de ver: Dom: ser: 64. de illo. Amen amen dico vobis quia venit hora &c.* Io. 19. 37.

Non silebit judicaturus, quia siluit judicatus. Nam quantum attinet ad voces ipsius nobis necessarias quando siluit? Non siluit per Patriarchas, non siluit per os carnis suæ. Et modo si sileret, scriptura non loqueretur. Lector ascendit, sed & ipse non silet. Tractator loquitur, si vera loquitur, Christus loquitur. Si sileret Christus ego vobis ista non dicerem. Nec per os vestrum siluit. Nam quando cantabatis ipse loquebatur. Non silet, opus est ut audiamus, sed aure cordis. Nam facile est audire auribus carnis. Illis auribus audire debemus, quas quærebat Magister ipse cum diceret. Qui habet aures audiendi, audiat. Quis enim ante illum quando ista dicebat sine auribus carnis stabat? *T, 10. Homil: 50. hom: 28. De illo Prophetæ in Psalm. Deus manifestus veniet, &c.*

Aure cordis audiēdus Deus

Cum essem impassibilis pro te pati dignatus sum: sed tu despexisti in homine Deum, in infirmo salutem, in via reditum, in judice veniam, in cruce vitam, in supplicijs medicinam. Et quia post omnia mala tua ad medicamenta pænitentiæ confugere noluisti, ab auditu malo non mereberis liberari. Qui tunc erit stridor dentium, cum Sanctorum multitudine ad dexteram regis, & ad gloriam segregata, peccati populus in profunda tartari sine ulla miserationis ac veniæ spe demersus excludi se, tenebris suis à beata Sanctorum luce viderit, & in profundi sinum sine fine descendens urgente os suum puteo æterna supplicia, & perpetuam mortem non moriturus aspexerit. *T, 10. ser: de Temp: ser: 67. fer: 2. post Dnicam 1. Quadr: ser: 1.*

In infirmitate salus.

Separatio miserorū à justis sine miserationis spe.

Mors peccatorum non morientium.

Parcit modo & tacet: sed non semper tacebit. Modo enim pro ineffabili pietate sua non solum nos admonet, sed etiam rogat, ut nos à peccatis mortiferis revocemus. Audiamus illum dum rogat, ne nos postea non audiat ille dum judicat. Audiamus eum per Prophetam dicentem: Fili inquit miserere animæ meæ placens Deo. Quid ad hæc respondebit fragilitas humana Deus te rogat, ut tui miserearis, & non vis. Causam tuam apud te agit, & à te non potest impetrare. Et quomodo te audit ille in die judicij supplicantem, cum tu eum pro te ipso nolueris audire rogantem? Quis enim non expavescat, & metuat fratres charissimi, quod pro quadraginta dierum spatio, annis quadraginta populus Judæorum panem recipere meruit in eremo? Si enim pro unius diei culpa unius anni spatium recompensandum est pænâ, nos qui tanta quotidie peccata committimus: si eleemosynarum vel pænitentiæ non subvenerint medicamenta, timeo ne nobis non inferantur temporalia sed æterna supplicia. Et quia calidis vulneribus solent medicamenta celerius subvenire, quotiescunq; peccaverimus, non expectemus mortifera, securitate vulnera ipsa putrescere, nec iterum vulnera vulneribus augeamus, sed continuo ad spiritualem Medicum recurrentes, salutem recipere festinemus. *Ibid. ser: 102. Fer: 4. post Dom: 3. Quadr: ser: 1.* Eccl. 30.24.

Precibus, à flagitiis revocamur.

Homines sibi ipsis inexcusabiles.

Præmia Dei & pænæ sine mensura.

Tarda peccatorum curatio, periculosa.

Inde

Inde venturus judicare vivos & mortuos. In ipso corpore venturus est ad judicium, in quo ascendit ad Cælum. Christianos judicat & Paganos, justos & peccatores, fideles & impios. *Ibid. ser: 131. Fer. 6. in Parasc: ser: 2.*

Gaude quia ille erit tunc Judex tuus, qui modo advocatus tuus est. Ideo ergo quia oraturus es, acturus es causam tuam, paucis verbis venturus ad illa verba. Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimtitimus debitoribus nostris. *Et infra.* Nam si aperueris viscera indulgentiæ roganti te, aperiet & tibi DEUS cum rogaveris eum. *Ibid. ser. 170 in Rogationibus ser: 2.*

Matt. 6. 12.

Debitoribus dimittendum, ut nobis Deus dimittat.

Qui in infirmitate venit ut redimeret, in potestate venturus est ut judicet. *Ibid ser: 192. in Festo Trinit: ser: 5.*

In hac forma servi venturus est judicare vivos & mortuos, in qua particeps esse voluit morituris, cum sit vita vivorum. *T, 10. parte 2. ser: de diver: ser: 75 Fer: 2 post Dnicam 5. in traditione Symboli.*

Hic JESUS qui acceptus est à nobis, sic veniet quomodo vidistis eum euntem in Cælum. Sic ergo veniet, quomodo abscessit in Cælum. Nam si visibilis abscessit, & invisibilis veniet: quomodo sic veniet? Si autem sic veniet, visibilis ergo veniet: & videbit omnis caro salutare DEI. *Ibid. ser: 102. de S. Vincentio Mart.*

Act. 1. 10. 11.

Christi ad judicium adventus visibilis.

Omnes qui in monumentis sunt audient vocem ejus, & procedent. Hoc ut ait, omnes, fecit quasi confusionem, & permixtionem. Sed audi discretionem, audi & separationem. Qui bona inquit fecerunt in resurrectionem vitæ: qui mala egerunt in resurrectionem judicij. Hoc judicium ad quod subeundum resurgent impij, mors secunda appellatur. *T. 10. ser: nov: ser: 31. de amore Dei & seculi.*

Luc. 5. 25.

Judicium impiorum mors secunda.

DEUS manifestus veniet Dominus noster & non silebit. Siluit judicaretur, non silebit cum cœperit judicare. Non diceretur manifestus veniet nisi primo venisset occultus: nec diceretur non silebit nisi quia primo siluit. *T, 9. in Evan: Ioan: Tract: 4 de cap: 1.*

Ps. 49. 3.

Christi ad judicium adventus à primo dispar.

Videbunt in quem pupugerunt. Forma illa erit Judex quæ stetit sub judice. Illa judicabit quæ judicata est. Judicata est enim iniquè, judicabit justè. Veniet ergo forma servi & ipsa apparebit. Etenim forma DEI quomodo apparebit justis & iniquis? Nam si judicium non fieret nisi inter solos justos, appareret tanquam justis forma DEI. Quia verò judicium futurum est justorum, & iniquorum, nec licet ut iniqui videant DEUM: Beati enim mundicordes quia ipsi DEUM videbunt: talis apparebit Judex qualis videri possit, & ab eis quos coronaturus est, & eis ab quos damnaturus. Forma ergo servi videbitur, occulta erit forma DEI. *Ibid. Tract, 19. de cap: 5.*

Ioã. 19 37.

Iudicis Christi forma humana et quare?

In judicio occultabitur in Christo forma Divina.

Si videbunt in quem pupugerunt, corpus ipsum videbunt quod lanceâ percusserunt. Lancea non percutitur verbum. Hoc ergo impij videre potuerunt, quod & vulnerare potuerunt. Latentem DEUM in corpore non videbunt: post judicium videbitur ab his qui ad dexteram erunt. *Et infra.* Ecce videbitur forma hominis à pijs & impijs, à justis & injustis, à fidelibus, & ab infidelibus à gaudentibus & à plangentibus, à confisis & confusis. *Et infra.* Forma servi demonstrabitur, forma DEI filijs servabitur. *Ibid. Tract: 21. de cap: 5.*

Ioã. 19

Impius Deum non videbit.

Dulcis & rectus Dominus. Amas quod dulcis est, time quod rectus est. Tanquam mansvetus dicit tacui: sed tanquam justus. Nunquid semper tacebo? Misericors & miserator Dominus. Ita plane. Adhuc adde longanimis, adhuc adde & multum misericors: sed time quod est in novissimo, & verax. Quos enim modo susti-

Ps. 24. 8.

Amori timor jungendus est.

Festinanda quotidie vitæ emendatio. sustinet peccantes, judicaturus est contemnentes. *Et infra.* Largitur tibi spatium correctionis, sed tu plus amas dilationem quàm emendationem. Malus fuisti heri, hodie bonus esto: & hodiernum diem in malitia peregisti, vel cras mutare. Semper expectas, & de misericordia DEI plurimum polliceris: quasi ille qui tibi per patientiam promisit indulgentiam, promiserit tibi etiam *Incertus vitæ terminus, stimulus melioris vitæ esse debet.* prolixiorem vitam. Unde scis quid pariat crastinus dies? Recte dicis in corde tuo quando me correxero, DEUS mihi omnia peccata dimittet. Negare non possumus quod correctis atq; conversis indulgentiam DEUS promisit. Nam in quo Propheta mihi legis quia promisit correcto indulgentiam: non mihi legis quia promi- *Et spes nonnulla suū habet periculum* sit tibi DEUS longam vitam. Ex utroq; igitur homines periclitantur, & sperando & desperando. Contrarijs rebus, contrarijs affectionibus. *Ibid. Tract: 33. de cap: 8.*

Quomodo Christus non judicet. Ego non judico quenquam! Quæstio ista duobus modis solvi potest, ut aut hoc intelligamus non judico quenquam id est modo: sicut dicit alio loco. Ego non veni ut judicem mundum, sed ut salvum faciam mundum: non judicium suum negando, sed differendo. Aut certe quia dixerat. Vos secundum carnem judicatis, ita subjunxit. Ego non judico quenquam: ut subaudias secundum carnem. *Ibid. Tract: 36. de cap: 8.* *Ioā. 8. 15. Ioā. 12. 4.*

Homo sibi ipsi mala cudit. Quando contemnebas ego videbam, & quando non credebas sententiam meam non frustrabam. Differebam non auferebam: noluisti audire quod præcepi, senties quod prædixi: Si autem audias quæ præcepi, non mala senties quæ prædixi sed bona percipies, quæ promisi. *Ibidem.*

Iniquè judicatus justus judex. Ideò ascendit ut veniat judicare vivos & mortuos: nemo justius judicabit quàm qui injuste judicatus est. *Ibid. Tract: 39. de c: 8.*

Testis Iudex. Tunc ipse erit Judex causæ tuæ, qui modo est testis vitæ tuæ. *T, 9. lib. de 10. chordis cap: 2.*

Venturus est vivos & mortuos judicare veniet ut judicet, qui stetit sub judice: veniet in ea forma in qua judicatus est, ut videant in quem pupugerunt, & cognoscant Judæi quem negaverunt: convincat eos ille homo susceptus, & ab eis crucifixus. *Et infra.* Fortasse ergo ut dixi sicut demonstravit Thomæ non credenti nisi tangeret & videret: ita etiam inimicis suis vulnera sua demonstraturus est. Propter quod dictum est per Prophetam. Videbunt in quem pupugerunt: Non ut eis dicat sicut Thomæ. Quia vidisti credidisti; sed ut convincens eos veritas dicat. Ecce hominem quem crucifixistis, ecce DEUM & hominem, in quem credere noluistis. Videtis vulnera quæ inflixistis, agnoscitis latus quod pupugistis: quoniam & per nos & propter nos apertum est, nec tamen intrare voluistis. Qui non estis redempti pretio mei sanguinis, non estis mei: discedite à me in ignem æternum qui paratus est diabolo & Angelis ejus. *Et infra.* Qui non vult timere justum judicem judicantem ipsum nunc sibi adhibeat defensorem. *T, 9. lib. 2. de Symbolo ad Cathechum cap: 8.* *Ioā. 20. Ioā. 19. 17.* *Vulnera Deitatis testes in judicio.* *Peccator non est Dei.*

Iudicij severitas. Ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ tot agminibus Angelorum patebunt universa scelera mea: non solum actuum sed etiam cogitationum simulq; locutionum. Tot judicibus inops astabo, quot me præcesserunt in opere bono: tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene vivendi exempla: tot convincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos justis dederunt actionibus. Domine mi non suppetit quid dicam, non occurrit quid respondeam. Et cum jam intersim sævo illi discrimini, torquet me con-

scien-

ſcientia, cruciant cordis arcana, coarctat avaritia, accuſat ſuperbia, conſumit invidia, inflammat concupiſcentia, infeſtat luxuria, dehoneſtat gula, ebrietas confutat, detractio lacerat, ambitio ſupplantat, rapacitas objurgat, diſcordia diſſipat, ira perturbat, levitas diſſolvit tortor opprimit, hypocryſis fallit, adulatio frangit, favor attollit, calumnia pungit: *T, 9. lib: Meditat: cap: 4.*

Vitia peccatores cruciabũt in judicio.

CIVITAS DEI

NEq; enim aliunde beata Civitas aliunde homo: cum aliud Civitas non ſit quàm concors hominum multitudo. *T, 5. lib. 1. de Civit: Dei, cap: 15.*

Deus ad unionem animorũ venit.

DEI Civitas habet ſecum, quamdiu peregrinatur, in mundo connexos communione Sacramentorum, nec ſecum futuros in æterna ſorte Sanctorum, qui partim in occulto, partim in aperto ſunt. *T, 5. lib: 1. de Civit: Dei. cap: 35.*

Non ſunt cives Chriſti, æ. li, qui diſcordes.

Jlla Civitas ſempiterna eſt, ubi nullus oritur, quia nullus moritur, ubi eſt vera & plena felicitas, non Dea ſed Donum DEI. Ibi non oritur ſol, ſuper bonos & malos, ſed ſol juſtitiæ ſolos protegit bonos. Ibi non erit magna induſtria, ditare ærarium publicum privatis rebus anguſtis, ubi theſaurus communis eſt veritatis. *Ibid. lib: 5. de Civit: Dei, cap: 16.*

Sanctis hominibus eſt proprium ex communi vivere.

Cives æternæ illius Civitatis videant, quanta dilectio debeatur ſupernæ Patriæ propter vitam æternam, ſi tantum à ſuis civibus terrena dilecta eſt, propter hominum gloriam. *T, 5. lib: 5. de Civ: Dei, cap: 16.*

Sed duæ Civitates hoc eſt ſocietates meritò eſſe dicantur: una in bonis; altera in malis, non ſolum Angelis, verùm etiam hominibus conſtitutæ. Angelorum bonorum & malorum, inter ſe contrarios appetitus, non naturis principijſq; diverſis, (cum DEUS omnium ſubſtantiarum bonus Author & Conditor utroſq; creaverit) ſed voluntatibus & cupiditatibus extitiſſe, dubitare fas non eſt: dum alij conſtanter in communi omnibus bono, quod ipſe illis DEUS eſt, atq; in ejus æternitate, veritate, charitate, perſiſtunt. Alij ſua poteſtate potiùs delectati, velut bonum ſuum ſibi ipſi eſſent, habentes elationis faſtum, pro excelſiſſima æternitate: vanitatis aſtutiam, pro certiſſima veritate: ſtudia partium pro individua charitate: ſuperbi, fallaces invidi effecti ſunt. Beatitudinis igitur illorum cauſa eſt adhærere DEO. Quocirca iſtorum miſeriæ cauſa ex contrario eſt intelligenda; quod eſt, non adhærere DEO. *Ibid lib: 12. de Civit: Dei, cap: 1.*

Etiam malæ Societatis Civitates ſunt malæ.

Civitas malorum.

Parit Cives terrenæ Civitatis peccato vitiata natura, cæleſtis verò Civitatis Cives parit, à peccato naturam liberans gratiâ: Vnde illa vocantur vaſa iræ, illa vaſa miſericordiæ. *Ibid. lib. 15. de Civit: Dei, cap: 2.*

Gratia Divina in cives Dei promovet.

Generaliter Civitas impiorum, cui non imperat DEUS, obedienti ſibi, caret juſtitiæ veritate. *Ibid: lib: 19. de Civit: Dei, cap: 24.*

Sine Deo civitas eſt civitas impiorum.

Eſt ergo Regnum terrenum ut breviter dicam, & cito inſinuem, Hodie in iſto ſeculo ubi eſt & regnum cæleſte, Peregrinos habet Cives ſuos utrumq; regnum, regnum terrenum & regnum Cæleſte. Regnum eradicandum & regnum in æternum plantandum. Modo in hoc ſeculo Cives utriuſq; Regni permixti ſunt. Et poſt multa inquit. Duo genera hominum attendite. Unum laborantium, alterum eorum inter quos laboratur. Unum de terra alterum de Cælo cogitantium: unum in profundum cor mittentium, alterum cor Angelis conjungentium. Vnum ſperantium de terrenis

Cordis ſublimitas.

 qui-

quibus pollet hic mundus, alterum præsumentium de cælestibus, quæ promisit non mendax Deus. Non esse desperandum de hominibus bonis, si per eos terrenum aliquid administretur, nec rursus continuo gratulandum hominibus qui cælestia agere dignoscuntur negotia. Cum plerumq; illi, qui negotijs secularibus implicati sunt, cor semper sursum habeant, & isti qui cælestia semper prædicant cor trahant in terra. Sed mixta sunt ista genera hominum. Veniet autem tempus ventilabri, quando utrumq; diligentissime discernatur, ne granum aliquod transeat in acervum paleæ comburendum, nec una stipula transeat ad massam in horreo recondendam. *T, 8. in Psal: 51.*

Cave desperare de aliquo.

Matt. 3. 12.

Plane audeo dicere quia una Civitas & una Civitas; unus populus & unus populus. Rex & Rex. Babylonia una, Hierusalem una; illa Rege Diaboli, ista Rege Christi. Civitas illa prior nata, Civitas ista posterior nata. Jlla incæpit à Caim, hæc ab Abel. *Et infra.* Et sunt istæ duæ Civitates permixtæ interim, in fine separandæ, adversus se invicem confligentes: una pro iniquitate, altera pro justitia: una pro vanitate, altera pro veritate. *Et infra.* Terrena respublica quandoq; utiq; peritura, cujus regnum transiturum est, cum veniet illud regnum de quo oramus. Veniat Regnum tuum, & de quo prædictum est. Et regni ejus non erit finis. *Et infra.* Servet fidem melior deteriori ad tempus serviturus, in æternum dominaturus. Fiunt enim ista donec transeat iniquitas. Jubentur servi ferre Dominos iniquos, & difficiles Cives Babyloniæ, jubentur tolerari à Civibus Hierusalem, & amplius obsequiorum exhibentibus, quàm si Cives essent ex ipsa Babylonia, tanquam implentibus: Qui te angariaverit mille passus vade cum illo & alia duo. *Ibid. in Psal: 51.*

Fundatores Caim et Abel.

In die judicij bonis à stra m a lis confligent.

Matt. 6. 10.

Babylon confusio interpretatur. Hierusalem visio pacis. Intendite nunc Civitatem confusionis, ut intelligatis visionem pacis: istam toleretis ad illam suspiretis. *Et infra.* Duas Civitates faciunt duo amores. Hierusalem facit amor Dei. Babyloniam facit amor seculi. Interroget ergo se quisq; quid amet? & inveniet unde sit Civis: & si se invenerit Civem Babyloniæ, extirpet cupiditatem, plantet charitatem. Si autem se invenerit Civem Hierusalem, toleret captivitatem, speret libertatem. *Ibid. in Psal: 64.*

Ex Babylonia ascensus in cælum.

Patiens Civis cæli.

Duas Civitates permixtas sibi interim corpore, & corde separatas currere per ista volumina seculorum usq; in finem, audistis & nostis. Unam cui finis est pax æterna & vocatur Hierusalem: alteram cui gaudium est pax temporalis, & vocatur Babylonia. Interpretationes etiam Nominum si non fallor tenetis. Hierusalem interpretari visionem pacis, Babyloniam confusionem. *Et infra.* Habet & hæc Civitas quæ Babylonia dicitur amatores suos, consulentes paci temporali, & nihil ultra sperantes, totumq; gaudium suum ibi figentes, & ibi finientes, & videmus eos pro republica terrena plurimum laborare: Sed & in ea quicunq; fideliter versantur, si non ibi appetant superbiam, & perituram elationem, otiosamq; jactantiam, sed veram fidem exhibeant, quàm possunt, quamdiu possunt, quibus possunt, ad quantum vident terrena, & ad quantum intelligunt speciem Civitatis, non eos finit Deus perire in Babylonia: prædestinavit enim eos Cives Hierusalem. *Et infra.* Nescio quis amavit v. g agriculturam ipsam exercere, inde ditescere, ibi occupare animum, inde percipere voluptatem: attendat exitum & videat illud quod amavit, non esse fundamentum Hierusalem, sed fluvium Babylonis. Alius dixit magna res est militare. Omnes agricolæ formidant eos qui militant, obsequuntur eis,

Par facto finis.

Nulla turpitudo sine amatore.

Miser qui laborat extra præmium.

eis, tremunt eos. Si fuero agricola timebo militarem; si fuero militaris timebor ab agricola. O insane in alium te Babylonis fluvium præcipitasti, & turbulentiorem & rapaciorem: & cum tu timeri vis à minore, time majorem potestatem: te ipso major fieri potest subito qui te timet; nunquam autem erit minor quem debes timere. *Ibid. Enar: in Psal: 136.*

Time, si vis timeri.

Constantinopolis ex quo condita est in magnam Civitatem, quoniam à Christiano Imperatore condita est, olim Deos ipsos falsos perdidit: & tamen & crevit, & crescit, & manet. Quamdiu vult DEUS, manet. Non enim & illi Civitati quia hoc dicimus, æternitatem promittimus. Carthago in nomine Christi manet, & olim eversa est à scelestis: quia non fuit cælestis, sed terrestris. *T, 30. serm: de ver: Dom ser: 29 De illo. Quis vestrum habet amicum.*

Scelera civitatũ ruina.

CLERICUS

IN Episcoporum concilio constitutum est nullum Clericum qui nondum convictus sit, suspendi à communione debere; nisi ad causam suam examinandam se non præsentaverit. *T, 2 Epist: 137.*

Ego sum qui statueram sicut nostis nullum ordinare Clericum, nisi qui mecum vellet manere: ut si vellet discedere à proposito, recte illi tollerem clericatum, quia desereret sanctæ societatis promissum cæptumq; consortium. Ecce in conspectu DEI & vestro muto consilium. Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit DEUS & Ecclesia sua, maneant ubi volunt, & ubi possunt non eis aufero clericatum. Nolo habere hypocritas. Malum enim esse quis nesciat? Malum est cadere à proposito, sed pejus est simulare propositum. Ecce dico, audite. Qui societatem communis vitæ jam susceptam quæ laudatur in Actibus Apostolorum, deserit, à voto suo cadit, & à professione sancta cadit. Observet judicem scilicet DEUM, non me: ego ei non aufero clericatum. Quantum sit periculum ante oculos ejus posui: faciat quod vult. *Et infra.* Clericus duas res professus est, & sanctitatem, & clericatum Interius sanctitatem: nam clericatum propter populum suum DEUS imposuit cervicibus ipsius, cui magis onus est quàm honor. Sed quis sapiens, & intelliget hoc? *T, 10 serm: de diver: ser: 49. de com: vita Cler: ser: 1.*

Malum est cadere à proposito, pejus simulare propositũ

Deserere propositũ vitæ statum periculosum.

Clerici propter Clericatũ profitẽtur vitæ sanctitatem.

CONCUPISCENTIA.

HÆc est hominis vita beata atq; tranquilla, cum omnes motus ejus rationi veritatiq; consentiunt & vocantur gaudia, & amores sancti, & casti & boni. Si autem non consentiunt, nihilominus dum negligenter geruntur, conscindunt & dissipant animum, & faciunt vitam miserrimam, & vocantur perturbationes & libidines, & concupiscentiæ malæ. *T, 1. lib. 1. de Gen: con: Manich: cap: 20.*

Quidquid ad rationẽ agitur sanctum est.

Revera omnia contemnit, qui non solum quantum potuit, sed etiam quantum voluit habere contemnit. Sed in eo quod cupiebatur, oculi DEI testes sunt, in eo quod habebatur & hominum. *T, 2 Epist: 34.*

Etiam desideriis oblatis gaudet Deus.

Nescio quomodo cum superflua & terrena diliguntur, arctius adepta quam concupita constringunt. Nam unde tristis ille discessit, qui Consilium vitæ æternæ consequendæ quærebat à Domino, cum audisset vendenda esse omnia sua: nisi quia magnas, ut Evangelium loquitur, habebat divitias? Aliud est enim nolle

Divitiæ onus sunt possidentium.

incor-

incorporare quæ desunt, aliud jam incorporata divellere. Jlla velut cibi repudiantur: ista velut membra præciduntur. *T*, 2. *Ep*: 34.

Cupiditates nos gravant. Non est in carendo difficultas, nisi cùm est in habendo cupiditas. *T*, 3. *lib. de doct: Christ: cap*, 18.

Timor Dei cupiditates habendi frenat. Est autem cupiditas, amor adipiscendi, aut obtinendi temporalia. Huicq; minuendæ initium est DEUM timere, qui solus timeri sine amore non potest. Ad sapientiam enim tenditur, & nihil verius eo quod dictum est. Initium sapientiæ timor Domini. *T*,4. *lib*: 83. *quæst*: 36. *Eccl.* 1. 16.

Voluntas multorũ bonorum est Princeps. Velle adjacet mihi. Quid enim facilius homini sub lege constituto quàm velle bonum & facere malum, nam & illud sine difficultate vult, quamvis non tam facilè faciat, quàm facile vult, & hoc quod odit facilè habet, quamvis id nolit, sicut præcipitatus, sine difficultate venit in profundum, quamvis id nolit atq; oderit. *T*, 4. *lib*: 1. *ad Simplic*: *quæst*: 1. *Rom.* 7. 18.

Ad implenda mandata expetenda gratia à Deo. Non concupisces: humiliter ergo dicendum est homini victo damnato, captivo, & nec saltem accepta lege victori sed potiùs prævaricatori, humiliter exclamandum est. Miser ego homo quis me liberabit &c. Hoc enim restat in ista mortali vita libero arbitrio, non ut impleat homo justitiam cùm volverit, sed ut se supplici pietate convertat ad eum, cujus dono eam possit implere. *ibidem.*

Affectu mala esse aliqui pẽ. samus. Sunt in nobis desideria mala, quibus non consentiendo non vivimus malè; sunt in nobis concupiscentiæ peccatorum, quibus non obediendo non perficimus malum; sed eas habendo nondum perficimus bonum. Erit quandoq; & perfectio boni, quando erit consumptio mali, illud erit summum, hoc erit nullum, quod si in ista mortalitate sperandum putamus, fallimur. Tunc enim erit, quando mors non erit, & ibi erit, ubi vita æterna erit. *Ibid. de continentia c* 8.

Desideriorum malorum Medicꝰ Christus. Has carnis concupiscentias Christus in suis sanat, sed in nullo amat. Unde Sancta Ecclesia quamdiu habet membra talia, nondum est sine macula & ruga: Huc accedunt & illa peccata, pro quibus quotidiana vox totius Ecclesiæ est. Dimitte nobis debita nostra. A quibus ne spirituales putaremus alienos, non quicunque carnalium, nec ipsorum quicunq; spiritualium, sed qui supra pectus Domini discumbebat, & quem præ cæteris diligebat. Si diximus quia peccatum non habemus; nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. In omni autem peccato plùs in majore minùs in minore, tamen contra justitiam concupiscitur. *T*, 4. *lib*: *de contінen*: *cap*. 11. *Matt.* 6. 12. 1. *Io.* 1. 6.

Etiam spirituales viri non sine nævis.

Insana tolerantia in cupiditatibus secularibus. Mundi cupiditas quando patienter sustinet onera cujuslibet calamitatis, gloriatur de viribus propriæ voluntatis, tanquam de stupore morbi, non de robore sanitatis. Insania est ista gloriatio non est patientiæ sed dementiæ; voluntas ista tanto videtur patientior acerborum malorum, quantò est avidior temporalium bonorum, quia inanior æternorum. *Ibid*: *lib*: *de patientia c*. 23.

Pugna contra seipsum. Caro concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem, hoc bellum nunquam ullum esset, si natura humana per liberum arbitrium in rectitudine in qua facta, est perstitisset. Nunc verò quæ pacem felix cum DEO habere noluit, secum pugnat infelix, & hoc quoq; cum malum sit miserabile, melius est tamen quàm priora vitæ hujus. Melius quippe confligitur cum vitijs, quàm cum sine ulla conflictione dominantur. Melius est inquam bellum cum spe æternæ pacis, quàm sine ulla liberationis cogitatione captivitas. *T*, 5. *lib*. 21. *de Civit*: *Dei*. *c*. 15. *Gal*: 5. 18.

Male-

Sicut mali sic cupidi voluntate propria.

Malefacti sui per cupiditatem quisq; author est, est ergo in potestate ut sit cupiditas, & ideò etiam malum in potestate. *Ibid. lib. de Fide con: Manich: c, 9.*

Manet in corpore mortis hujus carnalis concupiscentia, cujus vitiosis desiderijs ad illicita perpetranda non obedire præcipimur, nè regnet peccatum in nostro mortali pectore, quæ tamen concu-
Rom 6. 12. piscentia quotidie minuitur, in proficientibus & continentibus, accedente autem senectute multò maximè, qui verò ei nequiter serviunt, tantas in eis vires accipit, ut plerumq; jam ætate deficientibus membris, eisdemq; partibus corporis ad idem opus jam moveri minùs valentibus, turpius & procaciùs insanire non desinat. *T, 7. lib. 1. de nuptijs & concupiscen: c. 25.*

Servitus malis desiderijs concupiscentiam fundat.

Innocẽtia non consentire malo.

Promovet quippe ad innocentiam non consentire malo, nec ideo, illud cui non consentitur non est malum, imò propterea si ne dubitatione malum est quia non ei consentire bonum est. Quid enim mali faceret, qui bonæ conscientiæ consentiret. *Ibid. lib. 4. con: Iulian: c. 2.*

Utiq; concupiscere viventis sentientisq; naturæ est, ita ut non desit concupiscentia quam spadonum quoq; castitas frenat. Minùs quidem laboriosa; quia ubi materiam de qua operetur non invenit, minùs adversùs eam libido insurgit. *Ibid. lib. 6. con: Iulian: cap: 14.*

Quid sit concupiscentia.

Concupiscentia carnis nihil aliud est, quàm desiderium peccati. *T, 7. lib. de perfect: justitiæ c 6.*

Rex corporis sui.

Ps: 67 15. Discernit supercælestis Reges. Dicuntur Reges utiq; à regendo. Et quid magis quàm carnis concupiscentias, ne regnet peccatum in eorum mortali corpore. *T, 8. in Psal: 67.*

Peccatum humilitatem docet.

Et humiliatum est in laboribus cor eorum. Et tunc pugna contra concupiscentiam, Deo desistente ab adjutorio laborare potes, Vincere non potes. Et cum fueris pressus consuetudine tua prava, humiliabitur cor tuum in laboribus ut jam corde humiliato discas clamare. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus. *Ibid. in Psal: 106.*

Laudabilis concupiscentia.

Ps 118 Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore. Laudabilis est ista concupiscentia, non damnabilis. *Ibid. Con: 8. in Psal: 118.*

Cupiditas omnium peccatorum fons.

Quidquid est peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus, non exoriuntur, nisi ex mala cupiditate, non exoriuntur nisi ex il-
Rom 6 12. licita delectatione. Hinc ergo illicitæ delectationi si resistamus, si non consentiamus, si membra velut arma non ministremus; non regnat peccatum in nostro mortali corpore. Peccatum enim ante regnum perdit, & si perit. In hac ergo vita, quantum ad sanctos attinet, regnum perdit, in alia perit. *Et infra.* Et magnum est hoc. Cum sit ex carne concupiscentia, & ad carnem pertineant corporis membra, quando non regnat peccatum, id est carnis concupiscentia: plus habet juris mens ad tenenda membra carnis, ne dentur in arma iniquitatis, quàm ipsa concupiscentia carnis ad movenda membra carnis. Itaq; concupiscentia est carnis, & membra carnis: mens tamen quia dominatum habet, si tamen desuper adjuvetur, ne cum ei multum contra Dei gratiam damus, non regem sed tyrannum faciamus. *T, 10. serm: de ver: Apost: ser: 6. de illo Apostoli. Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.*

Mentis Dominium.

Mors peccati progenies.

Cum concupiscentia conceperit, parit peccatum. Nondum
Iac: 1. 15. times? Peccatum generat mortem: vel mortem time. Si peccatum non times, time, quò perducit peccatum. Dulce est peccatum: sed

Dimittenda sunt in morte propter quæ peccamus, sola accipienda peccata.

ſed amara eſt mors. Ipſa eſt infelicitas hominum. Propter quod peccant, morientes hîc dimittunt, & ipſa peccata ſecum portant. Peccas propter pecuniam, hic dimittenda eſt. Et quidquid eſt propter quod peccas, quando oculos in morte clauſeris, dimittis hic, & ipſum peccatum quod committis tecum portas. *T, 10. Homil: 50. homil: 42. de Oratione Dnica.*

Non concupiſcētia ſed conſenſus concupiſcentiæ peccatum eſt.

Non quod vult agit Apoſtolus: quia vult non concupiſcere, & tamen concupiſcit. Luctabatur, non ſubjugabatur. Sed quia nolebat hoc habere contra quod luctaretur, ideo dicebat. Non quod volo, ago. Concupiſcere nolo, & concupiſco. Non ergo quod volo ago: ſed tamen concupiſcere non conſentio. Non enim aliter, diceret. Concupiſcentias carnis ne perfeceritis? eas ipſe perficeret. Sed conſtituit tibi ante oculos pugnam ſuam, ne timeres tuam. Si enim hoc non dixiſſet B. Paulus, quando videres moveri concupiſcentiam in membris tuis, cui tu non conſentires, tamen cum eam moveri videres, forſitan deſperares de te, & diceres: SI ad DEUM pertinerem, ſic non moverer. Vide Apoſtolum pugnantem, & noli te facere deſperantem. Video aliam legem, inquit, in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Et quia nolo ut repugnet: caro enim mea eſt, ego ipſe ſum, pars mea eſt: non quod volo ago, ſed quod odi malum hoc ago, quia concupiſco. Quod ergo bonum ago? Quia concupiſcentiæ malæ non conſentio. *Et infra.* Aliquando iſta concupiſcentia ſic inſidiatur ſanctis, ut faciat dormientibus quod non poteſt vigilantibus. *T, 10. ſer: de Temp: ſer: 45. Dnica 3. poſt oct: Epiph: ſer: 2.* Rom. 7. 19. Gal. 5. 16. Rom. 7.

Lucta Apoſtoli cū concupiſcentiis.

Inſidiæ concupiſcentiæ, dormientibus nobis vigilant.

Peccatores tenebræ, ſancti lux.

Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Audi homo. Non enim ille dedit tibi tenebras, qui dedit tibi lucem. Quò vadis homo, quò traheris? Quid concupiſcentias carnales ſectaris, quando audis, Spiritu ambulate, & concupiſcentias carnis nolite perficere. *Ibid: ſer: 233. Fer: 4. quatuor temporum, ſer: 1.* Eph. 5. 8.

Magis propitius Deus, cum nocitura homini denegat quā cum dat.

Dedit illos DEUS in concupiſcentias cordis illorum. Et magis eſt propitius DEUS, quando ſuperflua & nugatoria petentem non exaudit, ut det, ſed exaudit ut ſanet non dando. Etenim quare iſta quærant homines quis non videt? Ut in luxurijs ſuis conſumant, ut in nugis, & in inſaniſſimis ſpectaculis. *T, 10. ſerm: de diver: ſer: 20. de Monomachia Goliæ & David.* Rō: 1. 14.

Carnem qui ponit, coronā accipit.

Concupiſcentiam habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto, gratulabatur quod iſta vincula aliquando eſſent ſolvenda. Solvenda vincula carnalium membrorum, accipienda indumenta & ornamenta æternarum virtutum. Securus ponebat carnem, coronam accepturus. Felix mutatio, ſancta migratio. Quàm beata manſio, fides eam videt, nondum oculus, quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit DEUS diligentibus ſe. Ubi ſunt ſancti iſti putamus? Ibi, ubi bene eſt. Quid quæris amplius? Non noſti locum, ſed cogita meritum. *Ibid. ſer: 41. De SS. Apoſt. Petro & Paulo.* 1. Cor. 2. 9.

De cruce non eſt deſcendendum, maximè per Quadrageſimæ dies.

Diebus Quadrageſimæ etiam à licitis abſtinendum eſt.

Carnis curam ne fecerimus in concupiſcentijs. Sic ſemper hic vive Chriſtiane. Si terreno limo greſſus non vis immergere, noli de iſta cruce deſcendere Si autem hoc faciendum eſt per hanc totam vitam; quanto magis per iſtos Quadrageſimæ dies, quibus non ſolum agitur, verum etiam ſignificatur hæc vita? Per alios ergo dies non graventur corda veſtra in crapula & ebrietate: per hos autem jejunate. Per alios dies adulteria, fornicationes, omneſq; illicitas corruptelas nolite contingere: per hos autem etiam à conjugibus abſtinete. *Ibid. ſer: 68. Dominica 1. in Quadr.* Rō: 13. 14.

CO-

COGNATIO.

Cognatio, charitatis familia.

HAbita est ratio rectissima charitatis, ut homines quibus esset utilis atq; honesta concordia, diversarum necessitudinum vinculis necterentur: ut ergo alium quisq; habeat Patrem, alium socerum numerosius se charitas porrigit. *Et infra.* Quis dubitet honestius hoc tempore etiam consobrinorum prohibita esse conjugia: non solùm propter multiplicandas affinitates, ne habeat duas necessitudines una persona, sed etiam quia nescio quomodo inest humanæ verecundiæ quiddam naturale atq; laudabile, ut cui debet causâ propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem tamen libidinem, de qua erubescere videmus, & ipsam pudicitiam conjugalem. *T, 5. l. 15. de Civit: Dei, c. 16.*

Conjugia consobrinorũ prohibita.

CONSCIENTIA.

Conscientiæ securitas tranquillitatis.

1. Cor: 4. 3. SEnti de Augustino, quidquid libet, sola me in oculis DEI conscientia non accuset. Quod enim ait Apostolus: mihi minimum est, ut à vobis judicer, aut ab humano die. Ego autem tibi vicem non rependam, ut de tua mente aliquid existimare in malam partem audeam, quod intueri non valeo. *T, 6. lib. con: Secundin. Manich: cap: 1.*

Conscientia bona, gaudij occasio.

Nam si in eis quibus me criminantur, testimonium conscientiæ meæ non stat contra me in conspectu DEI, quo nullus mortalis oculus intenditur, non solùm contristari non debeo; verum etiam gaudere & exultare, quia merces mea multa est in cælis, neque enim intuendum estquàm sit amarum, sed quàm falsum quod audio, & quàm verax pro cujus nomine hoc audio, & cui dicitur (Cãt. 1. 2.) Unguentum effusum est nomen tuum. *T, 7. l: con: Liter: Petil: cap: 5.*

Quidquid vis potes fugere homo, præter conscientiam tuam. Intra domum tuam, requiesce in lecto tuo, intra in interiora: interius habere nihil potes quo fugias à conscientia tua, si rodunt te peccata tua. *T, Con: 1. in Psal: 30.*

Conscientiæ stimulus inevitabilis.

Beati qui gaudent quando intrant ad cor suum, & nihil mali ibi inveniunt. Attendat Sanctitas vestra quomodo nolunt intrare domos suas, qui habent malas uxores, intraturi sunt enim ad tædia, ad murmura, ad amaritudines, ad eversiones. Si ergo miseri sunt qui cum redeunt ad parietes suos, timentne aliquibus suorum perturbationibus evertantur, quantò sunt miseriores, qui ad conscientiam suam redire nolunt ne ibi litibus peccatorum evertantur? Ergo ut possis libere redire ad cor tuum, munda illud, beati enim mundo corde (Matt. 5. 8.). Aufer inde cupiditatum sordes, labem avaritiæ, rabiem superstitionum, aufer sacrilegia & malas cogitationes, odia non dico adversus amicum, sed etiam adversus inimicum. Aufer ista omnia intra cor tuum, & gaudebis ibi. Cum ibi cæperis gaudere, ipsa munditia cordis delectabit te, & faciet orare: Quomodo si venias ad aliquem locum, silentium est ibi, forte quies est ibi, mundus est locus, oremus hic dicis: & delectat te compositio loci, credis quod ibi te exaudiat DEUS. Si ergo loci visibilis te delectat munditia, quare te non offendit immunditia cordis tui: intra munda omnia leva oculos tuos ad DEUM, & statim te exaudiet. *T, 8. Exposi: Psal: 33.*

Puritas conscientiæ.

Interior conscientia cor et oculos Christi in se convertit.

Intus amat qui intus videt. Intus amat ut intus ametur qui interiorem facit & ipsam pulchritudinem. Omnis gloria ejus filiæ Regis intrinsecus (Ps. 44. 15.). Quæ sunt interiora pulchritudinis? Conscientia. Ibi videt Christus, ibi amat Christus, ibi alloquitur Christus, ibi punit Christus, ibi coronat Christus. *T, 8. in Psa: 44* Mul:

Maxima tribulati: peccatoris, conscientia delictorum.

Multæ sunt tribulationes justorum, & in omni tribulatione ad DEUM confugiendum est. Charissimi inter omnes tribulationes humanæ animæ nulla est major tribulatio, quàm conscientia delictorum. Namq; si ibi vulnus non sit, sanumq; sit intus hominis quod conscientia vocatur, ubicunq; alibi passus fuerit tribulationes, illuc confugiet, & ibi inveniet DEUM. Si autem ibi requies non est propter abundantiam iniquitatis, quoniam & ibi DEUS non est, quid facturus est homo? Quo confugiet cum cæperit pati tribulationes? fugiet ab agro ad Civitatem, à publico ad domum, à domo in cubiculum, & sequitur tribulatio. A cubiculo jam quò fugiat non habet, nisi interius ad cubile suum. Porro si ibi tumultus est, si fumus iniquitatis, si flamma sceleris, non illuc potest confugere. Pellitur enim inde, & cum inde pellitur, à seipso pellitur. Et ecce hostem suum invenit quò confugerat, seipsum quò fugiturus est? Quocunq; fugerit se, talem trahit post se, & quocunque talem traxerit se, cruciat se. Sed à seipso sunt tribulationes, quæ inveniunt hominem nimis: acerbiores enim non sunt: tantò sunt acerbiores quantò interiores. Videte charissimi cum ligna deasciantur à fabris & probantur, aliquando in superficie videntur quasi læsa & putrida Faber autem inspicit tanquam medullam interiorem ligni, & si sana interius ligna cognoverit, promittit ea in ædificio duratura: nec valde erit de superficie læsa solicitus, quando id quod interius est sanum renuntiat. Porrò hominis conscientia interius non invenitur. Quid igitur prodest, si quod est exterius sanum est, putrefacta est medulla conscientiæ? Arctæ istæ & vehementes omnino, & sicut Psalmus ipse ait, nimiæ tribulationes sunt: tamen & in his adjutor factus est Dominus dimittendo peccata. Iniquorum enim conscientias non sanat nisi indulgentia. Si enim magnas tribulationes habere se dicit debitor fisci, confessus & intuens angustias rei familiaris suæ, cum se videt non posse esse solvendo propter imminentes omni anno compulsores, tribulationes magnas se pati dicit, nec usquam respirat nisi in spe indulgentiæ rerum terrenarum: quantò magis debitor pænarum de abundantia delictorum, quando reddet quod debet de mala conscientia, quando si reddiderit ipse perit. Hoc enim non debitum reddere pænas, luere est. Restat ergo ut de ipsius indulgentia securi esse possimus, si tamen accepta indulgentia non rursus ad debita retrahenda redeamus. *Ibid. in Psal: 45.* Ps. 33. 19.

Conscientia fugientes sequitur.

Sanctitas animæ, corporis sanitati præferenda.

Indulgentiæ

Omnes Sancti adjuvantur à DEO, sed intus ubi nemo videt. Quomodo enim pæna magna est impiorum conscientiæ, sic magnum gaudium piorum ipsa conscientia. Ecce enim, ait, DEUS adjuvat me. Prorsus quamvis longè futura sunt quæ promittit, hodie mihi dulce & præsens est adjutorium. Hodie in cordis mei gaudio invenio quia sine causa dicunt quidam: Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti jucunditatem in cor meum. Non in vineam meam, non in gregem meum, non in cuppam meam, non in mensam meam, sed in cor meum. *Ibid. in Psal: 53.* Ps. 4. 7.

Conscientiæ lætitia.

Ecce elongavi fugiens & mansi in deserto. In quo deserto? Si forte in conscientia quò nullus hominum intrat, ubi nemo tecum est, ubi tu & DEUS est. *Ibid. in Psal: 54.* Ps. 54. 8.

Conscientia hominis, desertum.

Quisquis in corde premitur malâ conscientiâ quomodo quisquis ab stillicidio exit de domo sua; aut à fame, non ibi se patitur habitare: sic qui non habet quietum cor habitare in corde suo libenter non potest. Tales foras exeunt à seipsis animi intentione, & de his quæ foris sunt circa corpus delectantur: quietem in nugis, Io. 8. 7.

Mala conscientia stillicidium.

gis, in spectaculis, in luxurijs, in omnibus malis quærunt. Quare foris voluerunt sibi bene esse? Quia non est illis intus bene unde gaudeant in conscientia sua. *Ibid. Enar: in Psal: 100.*

Qui in vobis sine peccato est prior in illam lapidem jactet. Et unus quisq; jam interrogans conscientiam suam non comparuerunt. Repulit eos non infirma mulier adultera, sed adultera conscientia. *Ibid. Enar: in Psal: 102.*

Ipsum os impletur gaudio. In ipso ore intus oramus DEUM, quando labia clausa sunt, & patet conscientia. Silentium est, & clamat pectus sed auribus cujus? non hominis sed DEI. Securus ergo esto, ille audit qui miseretur. Et rursus quando nemo hominum audit mala, si procedunt de ore tuo noli esse securus, quia ille audit qui damnat. *Et infra*, Custodi os cordis à malo, & innocens eris. Innocens erit lingua corporis tui innocentes manus erunt, etiam pedes innocentes erunt, oculi innocentes erunt, aures innocentes erunt. Omnia membra tua justitiæ militabunt, quia Imperator justus tenuit cor. *Ibid. Exposi: Psal: 125.*

Custodia cordis innocentia cōservatur.

Matt. 25. 3. *2. Cor. 1. 12.* Non tulerunt oleum secum in vasis suis. Quid est in vasis suis? In cordibus suis. Unde dicit Apostolus. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Ibi oleum, magnum oleum. De dono DEI est hoc oleum. Deniq; homines oleum mittere intro possunt, olivam creare non possunt. Ecce habeo oleum, nunquid tu creasti oleum? De DEI dono est. Habes oleum, porta tecum. Quid est porta tecum? Intus habe, ibi place DEO. *T, 10. ser: de ver: Dom: ser: 23. De 10. Virginibus.*

Virtutes de Dei dono sunt.

Gloria nostra debet esse conscientia nostra. Itaq; fratres paululum aduertat charitas vestra, ut dicam quod volo: & si non sicut Dominus dederit & voluerit. Quod maximè necessarium est, quotidianis tentationibus & Ecclesiæ Catholicæ, quia inter tentationes vivit, & inter tentationes crescit, & inter tentationes perdurat, & inter tentationes pervenit. Sed cum pervenerit, succedet quies labori, recedit tentatio, manet benedictio. *T, 10. 50. Hom: hom: 35. De prædictione temporum Christianorum in scripturis.*

Dum tentatio recedit, benedictio succedit.

CONSVETUDO

HUmili pietate reditur in te, & purgas nos à consvetudine mala & solvis vincula, quæ nos fecimus, si non erigamus adversus te cornu falsæ libertatis, avaritia plus habendi, & damno totum amittendi, ampliùs amando proprium nostrum, quàm te omnium bonum. *T, 1. lib: 3. confess: cap: 8.*

Novem ferè anni secuti sunt, quibus ego in illo limo profundi ac tenebris falsitatis, cùm sæpe surgere conarer, & graviùs alliderer, volutatus sum. *Ibid. cap: 11.*

Consuetudo difficile vincitur.

Ab unde vicesimo anno ætatis meæ, usq; ad duodetricesimum seducebamur & seducebamus falsi & fallentes, in varijs cupiditatibus. *Ibid. l. 4. Confess: cap: 1.*

Sarcinâ seculi velut somno assolet dulciter premebar, & cogitationes quibus meditabar in te similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur. *Ibid. l: 8. Confess: cap: 5.*

Seculum premit mentes.

Modo, ecce modo, sine paululum, sed modo, & modo, non habeant modum, & siue paululum in longum ibat. Lex enim peccati est violentia consuetudinis, quâ trahitur, & tenetur etiam injustus animus, eo meritò quo in eam volens illabitur. Miserum ergo me quis liberaret de corpore mortis hujus nisi gratia tua. *Ibid cap 5.*

Consuetudo violentia.

Quibus sententiarum verberibus non flagellavi animam meam, ut sequeretur me conantem post te ire, & renitebatur, recusabat, & non se excusabat. Consumpta erant & convicta argumenta omnia, remanserat muta trepidatio, & quasi mortem formidabat restringi à fluxu consuetudinis, quo tabescebat in mortem. *Ibid. cap: 7*

Mala consuetudo superat bonam consuetudinem.

Plùs in me valebat deterius inolitum, quàm melius insolitum. *Ibid. cap: 11*

Retinebant me nugæ nugarum & vanitas vanitatum, antiquæ amicæ meæ & succutiebant vestem meam carneam, & submurmurabant. Dimittis ne nos? sed operiebatur casta dignitas innocentiæ, ibi tot pueri & puellæ, ibi juventus multa & omnis ætas, & irridebat me irrisione exhortatoria quasi diceret. Tu non poteris quod isti & istæ. *Ibid. cap: 11.*

Consvetudo naturam vincit.

Tantum consuetudinis sarcina degravat. Hic esse valeo nec volo, illic volo nec valeo, miser utrobiq;. *Ibid. lib. 10. Conf ss: c: 40.*

In legem abit.

Mente servio legi DEI, carne autem legi peccati. In spiritualia mente suspensa atq; ibi fixa & manente etiam hujus consuetudinis impetus frangitur & paulatim repressus extinguitur. Major enim erat cùm sequeremur, non tamen omnino nullus, sed certè minor est, cùm eam refrenamus. *Ibid. lib: 6 Music: cap: 11.* Ro. 7. 25.

Consuetudine venenum fit cibus.

Quædam facinorosa mulier Atheniensis, venenum quod certo modulo damnati ut morerentur hauriebant, paulatim bibendo; sine ullo vel levi incômodo valetudinis effecit, ut biberet. Ita cum esset aliquando damnata, legitimam illam quantitatem veneni, quàm consuetudine vicerat, accepit ut ceteri, nec ut ceteri extincta est. Quod cùm esset magno miraculo missa est in exilium. *Ibid: de mor: man: cap. 8*

Appetitus in Naturam mutantur.

Cùm enim non reguntur isti motus, erumpunt & pergunt in fœdissimas consuetudines, & in diversas perniciosas delectationes nos rapiunt, & faciunt similes omni generi bestiarum. Cùm autem reguntur & subjciuntur, omninò mansuescunt & nobiscum concorditer vivunt. *Ibid. lib: 1. de Gen con: Manich: cap. 20.*

Nulla victoria sine dolore

Nulla abstinentia fit à voluntate carnali, quæ non habeat in exordio dolorem, donec in meliorem partem consvetudo flectatur. *T, 1. lib. 2. de Gen: con: Manich. cap: 10.*

Cupiditas erit in necessitatem.

De necessitatibus meis erue me. Tunc finiuntur istæ necessitates, quando vincuntur illæ cupiditates. *T. 2. Epist: 70.* Ps. 141. 17.

Etiam consuetudo vinci potest.

Cùm verò etiam Evangelica præcepta homo prævaricatur, velut quatriduanus mortuus putet, nec de illo tamen desperandum est, propter ejus gratiam qui non lentè dixit, sed magna voce exclamavit. Lazare veni foras. *T, 2. epist: 89* Jo. 11. 43.

Quæ prosunt, nocere videntur.

Ipsa quippe mutatio consvetudinis etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosa, consequenter noxia est. *Ibid. Epist: 118.*

Authoritas Divina bellicus aries.

Non solis humanis terroribus murus duræ consuetudinis expugnatur; sed etiam Divinis authoritatibus atq; rationibus fides & intelligentia mentis instruitur. *Ibid. epist: 167*

Consuetudine peccata vilescunt.

Accidit quòd peccata quamvis magna & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parva aut nulla esse credantur, usq; adeò, ut non solùm non occultanda, verum etiam prædicanda ac diffamanda videantur: sicut scriptum est: Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ. *T, 3. Ench: cap: 80.*

Nostris temporibus ita multa mala & si non talia in apertam consuetudinem jam venerunt, ut pro his non solùm excommunicare aliquem Laicum non audeamus, sed nec Clericum degradare. Unde

Unde cum exponerem ante aliquot annos epistolam ad Galatas: in eo ipso loco ubi ait Apostolus: Timeo vos nè fortè sine causa laboraverim in vobis, exclamare compulsus sum: væ peccatis hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus, usitata verò pro quibus abluendis sanguis Filij DEI effusus est, quamvis tam magna sint, ut omninò claudi contra sese faciant Regnum DEI, sæpe videndo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur. *T, 3. ibidem.*

Qui non castigat peccata, permittit aut suadet.

Jam verò cum aliqua non peccandi consuetudo, quod onerosum putabatur, facilè esse persuaserit, incipiat gustari dulcedo pietatis, & commendari pulchritudo virtutis, ut charitatis libertas præ servitute timoris emineat. *Et infra.* Hîc præstantissimum illud & vnicum exemplum Dominici hominis proponendum est, qui cum se tot miraculis tantam rerum potestatem habere monstraret, & ea sprevit quæ magna bona, & ea sustinuit quæ magna mala imperiti putant. *T, 4. lib: 23. quæst: cap: 36.*

Mala apud imperitos apud sapientes optima sunt.

Quod si quærit aliquis unde scit, quod dicit habitare in car-
Ro: 7. 17. ne sua non utiq; bonum, id est peccatum? unde? nisi ex traduce mortalitatis & assiduitate voluptatis. Illud est ex pœna originalis peccati, hoc est ex pœna frequentati peccati. Cum illo in hanc vitam nascimur, hoc vivendo addimus. Quæ duo scilicet tanquam natura & consvetudo conjuncta robustissimam faciunt, & invictissimam cupiditatem quàm vocat peccatum (Apostolus scilicet) & dicit habitare in carne sua id est dominatum quendam & quasi Regnum obtinere. *T, 4. lib: 1. ad simpli: cap: 1.*

Naturæ consuetudini junctæ robur.

Cum suggestio repetitur, major accenditur delectatio, quæ tamen adhuc multò minor est, quàm illa quæ assiduis factis in consuetudinem vertitur. Hanc enim vincere difficillimum est, & tamen & ipsam consvetùdinem, si se quisq; non deserat, & Christianam militiam non reformidet, illo Duce atq; Adjutore superabit. Sicut ergo tribus gradibus ad peccatum pervenitur, suggestione, delectatione, consensione, ita ipsius peccati tres sunt differentiæ, in corde, in facto, & consvetudine, tanquam tres mortes. una quasi in Domo, id est cum in corde consentitur libidini, altera jam prolata quasi extra portam, cum in factum jam procedit assensio, tertia cum vi consuetudinis malæ, tanquam mole terrena premitur animus, quasi jam in sepulchro putens. Quia tria genera mortuorum Dominum resuscitasse, quisquis Evangelium legit, agnoscit.
Mar. 5 41. Et fortasse considerat, quas differentias habeat, & ipsa vox resu-
Luc: 7 14 scitantis, cum alibi dicit Puella surge, & alibi Juvenis, tibi dico
Jo. 11. 43 surge: alibi voce magna exclamavit. Lazare veni foras. *Ibid. lib: 1. de serm: in mon: cap: 12 ad finem.*

Repetitio malorum hereditas malitiæ.

Consvetudinis malarum figuræ.

Quò major cõsuetudo eò difficilior victoria.

Quid laboriosius aut operosius dici aut cogitari potest? ubi omnes nervos industriæ suæ animus fidelis exerceat, quam in vitiosa consuetudine superanda; præcidat membra impedientia Regnum Cælorum, nec dolore frangatur: toleret in conjugali fide omnia, quæ quamvis sint molestissima, crimen tamen illicitæ corruptionis, id est fornicationis non habent. *Ibid. l: 1. de serm: in monte cap: 18.*

Nil superfluum cælum petere potest.

O consvetudo peccati, o comes pœnæ peccati. *T, 6. lib. de duabus animabus cap: 14.*

Cæna peccati consuetudo.

Hodie namq; in nostris actionibus antequam consuetudine aliqua implicemur, liberum habemus arbitrium, & faciendi aliquid vel non faciendi. Cum autem ista libertate fecerimus aliquid, & facti psius tenuerit animam, perniciosa dulcedo & voluptas, eadem ipsa consuetudine sic implicatur; ut postea vincere non possit,

Etiam mala consvetudo dulcedo est.

quod ipsa sibi peccando fabricata est. *Et infra.* Ipsa est nimirum carnis prudentia, quæ quamdiu ita est, legi DEI subjici non potest, sic enim dictum est prudentiam carnis non posse legi DEI esse subjectam, quemadmodum illa nix calore resolvitur, & desinit nix esse, ut possit calescere: sic illa carnis prudentia id est consvetudo facta cum carne, cum fuerit mens nostra illuminata, & ad arbitrium Divinæ legis, totum hominem DEus sibi subjecerit, pro illa consuetudine animæ mala, facit consvetudinem bonam. *Ibid. lib. coñ. Fortunatum disput: 2.* Ro: 8.6

Hostem nobis ipsi intra nos facimus. Hodie libera voluntate faciunt homines consvetudinem, quam cum fecerint, facilè superare non possunt. Ipsi ergo sibi de seipsis fecerunt, quod contraria lex habitet in membris eorum, sed qui concipiunt timorem DEI, & per liberum arbitrium subdunt se sanandos Optimo Medico, & sicut bono Curatori, ita & optimo Creatori per humilitatem confessionis & pænitentiæ. *Ibid. lib. 2. de Actis cum Felice Manich: cap: 8.*

Ratio consuetudinem vincit. Hoc planè verum est, quia ratio & veritas consvetudini præponenda est; sed cum consvetudini veritas suffragetur, nihil oportet firmius retineri. *T, 7. lib: 4. coñ: Donat: c. 5.*

Consuetudo necessitatem infert. Multùm erras qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi vel eam non intelligis, illius peccati esse pænam, quod nullâ necessitate commissum est. Si enim necessitas nulla peccandi est, ut omittam vim mali ejus, quod originaliter trahitur, hoc enim nullum vos esse vultis, quid patiebatur quæso, qui secundùm vestrum sensum tantâ mole malæ consuetudinis premebatur ut diceret; non quod volo, facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago? Deinde cogitare te existimo, quid appetendum, quid vitandum sit in agenda vita quanto labore discatur. Qui autem hoc nesciunt, ipsam boni appetendi, maliq; vitandi ignorantiam patiuntur peccandi necessitatem. Necesse est enim ut peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quod non debet facere, facit; de quo genere malorum DEus rogatur ubi dicitur: Delicta juventutis & ignorantiæ meæ nè memineris. *Ibid. lib: 1. coñ. Iulian: imperf c: 104.* Ps. 24. 7.

Quasi necessario agit, qui ex consuetudine. Salvasti de necessitatibus animam meam, ipsa enim sanitas est vera libertas, quæ non perijsset, si bona permansisset voluntas. Quia verò peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas donec tota sanetur infirmitas, & accipiatur tanta libertas, in qua sicut necesse est permaneat bene vivendi voluntas, ita, ut sit etiam bene vivendi & nunquam peccandi voluntaria felixq; necessitas. *Ibid. lib. de perf: justitiæ cap: 4.* Ps. 30. 8.

Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? Vel Diabolus vel consvetudo carnalis. *T, 8. in Psal: 12.* Ps. 12. 3.

Non in me sed in DEo meo transgrediar murum, quem inter homines & cælestem Hierusalem peccata erexerunt. *Ibid. in Ps. 17.* Ps. 17. 30.

Cupiditas necessitatis speciem induit. Cupiditates nostræ quando validæ sunt & quando eis servimus, necessitates vocantur. *Ibid. Con: 1. in Psal: 30.*

Iniquitates manus vestræ connectunt. Quid est connectunt? de peccato peccatum, & ad peccatum peccatum, propter peccatum. Quam diu connectis ligas peccatum peccato; te solve peccatis clama ad illum. Infelix ego homo quis me liberabit &c. Veniet gratia DEI ut delectet te justitia sicut delectabat iniquitas. Exclamabis ad DEuM. Dirupisti vincula mea. Quid est nisi remisisti peccata mea. *Ibid. in Psal: 57.* Ps. 57. 3. Ps. 115. 7.

Internum Bellum. Bellum tibi indicitur adversus teipsum. Quomodo adversus teipsum? Adversus tuam consvetudinem malam, adversus vetustatem vitæ tuæ malæ, quæ trahit te ad solitam, & refrenatur à no-

va.

va. Indicitur enim tibi quædam nova vita, & tu vetus es. Novitatis gaudio suspenderis, vetustatis onere prægravaris. Incipit tibi esse bellum adversus te. Sed ex qua parte tibi displices, jungeris DEO, & ex qua parte jam jungeris DEO, idoneus eris ad vincendum te, quia ille tecum est qui omnia superat. Attende quid dicit Apostolus: Mente servio legi DEI, carne autem legi peccati *Et infra.* Quis er-
Ro. 7. 25. go liberabit? Gratia DEI per JEsum Christum Dominum nostrum. Quare autem permittitur, ut diu contra te litiges, donec absorbeantur omnes cupiditates malæ? ut intelligas in te pænam tuam. In te ex teipso est flagellum tuum, fit rixa tua tecum. Sic vindicatur in rebellem adversus DEUM, ut ipse sibi fit bellum, qui pacem noluit habere cum DEO. *Ibid. in Psal:* 75. *Peccator sibi flagellum.*

Induit maledictionem sicut vestimentum. differt ab eo vesti-
Ps. 108 18. mento quod non induitur, sed operitur. Induitur enim quisq; tunicâ, operitur pallio. Et quid est hoc nisi etiam in conspectu hominum de iniquitate gloriari? Et sicut zona inquit qua semper præcingitur. Maxime homines ideo præcinguntur, ut ad operandum sint aptiores, ne vestis finibus præpediantur. Et meledictione se præcingit, qui malum non repentinum, sed dispositum aggreditur: & ita discit malum facere, ut semper paratus sit. *Ibid. in Psal.* 108. *Maxima maledictio de iniquitate gloriari.*

Cum per timorem continent se à peccato fit consuetudo justitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulcescit DEus: & jam incipit homo vivere propterea, non quia timet pænas, sed quia amat æternitatem. Exclusus est ergo timor à charitate, sed successit timor castus. Quis est iste timor castus? Secundum quem debemus fratres mei intelligere quod dictum est: Beati omnes qui timent Dominum qui ambulant in vijs ejus. *Ibid. Enar: in Psal:* 127. *Timor bonæ consuetudinis initium.*

Benedictio Domini super vos. Et magis ista consvetudo erat in genere Judæorum. Nemo transibat & videbat aliquos facere aliquod opus in agro, vel in vinea vel in messe, vel aliquid ejusmodi. Non licebat transire sine benedictione. *Ib. Enar: in Ps:* 128.

Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnet.
Pro: 18 3. Jam videte fratres quale profundum sit ubi contemnitur DEus. *Et infra.* Et tanto magis in profundum merguntur quanto magis videntur esse felices: fallax enim felicitas ipsa est major infelicitas. Deinde & hoc solent homines dicere: Jam quoniam multa feci & damnatio imminet, hoc perdo quod non facio quidquid possum. Et ex hoc perdor cur non facio quidquid possum. Quomodo solent desperati latrones dicere: sic me occisurus est Judex pro decem homicidijs, quomodo pro quinq; quomodo pro uno. Quare jam non faciam. *Et infra.* Quis est ergo qui clamat? Peccator. Et qua spe clamat? Quia qui venit solvere peccata dedit spem etiam in profundo posito peccatori. Ideo quid sequitur post
Ps. 119 3. istas voces? Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? *Ibid. Enar: in Psal:* 129. *Contemptus est malorum profundum.* *Peccator est suæ perditionis faber.*

Væ eis qui trahunt peccata velut restem longam. Illi autem trahunt peccata sicut restem longam, qui addunt peccata peccatis: qui cum fecerint unum peccatum ut cooperiant illud, faciunt alterum. Quomodo enim ut restis fiat additur spartum sparto, non autem in rectum it, sed torquetur: sic omnia prava facta quæ sunt peccata cum adduntur sibi, & addendo peccatum peccato, & peccatum ad peccatum connectitur, fit restis longa. Quorum semitæ pravæ & flexuosi gressus eorum. Quo valet autem ista restis nisi ut inde ligentur ei manus & pedes & projiciatur quisq; in tenebras exteriores. *Ibid. Enar: in Psal:* 130. *Peccatum restis longa.*

Væ ijs qui trahunt peccata sicut restem longam. Quare au- *Perseverantia in peccatis addit peccata.*

tem dicitur restis? Quia omnis peccator perseverans in peccatis suis addit peccata peccatis: & cum deberet accusatione peccati sui corrigi, defensione duplicat, quod confessione posset auferre, & plerumq; alijs peccatis vult munitus esse propter illa quæ commisit. Fecit adulterium, & ne occidatur parat homicidium: addit peccato peccatum. *Ibid. Expos: Psal: 139.*

Hostes animæ ad vita litij.

Si non consentiendo vincamus molestias tamen patimur resistendo delectationibus. Non cessat & non moritur hostis, nisi in resurrectione mortuorum. *Ibid. Exposit: Psal: 148.*

Homo malis assuetus, cadaver est.

Lazare veni foras. Homo enim pessimæ consvetudinis jam putet. Merito ibi clamavit Christus. Nec solum clamamavit, sed magna voce clamavit. Ad Christi enim clamorem etiam tales, licet mortui, licet sepulti, licet putentes, resurgent tamen & ipsi resurgent. De nullo enim jacente desperandum est sub tali suscitatore. *T, 10. serm: de ver. Dom: ser: 43: de illo: Si ego testimonium perhibeo de me &c.* Io. 11. 43.

Apud Deum possibilia omnia; nihil impossibile.

Mortui sunt peccatores, horum genera tria.

Ita tria genera mortuorum, sunt tria genera peccatorum quos hodieq; suscitat Christus. Jlla enim mortua filia archisynagogi intus erat in domo, nondum erat de secretis parietibus elata in publicum. Ibi intus suscitata est, viva parentibus reddita. Iste autem jam quidem non in domo, sed tamen nondum in sepulchro, parietibus elatus erat, terræ mandatus non erat. Qui suscitavit mortuam nondum elatam, suscitavit mortuum jam elatum nondum sepultum. Tertium restabat, ut & sepultum suscitaret: & hoc fecit in Lazaro. Sunt ergo intus qui peccatum in corde habent, in facto nondum habent. *Et infra.* Alij post consensum eunt in factum, tanquam efferentes mortuum, ut quod latebat in secreto appareat in publico. *Et infra.* Qui autem faciendo quod malum est, etiam mala consvetudine se implicant, ut ipsa consvetudo mali non eos sinat videre; quia malum est, fiunt defensores malorum factorum suorum. Irascuntur cum reprehenduntur: in tantum ut Sodomitæ quondam dicernet viro justo reprehendenti nequissiam voluntatem. Habitare venisti non leges dare. Tanta ibi nefandæ turpitudinis consvetudo erat, ut jam nequitia esset justitia, & prohibitor potius repehenderetur, quàm factor. Tales consvetudine maligna pressi, tanquam sepulti sunt. Sed quid dicam fratres? ita sepulti ut de Lazaro dictum est Jam putet. Moles illa imposita sepulchro, ipsa est vis diræ consvetudinis qua premitur anima, nec surgere, nec respirare permittitur. Dictum est autem. Quatriduanus est. Revera ad istam consuetudinem, de qua loquor, quarto quodam progressu pervenit anima. Prima est enim quasi titillatio delectationis in corde, secunda consensio, tertium factum, quarta consvetudo. *Et infra.* Infremuit spiritu, ostendit multo clamore objurgationis opus esse ad eos, qui consuetudine duruerunt. Tamen ad vocem clamantis Domini, rupta sunt vincula necessitatis. Tremuit inferi dominatio, redditus est Lazarus vivus.

Matt. 5. 18. — Luc. 7. 14. — Io. 11. 43.

Illa quæ latebant in secreto, apparent in publico.

Apud improbos ipsa nequitia, est justitia.

Mala consuetudo animam premit. Gradus ad malam consvetudinem. Qui mala cõsvetudine duruerunt, non facile molliuntur. Vox Dei, omni potentiâ major.

Io. 11.

Et infra. Sed forte jam illi loquor, qui jam duro sui moris lapide premitur, qui jam urgetur consuetudinis pondere, qui jam quatriduanus putet. Nec ipse desperet, profundus mortuus est sed altus Christus est. Novit clamando terrena onera rumpere, novit intrinsecus per seipsum vivificare, solvendum discipulis tradere. Agant etiam tales pænitentiam. Neq; enim Lazaro resuscitato post quatriduum ullus putor in vivente remanserat. Ergo qui vivunt vivant: Quicunq; autem mortui sunt, in quacunq; harum trium morte se invenerint, agant ut celeriter jam resurgant. *Ibid. serm. 44. De tribus mortuis suscitatis.*

Maximo peccatori non est desperandum.

Erat

Erat peccatum, sed latebat peccatum. Quando latebat peccatum? Quando te adversarium nondum patiebatur. Cœpisti conari, & apparuit qui tenebat. Quando sequebaris, catenam non sentiebas; quæsisti refugium & apparuit vinculum, voluisti fugere, & cœpisti trahi. Quia ergo cœpisti trahi subveniat tibi, qui non est ligatus. Quis non est ligatus? nisi qui dixit. Si invenistis in me peccatum dicite. *T, 10. serm: de verb: Apost: serm: 11. Ploremus ante Dominum qui fecit nos &c.*

Libertas nostra vincula nobis parit.

Forte malus, iniqvus, adulter, impudicus, fornicarius gaudet quia facit; & senescit in quo libido non senescit, & dicit apud se
Ps: 31 17. certe verum est: Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Ecce ego jam senui, qui ab ineunte ætate usq; ad hodiernum tanta committo, multos castos ante me sepelivi, multorum castorum funera juvenum ad sepulchrum ipse deduxi, & pudicis impudicus supervixi. Quid est quod dicitur quia vultus Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum? Est alia terra ubi non est impudicus, est alia terra in regno DEI. *Ibid. ser: 18. De ver. Apost: Nescitis quia corpora vestra &c.*

Gaudium malorum est, male agere.

In Regno Dei nulla memoria impiorum.

Expertus loquor: non fiat hodie, pigrius fit cras. Si & cras factum non fuerit, minùs laborat qui custodit, adjuvatur enim consvetudine superioris diei. Triduo moritur pestis de qua laboramus, gaudebimus de fructu vestro: quia magno bono abundabitis, si tam magno malo carebitis. *Ibid ser: 28. De verb: B. Iacobi. Ante omnia nolite jurare.*

Quod hodie non fit, postea pigrius fit.

Magnis bonis abundant qui magnis malis carent.

Clamavit Dominus ad sepulchrum Lazari & quatriduanus
Io. 11. 41. mortuus resurrexit. Qui putebat in auras processit: sepultus erat, lapis superpositus erat. Vox Salvatoris irrupit duritiam lapidis: & cor tuum ita durum est ut nondum illa vox divina te rumpat. Surge in corde tuo procede de sepulchro tuo. Etenim mortuus in corde tuo tanquam in sepulchro jacebas, & tanquam saxo malæ consuetudinis gravabaris. Surge & procede: crede & confitere. Qui enim credit surrexit; qui confitetur processit. Quare processisse dicimus confitentem? Quia antequam confiteretur occultus erat: cum autem confiteretur; procedit de tenebris ad lucem. Et cum confessus fuerit quid dicitur Ministris? Quod dictum est ad funus Lazari Solvite illum & sinite abire. Quomodo? Dictum est Mi-
Matt. 16. 19. nistris Apostolis. Quæ solveritis in terra soluta erunt & in cælo. Venit hora & nunc est quando mortui audient vocem filij DEI, & qui audierint vivent. Unde vivent? De vita. De qua vita? De Christo. Unde probamus quia de vita Christo? Ego sum inquit via, veritas, & vita. Ambulare vis. Ego sum via. Falli non vis ego sum veritas. Mori non vis, ego sum vita. Hoc dicit tibi Salvator tuus. Non est quo eas nisi ad me: non est qua eas nisi per me. *T, 9. Evan: Ioan: Tract: 22. de cap: 5.*

Peccator etiam dũ vivit, sepultus.

Confessione in lucem proceditur.

Christus via veritas & vita.

Ecce ipsa Soror Lazari (si tamen ipsa est quæ pedes Domini unxit unguento & tersit capillis suis, quos laverat lachrymis) melius suscitata est quàm frater ejus; de magna malæ consuetudinis mole liberata est: erat enim famosa peccatrix Et de illa dictum
Luc. 7. 47. est Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Videmus multos, novimus multos: nemo desperet, nemo de se præsumat. Et desperare malum est, & de se præsumere: sic noli desperare, ut eligas de quo debeas præsumere. *Ibid Tract: 49. de c: 11.*

Magdalena suscitata à morte peccati.

Peccatori spẽ ingenerat Magdalenæ conversio.

Ego sum inquit resurrectio & vita. Audite fratres, audite quid dicat. Certe tota expectatio erat circumstantium ut reviviceret. Lazarus unus mortuus quatriduanus: audiamus & resurgamus.

gamus. Quam multi sunt in hoc populo, quos premit consuetudinis moles. Forte audiunt me quidam quibus dicitur. Nolite inebriari vino in quo est luxuria: dicunt non possumus. Forte audiunt me aliqui immundi, lascivijs & flagitijs inquinati, quibus dicitur. Nolite hoc facere ne pereatis: & respondent, non possumus tolli à consuetudine nostra. O Domine istos resuscita! Ego sum inquit resurrectio & vita. Ideo resurrectio quia vita. Qui credit in me etiamsi mortuus fuerit, vivet. Et omnis qui vivit & credit in me non morietur in æternum. Quid est hoc? Qui credit in me etiamsi mortuus fuerit, sicut Lazarus mortuus est, vivet: quia non est Deus mortuorum sed vivorum. De olim mortuis Patribus hoc est Abraham & Isaac & Jacob tale responsum Judæis dedit. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, non est Deus mortuorum, sed vivorum, omnes enim illi vivunt. *T, 9. ibidem.*

Consuetudo peccandi. *Io. 11. 25.* *Deus est vivorum non mortuorum.* *Marc. 12. 27.*

Magnus reus est quem mortis quatriduum & illa significat sepultura. Quid est ergo quod turbat semetipsum Christus, nisi ut significet tibi quomodo turbari debeas tu, cum tanta mole pecca ti gravaris, & premeris. *Ibidem.*

Lazarus peccatoris typus. *Peccatum justa turbationis causa.*

Hæc cum dixisset magna voce clamavit. Fremuit, lachrymavit, voce magna clamavit. Quam difficile surgit quem moles magnæ consvetudinis premit! Sed tamen surgit: Occulta gratia intus vivificatur: surgit post vocem magnam. Quid est factum? Voce magna clamavit: Lazare veni foras. Et statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes, (institis) & facies illius sudario erat ligata. Quomodo processit ligatis pedibus miraris, & non miraris, quia surrexit quatriduanus. In utroq; potentia Domini erat, non vires mortui. Processit & adhuc ligatus est, adhuc involutus, tamen jam foras processit. Quid significat? Quando contemnis, mortuus jaces, & si tanta quanta dixi contemnis, sepultus jaces: quando confiteris, procedis. Quid est enim procedere nisi ab occultis velut exeundo manifestari? Sed ut confitearis, Deus facit voce magna clamando, id est magna gratia vocando. Ideo cum processisset mortuus, adhuc ligatus, confitens & adhuc reus: ut solverentur peccata ejus, ministris hoc dixit Dominus. Solvite illum & sinite abire. Quid est solvite & sinite abire? Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in Cælo. *Ibidem.*

Io. 11. 41. *Difficulter à consuetudine remittitur.* *Divinâ gratiâ peccator resipiscit.*

Cutis quæ superducta vulneribus, mortem celaverat sanie erumpente putruit: quia iterata iniquitas, concessam misericordiam exinanivit. Novi quippe scriptum. In quacunque hora justus peccaverit, omnes justitiæ ejus oblivіscentur. Si justitia aboletur justi ruentis, quantò magis pænitentia peccatoris in idipsum revertentis? Quoties canis redij ad vomitum, & quasi sus repetij volutabrum. *T, 9. lib. Medit: cap: 3.*

Reditus ad peccatum periculosissimus.

C O R.

Fecisti nos ad te & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. *T, 1. lib. 1. Confess: c. 1.*

Cordis Quies.

Deus intimus cordi est, sed cor erravit ab eo. Redite prævaricatores ad cor & inhærete illi qui fecit vos. state cum eo & stabitis. *Ibid. lib. 4. Confess: c. 12.*

Is. 46. 8. *Deus, cordi semper præsens.*

Neq; enim docet te, quid in se agatur, qui tibi confitetur, quia oculum tuum non excludit cor clausum, nec manum tuam repellit duritia hominum; sed solvis eam cum voles aut miserans aut vindicans, & non est qui se abscondat à calore tuo. *Ibid. lib. 5. Confess. c: 1.*

Nil clausum Deo.

Obscu-

Rom. 1. 21. Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Unde autem hæc obſcuratio, niſi ex averſione à lumine ſapientiæ? unde autem hæc averſio, niſi cum ille cui bonum eſt DEUS, ſibi ipſe vult eſſe bonum ſuum, ſicut ſibi eſt DEUS? Itaq; ad meipſum conturbata eſt anima mea. Et guſtate & eritis ſicut Dij. *Ibid lib: 3. de libero arbitrio c. 24.* *Cæcus, qui ſe à ſolo Deo avertit.* Gen. 3 5.

DEUS lux eſt ſed lux cordis, non iſtorum qui in carne ſunt oculorum, neq; omnino talis, qualis hujus lucis viſibilis phantaſia cogitatur, quanquam & ibi eſt videre, ſed longè aliter, longè diſſimiliter. Qualis enim lux eſt ipſa charitas, quis verbis explicet? Audi Apoſtolum Joannem, ipſe quippe dicit, quoniam DEUS lux eſt, qui rurſus dicit DEUS charitas eſt, ac per hoc ſi DEUS lux eſt, & DEUS charitas eſt, profectò charitas lux ipſa eſt, quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. *T, 2. epiſt: 120. c. 22.* *Deus Lux mentis.*

Eph. 3. 16. In interiori inquit homine habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris, hæc eſt vita cordium, quâ vivimus in ſæculum ſæculi, ab initio fidei uſq; ad finem ſpei. Ita eſt communis cujuſdam Divinæ cæleſtiſq; Reip: hic ſaturantur pauperes non ſua quærentes, ſed quæ JESU Chriſti, id eſt non commoda privata ſectantes, ſed in commune ubi ſalus omnium eſt, conſulentes. Nam unus panis unum corpus multi ſumus. *Ibidem c. 26.* *Communitatis amor.*

Sicut ad loca munitiora feſtinantiùs migrant, qui ruinam Domûs vident contritis parietibus imminere. Sic corda Chriſtiana quantò magis ſentiunt mundi hujus ruinam crebreſcentibus tribulationibus propinquare, tantò magis debent bona, quæ in terra recondere diſponebant in theſaurum cæleſtem impigrâ celeritate tranſferre. *Ibid. Epiſt: 138.* *Prævìſio malorum, bona, bene diſponit.*

Pſ. 72. 1. Bonus DEUS his qui retro ſunt corde. Rectum autem cor eſt, non reſiſtere Patri emendanti & credere pollicenti: non eorum quibus commoventur pedes & effunduntur greſſus atq; labuntur dum zelant in peccatoribus pacem peccatorum videntes, & putant perire opera ſua, quia non eis merces redditur peritura. *Et infra.* Gloria & divitiæ in Domo ejus. Domus enim (ſcilicet hominis juſti) cor ejus eſt, ubi DEO habitante opulentius habitat, cum ſpe vitæ æternæ, quàm cum hominibus habitantibus in marmoratis laqueatiſq; tectis, cum timore mortis æternæ. *T, 4. lib: de octo Dulcit j quæſt: quæſt: 4.* *Rectum cor.* Pſ 111 3. *Domus Dei cor juſti.*

Cordis mundatio eſt, tanquam oculus quo videtur DEUS, cujus ſimplicis habendi tantam curam eſſe oportet, quantam ejus rei dignitas flagitat, quæ tali oculo conſpici poteſt. *Ibid. lib: 2. de ſer: in mont: c. 1.* *Munditiet animæ, oculus ejus.*

Pſ 30. 18. Domine non confundar quoniam invocavi te. Magnam cauſam dixit: non confundar quoniam invocavi te. Niſi proprio quodam modo diceret. Invocavi te DEUM qui non poſſit communis eſſe cum multis nullo modo de hac invocatione tantam mercedem auderet exigere. Invocas DEUM quando in te vocas DEUM. Hoc eſt enim illum invocare, illum in te vocare, quodammodo eum in domum cordis tui invitare. Non autem auderes tantum Patremfamilias invitare niſi noſſes ei habitaculum præparare. Si enim tibi dicat DEUS. Ecce invocaſti me venio ad te quo intrabo? Invocas me in cor tuum & plenum eſt rapinis, plenum eſt blaſphemijs, plenum eſt adulterijs, plenum eſt irâ & fraudibus, plenum eſt malis concupiſcentijs & inſuper plenum eſt invidia & invocas me? *Multi invocãtes Deum, non invocant.*

Pſ. 13. 10. De talibus deniq; quid ait alio loco pſalmus. Dominum non invocaverunt, &c. Utiq; invocaverunt, nec tamen invocaverunt. Breviter dico. Quare invocas DEUM? ut det tibi lucrum? lucrum

Ii ergo

ergo invocas non DEUM. Ministrum lucri tui facis DEUM. Viluit tibi DEUS. Vis invocare DEUM? gratis invoca. Avare an parum est tibi si te impleat ipse DEUS? DEUS si ad te veniat sine auro & argento non vis illum? Quid ergo tibi de his quæ fecit DEUS sufficit cui DEUS ipse non sufficit. *T, 8 Cor: 3. in Psal: 30.*

Bona conscientiæ requies animæ. Iniquitatem meditatus est in cubili suo. Cubile nostrum est cor nostrum: ibi tumultum patimur malæ conscientiæ; & ibi requiescimus quando bona conscientia est. Ibi est cubile, ibi nos Dominus JESUS Christus jubet orare. Intra in cubiculum tuum & claude ostium tuum. Quid est claude? Noli talia expectare de DEO quæ forinsecus sunt sed ea, quæ intrinsecus sunt. Hoc petas à DEO, quod solus DEUS novit, quomodo tibi det. Quid est hoc propter quod claudis ostium & petis? quod oculus non vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. *T, 8. in Psal: 35.* *Ps. 53. 5.* *1. Cor. 1. 9.*

Ne sileas à me ut audiam te. Occulte enim dicit DEUS, multis in corde loquitur, & magnus ibi sonus, in magno silentio cordis; quando magna voce dicit. Salus tua ego sum. *Ibid. in Psal: 38.* *Ps. 27. 1.*

Consentiant labia tua cordi tuo. Quærens pacem à DEO tibi ipsi esto pacatus. Non sit inter os tuum & cor tuum mala rixa. *Ibid. in Psal: 39.*

Derelinquitur à Deo qui seipsum non cognoscit. Cor meum dereliquit me. Quid mirum est si cor tuum desertum est DEO tuo quando seipsum deseruit? Quid est cor meum dereliquit me? non est idoneum cor meum ad cognoscendum se. Hoc dixit: cor meum dereliquit me. *Ibid. in Psal: 39* *Ps. 39. 13.*

Cor sancti est tabernaculum Dei. Delectaverunt te Filiæ Regum domos eburneas, domos magnas, domos regales, & magna tabernacula DEI, vis spiritualiter accipere corda sunt Sanctorum. Ipsosq; Reges regentes carnem subjugantes sibi turbas humanarum affectionum, castigantes corpus, & servituti subjicientes, accipe quia inde delectaverunt eum Filiæ Regum. *Ibid. Enar: in Psal: 44.* *Ps. 44. 10.*

Divino placito nostra conformanda est voluntas. Cor DEI vis corrigere ad cor tuum, ut hoc ille faciat quod tu vis, cum tu debeas facere quod ille vult? Vis detorquere cor DEI quod semper rectum est ad pravitatem cordis tui. Non consentit DEUS cordi tuo consenti tu cordi DEI. Laudabuntur omnes recti corde. Si laudabuntur omnes recti corde damnabuntur perversi corde. Duo tibi modo proposita sunt, elige dum tempus est. Si recto corde fueris, ad dexteram eris & laudaberis. Quomodo? Venite benedicti Patris mei percipite regnum. Perverso autem corde si fueris eris ad sinistram ubi tunc audies. Ite in ignem æternum. Et nunquid erit tunc tempus corrigere cor? Modo ergo corrigite. Fratres modo corrigite. *Et infra.* Nosti quid facias de *Gratiæ pluvia.* agro tuo, & nescit DEUS quid faciat de servo suo? Quod pluit in agrum uberem dulce est: & quod pluit in agrum speciosum dulce est. Nunquid pluviam accusas quod spinas genuerit? nonne erit pluvia illa testis in Judicio DEI, & dicet. Ego dulcis super omnia *Inexcusabiles in Iudicio accusati.* veni. Tu ergo quid proferas vide, ut quid tibi pareiur attendas. Profers frumentum horreum spera, profers spinas ignem spera. Nunquid consilij corrigendi & mutandæ vitæ malæ in bonam non est locus, non est tempus? Nonne si vis hodie fit, nonne si vis modo fit? Quid empturus es ut facias? quæ emplastra quæsiturus es ad quos. Indos navigaturus? quam navim præparaturus? Ecce cum loquor muta cor: & factum est quod tam sæpe & tamdiu clamatur ut fiat & quod æternam pænam parturit si non fiat. *Ibid. in Psal: 63.* *Ps. 63. 11.* *Matt: 25. 34.*

Quando rectus es? ut bonus sit tibi DEUS Israel bonus rectis corde? Vis audire? quando in eo bono quod facis DEUS tibi pla-

cet: in eo autem malo quod pateris Deus tibi non displicet. *Et infra.* Non tibi videantur felices qui florent ad tempus. Tu castigaris illis parcitur: forte tibi castigato & emendato filio hereditas reservatur. Redi ergo prævaricator ad cor, quantò grandiores lapides in Cælum miseris, tanto te fortior ruina pressura est. *T, 8. Enar: 1 ptis: in Psal: 70.*

Deus cum castigat benignè est, severè cum parcit.

Is. 46. 8.

Ascensus in corde ejus disposui in valle plorationis. Quantò plus amaveris, tantò plus ascendes tibi ubi disponis ascensus? in corde Lachrymæ piæ contribulatorum mustum sunt amantium. *Ibid. in Psal: 83.*

Lacrymæ mustum amantium.

Phil. 3. 20. Conversatio nostra in Cælis est. Habitat hic justus in carne, sed corde cum Deo est. Et ipse appellatur mundus, si sine causa audit sursum cor: si autem est causa quare audit, sursum cor habet. Mortui enim estis dicit & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. *Ibid. Enar: in Psal: 141.*

Facta de cognitione procedunt. Nec quisquam potest aliquid facere, aut ad aliquid agendum membra movere, nisi primo præcesserit jussio cogitationis: quomodo de interiori palatio quidquid jusserit. Imperator per imperium Romanorum emanat, quidquid videtis agi per Provincias. Quantus motus fit ad unam jussionem Imperatoris intus sedentis? Movet solum ille labia cum loquitur, & movetur omnis Provincia cum fit quod loquitur. Sic & in unoquoq; nostrum intus est Imperator, intus in corde suo sedet. Si bonus bona jubet, bona fiunt, si malus mala jubet, mala fiunt. Cum ibi sedet Christus quid potest jubere nisi bona? cum possidet Diabolus quid potest jubere nisi mala. In tuo autem arbitrio Deus te esse voluit cui parct locum: Deo an Diabolo? qui possedit ipse imperabit. *Ibid. Enar: in Psal: 148.*

Index Christi regnantis in corde bonum opus.

Non erit fructus bonus nisi arboris bonæ. Muta cor & mutabitur opus. Extirpa cupiditatem, planta charitatem. Sicut enim radix est omnium cupiditas: sic & radix omnium bonorum charitas. *T, 10. ser: de ver: Dom: ser: 12.*

1 Tim. 6. 10.

Mutationem cordis, sequitur mutatio operis.

Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum Deum verum. Nec ideo videbunt quia pauperes Spiritu in hac vita fuerunt, quia mites, quia lugentes, quia esurientes, & sitientes justitiam, quia misericordes, quia pacifici, quia persecutionem passi propter justitiam, quamvis & hæc omnia ijdem ipsi sunt. Sed quia mundo sunt corde. Mundo corde videbitur, quia nec in loco videtur, nec oculis corporalibus quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu, Deum enim nemo vidit unquam, vel in hac vita, sicut ipse est, vel etiam in Angelorum vita, sicut visibilia ista de corporali visione cernuntur. *T, 2. Epist: 112 cap: 11.*

Hic videbit Deum, qui cognoscit ut est in se.

Nec lapides, nec vectes, nec pugni, nec calces sunt quibus pulsamus ad Dominum. Vita pulsat, vitæ aperitur, corde pulsatur, cordi aperitur. Cor autem hoc quod rectè petit, rectèq; pulsat & quærit, pium esse debet. Primò amare Deum gratis: hæc est enim pietas: nec sibi extra illum ponere mercedem, quam expectet ex illo. Jllo enim melius est nihil. Et quid charum petit à Deo, cui ipse Deus vilis est? Terram dat, & gaudes amator terræ, & factus terra. Si gaudes quando dat terram: quanto amplius gaudere debes, cum seipsum dat tibi qui fecit Cælum & terram? Gratis ergo amandus est Deus. Nam diabolus hoc Sancto Job nesciens quid in illo intus ageretur, magnum crimen objecit, dicens: Nunquid gratis colit Job Deum? *T, 10. ser: de Temp. ser: 234. Dnica 18. post Trinit: ser: 1.*

Nil charum à Deo petit, cui ipsè Deus vilis est.

Deus gratis amandus est.

In templo à Salomone ædificato legimus duo altaria fuiſſe conſtituta, unum foris, aliud intus. In illo quod foris erat animalium cædebatur ſacrificium, in illo vero altari quod intus erat thymiamatis offerebatur incenſum. Videamus ergo fratres ne forte in nobis duo ſint altaria conſtituta, corporis ſcilicet & cordis noſtri. Deniq; duplex à nobis ſacrificium quærit DEUS; unum ut ſimus caſto corpore, aliud ut mundo corde eſſe debeamus. *Ibid. ſer: 255. in anniverſario Dedicat: ſer: 4.*

Duo altaria in nobis.

Et quia uniuſcujuſq; cor altare eſt; aut DEI aut adverſarij: ſicut jam dixi attendat unuſquiſq; conſcientiam ſuam, & ſi cupiditatis igne conſumitur, eleemoſynarum refrigerio mitigetur: quia ſcriptum eſt. Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. *Ibidem.*

Eleemoſynâ peccatum extinguitur.

Si vis eſſe templum veritatis, frange idolum falſitatis Manus DEI potentia DEI. Facies DEI notitia DEI, pedes DEI præſentia DEI. Sedes DEI ſi vis tu es. An forte negare audebis DEUM eſſe Chriſtum? Non inquis. Concedis & hoc, Chriſtum DEI virtutem & ſapientiam DEI? Concedo inquis: Audi: Anima juſti ſedes eſt ſapientiæ. Ubi enim ſedem habet DEUS niſi ubi habitat? Ubi autem habitat niſi in templo ſuo? Templum enim DEI ſanctum eſt, quod eſtis vos. Vide ergo quomodo excipias DEUM. Spiritus eſt DEUS, in ſpiritu & veritate oportet adorare DEUM. Jam in cor tuum ſi placet intret arca teſtamenti: & ruat Dagon. *T. 10 decem & ſeptem ſer: à Pariſienſibus, additorum ſer: 14. in Feſto Omnium Sanctorum.*

Idolum falſitatis frangere debet, qui templum veritatis eſſe cupit.

Coge cor tuum cogitare divina, compelle, urge. Quidquid ſimile corporis cogitanti occurrerit, abijce. Nondum potes dicere. Hoc eſt, ſaltem dic. Non eſt hoc. Quando enim dices Hoc eſt DEUS? Nec cum videbis, quia ineffabile eſt quod videbis. Raptum ſe dicit Apoſtolus in tertium cælum & audiſſe ineffabilia verba. Si ſunt ineffabilia verba, quid eſt cujus ſunt verba? *Et infra.* Quæ ſit altitudo, longitudo, latitudo profundum. Non diſcurras imaginatione cognitionis per ſpatia mundana, & molis hujus tam magnæ incomprehenſibilem granditatem. In te, attende quod dico. Latitudo eſt in bonis operibus, longitudo in longanimitate, & perſeverantia bonorum operum, altitudo in ſupernorum expectatione præmiorum: propter quam altitudinem tibi dicitur, ut ſurſum cor habeas. Bene operare, & in bonis operibus perſevera, propter beneficia DEI. *Et infra.* Attende profundum. Gratia DEI eſt in occulto voluntatis ejus. Quis enim cognovit ſenſum Domini. *Ibidem.*

Cor à terrenis abſtrahere.

Eph. 3. 16.

Perſeverantia in bono.

Redi ad cor, & inde ad DEUM. De proximo enim redis ad DEUM, ſi redieris ad cor tuum. Nam quando te offenderunt iſta exiſti & à te. Exul factus es pectoris tui. Moveris rebus quæ ſunt foris à te, & perdis te. Tu intus es, & iſta foris adjacent: foris bona ſunt, ſed foris ſunt. Aurum, argentum, omnis pecunia: veſtis, clientela, familiæ, pecora, honores, foris ſunt. Si iſta bona infima, bona terrena, bona temporalia bona tranſitoria non donarentur malis crederentur à bonis. Ergo DEUS qui dat malis iſta bona, te docet concupiſcere meliora. *T. 10. par: 2. ſer: de diver: ſer: 115. de feſto S. Cypriani Mart.*

Dum DEus dat minora bona, docet concupiſcere majora.

Veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus. Non eſt anguſtum cor fidelis, cui anguſtum fuit templum Salomonis. Nam & ipſe cum fabricaret, hoc dixit: Si Cælum cæli non ſufficit mihi. Et certe templum DEI ſanctum eſt quod eſtis vos. Et ideo ait alio loco. Templum DEI vivi ſumus. Et hoc unde probas, tanquam ei diceretur. Sicut ſcriptum eſt inquit: Habitabo in eis.

Jo. 14. 23.

Cor Templum Dei.

Si tibi aliquis magnus Patronus diceret: Habitabo apud te, quid faceres? Cum angusta domus tua esset, procul dubio turbareris omnino, terrereris, optares ne fieret. Nolles enim esse in angustijs recipiens magnum, cujus adventui domus tua paupercula non sufficeret. Noli timere adventum DEI tui, noli timere affectum DEI tui, non te angustat cum venerit: imò veniendo dilatabit te. Nam ut scias quoniam dilatabit te, non solum adventum promisit: Habitabo in in eis; sed ipsam etiam latitudinem, addendo. Et deambulabo. Latitudinem istam si diligis, vides. Timor tormentum habet, ergo angustias habet: ac per hoc amor latitudinem habet. Vide latitudinem charitatis. Quoniam charitas DEI, diffusa est inquit in cordibus nostris. *Ibid. ser: 122. De ver: Ps. Tenuisti dexteram meam.*

Deus dum venit ad cor angustum, dilatat illud.

Talia de DEO cogitas qualia hic oculis videre consuesti: si autem istis oculis videri posset DEUS, non diceres Beati mundo
Matt 5.8. corde quia ipsi DEUM videbunt. Ergo habes oculum corporis ad videndum fabrum, sed nondum habes oculum cordis ad videndum DEUM: ideo quod soles videre in fabro transferre vis in DEUM. Pone in terra terrena: sursum cor. *T, 9 in Ev: Ioan: Tra: 18. de c. 5.*

De Deo Divinè judicandū non humano modo.

O si cor tuum non esset fatuum non crederes fatum. *Ibid. Tract: 37. de cap. 8.*

Fatum fatuus credit.

Redite intro fratres: & in omnibus quæcunq; facitis intueamini testem DEum *Ibid. Tract: 8. de cap: 4.*

Præsentia Dei

Immortali inquit, invisibili, incorruptibili, soli DEO honor
1. Tim 1. 17. & gloria. Non videtur DEus noster oculis carnis, sed videtur oculis cordis: non videtur ad tempus sed videtur in æternum. *Et infra* Cor immundum, & tenebris peccatorum obvolutum DEUM quærit videre? Lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt. Nunquid quia cæcus non videt ideo lux non lucet? Si nosses o infidelis dicere DEO vero Illumina oculos meos: videres nobiscum nunc per speculum in ænigmate, ut posses videre facie ad faciem. *T, 9. lib. 3. de Symb: ad Cathech: cap: 3.*

Deus oculis cordis etiam nunc videtur.

Peccata impediūt visionem Dei.

CORRECTIO FRATERNA

SI frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, cum timeret secari, nonne crudeliter à te sileretur, & misericorditer indicaretur. Quanto ergo debes potius manifestare, nè diutius putrescat in corde? *T, 1. in Regula Augustini.*

Qui non corrigit fratrem, vulnera tegit.

Correctus secundum præpositi arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam quam si ferre recusaverit, & si ipse non abscesserit, de vestra societate proijciatur. Non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, nè contagione pestifera plurimos perdat. *Ibidem.*

Ex communitate ejiciendus incorrigibilis

Obsecro te ergo per mansuetudinem Christi, ut si læsi te, dimittas mihi nec me vicissim lædendo, malum pro malo reddas. Lædes autem me si mihi tacueris errorem meum, quem fortè inveneris in factis vel dictis meis. *August: Hieronymo T, 2. Epist: 15.*

Lædit, qui tacet errores.

Multò est mirabilius & laudabilius libenter accipere corrigentem, quàm audacter corrigere deviantem. Est laus itaq; justæ libertatis in Paulo, & sanctæ humilitatis in Petro. *Ib. Epist: 19. c. 2.*

Miraculū est correctores pati.

At enim quibusdam ista non prosunt: nunquid ideo negligenda est medicina, quia nonnullorum insanabilis est pestilentia? Non omnis qui parcit amicus est, nec omnis qui verberat inimicus, meliora sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. Et qui phreneticum ligat, & qui lethargicum excitat, ambobus

Etiam sine spe emendationis, mali corrigendi.

bobus molestus, ambos amat. Quis nos potest ampliùs amare quàm DEUS, & tamen nos non solùm docere suaviter, verùm etiam salubriter terrere non cessat. Exercet fame Patriarchas etiam pios & religiosos. Non aufert ab Apostolo stimulum carnis tertio rogatus ut virtutem in infirmitate perficiat. *Ibid. Epist: 48.* 2. Cor. 12. 7.

Etiam vis ad bonũ prodest. Putas neminem debere cogi ad justitiam, cum legas Patremfamilias servis dixisse quoscunq; inveneritis, cogite intrare; cum legis ipsum primò Saulum postea Paulum, ad cognoscendam & tenendam veritatem magna violentia Christi cogentis esse compulsum, nisi fortè chariorem hominibus putas esse pecuniam, vel quamlibet possessionem, quàm lucem istam quæ oculis carpitur. Hanc ille cælesti prostratus voce subito amissam non recuperavit, nisi cum sanctæ incorporaretur Ecclesiæ. *Ibidem.* Act 22. 7.

Cum charitate defectus sanandi. In hujusmodi causis, ubi per graves dissensionum scissuras, non hujus aut illius hominis est periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat. *Ibid. Epist: 50.*

Correctio est ad salutem. Displicet tibi quia traheris ad salutem, cum tam multos nostros ad perniciem traxeris: quid enim volumus nisi te comprehendi & præsentari & servari ne pereas. Ideo voluntas bona misericorditer impenditur, ut mala voluntas hominis dirigatur. Non ideo qui diliguntur malæ suæ voluntati impunè & crudeliter permittendi sunt, sed ubi potestas datur, & à malo prohibendi, & ad bonum cogendi. *Ibid. Epist: 204.*

Culpæ assignãdæ quibus ferendis par sit reus. Quis sit vindicandi modus non solùm pro qualitate vel quantitate culparum verùm etiam pro quibusdam viribus animorum quid quisq; sufferat, quid recuset, nè non solùm non proficiat, sed etiam deficiat, quàm profundum & latebrosum est? ego in his quotidie me peccare fateor, & ignorare. Quando quovè modo custodiam id quod scriptum est: peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant. *Ibid. Epist: 250.*

Etiam mali inter bonos tolerandi. Nos ad sanam doctrinam pertinere arbitramur ex utrisq; testimonijs vitam sententiamq; moderari, ut & canes in Ecclesia propter pacem Ecclesiæ toleremus, & canibus sanctum ubi pax Ecclesiæ tuta est, non demus. *Ibid: cap: 5.*

Non correcti publicè nõ sint occasio scandali. Cum sivè per negligentiam præpositorum, sivè per aliam excusabilem necessitatem, sive per occultas subreptiones, invenimus in Ecclesia malos, quos Ecclesiasticâ disciplinâ corrigere & coërcere non possumus, tunc non ascendat in cor nostrum impia & perniciosa præsumptio, quâ existimemus nos ab his esse separandos. *Et infra.* Veniant in mentem illæ de scripturis similitudines, quibus demonstratum, est malos, in Ecclesia permixtos bonis usq; in finem sæculi, tempusq; Judicij futuros, & nihil bonis obfuturos. *Et infra.* Cum verò eis per quos Ecclesia regitur, adest salva pace potestas disciplinæ adversus improbos aut nefarios exercendæ, tunc rursus nè socordiâ segnitiâq; dormiamus, alijs aculeis præceptorum, quæ ad severitatem coërcitionis pertinent, excitandi sumus. *Ibid. cap: 5.*

Mali non nocent bonis.

Præcepta correctores noscitè.

Patientibus & infirmis compassio debita. Si adversus se tristes sint, prorsus se tolerare non possunt. Et ideo in hujusmodi affectionibus suscipienda est aliquantulum ipsa ægritudo, de qua vis alium per te liberari, & sic suscipienda ut ad auxilium, non ad æqualitatem miseriæ valeat. Quemadmodum se inclinat, qui manum jacenti porrigit. Non enim se projicit, ut ambo jaceant, sed incurvat tantum, ut jacentem erigat. Neq; ulla res officiosum istum laborem, ad portanda onera aliorum facit libenter impendi, nisi cum cogitemus, quanta pro nobis pertu-

Serviendũ infirmis fratribus exemplo Christi.

Phil. 2. 5. pertulerit Dominus. Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jesu. Et deinde etiam illud cogitandum, nullum eſſe hominem, qui non poſſit habere aliquod bonum, quod tu nondum habes, etiamſi lateat, in quo ſine dubio poſſit te eſſe ſuperior. Quæ cogitatio ad contundendam edomandamq; ſuperbiam (intellige valet) ne vane arbitreris quoniam tua bona eminent quidem & apparent, ideo alterum nulla habere, quæ lateant, & fortaſſis majoris ponderis, bona quibus te ſuperat neſcientem. Neq; enim fallit nos, uti jubet Apoſtolus, cùm dicit. Nihil per contentionem neque per inanem gloriam, ſed in humilitate mentis, alter alterum exiſtimantes ſuperiorem ſibi. *Et infra.* Ipſa eſt ergo lex Chriſti, ut invicem onera noſtra portemus, Chriſtum autem diligendo facilè ſuſtinemus, infirmitatem alterius, etiam quem nondum propter bona ſua diligimus. Cogitamus enim quia ille quem diligimus Dominus propter eum mortuus ſit. *Et infra.* Quapropter ingenti curâ & imploratâ Dei miſericordiâ cogitandum eſt, nè Chriſtum negligamus propter infirmum, cum infirmum debeamus diligere propter Chriſtum. *Ibid lib. 83 quæſt. Quæſt: 71.*

Mali habent ſæpe quo magnos ſuperent.

Phil. 2. 3.

Gal. 6. 2.

Charitas corrigat errores.

Infirmi fratres propter Chriſtum curandi.

Piè cauteq; vigilandum eſt, ut cùm aliquem reprehendere, vel objurgare nos neceſſitas coëgerit, primum cogitemus utrum tale ſit vitium, quod nunquam habuimus, vel quo jam caruimus. Et ſi nunquam habuimus, cogitemus, & nos homines eſſe & habere potuiſſe. Si verò habuimus & non habemus, tangat memoriam communis fragilitas, ut illam reprehenſionem non odium ſed miſericordia præcedat. Si autem cogitantes noſmetipſos invenerimus in eo eſſe vitio, in quo eſt ille quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, ſed congemiſcamus, & non illum ad obtemperandum nobis, ſed ad pariter cavendum invitemus. **Ibid. lib. de ſer: in mon: c. 19.**

Correctores ſeipſos reſpiciant.

Raro & in magna neceſſitate objurgationes adhibendæ ſunt, ita tamen, ut etiam in his ipſis non nobis ſed Domino ut ſerviatur, inſtemus *Ibid. cap. 19.*

Raræ ſint objurgationes.

Nihil ſic probat virum ſpiritualem, quàm peccati alieni tractatio, cum liberationem ejus potiùs quàm inſultationem, potiuſq; auxilia quàm convitia meditatur, & quantum facultas tribuit, ſuſcipit. *Ibid. l. ex Epiſt: ad Galat: fol. 391.*

Alieni peccati correctio ſpiritualem virum probat.

Nihil ad miſericordiam ſic inclinat, quàm propria periculi cogitatio. *Ibidem.*

Multi poſtea cogitantes quæ audierint, & quàm juſtè audierint, ipſi ſe graviùs & ſeveriùs arguerunt; & quamvis perturbatiores à medicò viderentur abſcedere; paulatim verbi vigore in medullas penetrante ſanati ſunt; quod non fieret, ſi ſemper expectaremus periclitantem putreſcentibus membris, quando eum liberet, aut uri aut ſecari. Quod nec ipſi corporis Medici attendunt, qui terrenæ mercedis intuitu curant. Quotus enim quiſq; reperitur, qui ferrum eorum aut ignem non ligatus expertus ſit, cum & illi rariores ſint, qui volentes ligati fuerint, plures enim reſiſtentes, & mori ſe malle clamantes, quàm illo modo curari. Quorum tamen vocibus convitijſq; dolentium non commovetur curantis animus, nec quieſcit manus. Medicinæ autem cæleſtis miniſtri, aut per odiorum trabem cernere ſtipulam in oculo fratris volunt, aut tolerabilius mortem videre peccantis, quàm verbum indignantis audire. Quod non ita accidiſſet, ſi tam ſanum animum curando, alterius animo adhiberemus, quam ſanis manibus illi. Medici aliena membra pertractant. Nunquam itaq; alieni peccati objurgandi ſuſcipiendum eſt negotium, niſi cum internis interrogationi-

Paulatim curanda vulnera fraterna.

Correctores fratrum Medici.

Arguens ſe inſpiciat.

tionibus examinantes nostram conscientiam liquido nobis coram DEO responderimus dilectione nos facere. *Et infra.* Quidquid enim lacerato animo dixeris, punientis est impetus non charitas corrigentis. Dilige & dic quod voles, nullo modo maledictum erit, quod specie maledicti sonuerit, si memineris senserisq; in gladio verbi DEI liberatorem hominis esse velle ab obsidione vitiorum. *Et infra.* Multò salubrius meminisse oportebit, quàm non debeamus super aliorum superbire peccata, quam in ipsa eorum objurgatione peccamus, cum faciliùs nos, ira peccantis iratos, quam miseria misericordes facit. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi, legem utiq; charitatis. *O dictum aureum Augustini. Ibid fol: 391*

Leni animo corrigendi defectus.

Humiles esse debēt spirituales, correctores.

Gal 6. 2.

Sicut non est beneficentiæ adjuvando efficere, ut bonum quod majus est amittatur; ita non est innocentiæ parcendo sinere, ut in malum gravius incidatur. *Ibid. lib. 19: de Civit: Dei, c. 16.*

Qui parcit minoribus, vult majora.

Sinceritas & veritas est, si proficit aliquis meminisse, quid fieri & multò magis misereri lapsorum: quandoquidem ipse erectus est à lapsu est per Christi misericordiam, qui sine ullo suo peccato, se pro peccatoribus humiliavit. Sed nè perniciosè relinquantur, & quasi dissimulanter negligantur aliena peccata quod non est minoris crudelitatis, quàm illud superbiæ. *T, 7. lib 3. con. Epist: Parmen. c. 2.*

Crudelis est qui non corrigit.

Apostolus ait: Si quis frater nominatur. In eo quod ait nominatur, hoc intelligi voluit parum esse ut sit quisq; talis, nisi etiam nominetur, id est famosus appareat, ut possit omnibus dignissima videri, quæ in eum fuerit anathematis prolata sententia. Neq; enim potest esse salubris correptio, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem. Cùm verò idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis restat, quàm dolor & gemitus. *Et infra.* Et revera si contagio peccandi multitudinem invalerit, divinæ disciplinæ severa misericordia necessaria est: nam consilia separationis & inania sunt & perniciosa atq; sacrilega, quia & impia & superba fiunt, & plùs perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animosos malos. *Et infra.* Misericorditer igitur corripiat homo quod potest, quod autem non potest patienter ferat, & cum dilectione gemat atq; condoleat. *Ibidem.*

1. Cor. 5.

Difficile corrigitur multitudo.

Communitates viciatæ, non nisi misericordia speciali Dei renovantur.

Misericors fiat correctio.

Turba iniquorum Cum facultas est in populis promendi sermonem, generali objurgatione ferienda est, & maximè si occasionem atq; opportunitatem præbuerit aliquod Domini flagellum, desuper quo eos appareat pro suis meritis vapulare. Quanquam etsi nulla calamitas tribulationis premat cùm facultas datur, utiliter corripitur in multitudine multitudo. Nam sicut separata sævire, sic in ipsa congregatione objurgata gemere consuevit. *Ibid.*

Communitates corripiēdæ generali objurgatione.

Diligite homines, interficite errores, sine superbia de veritate præsumite, sinè sævitia pro veritate certate, orate pro eis, quos redarguitis atq; convincitis. Vivatis & perseveretis in Christo, & multiplicemini, atq; abundetis in charitate DEI, & invicem & in omnes dilectissimi fratres. Alloquitur Donat: hæreticos. *T, 7 lib. 1 con literas Petil: c. 29.*

Correctores, non homines sed vitia eorū odisse debent.

Nec emendationis violentia quiescat corripiendo, degradando, excommunicando, cæterisq; coërcitionibus licitis atq; concessis, quæ salvâ unitatis pace in Ecclesia quotidie fiunt secundum præceptum Apostolicum, servatâ charitate qui dicit: non ut inimicum existimetis, sed corripite ut fratrem: sic enim & disciplina servat patientiam, & patientia temperat disciplinam, & utrumque refertur ad charitatem: nè fortè aut in disciplinata patientia foveat

Cum charitate emendandi fratres.

1 Thes. 5. 14.

foveat iniquitatem, aut impatiens disciplina dissipet unitatem. *Ibid. lib. ad Donatist: post collationem c. 4.*

Omnia vestra cum charitate fiant. Satis ostendit etiam ipsas correptiones, quas asperas & amaras sentiunt, qui corripiuntur, cum charitate esse faciendas. *Ibid. lib. de Gratia & liber: arbit: c. 17.*

Caritas corrigat.

Sicut non est ab oratione cessandum pro eis quos corrigi volumus, etiamsi nullo hominum orante pro Petro, Dominus respexit eum, (*Luc 21 61.*) & fecit illum suum peccatum flere: ita non est negligenda correptio, quamvis DEUS quos voluerit etiam non correptos, facit esse correctos. Tunc autem correptione proficit homo, cùm miseretur & adjuvat, qui facit quos voluerit etiam sine correptione proficere. *Ibid lib. de correptione & gratia cap: 5.*

Correptione etiam fratres corrigendi.

Peccantes coram omnibus corripe, ut cæteri timorem habeant. Quod de his peccatis accipiendum est, quæ non latent, nè contra Domini sententiam putetur locutus; (*Mat: 18. 15.*) ille enim dicit: si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum. *Ibid: c: 15.*

Publica vitia publicè castiganda.

Charissimi in tanta morum diversitate, & tam detestabili corruptela regite domos vestras, regite filios vestros, regite familias vestras. Quomodo ad nos pertinet in Ecclesia loqui vobis, sic ad vos pertinet in domibus vestris agere, ut bonam rationem reddatis de his, qui vobis sunt subditi. Amat DEUS disciplinam. Perversa autem & falsa innocentia est, habenas laxare peccatis. Valde inutiliter, valde pernitiosè sentiet Filius Patris lenitatem, ut juste postea DEI sentiat severitatem, & hoc non solus, sed cum dissoluto Patre suo. Peccatum quod tibi non displicet in filio tuo, delectat te, sed ætas deservit non cupiditas. *T, 8. in Psal: 50.*

Peccata filiorum Parentibus ipsis imputantur.

Propterea securus esto misericors, extende dilectionem usq; ad inimicos. Qui forte pertinent ad gubernationem tuam vindica, coerce cum dilectione, cum charitate, attendens salutem æternam, ne cum parcis carni, anima pereat. Fac hoc, & multos passurus es, in quos non potes exercere disciplinam, quia non pertinent ad jura gubernationis tuæ Ferto injurias, securus esto: (*Ps. 102 6.*) Faciet enim misericordias Dominus, & judicium omnibus injuriam accipientibus. *Ibid. Enar: in Psal: 102.*

Correctio fraterna etiam cũ proprio incommodo, debet institui

Corripiamus verbis, & si opus est, & verberibus: sed delictum dimittamus, culpam de corde abijciamus Ideò enim Dominus subdidit, de cordibus vestris; ut si per charitatem imponitur disciplina, de corde lenitas non recedat. Quid enim tam piùm quàm medicus ferens ferramentum? Plorat secandus, & secatur: plorat urendus, & uritur. Non est illa crudelitas, absit ut sævitia Medici dicatur. Sævit in vulnus, ut homo sanetur: quia si vulnus palpatur, homo perditur. *Et infra.* Si peccatum in secreto est, in secreto corripe. Si peccatum publicum est & apertum, publicè corripe: ut ille emendetur & cæteri timeant. *T, 10. serm: de verb: Dom: ser: 15. Dicto, Si peccaverit in te frater &c.*

Dum corripimus, delictum dimittere debemus.

Charitas peccata corripit non crudelitas.

Publica, publicè puniẽda, privata privatim.

Si judex es, si judicandi potestatem accepisti, ecclesiastica regula, si apud te accusatur, si veris documentis testibusq; convincitur, còerce, corripe, excommunica, degrada. Sic vigilet tolerantia, ut non dormiat disciplina. *T, 10. ser: de ver: Aplt. ser: 22. De verbis Aplt. Invicem onera vestra portate.*

Pœnæ proportionatæ assignandæ.

Nos à communione prohibere quenquam non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis: nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum atq; convictum. *T, 10. 50. hom: Hom: 50. De utilitate ac necessitate Pœnitentiæ.*

Aperte mala & judicari & argui debent. Jlla vero quæ ignoramus.

ramus, & utrum bono an malo animo fiant, scire non possumus, judicare penitus non debemus. v. G. Vides hominem frequentius jejunantem, congaude, & noli nimis laudare: quia potest hoc & pro humana gloria fieri. Sed noli vituperare, quia potest & pro DEO, & pro animæ remedio jejunare. *Et infra.* Nolite judicare ut non judicemini. De illis vero, quæ aperta sunt & publica mala, judicare & redarguere, cum charitate tamen & amore, & possumus & debemus, odio habentes non hominem sed peccatum: non vitiosum sed vitium, detestantes morbum potius quàm ægrotum. Nam publicus raptor, adulter, assidue ebriosus, proditor, superbus, si judicati vel castigati non fuerint, implebitur in his illud, quod B. Martyr Cyprianus de talibus dixit: Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccati fomitem subministrat. *T, 10. serm: de temp: serm: 202. Dnica 4. post Trinit: ser: 1.*

Iudi is temeraria vitāda. *Luc. 6. 37.* *Non peccator sed peccatum, odio habes.* *Peccatum qui dissimulat, peccati fomitem subministrat.*

Corrumpunt bonos mores colloquia mala, sepi aures tuas spinis. Sepi & spinis sepi: ut ille qui importune intrare ausus fuerit, non solum repellatur sed etiam compungatur. Repelle illum à te. Dic, Christianus es, Christianus sum, non hoc accepimus in domo disciplinæ, non hoc didicimus in illa schola, quàm gratis intravimus: non hoc didicimus sub illo Magistro, cujus Cathedra in Cælo est. Noli mihi ista dicere, aut noli ad me accedere. Hoc est enim, sepi aures tuas spinis. *T, 9. lib: de discipl: Christ: cap: 9.*

Conversatio mala. *Eccli. 28. 28.* *Coerectionis stimulus nomē est christiani.*

Qualis pietas, si parcis, & moritur? *Ibid. lib de utilitate jejunij: Tract. 10. cap: 9.*

Crudelis pietas non corrigens aberrantem.

CREATOR

Causas voluntatis DEI scire quærunt, cum voluntas DEI, omnium quæ sunt, ipsa sit causa. Si enim habet causam voluntas DEI, est aliquid quod antecedat voluntatem DEI, quod nefas est credere. Qui ergo dicit, quare fecit DEUS cælum & terram? Respondendum est ei quia voluit, voluntas enim DEI, est causa Cæli & terræ. *T, 1. lib: 1. de Gen: con: Manich: cap: 2*

Causa creatarum rerū voluntas Dei.

Voluntas DEI est prima & summa causa omnium corporalium specierum atq; motionum. Nihil enim fit visibiliter & sensibiliter, quod non de interiore, invisibili atq; intelligibili aula Summi Imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur secundùm ineffabilem justitiam præmiorum atq; pœnarum, gratiarum & retributionum, in ita totius Creaturæ amplissima quadam immensaq; Repub. *T, 3 lib: 3 de Trin: cap: 4.*

Causa omniū rerum est voluntas Dei.

Creatoris potentia, & omnipotentis atq; omnitenentis virtus, causa subsistendi est omni creaturæ. Neq; enim, sicut structuram ædium cùm fabricaverit quis, abscedit, atq; illo cessante atq; abscedente stat opus ejus; ita mundus vel ictu oculi stare non poterit, si DEUS regimen suum subtraxerit. Proinde & Dominus ait: Pater meus usq; nunc operatur. *T, 3 lib: 4. de Genesi ad lit: cap: 12.*

Voluntate & Potentia Dei existunt creatura. *Ioā. 5. 17.*

Neq; cum creavit defessus, nec cum cessavit refectus est, sed nos voluit per scripturam suam, ad quietis exhortari desiderium, intimando nobis eum diem se sanctificasse, in quo quievit ab omnibus operibus suis. Nam nusquam omnium sex dierum, quibus creata sunt omnia, legitur aliquid sanctificasse. *Et infra.* Tanquam & apud ipsum, qui nihil in opere suo laborat, plùs quies quàm operatio valeat. Hoc Evangelium nobis intimat, ubi salvator noster meliorem partem dicit Mariæ, quod sedens ad pedes ejus, requiescebat in verbo ejus, quàm Marthæ, quamvis pro-

Quies labore est potior. *Luc 10 41.*

propter obsequium, quo ei ministrabat circa multa occupata. *T, 3. lib: 4. de Gen: ad lit: cap: 14.*

Si oculorum carnalium acies celeritate tantum potest? quid mentis acies vel humanæ? quantò magis Angelicæ? Quid jam de ipsius summæ DEI sapientiæ celeritate dicatur? quo ordine præscientiæ, quâ & in verbo DEI facienda prænôsceret, & in creatura facta cognosceret, non per intervallorum temporalium moras, sed prius & posterius habens in connexione creaturarum, in efficacia verò Creatoris omnia simul; Sic enim fecit quæ futura essent, ut non temporaliter faceret temporalia, sed ab eo facta currerent tempora. *Ibid. cap: 35.* *Decreta Dei circa creationem.*

Neq; enim DEUS ullum non dico Angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum usibus commendaret, atq; ita ordinem sæculorum, tanquam pulcherrimum carmen etiam ex quibusdam quasi anthitetis honestaret. *Et infra.* Apertissimè hoc positum est in libro Ecclesiastico hoc modo, Contra malum bonum est, & contra mortem vita, sic contra pium peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi, bina contra bina, unum contra unum. *T. 3. lib: 12. de Civit: Dei. cap: 18.* *Anthiteta in mundo boni et mali.*

Secundùm altitudinem tuam multiplicasti Filios hominum: sciant homines quod putant, & quod eis placet, opinentur, & disputent: secundum altitudinem tuam, quam nullus potest nosse hominum, multiplicasti filios hominum. Valde quippe altum est scrutari, & semper DEUM fuisse, & hominem, quem nunquam ante fecerat, ex aliquo tempore primum facere voluisse, nec consilium voluntatemq; mutâsse. *Ibid. cap: 14.*

Nobis fas non est credere, aliter DEUM affici, cum vacat, aliter cum operatur: quia nec affici dicendus est, tanquam in ejus naturam fiat aliquid, quod non ante fuerit. Patitur quippe qui afficitur, & mutabile est omne quod aliquid patitur. Non itaq; in ejus vacatione cogitetur ignavia, desidia, inertia, sicut nec in ejus opere labor, conatus, industria. Novit quiescens agere, & agens quiescere. Potest ad opus novum, non novum sed sempiternum adhibere consilium, nec pænitendo quia priùs cessaverat, cæpit facere, quod non fecerat. Sicut nos possumus non de nostra natura, quâ homines sumus, sed de isto áëre circumfuso, quem spirando ac respirando ducimus ac reducimus, flatum facere, cum sufflamus, ita Omnipotens DEUS non de sua natura, neq; de subjacenti creatura, sed etiam de nihilo potuit facere flatum, quem corpori hominis inserendo inspirasse vel insufflasse convenientissimè dictus est, incorporeus incorporeum, sed immutabilis mutabilem, quia non creatus creatum. *Quinto T. l. 13. de Civ. Dei. c. 24.* *Deus etiam cum vacat gloriosus est.*

Ineffabiliter moveor laude Creatoris, qui prorsus ita magnus est in operibus magnis, ut minor non sit in minimis. Ars enim Divina, quâ & cælestia & terrena opera fiunt, cum ea sint inter se dissimilia, ipsa in omnibus sui similis est, quia in suo quoq; genere perficiendo, ubiq; perfecta est. *T, 6 lib. 21. con: Faustum c. 5* *In parvis magnitudo.*

Psi 32. 9. Ipse mandavit & creata sunt, ita videbis quomodo dicatur in catholica fide, quod DEUS de nihilo fecit, omnia bona valde, si enim de aliquo fecit, utiq; aut de se ipso, sed si de se ipso, non ergo fecit, sed genuit. Cur igitur inferiora genuit? si non de se ipso, non utiq; de aliquo, quod ipse non fecit, alioquin de alieno fecit, & erat jam bonum quod ipse non fecerat. *T, 6 lib. con. Secundinum cap. 4.* *De nihilo omnia.*

Nec ideo bona terrestria detestanda, quia sunt cælestia meli-

 ora;

In parvis magnus Deus. ora; cum Deus creaverit omnia bona, magnus in magnis, sed non parvus in parvis. *Ibid. lib 2. con. Adversarium Legis & Prophetarum circa finem.*

Bonitate sua Deus facit homines & primos sine peccato, & cæteros sub peccato in usus profundarum cogitationum suarum. Sicut enim de ipsius Diaboli malitia novit ille quid agat, & quod agit justum est & bonum: ita de universo genere humano, quamvis nullus hominum sine peccati sorde nascatur, bonum ille qui summè bonus est operatur, alios faciens tanquam vasa misericordiæ, quos gratia discernat ab eis qui vasa sunt iræ: alios tanquam vasa iræ, ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. *T, 7. lib. 2. de nupt: & concup: cap: 16.* *Etiam de malo Deus facit bonum.*

Dico huic vade, & vadit; & alij veni, & venit &c. tanquam diceret. Si ego sub potestate constitutus jubeo illis qui sub me sunt, tu qui sub nullius potestate positus es non potes jubere creaturæ tuæ quando omnia per te facta sunt, & sine te factum est nihil. *T, 8. Enar: in Psal: 46.* *Summa Dei in creaturas potestas.* *Matt. 8.*

Lauda anima mea Dominum. Quid tibi placet in sæculo? Quid est quod vis laudare? Quid est quod vis amare? Quocunq; corporeis sensibus te converteris, occurrit tibi Cælum, occurrit tibi terra. Quod amas in terra, terrenum est: quidquid amas in Cælo corporeum est. Ubiq; amas & ubiq; laudas. Quomodo laudandus est ille, qui fecit illa quæ laudas? Jam ergo diu occupata vixisti, & desideriorum diversitate verberata, portas plagas saucia divisa per amores multos, ubiq; inquieta, nusquam secura. Collige te ad teipsum, quidquid tibi foris placebat, quære quem habeat authorem. Nihil melius in terra v. g. quàm hoc: & illud aurum, argentum, animalia, arbores, amænitates, totam terram cogita. Quid melius in Cælo, sole, lunâ, sideribus? Totum Cælum cogita, omnia ista simul bona valdè: quia fecit Deus omnia bona valdè. Undiq; pulchritudo operis, quæ tibi commendat artificem. Miraris fabricam ama, fabricatorem. Non occuperis in eo, quod factum est, & recedas ab illo qui fecit. *Ibid. Enar: in Psal: 145.* *Ps: 145 2.* *Amor rerum creatarum dividit & inquietum cor reddit.*

Quis disposuit membra culicis & pulicis, ut habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant motum suum? Unam bestiolam brevem, minutissimam considera quam volueris. Si considerer ordinem membrorum ipsius, & animationem vitæ, quâ movetur pro se, fugit mortem, amat vitam, appetit voluptates, devitat molestias, exerit sensus diversos, viget in motu congruo sibi. Quis dedit aculeum culici, quo sanguinem sugat? Quàm tenuis fistula est, qua sorbet? Quis disposuit ista? Expavescis, in minimis lauda magnum. *Ibid. Expos: Psal: 148* *Mirabilis creator.*

Quid præclarius Angelo in creaturis? Quid extremius vermiculo in creaturis? Per quem factus Angelus, per ipsum factus est & vermiculus: sed Angelus dignus Cælo, vermiculus terra. Qui creavit, ipse disposuit. Si poneret vermiculum in Cælo, reprehenderes: si vellet Angelos nasci de putrescentibus carnibus, reprehenderes: & tamen propè hoc facit Deus, & tamen non est reprehendendus. Nam omnes homines de carne nascentes, quid sunt nisi vermes? Et de vermibus Angelos facit. *T, 9. in Evan: Ioan: Tract: 1. de cap: 1.* *Terra vermium, cælum Angelorum.*

Quod factum est: Hîc subdistingues, & deinde infer In illo vita est. Quid est hoc? Facta est terra, quæ facta est, non est vita. Est autem in ipsa sapientia spiritualiter ratio quædam, quâ terra facta est, hæc vita est. *Ibidem.* *Ioa. 1.* *Vita quanam sit.*

Ipse fecit vinum, in illo die, in nuptijs, in sex illis hydrijs, quas imple-

impleri aquâ præcepit: qui omni anno hoc facit in vitibus. Sicut enim quod miserunt Ministri in hydrias, in vinum conversum est *Continuũ ci[…] ea vinum mi[…] raculum.*
Ioã. 2. opere Domini: sic & quod nubes fundunt, in vinum convertitur opere ejusdem Domini. Jllud autem non miramur, quia omni anno fit, assiduitate amisit admirationem. *Ibid. Tract: 8. de cap: 2.* *Assiduitas mi[…] nuit pretiu[…]*

Sicut miramur quæ facta sunt per hominem JESUM, miremur quæ facta sunt per DEUM JESUM. Per DEUM JESUM facta sunt Cælum & terra, mare & omnis ornatus Cæli, opulentia terræ, fæcunditas maris: omnia hæc quæ oculis subjacent, per JESUM DEUM facta sunt. *Et infra.* Et hæc quidem videmus, & adjacent oculis. Quid illa quæ non videmus, sicut sunt Angeli, virtutes, potestates, Dominationes, omnisq; habitator fabricæ hujus supercælestis, non adjacens oculis nostris. *Ibidem.*

Omnia per ipsum facta sunt. Tu ergo ponis Christum sub *Fato Christ[…] non subjace[…]*
Ioã. 1. fato? Ubi sunt fata? In Cælo inquis in ordine, & conversionibus siderum. Quomodo ergo fatum habet, per quem factum est Cælum, & sidera, cum tua voluntas, si recte sapias, transcendat & sidera. *Ibid. Tract: 37. de cap: 8.*

CREATURA.

HOc enim peccabam quod non in ipso, sed in Creaturis ejus, me, atq; cæteras voluptates, sublimitates, veritates quærebam, atq; ita irruebam in dolores, confusiones & errores. *T. 1. lib. 1. Confes: cap: 20.*

Sicut laudarem vinum in suo genere bonum, in quo vino inebriatum hominem vituperarem, & tamen eundem hominem vituperatum, laudato illi vino, de quo ebrius factus est, anteponerem. Ita corporalis Creatura in suo gradu jure laudanda est, cum illi vituperandi sunt, qui ejus immoderato usu à veritatis perceptione auertuntur; quamvis ijdem perversi, creaturæ in suo ordine laudabili, non jam merito vitiorum, sed adhuc naturæ dignitate præferuntur. *Ibid. lib: 3. de libero arbitr: cap: 5.* *Creatura n[…] ideo mala, […] a usu ea[…] malus.*

Si tibi displicet, quod non prosunt (intellige de nonnullis creaturis) placeat quod non obsunt, quia etsi Domui nostræ non sunt, necessaria, eis tamen completur hujus universitatis integritas, quæ multò major est, quàm Domus nostra, & multò melior. Hanc enim multò magis administrat DEUS, quam unusquisq; nostrûm Domum suam. Usurpa ergo utilia, cave perniciosa, relinque superflua. *Ibid. lib: 1. de Gen. con. Manich: cap: 16.* *Prosunt q[…] non obsunt.*

Nummus cum dicitur pretium, relativè dicitur, nec tamen mutatus est, cum esse cæpit pretium, neq; cum dicitur pignus, & si quæ sunt similia. Si ergo nummus potest nulla sui mutatione toties dici relativè, ut neq; cùm incipit dici, neq; cum definit, aliquid in ejus forma, vel natura, quâ nummus est, mutationis fiat; quantò faciliùs de illa incommutabili DEI substantia debemus accipere, ut ita dicatur relativè aliquid ad creaturam, ut quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiæ DEI accidisse aliquid intelligatur, sed illi creaturæ, ad quam dicitur. Domine *Incommuta[…] litas Dei.*
Ps. 89. (inquit) refugium factus est nobis. Refugium ergo nostrum DEUS
1. relative dicitur, ad nos enim refertur, & tunc refugium nostrum fit, cum ad illum refugimus. *T. 3. lib: 5. de Trin: cap: 16.*

Cum ergo par nobis, aut inferior creatura sit, inferiore utendum est ad DEum, pari autem fruendum; sed in DEO. Sicut enim teipso, non in teipso frui debes, sed in eo qui fecit te, sic etiam illo quem diligis tanquam teipsum. *Ibid. lib. 9. de Trin: cap: 8* *Creatura me[…] dia ad finem.*

Vespera, in toto illo triduo, antequam fierent luminaria, consumati operis terminus non absurdè fortasse intelligitur: mane verò tanquam futuræ operationis significatio. *Ibid. cap* 17. *Gen. 1. 5.*

Ipsius Apostoli manui mortifera vipera adhæsit nec læsit. Poterant ergo ista etiam creata nihil nocere, si causa non extitisset, vel terrendorum puniendorumque, vel probandæ perficiendæq; virtutis, quia & exempla sunt demonstranda patientiæ ad profectum æternorum, & ipse sibi homo in tentationibus certiùs innotescit, & justè salus illa perpetua, quæ turpiter amissa est per voluntatem, fortiter recipitur per dolorem. *Ibid. cap*: 15. *Act. 28. 3.*

Creaturæ etiã dum nocent prosunt.

Dicet aliquis cur ergo invicem bestiæ nocent? quibus nec peccata ulla sunt, ut vindicta ista dicatur, nec ullam recipiunt tali exercitatione virtutem? ideo nimirum: quia scilicet aliæ cibi sunt aliarum. Jllud fortasse etiam aliquem moveat, si animalia noxia viros homines aut pænaliter lædunt, aut salubriter exercent, cur dilacerant etiam corpora mortuorum hominum. Hinc fiat quædam prudentibus admonitio, ut se ita commendent fideli creatori, omnia maxima & minima occulto nutu administranti, cui nostri etiam capilli numerati sunt; nè propter inanes curas exanimatorum corporum suorum, ulla genera mortium perhorrescant, sed p æ fortitudinis nervos ad omnia præparare non dubitent. *Ibid. cap*: 16 *&* 17.

Nos ipsos subijciamus DEO, bona voluntate, & charitate sincera. Nam omnis creatura velit nolit, uni DEO & Domino suo subjecta est. Sed hoc admonemur, ut tota voluntate serviamus Domino DEO nostro, quoniam justus li beraliter servit, injustus autem compeditus servit. Omnes tamen Divinæ Providentiæ serviunt, sed alij obediunt tanquam Filii, & faciunt cum ea quod bonum est, alij verò ligantur tanquam servi, & fit de illis quod justum est. Ergo & de bonis & de malis benefacit DEUS, quoniam justè omnia facit. Boni autem sunt, qui tota voluntate DEO serviunt, mali autem necessitate serviunt; nemo enim leges Omnipotentis evadat. Sed aliud est, facere quod lex jubet, aliud pati quod lex jubet. Quapropter boni secundùm leges faciunt, mali secundum leges patiuntur. *T*, 3. *lib. de agone Christiano. cap*: 7. *Eph. 6.*

Boni & mali diversimode serviunt Deo.

Ipsa est revelatio Filiorum DEI, quam nunc expectat expectatio creaturæ, non quod Creatura revelationem expectet alterius naturæ, quæ non sit Creatura, sed ipsa qualis nunc est, expectat quando sit, qualis futura est: tanquam si diceretur, operante pictore, subjectis sibi coloribus, & ad opus ejus paratis, expectatio colorum manifestationem imaginis expectat. Non quia tunc sunt alij, & alij erunt, aut non colores erunt, sed tantùm quod aliam dignitatem habebunt- *T*, 4 *lib.* 83. *quæst. quæst*: 67. *Rom. 8. 19.*

Fit & vespera diei & mane (intellige in creatione) quoniam scientia creaturæ in comparatione scientiæ creatoris, quodammodò vesperascit. *T*, 5. *lib.* 11. *de Civit*: *Dei. cap*: 7. *Gen. 1. 5.*

Quia verò tria quædam maximè scienda de creatura, nobis oportuit intimari, quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit? si ergo quæramus, quis fecerit? DEus est; si per quid fecerit? dixit: Fiat, & facta est. Si quare fecerit? quia bona est. Nec auctor est excellentior DEO, nec ars efficacior DEI verbo, nec causa melior, quàm ut bonum crearetur à DEO bono. *T*, 5. *lib*: 11. *de Civit*: *Dei cap*: 21.

DEus est ita Artifex magnus in magnis, ut minor non sit in parvis. Quæ parva, non sua parvitate, nam pæna nulla est, sed artificis sapientiâ metienda sunt: sicut in specie visibili hominis, si unum

Deus atq; in parvis atq; in magnis summus.

unum radatur supercilium, quam propè modum nihil corpori, & quàm multum detrahitur pulchritudini: quoniam non mole constat sed parilitate ac dimensione membrorum *Ibid. cap: 22.*

Peccatores universitatē rerum non deturpant.

Sicut pictura, cum colore nigro, loco suo posita, ita universitas rerum, etiam cum peccatoribus pulchra est. Quamvis per seipsos consideratos sua deformitas turpet. *Ibid. cap: 23.*

Virtus amoris ordo.

Creatura cum bona sit, & bene potest amari, & malè: bene scilicet, ordine custodito, malè autem, ordine perturbato. Unde mihi videtur, quod definitio brevis, & vera, virtutis, ordo est amoris, propter quod in Sancto Cantico canticorum cantat Sponsa Christi: Ordinate in me charitatem *T, 5. lib. 15 de Civ: Dei. c: 22.*

In quantum tibi terrena serviunt, docent te esse Dominam suam: in quantum autem molesta sunt, docent ut servias Domino tuo. *T, 6 lib con: Epist: fundamen: cap: 37: sub fine.*

Melior qui non vult, quàm qui non potest peccare.

Magna est & humana creatura, Magnus Dominus & laudabilis valde, qui condidit eam, condidit & inferiores, quæ non possunt peccare, (bestialis enim natura non peccat, quia nihil facit contra æternam legem, cui sic subdita est, ut ejus particeps esse non possit) condidit & meliores quæ nolunt peccare. *Ibid. l. 22 con: Faust: cap: 28.*

Creatura, liber.

Si universam Creaturam ita prius aspiceres, ut Authori Deo tribueres, quasi legens magnum quendam librum naturæ rerum, atq; ita si quid ibi te offenderet, causam, te tanquam hominem latere posse, utiliùs crederes, quàm in operibus Dei quidquam reprehendere auderes; nunquam incidisses in sacrilegas nugas, & blasphema figmenta; quibus non intelligens unde sit malum, Deum implere conareris, omnibus malis *Ibid. l: 32. contra Faust: c: 20.*

Creaturæ voces sunt laudantes creatorem.

Ps. 26. 6. Circuivi & immolavi in tabernaculo ejus hostiam jubilationis Circumeat animus tuus per universam creaturam: undiq; tibi clamavit creatura, Deus me fecit. Quidquid te delectaverit in arte, artificem commenda: magisq; si circumeas universa, consideratio incipit artificis laudem. Vides Cælos, magna Dei opera sunt. Vides terram, Deus fecit seminum numeros, diversitates germinum, multitudinem animarum, undiq; tibi omnia resonant Conditorem, & ipsæ species creaturarum, voces sunt quædam, creatorem laudantium *T, 8. in Psal: 26. Enar: 2.*

Ex Consideratione creaturarum laudari debet Deus.

Laudent illum Cæli & terra Creatura laudat Deum, quoniam consideratâ eâ laudatur Deus. *T, 8. Con: 2. in Psal: 68*

Ordo Creaturarum.

Ista connexio creaturarum, ista ordinatissima pulchritudo, ab imis ad summa conscendens, à summis ad ima descendens, nusquam interrupta, sed dissimilibus temperata, tota laudat Deum. Quare ergo tota laudat Deum? quia cum eam consideras, & pulchram vides, tu in illa laudas Deum. Vox quidem est mutæ terræ, species terræ. *Ibid. Expos: Psal: 144.*

Providentia Dei erga Creaturas minimas.

Quod ad dandam legem attinet, de bobus cura non est quod autem ad creanda, ad pascenda, gubernanda & regenda, omnia ad Deum pertinent Nonne duo passeres asse veneunt? Dominus Jesus Christus dicit. Et unus ex eis non cadet super terram sine voluntate Patris vestri. *Ibid. Enar: Psal: 145.* (Matt. 10 29.)

Omnia propter specialem finem à Deo creata.

Quasi si intrares in officinam forte fabri ferrarij, non auderes reprehendere folles, incudes, malleos. Et da, imperitum hominem nescientem, quid quare sit? & omnia reprehendit. Sed si non habeat peritiam artificis, & habeat saltem considerationem hominis, quid sibi dicit? Non sine causa hoc loco folles positi sunt, artifex novit quare, etsi ego non novi. In officina non audet vituperare Fabrum: & audet reprehendere in hoc mundo Deum? Ergo quem-

quemadmodum. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis Psal: 148. 8.
quæ faciunt verbum ejus. Sic omnia, quæ vanis videntur in rerum natura temere fieri, non faciunt nisi verbum ejus, quia non fiunt nisi jussu ejus. *Ibid. Expos: Psal: 148.*

Ex creaturis notitia Creatoris. Parvane signa, parvane indicia sunt creatoris, ipsa creatura? Venit etiam, fecit miracula, non poteras videre DEUM, poteras hominem: DEus factus est homo, ut in uno tibi esset & quod videres, & quod crederes *T. 10. 50. Hom: hom: 32, De illo. Non potest filius à se facere quidquam &c.*

Ad vocē Christi surdi esse non debemus. Omnia per ipsum facta sunt. Magis imitare ventos, & mare: Ioã. 1.
obtempera Creatori. Sub jussione Christi mare audit, & tu surdus es? Mare audit, ventus cessat, & tu sufflas? Quid? Dico, facio, fingo: quid est aliud nisi sufflare, & sub verbo Christi nolle cessare? *T, 10. serm: decem & septem serm: 3. In illud. Ascendente IESV in Naviculam &c.*

Creatura propter Deum amanda. Si peccatum est multum bibere, quare vinum instituit Dominus? Si peccatum est aurum amare, amator sum auri non creatoris. Creator auri DEus est: quare creavit quod amare malum est? Sic cætera quæ amas malè, in quibus est omnis luxuria, ubi committuntur multa flagitia. Attende, inspice, considera: quia omnis creatura DEI bona est, & illic peccatum non est, nisi quia male uteris. *T, 10 serm: Novo: ser: 5. De illo. Iucundatur justus in Dno.*

Intende tibi, creatura es, agnosce creatorem. Servus es, nê contemnas Dominum: adoptatus es, sed non meritis tuis. Quære ejus gloriam à quo habes hanc gratiam, homo adoptatus: cujus gloriam quæsivit, qui est ab illo unicus natus. Qui autem quærit gloriam ejus, qui misit illum, hic verax est & injustitia in illo non est. *T, 9, In Evan: Ioan: Tract: 29 de cap: 7.*

Memoria Dei frequētissima, Quidquid de creatura sciri potest, minus est ipso creatore, qui summus & verus, & immutabilis est DEUS. Et quis eum tacet? Ubi non à legentibus, disputantibus, quærentibus, respondentibus, laudantibus, cantantibus, quoquomodo sermocinantibus, postremo ab ipsis etiam blasphemantibus nominatur? Et cum eum nemo taceat: quis est, qui eum sicut intelligendus est capiat? cum de oribus & auribus hominum non recedat? Quis est cujus acies *Trinitas nō agnoscitur sine revelatione.* mentis ad eum accedat? Quis est qui eum Trinitatem esse scisset, nisi ipse sic innotescere voluisset? Et quis hominum jam istam sileat Trinitatem? Et tamen quis hominum, sicut Angeli sapiat Trinitatem? *T, 9. in Evan: Ioan: Tract: 97. de cap: 16.*

CRUDELITAS

QUæ vobis quasi (alloquitur Manichæos) purganda offeruntur ad epulas, nefas putatis, si quis præter electos ad cibandum, tetigerit, quantæ turpitudinis & aliquando sceleris plenum est? ita ut cuidam Romæ objectum esset, quod miseros puerulos co- *Falsa misericordia.* gendo ad vescendum, tali superstitione necaverit. Et panem mendicanti dare prohibetis, censetis tamen propter misericordiam, vel potius propter invidiam nummos dari. Hæc est profectò falsa misericordia & vera crudelitas. *T, 1. de morib: Manich: cap: 16.*

Immanitatis vestræ famosissimum scelus, & inopinata crudelitas concutit & percutit cælum ut in plateis ac Delubris vestris (alloquitur gentiles) eluceat sanguis & resonet homicidium. Apud vos Romanæ sepultæ sunt leges: judiciorum rectorum calcatus est terror, Imperatorum certè nulla veneratio, nec timor apud vos, sexaginta novem fratrum innocens effusus est sanguis, & si quis

plures

plures occidit functus est laudibus, & in vestra Curia tenuit principatum. *T, 2. Epist: 268.*

Nullo modo putanda est ista crudelitas, quod nullum vivum in Civitatibus sibi traditis dimittebat JESUS, quia DEUS hoc jusserat. Qui autem existimat hîc DEUM ipsum fuisse crudelem, & propter hoc veteris testamenti verum DEUM fuisse authorem nolunt credere, tam perversè de operibus DEI, quàm de peccatis hominum judicant, nescienres quo quisq; dignus sit, & magnum putantes malum, cum casura dejiciuntur mortalesq; moriuntur. *T, 4. lib. 6. quæst: in Iosue quæst: 16.*

Malum judicium hominum de operibus Dei.

Quid ergo tu homo sævis amplius? Parum ne homini est quod aliquando mortuus est? Portat unusquisque nostrum pænam suam. Huic pænæ volunt addere qui nos persequuntur. *T, 8. Con: 2. in Psal: 68.*

Qui in seipsum crudelis est esse in alium misericors potest?
Ps. 10 6. Tota ergo justitia ad unum verbum innocentiæ redigitur. Qui autem diligit, iniquitatem, odit animam suam. Quando amabat amabat iniquitatem, putabat quod alijs nocebat. Sed vide si alijs noceat. Qui diligit iniquitatem odit animam suam. Sibi ergo prius nocet qui vult alijs nocere: nec deambulat quia non est, ubi angustias non patitur. Arcta omnis malitia, sola innocentia
Ps. 100 2. lata est. Ubi deambulat? Deambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ. *Ibid: Enar: in Psal: 100.*

Crudelitas in se, misericordiã in aliis nõ tollit.

Sibi dum aliis nocet.

Melius est Fratres mei ut nullus sit miser, quàm ut tu facias misericordiam. Qui enim ut faciat misericordiam optat esse miseros, crudelem habet misericordiam: quomodo si Medicus ut exerceret artem suam optaret esse multos ægrotos, crudelis medicina esset. Melius est ut omnes sani sint, quàm ut exerceatur ars Medici. Melius est ergo ut omnes beati regnent in illa Patria, quàm ut sint quibus impendatur misericordia. Tamen quàm diu sunt quibus impendatur misericordia non deficiamus in ista ærumna mittere semina. *Ibid. Expos: Psal: 125.*

Crudelis misericordia improbatur.

CRUX

QUò enim non tolleret? quem non involueret, in quod profundum non demergeret fluvius iste horrendæ nequitiæ generis humani? nisi crux Christi in tanta velut mole authoritatis eminentius firmiusq; figeretur, cujus apprehenso robore stabiles essemus, nè malè svadentium, vel in mala impellentium, tam vasto mundi hujus gurgite abrepti sorberemur. In ista enim colluvie morum pessimorum, & veteris perditæ disciplinæ maximè venire ac subvenire debuit cælestis authoritas. *T, 1. Epist: 5.*

Crux Christi liberat à mundi naufragio.

1. Cor. 10. 4. Bibebant autem de spirituali sequenti eos Petra, Petra autem Christus significata est ergo de Christo superfluens gratia spiritualis, quâ interior sitis irrigaretur. Sed quod virga Petra percu-
Ex. 17. 6. titur, Crux Christi figuratur. Ligno enim accedente ad petram gratia manavit, & quod bis percutitur evidentiûs significat crucem. Duo quippe ligna sunt crux. *T, 4. lib. 4. quæst: in Numer: quæst: 35.*

Is. 53. 7. Tanquam ovis ad occisionem ductus est; cujus passionis & crucis signo in fronte hodie tanquam in poste signandus es, omnesque Christiani signantur. *Ibid lib. de Catech: rud: cap: 20.*

Crux signum Christianorum.

Ex. 11. 22. Sanguine illinuntur postes, ut pernicies depellatur, signantur signo Dominicæ passionis in frontibus populi, ad tutelam salutis. *T, 6. lib. 12. con: Faust: cap. 30.*

Ab ipso commoveantur universa, & omnes qui habitant orbem terrarum. Jam cessaverunt Reges mali, facti sunt boni. Crediderunt & ipsi, signum Crucis Christi in fronte jam portant; pretiosius signum, quàm quælibet gemma diadematis. Jlli qui sævierunt, destructi sunt. *T, 8. Con: 2. in Psal: 32.*

Crux Christi diadema Regum.

Ibid. in Psal: 43.

Non enim illam mortem intulissent, nisi mori eo modo vehementer exhorruissent, aut quid mysterij haberet si intelligere potuissent. Cæcus quando inungitur, collyrium in manu Medici non videt. Nam crux ipsa & pro ipsis persequentibus facta est. Inde sunt postea sanati, & in eum crediderunt, quem ipsi occiderunt. *Ibid. in Psal: 43.*

Attende gloriam crucis ipsius. Jam in fronte Regum crux illa fixa est cui inimici insultaverunt. Effectus probavit virtutem, domuit orbem, non ferro, sed ligno. *Ibid. in Psal: 54.*

Crux scutum contra calumniantes.

Frontosus esto. Quando audis opprobrium de Christo, prorsus esto frontosus. Quid times fronti tuæ? quam signo crucis armasti. *Ibid. in Psal: 68.*

Adorabunt eum omnes Reges terræ. Omnes illi gentes servient. Jam in frontibus Regum pretiosius est signum crucis gemmâ diadematis. *Ibid. in Psal: 73.*

Non habeam nudam frontem, tegat eam crux Domini mei. *Ibid. Enar: Psal: 141.*

Qui cruce caret, periturus.

Processit adversus Goliam superbum, se jactantem, de se præsumentem. Tulit unum lapidem, jecit inimicum, in fronte percussit cecidit ex eo loco corporis, ubi signum Christi non habuit. Hoc quoq; licet attendas. Quinq; lapides posuit unum misit. Libri quinq; lecti sunt, sed unitas vicit. *Ibid. Enar: in Psal: 143.* 1. Reg. 17.

Crucis Christi commendatio.

Umbra crucis in veteri testamento quantum valuit.

Ligni crucis fructus, est Resurrectio.

Quid dulcius, quid suavius vel cogitari, vel dici potest, quàm Sanctæ Crucis mysterium, per quam non solum ab inferis revocari, sed etiam in Cælos elevari meruimus? Quia sine ulla dubitatione ubi caput nostrum Christum ascendisse credimus, membra illius secutura esse confidimus. Ligni crucis etiam umbra vel figuræ in veteri quoq; testamento plurimum valuerunt. Nullum Moyses signum sine ligni Sacramento peregit. Ut enim signa & prodigia in Ægipto faceret virgam accepit à Domino, & ad signa quæque divinitus audiebat, & dicebatur ei. Eleva virgam tuam. Non utiq; Deus virgæ auxilio indigebat, sed erigebatur ut scire possimus, quantum esset illud futuri ligni mysterium cujus fuerat umbra figuratum virgæ illius Sacramentum. *Et infra.* O crux cujus tantus ac talis decerpitur fructus. Fructus autem crucis gloriæ est resurrectio. Hic fructus ligni hujus vere plantatus est secus decursus aquarum. Semper enim cruci baptisma jungitur. Dedit hoc lignum fructum in tempore suo, dedit fructum interim Domini resurrectione, dabit & cum apparuerit de Cælis ille qui visus est super terram, cum præcedente ipso crucis signo jam fulgido venerit de supernis: tunc resurgent corpora sepultorum, tunc exultabunt Sancti in gloria, tunc in suis cubilibus lætabuntur, qui nunc de sui regis ac Domini cruce non confunduntur, sed potius gloriantur. *T, 10. ser: de Temp: ser: 101. Fer. 3. post 4. Dnicam in Quadrag. serm: 2.* Ex. 14. 16.

Crucem erubescere non debemus.

Crucifixus & sepultus. Crucem illam in qua ille crucifixus est in corpore, nos gestamus in fronte. *Ibid. ser: 131. Fer: 6. in Parasceve ser: 2.*

Crux bonis bona, malis mala.

Confert lætitiam Christianis ex fide, ingerit pænam Judæis desperantibus ex cruce. Jllis injuria filij DEI æternam contulit mor-

mortem, nobis ad perpetuam proficit salutem. *Ibid. ser: 142. Fer: 2. Paschæ ser: 3.*

Magna res est signum Christi, & crux Christi: & ideo de isto tam pretioso signaculo res magna & pretiosa signari debet. Quid enim prodest si de annulo aureo sigillum facias, & putridas paleas intus recondas? Quid prodest si signum Christi in fronte & in ore gestamus, & intus in anima crimina & peccata recondimus? *Et infra.* Multi enim dum ad furtum aut ad adulterium vadunt, si pedem impegerint signant se, & tamen de malo opere non revocant se: & nesciunt miseri quia includunt in se magis dæmones, quàm excludunt. *Ibid. ser: 115. Dnica 10. post Trinit: ser: 1.*

Crux in actu peccati facta, dæmones includit non excludit.

Si in potestate erat mori & non mori, quare non in potestate, sic vel sic mori? Non frustra ergo crucem elegit, ubi te huic mundo crucifigeret. *T, 10, ser: decem & septem ser: 14. In Festo Omnium Sanctorum.*

Si in navi pericula sunt, sine navi certus interitus. Quantasvis enim vires habeat lacertorum qui natat in pelago, aliquando magnitudine maris victus, absorbetur, & mergitur. Opus est ergo ut in navi simus: hoc est ut in ligno portemur, ut mare hoc transire valeamus. Hoc autem lignum, quo infirmitas nostra portatur, crux est Domini in qua signamur, & ab hujus mundi submersionibus vindicamur. Patimur fluctus; sed ille DEUS est qui opituletur nobis. *T, 10. ser: de diver: ser: 22.*

In cruce Christus mori voluit ut nos mundo crucifigeret.

Crux Christi navis in mari

Crux illa schola erat. Ibi docuit Magister latronem. Lignum pendentis, cathedra factum est docentis. *T, 10. Parte 2. ser: de diver: ser: 87 in die Paschæ.*

Crux Cathedra, schola.

Christianus es, in fronte portas crucem Christi. Character tuus docet quid profitearis. Quando ille in cruce pendebat, quam crucem portas in fronte, non signum ligni te delectat, sed signum pendentis. Quando ille pendebat in cruce, sævientes circumspiciebat, insultantes ferebat, pro inimicis orabat. Medicus etiam cum occideretur suo sanguine ægrotos sanabat. Dixit enim Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Nec ista vox vacua vel inanis fuit. Et ex ipsis postea millia crediderunt in eum, quem occiderunt, ut discerent pati pro ipso, qui pro ipsis & ab ipsis passus est. *Ibid. ser: 111 de S. Laurentio.*

Dum Crucem facimus, in cruce veneramur.

Dum miseri sumus miserorum recordari debemus.

Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. In oratione advertimus hominem, in extensione manuum, agnoscimus crucem. Est ergo hoc signum quod in fronte gestamus, signum quo salvi sumus. Signum irrisum ut honoraretur, contemptum ut glorificaretur. DEUS comparet ut homo deprecetur, & DEUS latet ut homo moriatur. Si enim cognovissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. *T, 10. ser: Nov: ser: 8. de sacrificio vesper.*

Psal. 140. 4.

Interdum contemptus gloriam nobis parit.

Si Christiani utiq; ipso nomine ad Christum pertinentes. Hujus signum in fronte gestamus; de quo non erubescimus si & in corde gestamus. Signum ejus est humilitas ejus. Per stellam eum magi cognoverunt: & erat hoc signum de Domino datum cæleste, atq; præclarum: Noluit stellam esse in fronte fidelium signum suum, sed crucem suam, unde humiliatus inde glorificatus. Inde erexit humiles quo humiliatus ipse descendit. *Et infra.* Si filius DEI est descendat de cruce, tunc descenderet, & ostenderet eis verum se esse filium DEI, quem illi ausi sunt irridere? Noluit. Quare noluit? Nunquid quia non potuit? Potuit plane. Quid est enim amplius de cruce descendere, an de sepulchro resurgere? Sed pertulit insultantes: nam crux non ad potentiæ documentum, sed ad exemplum patientiæ suscepta est. Ibi vulnera tua curavit, ubi sua

Christus est possessio.

Crucem non erubescit qui eam in corde gestat.

Humilitas ad gloriā gradus

Matt. 27. 42.

Exemplū patientiæ.

In Cruce salus. diu pertulit. Ibi te à morte sempiterno sanavit, ubi temporaliter mori dignatus est, & mortuus est. An non in illo mors mortua est? Qualis mors quæ mortem occidit? Ipse est tamen Dominus noster JESUS Christus totus, qui videbatur & tenebatur, & crucifigebatur. *T. 9. In Evan: Ioan: Tract: 3. de cap: 1.*

Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri JESU Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *Gal. 6. 14.* Nihil erat tunc in carne intolerabilius, nihil est nunc in fronte gloriosius. *Gloria Crucis.* Quid servat fideli suo qui talem honorem dedit supplicio suo? *Ibidem Tract: 36. de cap: 8.*

Signum Christi à nobis repellit exterminatorem. Si cor nostrum recipiat Salvatorem. Quare hoc dixi? Quia multi postes habent signatos & intus non manet habitator. *Crucis efficacia nostrā cooperationem requirit.* Facile habent in fronte signum Christi, & corde non recipiunt verbum Christi. Ideo dixi fratres quod repeto, signum Christi á nobis repellit exterminatorem, si cor nostrum habeat Christum habitatorem. *Ibid. Tra: 50. de cap: 12.*

Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri JESU Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *Gal. 6. 14.* Ad hoc enim & ipse Dominus crucem suam, ubi eum dementia superbiæ impietatis irrisit, in eorum qui in illum crederent frontibus fixit, *Signum Crucis in frõte est signum fidei.* ubi est quodammodo sedes verecundiæ: ut de nomine ejus fides non erubescat, & magis DEI gloriam quàm hominum diligat. *Ibid. Tract: 53. de cap: 12.*

Quid de ipsa cruce dicturi sumus quæ certe similiter ab inimicis atq; impijs Christo facta & impacta est? Et tamen ea significari recte intelligitur quod ait Apostolus. Quæ sit latitudo, & longitudo, & altitudo & profundum. *Crucis significatio mystica.* Lata est quippe in transverso ligno, quo extenduntur pendentis manus: & significat opera boná in latitudine charitatis. Longa est à transverso ligno usq; ad terram ubi dorsum pedesq; figuntur, & significant perseverantiam in longitudine temporis usq; in finem. Alta est in cacumine quod transversum lignum sursum versus excedit: & significat supernum finem quo cuncta opera referuntur. Quoniam cuncta quæ latitudine, & longitudine bene ac perseveranter fiunt propter altitudinem divinorum facienda sunt præmiorum. Profunda est in ea parte qua in terram figitur. Ibi quippe & occulta est, nec videri potest, sed cuncta ejus apparentia & eminentia inde consurgunt: sicut bona nostra de profunditate gratiæ DEI, quæ comprehendi ac dijudicari non potest, universa procedunt. Sed & si crux Christi hoc solum significet quod ait Apostolus: Qui autem JESU Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum passionibus, & concupiscentijs, *Gal. 5. 24.* quàm magnum bonum est? *Christi est qui mortificatus est.* Nec tamen facit hoc nisi concupiscens adversus carnem Spiritus bonus, cum illam crucem Christi fecerit inimicus, id est Spiritus malus. Postremo quid est quod omnes noverunt signum Christi nisi crux Christi? quod signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex qua regenerantur, sive oleo quo Chrismate unguntur, sive sacrificio quo aluntur; nihil eorum rite perficitur: *Et malorum opera in bonũ cedunt.* quando per id ergo quod mali faciunt nihil boni significatur: quando per crucem Christi quàm fecerunt mali in celebratione Sacramentorum ejus bonum nobis omne signatur. *Ibid. Tract: 118. de cap: 19.*

D.

DAMNATIO.

SOli parvuli, qui nondum habent opera propria vel bona vel mala secundum solum originale peccatum damnabuntur, quibus per lavacrum regenerationis non subvenit gratia Salvatoris Cæteri omnes qui jam utentes libero arbitrio sua propria peccata originali peccato insuper addiderunt, secundum propriæ voluntatis merita judicium reportabunt. *T*, 2. *Epist*: 47.

Baptismus tollit peccatũ originale.

Non obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua mi-
Ps. 76. serationes suas. Hoc quidem de his sine ullo scrupulo intelligitur, qui vasa misericordiæ nuncupantur, aut si hoc ad omnes existimant pertinere, non ideo necesse est, ut dnmnationem posse finiri opinentur eorum, de quibus dictum est, ibunt hi in supplicium æterrum: nè isto modo putetur habitura finem quandoque felicitas etiam illorum, de quibus è contrario dictum est justi autem in vitam æternam. Sed pœnas damuatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet aliquatenus mitigari; etiam sic quippe intelligi potest manere in illis ira Dei, hoc est ipsa damnatio. Quia nec Psal: ait ad finiendam iram suam, vel post iram suam, sed in ira sua. Quæ si sola esset, quanta ibi minima cogitari potest, perire à Regno Dei, alienari à vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei, quam abscondit timentibus se; perfecit autem sperantibus in se, tam grandis est pœna, ut ei nulla possint tormenta, quæ novimus comparari, si illa sit æterna, ista autem, sit quamlibet multis sæculis longa. *T*,3: *Enchirid*: *c*. 113.

Pœna damnatorum omnia superat tormenta.

Terra verò impiorum cadet. Quis non videat à cadendo esse
Is: 161 appellata cadavera? Neq; quisquam dicturus est prævaricatrices fæminas, in illo supplicio non futuras, sed ex potiore præsertim, de quo fæmina facta est, uterq; sexus accipitur. *T*, 5. *lib*: 20. *de Civit*: *Dei*. *cap*: 21.

Cadavera cadendo dictum.

Dominus ea loca tenebras exteriores vocat, quibus contra-
Matt. rius est ingressus de quo dicitur servo bono; intra in gaudium
8. 12. Domini tui, nè illuc mali putentur ingredi, ut sciantur: qui enim erunt in pœnis, quid agatur intus in gaudio Domini nescient, qui verò erunt in illo gaudio, quid agatur foris in illis tenebris exterioribus scient. *Ibid*. *cap*: 22.

Beati conscij pœne damnatorum non contra.

Incredibilius videtur esse in æternis corpora durare cruciatibus, quam sine dolore ullo in æterna beatitudine permanere. Ac per hoc cum illam pœnam non debere esse incredibilem demonstravero, adjuvabit me plurimum, ut multò facilius omni carens molestia immortalitas corporum in sanctis futura credatur. *Ibid*. *lib*. 21. *de Civit*: *Dei cap*: 1.

Esse animalia profecto corruptibilia, quia mortalia, quæ tamen in medijs ignibus vivunt, nonnullum etiam genus vermium in aquarum calidarum scaturigine reperiri, quarum fervorem nemo impunè contrectat, illos autem non solùm sine ulla sui læsione ibi esse, sed extra esse non posse; unde inferius idem Sanctus Doctor infert mirabile est dolere in ignibus, & tamen vivere, sed mirabilius vivere in ignibus nec dolere, si autem hoc creditur cur non & illud. *Ibid*. *cap*: 2.

Argumentum incorruptibilitatis

Non enim nulla sed sempiterna mors erit, quando nec vivere anima poterit, Deum non habendo, nec doloribus corporis carere, moriendo. Prima mors animam dolentem pellit de corpore, secun-

ſecunda mors animam nolentem tenet in corpore. Ab utraq; tamen morte communiter id habetur, ut quod non vult anima de ſuo corpore patiatur. *Ibid. cap: 3.*

Maxime læſum nunquam poſſe mori. Læſus vivit. Æterna vulnera ſunt.

Ipſe animus cujus præſentia corpus vivit, & regitur, & dolorem pati poteſt & mori non poteſt. Ecce inventa res eſt, quæ cum ſenſum doloris habeat, immortalis eſt, hoc igitur erit, tunc etiam in corporibus damnatorum, quod nunc eſſe ſcimus in animis hominum. *Ibidem.*

Omnes quidem reſurgemus, ait Apoſtolus, ſed non omnes immutabimur. Et quid prodeſſet Fratres mei reſurgere & non immutari? Qui enim in illa vita non fuerit immutatus, ab juſto Judice, invenitur eſſe damnatus, Damnatus autem æternam non conſequitur vitam, qui de adverſario Diabolo victricem noluit accipere palmam. *T, 6. Concione ad Catech. cap: 20.* *1. Cor. 15. 13.*

Vitia exheredant cælo.

Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, id eſt longe eos expelle. Hoc eſt enim ſecundum multitudinem impietatum eorum, ut multum expellantur. Expelluntur ergo impij ab illa hereditate quæ intelligendo & videndo Deum poſſidetur. ſicut expelluntur morbidi oculi fulgore lucis cum illis ea pæna eſt quæ alijs lætitia: & tam magna pæna eſt iſta expluſio, quàm magnum præmium eſt illud quod dictum eſt. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Huic pænæ contrarium eſt. Intra in gaudium Domini tui. *Ibid. in Pſal: 5.* *Pſ. 5. 11.*

Perijt memoria eorum cum ſtrepitu (impiorum ſcilicet) ſed cum ſtrepitu, quia fit ſtrepitus cum impietas evertitur. Non enim tranſit ad ſummam pacem niſi ſummum ſilentium eſt, niſi qui magno ſtrepitu prius cum ſuis vitijs belligeraverint: ſive cum ſtrepitu dictum eſt, ut pereat memoria impiorum etiam ipſo ſtrepitu pereunte in quo tumultuatur impietas. Et dominus in æternum permanet. *Ibid. in Pſal: 9.*

Aſtitit Regina à dextris tuis. Qui à ſiniſtris? Non Regina. Stabit enim quædam à ſiniſtris cui dicetur. Vade in ignem æternum. *Ibid. in Pſal: 44.* *Pſ. 44. 12.*

Stulte hac nocte auferetur à te anima tua. Nec attendentes poſt epulas quotidianas ſplendidas, & purpuram & byſſum divitem damnatum ad tormenta in infernum, & poſt labores & ulcera, & ſaniem pauperem requieſcentem in ſinu Abrahæ. iſta non curantes ſed attendentes ad id, quod præſens eſt, & poſt hanc mortem non providentes niſi quemadmodum nomen eorum quod reprobatur in Cælo invocetur in terra. *Ibid. Con: 2. in Pſal: 48.* *Luc. 12. 20.*

Vanitas, & oblivio eorum quæ poſt mortem futura damnatur.

Amor internorum.

Ligate ei manus & pedes, & mittite eum in tenebras exteriores. Ubi enim oſtendit malum eſſe mitti exterius, ibi oſtendit bonum eſſe intraſſe interius. Nam ſervo bono quid dicit? Intra in gaudium Domini tui: Malo autem ſervo. Proijcite eum in tenebras exteriores. Non ergo amemus magis exteriora ſed interiora. *Ibid. Expoſ. Pſal: 139.* *Matt. 25. 30*

Non ibi erunt quorum imaginem Deus in Civitate ſua ſpernet, & ad nihilum rediget, quia & ipſi in captivitate ſua, & in Civitate ſua hoc eſt Babylonia imaginem ejus ad nihilum redegerunt. *Ibid. Expoſ: Pſal: 147.*

Sententiam damnatorum juſti non timebunt.

In memoria æterna erit juſtus; propter timorem ab auditu malo non timebit. Erit enim auditus quo nullus ſit pejor, quando dicetur ſiniſtris. Ite in ignem æternum. Ab hoc auditu malo juſtus non timebit. *T, 10. ſer: de verb: Apoſt: ſer: 33. De celebratione dierum fratrum defunctorum &c.* *Pſ. 111. 6.*

Vidi impium ſicut cedros Libani exaltari: tranſivi & ecce non erat;

erat; quæsivi eum & non est inventus locus ejus. Pereunt ergo *Famosi peccatores post mortem infames.*
Ps. 36. 36. peccata tua sed tecum. Non enim in gehenna peccare permitteris: aut cum te cœperit torquere ignis æternus, de satiandis libidinibus cogitabis. Pereunt ergo peccata sed tecum. Si autem vitam mutaveris, illa pereunt, tu invenieris, & dicetur de te. Mortuus erat & revixit: perierat & inventus est. *T, 10. 50. Ho: Hom: 19. de exhort: ad eleemosynas.*

In inferno peccare non permittitur.

Quid est, Nescio? Non novi vos, non vos agnosco in regula
Matt. 25. 12 mea, non in vobis recognosco imaginem meam. Cognovit in vobis justitia mea quod puniat, & non cognoscit misericordia quod coronet? ac si quorum actus indigni Deo sunt, indigni etiam notitia Dei dicuntur. *T, 10. ser: de Temp: ser: 70. Fer: 5. post 1. Dnicam in Quadrag.*

In peccatoribus cognoscit Deus quod puniat, non cognoscit quod coronet.

Actus indigni Deo, indigni & notitiâ Dei.

Nemo se circumveniat fratres charissimi. Unusquisq; cujus opera & voluntates exercet in hoc sæculo, cum ipso erit postmodum in futuro. Ac sic omnis homo aut cum Christo regnaturus est, aut cum diabolo in inferni supplicio cruciandus. *Ibid. ser: 85. Feria 2. post Dnicam Qradrag.*

Qui cum Christo regnare nõ vult, cum Dæmone cruciari debet.

Sicut verum est quod dicturus est ad dexteram positis, venite
Matt. benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab
25. 34. initio mundi: ita verum est, quod audituri sunt ad sinistram constituti, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus *Ibid: ser: 22. de eo quod petrus vacillavit in mari.*

Et procedent qui bene egerunt in resurrectionem vitæ: qui
Ibidem verò male egerunt in resurrectionem judicij. Ergo illi ad præmium, illi ad tormentum: & utriq; vivunt, nec aliquis eorum mori potest. Illi qui vivunt in præmio amplectuntur dulcissimam vitam: qui autem vivunt in tormento cupiunt si fieri possit talem finire vitam, & nemo eis dat interitum, ut nemo eis auferat cruciatum. Sed vide scripturam loquentem & discernentem, non est dignata talem vitam, vocare vitam. In tormentis, in cruciatibus, in ignibus sempiternis noluit appellare vitam: ut ipsum nomen vitæ laudis sit non mæroris: ut ubicunque audis vitam, tormenta non cogites. Nam in tormentis esse semper, æterna mors est, non aliqua vita. Ipsam vocant scripturæ mortem secundam: post hanc primam quam omnes humanæ conditioni debemus. *T, 10. Parte 2. ser: de diver: ser: 112. de Ss. Mart: & Candida Massa.*

Dispar præmium bonorũ & malorum.

Mors, damnatis gratior esset immortalitate.

Cur mortem damnatorum, Christus non appellaverit vitam.

Mors duplex.

Non vos fallat: quia non vos decipit, qui non fallit. *T, 10. ser: Nov: ser: 4. de versu Psalmi Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.*

DAMNUM

Redde quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati adfuisti, Judicem fefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti. *T, 2. Epist: 34.* *Restitutio.*

Vir cordate nunquid aut totum bonum tuum in his rebus erat, quas nunc videris amittere: aut tam magnum bonum illa deputabas, ut eo subtracto sic tenebrescat mens nimiâ tristitiâ quasi lumen ejus non Deus, sed terra sit? *T, 2. Epist: 83.*

Bona mundi. sunt res viles.

Erige animum frater in Christo carissime, Deus noster non perit à suis, nec perdet suos, vult autem monere nos, quàm sint hæc fragilia & incerta, quæ nimis diligunt homines, ut totum amorem nostrum consuefaciamus in eum currere in quo nulla damna timeamus. *T, 2. Epist: 82.*

Incerta bona secularia.

Ubi deest qui nunquam non est? Ergo confitere Domino in

cytha-

Nullum damnū nisi quo Deus amittitur.

cythara sive tibi abundet terrenum aliquid gratias age illi qui dedit; sive tibi desit, sive forte damno tibi auferatur aliquid, citharisa securus. Non est enim ille tibi ablatus qui dedit, quamvis tibi ablatum fuerit, quod dedit. Eja sic inquam citharisa securus, certus in DEO tuo. *T, 8. in Psal: 32. Con: 1*

Spirituales divitiæ nullū timent naufragium.

Multa naufragaverant cum Paulo Amatores hujus sæculi sunt naufragium, & nudi omnes exierunt: illi & quod foris habebant amiserunt, & domum cordis sui invenerunt inanem Paulus autem in corde ferebat patrimonium fidei suæ, nullis fluctibus, nullis tempestatibus potuit auferri. Nudus exijt, & dives exijt. Tales divitias debemus quærere sed non eas video, dicis mihi. Stulta anima non eas vides oculis carnis tuæ; habeto oculum cordis, & vide eas. Sed non vides fidem. Quare eam vides in altero? Quare clamas quando tibi frangitur, si non eam vides? Frangit tibi aliquis fidem clamas. Vis ergo tibi exhiberi, & tunc vides cum petitur: ut exhibeas tunc non vides. *Ibid Expos: Psal: 123.*

Diebus festis soli Deo vacādum est.

Nemo habet injustum lucrum sine justo damno. Ubi lucrum, ibi & damnum. Lucrum in arca, damnum in conscientia. Nullus se inebrier, nemo in convivio suo cogat alium amplius bibere quàm oportet, ne per ebrietatem & suam & illius animas perdat. Omni die dominico ad Ecclesiam convenite. Si enim infelices Judæci tanta devotione celebrant Sabbatum, ut in eo nulla opera terrena exerceant: quantò magis Christiani in die dominico soli DEO vacare, & pro animæ suæ salute, debent ad Ecclesiam convenire. *T, 10. ser: de Temp: ser: 215. Dnica 10. post Fest: S. Trini: ser: 1.*

Plus pro reb9 quā pro nobis sum9 soliciti.

Aliquando venit homini tribulatio, venit timor damni. Times o homo, ut non pecuniam tuam perdas, times ne argentum tuum perdas times ne possessionem tuam perdas, & non times ne tu ipse totus pereas. *Ibid. ser: 233. Fer: 4. quatuor temp: post Festum Exalta: S. Crucis.*

Ars ne amisso bonorū temporalium nos torqueat.

Amanti Deū, nemo damnū inferre potest.

Res perierunt quæ forinsecus adjacebant. Si non sunt amatæ cum haberentur, non contristaverūt eum amitterentur. Et ut breviter dicam, quando amittuntur, tantum mæroris dimittunt, quantum cum haberentur amari potuerunt. Sed persecutori illorum temporum quando occidebantur Sancti, parum fuit dicere. Aufero quod habes. Torqueo inquit, ligo, occido. Hoc qui non timuit, mundum vicit. Certamen pro veritate ad summum perduxerunt, qui usq; ad ista certaverunt. Hoc est quod dicit in epistola ad Hebræos: Nondum enim usq; ad sanguinem adversus peccatum certastis. Ipsi sunt perfecti qui adversus peccatum usq; ad sanguinem certaverunt. Qui est adversus peccatum? adversus magnum peccatum, adversus negationem Christi. *T, 10. ser: Nov: ser: 25. de Inventione S. Stephani.*

DESPERATIO.

Etiam pessimi non sunt condemnandi.

De quocunq; pessimo in hac vita constituto, non est utiq; desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur. *T, 1, lib. 1. Retract: cap: 19.*

Desperans sibi pessimus.

Quisquis non credit dimitti sibi posse peccata, fit deterior desperando, quasi nihil illi melius quam malum esse remaneat, ubi de fructu suæ conversionis infidus est. *T, 3. l. 1. de Doctr: Christ: c: 18.*

Spes boni in malis mortalibus cum flagellantur.

De conversione nullius desperandum est, sive foris, sive intus constituti quamdiu patientia DEI, ad pænitentiam eum adducit, & visitat in virga facinora eorum, & in flagellis peccata eorum. Hoc enim modo misericordiam suam non dispergit ab eis, si &

Matt. si & ipsi aliquando misereantur animæ suæ placentes DEO. Sicut
14.24. enim bonus qui perseveraverit usq; in finem, hic salvus erit, ita & malus sive foris sive intus; qui perseveraverit usq; in finem, salvus non erit. *T, 7. lib: 4. de bapt: con Donatist. cap: 14.*

Nec de quoquam, quamdiu vivit in hoc corpore, homine desperandum putamus. *T, 7. lib. de gestis cum Emerito Donatist. Episc.*

Nemo dicat. Quis ergo justus, aut quando ergo justus: Nolite vos abijcere & desperare de vobis. Homines estis, ad imaginem DEI facti estis, qui vos hominem fecit, pro vobis & homo factus est: ut multi filij ad hereditatem sempiternam adoptemini. Sanguis unigeniti pro vobis effussus est, si vos vobis ex terrena fragilitate viluistis, ex pretio vestro vos appendite. *T, 8. Con: 1. in Psal: 32.*

Redemtio desperare vetat.

Peccatum cum desperatione, certa mors. Nemo ergo dicat si jam aliquid mali feci jam damnandus sum. DEUS malis talibus non ignoscit cur non addo peccata peccatis. Eruar hoc sæculo in voluptate, in lascivia, in cupiditate nefaria. Jam perdita spe reparationis, vel hoc habeam quod video, si non possum habere quod credo. Quisquis peccasti, & dubitas agere pænitentiam pro peccato tuo desperando salutem tuam, audi David gementem. Ad te Natham Propheta non est missus, ipse David ad te missus est. Audi eum clamantem, & simul clama: audi gementem, & congemiscere, audi flentem & lachrymas junge, audi correptum & condelectare si tibi non potuit intercludi peccatum, spes veniæ non in-
Ps. 50. tercludatur. Dic cum illo miserere mei DEUS secundum magnam misericordiam tuam. Qui magnam misericordiam deprecatur, magnam miseriam confitetur. Quærant parvam misericordiam tuam qui nascendo peccaverunt. Miserere inquit mei, subveni gravi vulneri, secundum magnam medicinam tuam. Grave est quod habeo, sed ad omnipotentiam fugio. De meo tam lethali vulnere desperarem, nisi tantum Medicum reperirem. Et secundum multitudinem miserationum tuarum: quia magna est misericordia multæ sunt misericordiæ. Et de magna misericordia tua multæ sunt miserationes tuæ. Attendis contemptores ut corrigas, attendis nescientes ut doceas, attendis confitentes ut ignoscas. *Ibid. in Psal: 50.*

Etiam maximo peccatori minime desperandum.

Ibidem Impij ad te convertentur. Illa propria impietas dicitur apostatare DEO, unum DEUM non colere, aut nunquam coluisse, aut quem colebat dimisisse. Ad cumulum valet quod ait. Et impij ad te convertentur. Ita plenus es adipe misericordiæ, ut ad te conversis non solum quibuslibet peccatoribus sed etiam impijs non sit desperandum. *Ibid. in Psal. 50.*

Deus etiam erga impios misericors.

Noli desperare promissa est indulgentia tibi. DEO gratias inquit quia promissa est; teneo promissum DEI: Ergo jam bene vive. Cras inquis bene vivam. Indulgentiam tibi DEUS promisit, crastinum diem tibi nemo promisit. Si male vixisti bene vive jam
Luc 12. hodie. Stulte hac nocte auferetur à te anima tua. Non dico quæ
20. præparasti cujus erunt: sed secundum quod vixisti, ubi eris? *Ibid. ser: 1 de 1 parte Psal. 101.*

Qui malè vixit, saltem hodie benè vivere incipiat.

Ista duo occidunt animas, aut desperatio, aut perversa spes. De his duobus malis pauca audite. Nam sicut liberat bona spes, & recta spes ita decipit perversa spes. *T, 10. ser: de ver: Dni ser: 59. De operariis in vinea.*

Desperatio occidit animam.

Quid est quod dicitis. Quis huc inde venit, & quid apud inferos geratur, quis hominibus indicavit? Et hinc vobis os claudit qui mortuum quarta die resuscitavit, & ultra non moriturus,

die tertio resurrexit, & antequam moreretur, qualis vita morientes excipiat, tanquam ille quem nihil lateret, & in paupere quiescente & in divite ardente narravit. Sed illi ista non credunt qui dicunt. Quis huc inde reversus est? Credituros se volunt videri,

Spes vana in hominibus.

quis parentum suorum reviviſceret. Sed maledictus omnis qui *Luc. 16. 24.* spem suam ponit in homine. Ideo ergo Deus homo factus mori & resurgere voluit: ut & quod futurum esset homini, in hominis carne ostenderetur, & Deo tamen non homini crederetur. *T, 10. ser: de verb: Apost: ser: 23. De eo, Spe salvi facti sumus &c.*

Deus promptior ad indulgẽtiam qui ad vindictam.

Cum & semel, & secundo, & tertio unusquisq; gravia peccata commiserit: expectat tamen illum Deus, sicut per Prophetam dicit. Ut convertatur, & vivat. Cum verò in peccatis suis cœperit permanere, de multitudine peccatorum nascitur desperatio, ex desperatione obduratio generatur. Dum homines negligentes

Etiam minima peccata in desperationem vel maximam nos ducunt.

inprimis despiciunt peccata sua, quia parva sunt, crescentibus minutis peccatis adduntur etiam crimina, & cumulum faciunt & demergunt. Quod cum factum fuerit impletur hoc quod scriptum est. Peccator cum venerit in profundum malorum contemnit. *Prov. 18. 3.* *T, 10. ser: de Temp: ser: 88. Fer: 4 p. st 3. Dnicam Quadr: ser: 1.*

Habituati peccatores lapide duriores, & graviores.

Qui pro nobis flagellatus, exhonoratus, & occisus est, in rubro pelago omnes hostes operuit, qui cruenta morte qua nostra peccata consumerentur baptismum consecravit. Quod si hostes nostri devenerint in profundum tanquam lapis, illos possidet, & illis solis est duritia diaboli, de quibus scriptum est, Peccator cum in profundum venerit malorum contemnit. Non enim credunt sibi dimitti posse quod fecerunt: & ea desperatione graviùs altiùsque merguntur. *Ibidem.* *T, 10. ser: Nov: ser: 2. De Cantico Exodi.*

Plures pereũt desperãdo quã delinquendo.

Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis. Dicat anima quæ peccavit, ne plus pereat desperando, quàm se perdidit delinquendo. Ante omnia quippe *Ps. 50. 11.*

Cum peccato, tanquam cum hoste pugnandum est.

danda est opera ne peccemus, ne quandam familiaritatem & amicitiam cum peccato, tanquam cum serpente faciamus. Morsu quippe venenato perimit peccantem, nec tale aliquid est, cum quo facienda sit amicitia. Sed si forte aut infirmum oppresserit, a-

Remediũ peccati confessio.

ut incauto subrepserit, aut errantem ceperit, aut in errores eundo deceperit. non pigeat animam confiteri, nec quærere excusationem, sed sui accusationem. *Ibid. ser: 3. de versu Psal: 50. Cor mundum crea in me Deus, &c.*

Uno verbo vel maxima peccata delere possumus.

Ego dixi Domine miserere mei sana animam meam quia peccavi tibi. Ne desperando pereat, ut quoniam peccavit, & graviter peccavit, putet se jam non posse sanari, & donet se libidinibus trahendum omnibus cupiditatibus. Facit quidquid libet quamvis non liceat. Et si non facit, ibi non facit, ubi homines timet. Omnino animo quodam gladiatorio, quoniam vitam desperat, quidquid potest facere ad satiandam cupiditatem, & libidinem suam facit, tanquam devotus ad victimam. Tales desperatione pereunt. Contra istos pro his, id est, contra tales cogitationes eorum, vigilans scriptura dixit. In quacunq; die conversus fuerit *Ps. 142. 5.*

Deus paratus oblivisci iniquitatum modo non obliviscamur pœnitentiæ.

iniquus, & fecerit justitiam, omnes iniquitates ejus obliviscar. Et infra. Laxant habenas ad peccandum: feruntur magno impetu, nulla revocante spe desperati. Itane verò vigilaret scriptura adversus desperantes, & non vigilaret adversus malè sperantes. Audi ejus vigilias adversus malam & perversam spem. Non tardes

Nec nimium fidendum est, nec desperandum.

converti ad Dominum, neq; differas de die in diem. Subito enim *Eccl. 5. 8.* veniet ira ejus, & in tempore vindictæ disperdet te. Quid est ergo maligne sperator? Si desperes peris: si speres peris, ubi tibi tutus

locus

locus erit? *Et infra.* Undiq, te circumdedit providentia DEI misericorditer. *Ibidem.*

Desperati homines quantò minus intenti sunt in peccata sua, tanto curiosiores sunt in aliena, Quærunt enim non quid corrigant, sed quid mordeant: & cum se non possunt excusare, parati sunt alios accusare. *Ibid. ser. 4. De versu ejusdem Psal. Quoniam iniquitatem meam &c.*

Homines mali, in aliena sunt intenti peccata non in sua.

Cum exaltaveritis filium hominis, tunc agnoscetis quia ego sum. Quare hoc nisi ut nemo desperaret in quocunq; scelere male sibi conscius, quando videat eis donari homicidium, qui occiderant Christum? Hos ergo in illa turba agnoscens Dominus, dixit: Cum exaltaveritis filium hominis tunc agnoscetis quia ego sum. *T, 9 in Ioan: Tract: 49. de cap: 8.*

Etiam sceleratissimo veniæ locus patet.

DETRACTIO.

AD quid aliud sedent isti, & quid aliud captant, nisi ut quisquis Episcopus vel Clericus, vel Monachus vel sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, jactent, contendant, sed non omnes posse manifestari; & tamen etiam ipsi, cum aliqua maritata invenitur adulterata, nec projiciunt uxores suas, ne accusant matres suas. *T, 2. Epist: 137.*

Particularia vitia si sunt, non decent esse universalia.

De manifestis judicemus, de occultis verò DEO judicium relinquamus: quia & ipsa abscondi non possunt, sive mala, sive bona, cum tempus advenerit quo manifestentur. Duo autem sunt, in quibus temerarium judicium præcavere debemus, cùm incertum est qualis futurus, qui nunc vel bonus vel malus apparet. *Et infra.* Temerarium judicium plerumq, nihil nocet ei, de quo temerè judicat, ipsa temeritas necesse est ut noceat. Ista regula & illud dictum arbitror. Omnis qui percusserit gladio, gladio morietur, quia pecccato anima moritur, quodcunq; commiserit. *T, 4, lib: 2. de ser: in mont: cap. 18.*

Internus Iudex Deus.

Male judicās sibi non judicato nocet.

Maximè autem hi temerè judicant de incertis, & facilè reprehendunt, qui magis amant vituperare & damnare, quàm emendare atq, corrigere, quod vitium vel superbiæ est, vel invidentiæ. *Ibidem.*

Catones vel invidi sunt, vel superbi.

Quæcunq; facta ita manifestantur, ut non possit dicere, bono animo feci, judicanda sunt à nobis: quæcunq; autem ita fiunt, ut quo animo fiant, incertum sit, non sunt judicanda, sed servanda judicio DEI, sicut scriptum est. Quæ occulta sunt DEO; quæ autem palam sunt, vobis & Filijs vestris. *T. 4. lib: Expos: quarundam propos: ex epist: ad Rom: fol: 176*

Iudex sæculi, Externus est non internus.

Si emeres ista convitia prodigum te dicerem; gratis tibi adjacent, cur non eis fruaris? quibus maledicum animum pascis. *T, 7. lib: 1. con: Iulian: imperfecto. cap: 57.*

Pro eo inquit ut diligerent me detrahebant mihi. Sex sunt in isto genere differentiæ, quæ commemoratæ animadverti facile possunt. Reddere bona pro malis, non reddere mala pro malis; reddere bona pro bonis, reddere mala pro malis: non reddere bona pro bonis, reddere mala pro bonis. Horum duo prima bonorum sunt, & eorum duorum prius melius. Posteriora duo malorum & eorum posterius deterius: duo media quodammdo mediocria: sed eorum prius propinquum bonis, posterius propinquum malis. *Et infra.* Pro eo ut diligerent me, interficiebant me: sed detrahebant mihi. Ideo quippe interfecerunt quia detraxerunt, negantes DEI Filium & dicentes quod in principe dæmoni-

Pejus est reddere mala pro bonis, quā non reddere bona pro bonis.

Detractor homicida.

orum eijciat dæmonia: Et dæmonium habet & insanit, quid eum auditis? & cætera talia. Qua detractione ab illo avertebant eos quorum conversionem ille quærebat Et ideo potius hoc dixit, ut ostenderet magis eos nocere qui Christo detrahunt, & per hoc animas interficiunt, quàm qui ejus mortalem carnem mox præsertim resurrecturam sæuiendo peremerunt. *T, 8: in Psal. 108.*

Malitia non malo odio habenda est.

Nos autem in hac vita difficile est ut nos ipsos noverimus, quanto minus debeamus de quopiam præproperam ferre sententiam? Quod si hodie malum novimus, cras qualis futurus sit ignoramus Et forte quem vehementer odimus frater noster est & nescimus. Securi ergo odimus in malis malitiam, & diligimus naturam & creaturam: ut quod ibi DEUS fecit amemus, quod ibi fecit ipse homo oderimus. Fecit enim DEUS ipsum hominem, fecit autem homo peccatum. Dilige quod fecit DEUS, odi quod fecit homo. Sic enim persequeris quod fecit homo, ut liberetur quod fecit DEUS. *Ibid. Enar: Psal: 139.*

Solus Deus hominem domare potest.

Intelligamus charissimi, quia si linguam nullus hominum domare potest, ad DEUM confugiendum est, qui domet linguam nostram. Si enim tu eam domare volueris, non potes quia homo es? linguam nullus hominum domare potest. Attendite similitudinem ab ipsis bestijs quas domamus Equus non se domat: Camelus non se domat: elephantus non se domat: aspis non se domat: Leo non se domat; sic & homo non se domat. Sed ut dometur equus, bos, camelus, elephantus, leo, aspis, quæritur homo: Ergo DEUS quæratur, ut dometur homo. *T, 10. ser: de ver. Dom: ser: 4. De illo, Qui dixerit Fratri suo, Fatue, &c.* *Iac. 1. 8.*

Iudicia humana, diversa sunt à Divinis.

Quod propter homines fit citò perit.

Injustè nos reprehendentes mercedem nobis cumulant.

Cum sis castus servus DEI, ecce te mundus suspicatur impudicum forsitan, & mordet, & reprehendit, & libenter in tuis detractionibus immoratur. Malevolæ quippe animæ quasi dulciter sapit, quod pessime suspicatur. Tu autem si propter laudes humanas continentiam suscipere voluisti, reprehensionibus humanis defecisti, & totum quod tibi proposueras perdidisti. Porro autem si nosti dicere eum Apostolo, Gloria nostra est testimonium conscientiæ nostræ, non solum tibi reprehensionibus mercedem non minuit, sed & facit ampliorem: tu tamen pro illo ora, ne tua mercede moriatur. *Ibid ser: 53 De illo, Ego sum via, veritas & vita.*

Qui servos Dei lacerat, laceratur.

Nemo laceret servos DEI: quia non expedit lacerantibus. Servis DEI quidem merces falsis detractionibus crescit: sed crescit pæna etiam detrahentibus. *T, 10. ser: de diver: ser: 50. de Comm: vita Cleric: ser: 2.*

DEUS.

Totum esse nostrũ Deum sperare debet.

DEUS cui esse & vivere non aliud atq; aliud est, quia summè esse & summè vivere id ipse es? Summus enim es, & non mutaris, neq; peragitur, quia in te sunt & ista omnia. *T, 1. lib: 1. Confes: cap: 6.*

Cibus in somnis, similis est cibis vigilantium, at illa nec similia erant ullo modo tibi. *Ibid. lib. 3. Confess: cap: 5.*

Deus vita animæ nostræ.

Tu vita es animarum, vita vitarum, & non mutaris vita animæ meæ. *Ibidem.*

Rector Deus est.

Sicut enim in potestatibus societatis humanæ, major potestas, minori ad obediendum præponitur, ita DEUS omnibus. *Ibidem cap: 8.*

Præsentia Dei ubiq;.

Hei mihi quàm excelsus es in excelsis, quàm profundus in profundis, & nusquam recedis, & vix redimus ad te. *T, 1 lib: 8, Confes: cap: 3.*

DEUS

DEus ſcitur meliùs neſciendo. *Ibid. lib: 2. de Ordine cap: 16.*

Idiotæ, Theologi ſunt.

DEus quem amat, omne quod poteſt amare ſive ſciens ſive neſciens; DEus cujus Regnum eſt totus mundus, quem ſenſus ignorat. DEus de cujus Regno lex etiam in iſta Regna deſcribitur. DEus à quo averti cadere, in quem converti, reſurgere: in quo manere conſiſtere eſt; DEus à quo exire emori; in quem redire, reviviſcere: in quo habitare, vivere eſt. DEus quem nemo amittit, niſi deceptus; quem nemo quærit, niſi admonitus; quem nemo invenit niſi purgatus. DEus quem relinquere, hoc eſt quod perire; quem attendere, hoc eſt quod amare, quem videre, hoc eſt quod habere. DEus cui nos fides excitat, ſpes erigit, charitas jungit. DEus à quo manant uſq; ad nos omnia bona, à quo coercentur uſq; à nobis omnia mala. DEus ſub quo totum eſt, in quo totum eſt, à quo totum eſt. DEus meus, Rex meus, Pater meus, cauſa mea, ſpes mea, res mea, honor meus, Domus mea. Patria mea, ſalus mea, lux mea, vita mea. Exaudi, exaudi exaudi me more illo paucis notiſſimo. *T, 1. lib. 1. ſoliloq: cap: 1.*

Deo objectum motivum amoris: Deus Legislator, Licurgus cœleſtis. Conſtantia noſtra Deus. Theſaurus bonorum Deus. Deus omnia nobis.

DEus ſemper idem, noverim me, noverim te. *T. 1. lib: 2. ſoliloq: cap: 1.*

Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Quo nihil ſecretius, nihil præſentiùs qui difficile invenitur ubi ſit, difficilius ubi non ſit cum quo non omnes eſſe poſſunt, & ſinè quo nemo eſſe poteſt. Hic ergo ſolus DEus animæ colendus eſt. *T, 1. lib. de quantitate animæ, cap: 34.*

Deus adjutor

Cui ſervire omnibus utiliſſimum eſt, & in cujus ſervitio placere perfectè ſola libertas eſt. *Ibid. cap: 34.*

Humanus homo dum Deo ſervit.

DEus igitur ſummus & verus lege inviolabili & incorrupta, quâ omne quod condidit, regit, ſubjicit animæ corpus, animam ſibi, & ſic omnia ſibi: neq; in ullo actu eandem deſerit, ſive pæna, ſive præmio: Omnis animæ pæna, & omne præmium conferret, aliquid ſemper proportioni juſtæ pulchritudinis, diſpoſitioniq; rerum omnium. *T. 1. lib de quantitate animæ cap: 36.*

Suprêmꝰ omnĭum Dominus pænā & præmiū pulchritudinem univerſi ſtatuit.

Bonorum ſumma DEus nobis eſt, DEus eſt nobis ſummum Bonum. Nec infra remanendum nobis eſt, nec ultra quærendum, primum periculoſum, alterum nullum eſt. *T, 1. lib. 1. de mor: Eccl: cathol: c. 8.*

Bonum adæquatum Deus.

Non ſic DEus dicitur implere mundum, velut aqua vel àër, uel ut ipſa lux, ut minore ſui parte minorem mundi impleat partem, & majore majorem. Novit ubiq; totus eſſe, & nullo contineri loco. Novit venire non recedendo, ubi erat. *T, 2. epiſt: 3.*

Non ubiq; Deus eſt.

Fatendum eſt ubiq, eſſe DEUM per Divinitatis præſentiam; ſed non ubiq; per inhabitationis gratiam. Propter enim hanc inhabitationem, ubi proculdubio gratia dilectionis ejus agnoſcitur, non dicimus Pater noſter qui es ubiq;, cùm & hoc verum ſit, ſed Pater noſter qui es in cælis. *Ibid. Epiſt: 57.*

Quomodo enim ubiq; DEus ſi in ſeipſo? ubiq; ſcilicet, quia nuſquam eſt abſens: in ſeipſo autem, quia non continetur ab eis, quibus eſt præſens, tanquam ſine eis eſſe non poſſit: Nam ſpatia locorum tolle corporibus, nuſquam erunt, & quia nuſquam erunt, nec erunt. *Ibid. Epiſt: 57.*

Deus non poteſt comprehēdi ſpatiis quibuſq;.

Multùm mirabilis res eſt, quemadmodum quorundam nondum cognoſcentium DEUM, ſit inhabitator DEUS? & quorundam cognoſcentium non ſit. Nec illi enim ad Templum DEI pertinent, qui cognoſcentes DEUM, non ſicut DEUM glorificaverunt: & ad Templum DEI pertinent parvuli Sanctificati Sacramento Chriſti, regenerati Spiritu Sancto. Unde quem potuerunt illi noſſe, nec habe-

Etiam infantes inhabitat Deus.

In templo Dei ſunt Parvuli baptizati.

Idem illis est habere Deum quod nosse.

habere; isti potuerunt habere antequam nosse. Beatissimi autem sunt, quibus hoc est DEUM habere, quod nosse. Ista quippe notitia, plenissima, verissima, felicissima est. *T, 2 Epist: 57.*

Deo est id, quo nil melius aut esse aut cogitari possit.

QUI per intelligentiam pergunt videre quod DEUS est, omnibus eum naturis visibilibus & corporalibus, intelligibilibus & Spiritualibus, omnibus mutabilibus præferunt. Omnes pro excellentia DEI certatim dimicant, nec quisquam invenire potest, qui hoc DEUM credat esse, quo melius aliquid est. Et quoniam omnes qui de DEO cogitant, vivunt aliquid cogitant, illi soli possunt non absurda & indigna de DEO existimare, qui vitam ipsam cogitant. *T, 3. lib: 1. de doctr. Christ: cap: 7 & 8.*

Quid sit Deus

Ego sum qui sum. Ex quo spiritualibus animis patere confido nullam naturam DEO esse posse contrariam. Si enim ille est, Ext 3.
& de solo DEO propriè dici potest hoc verbum; quod enim verè est incommutabiliter manet, quoniam quod mutatur fuit aliquid quod jam non est, & erit quod nondum est: nihil ergo habet DEUS contrarium. Si enim quæretur à nobis quid albo sit contrarium? responderemus nigrum: cùm autem quæritur quid sit contrarium ei quod est, rectè respondetur quod non est. *T, 3. lib. de Fid: & Symbo: cap: 4.*

Ita bonus est Deus, ut de malo bonum efficere possit.

Neq; enim DEUS omnipotens, quod etiam infideles fatentur, rerum cui summa potestas, cum summè bonus sit, ullo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usq; adeo esset omnipotens & bonus, ut bene faceret etiam de malo. *T, 3. Enchirid. c. 11.*

Homo non capit intellectu suo, quomodo Deus.

Nam quo intellectu DEUM capit homo, qui ipsum intellectum suum, quo eum vult capere nondum capit. Si autem jam hunc capit, attendant diligenter nihil in eo esse in sua natura melius, & videat, utrum ibi videat ulla lineamenta formarum, nitores colorum, spatiosam granditatem, partium distantiam, molis distensionem, aliquas per locorum intervalla motiones vel quid ejusmodi. Nihil certè istorum invenimus in eo, quo in natura nostra nihil melius invenimus, id est in nostro intellectu, quo sapientiam capimus, quantum capaces sumus. Quod ergo non invenimus in meliore nostro non debemus in illo quærere, quod longè est meliùs meliore nostro; ut sic intelligamus DEUM si possumus quantum possumus sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia Creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem: sine loco ubiq; totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem, nihilq; patientem. Quisquis DEUM ita cogitat, & si nondum potest omnino invenire quid sit, piè tamen cavet, quantum potest aliquid de eo sentire quod non sit. *T, 3. lib: 5. de Trin: c: 1.*

Deus sine qualitate bonus, sine Entitate magnus, sine situ præsens.

Quidquid de substãtia Dei dicitur, dicitur & de Patre & Filio, & Spiritu S.

Quidquid de DEO dicitur quod substantiam ejus judicet, non nisi de ambobus simul dicitur intellige Patrem & Filium, imò simul de ipsa Trinitate dicitur. *T, 3. lib: 6. de Trin: c. 4.*

Deus magnus in omni perfectione, et virtute.

Nihil simplex mutabile est, omnis autem creatura mutabilis. DEUS verò multipliciter quidem dicitur Magnus, Bonus, Sapiens, Beatus, Verus, & quidquid aliud non indignum dici videtur. Sed eadem magnitudo ejus est, quæ sapientia, non enim mole magnus est, sed virtute. Nec quoniam Trinitas est ideo triplex putandus est, alioquin minor erit Pater solus, aut Filius, quantum simul Pater & Filius. Quanquam non inveniatur quomodo dici possit, aut Pater solus, aut Filius solus, cum separatur atq; inseparabiliter, & ille cum Filio sit, & ille cum Patre. *T. 3. lib. 6. de Trin: c. 7.*

Non separatur Pater à Filio & Spiritu Sancto.

Major cogitatione humana Deus.

Verius cogitatur DEUS quàm dicitur, & verius est quam cogitatur. *Ibid. lib: 7. de Trin: cap: 4.*

Nefas

Nefas est dicere ut subsistat & subsit DEUS bonitati suæ, neq; ipse DEUS sit bonitas sua, sed in illo sit tanquam in subjecto. Unde manifestum est DEUM abusivè substantiam vocari, ut nomine usitatiore intelligatur essentia, quod verè ac propriè dicitur ita ut fortasse DEUM solum dici oporteat essentiam, est enim verè solus, quia incommutabilis est, idq; nomen Moysi enuntiavit cum ait; ego sum qui sum. *Ibid. cap. 5.*

Deus non est subsistētia sed substantia.

Non parvæ notitiæ pars est, cùm de profundo isto in illam summitatem respiramus, si antequam scire possimus quid sit DEUS, possumus jam scire quid non sit. *T, 3. lib. 8. de Trin. c. 2.*

Quid non sit Deus facilius est cognoscere quā quid sit.

DEUS non alicubi est, quod enim alicubi est continetur loco, quod continetur loco corpus est. DEUS autem non est corpus. Non igitur alicubi est, & tamen quia est, & in loco non est, in illo sunt potiùs omnia, quam ipse alicubi, nec tamen in illo ut ipse sit locus. Locus enim in spatio est, quod longitudine, latitudine, & altitudine corporis occupatur, nec DEUS tale aliquid est, locus tamen DEI, abusivè dicitur. Templum DEI, non quod eo contineatur, sed quod ei præsens sit id autem nihil melius, quam anima munda intelligitur. *T, 4. lib. 8. quæst. quæst: 20.*

Deus non habet ubi nostrum.

Cum sapiens DEUS dicitur, & ea sapientia sapiens dicitur, sine qua eum vel fuisse vel esse posse, nefas est credere, non participatione sapientiæ sapiens dicitur sicut anima, quæ & esse & non esse potest sapiens. Item illa quæ participatione sunt vel casta, vel æterna, vel pulchra, vel bona, vel sapientia, recipiunt ut dictum est, ut possint nec casta esse, nec æterna, nec pulchra, nec bona, nec sapientia. At ipsa castitas & æternitas pulchritudo, bonitas, sapientia nullo modo recipiunt, aut corruptionem aut ut ita dicam temporalitatem, aut turpitudinem; aut malitiam. Ergo etiam illa quæ participatione similia *sunt*, recipiunt dissimilitudinem. At ipsa similitudo nullo *modo ex* aliqua parte potest esse dissimilis, unde fit, cùm *similitudo* Patrisfamilias dicitur, quia ejus participatione similia sunt, quæcunq; sunt, vel inter se vel DEO similia; ipsa est enim species prima, quæ sunt ut ita dicam speciata, & forma, quâ formata sunt omnia, & nulla parte Patri potest esse dissimilis. Idem igitur quod Pater, ita ut iste Filius sit, ille Pater; id est iste similitudo, ille cujus similitudo est, iste substantia, ille substantia, exquo una substantia, Nam si non una est, recipit dissimilitudinem similitudo, quod fieri posse omnis verissima negat ratio. *T, 4. lib. 83. quæst: quæst: 23.*

Sapiens Deus per se.

Deus & sapientia, æternitas, pulchritudo Castitas substantialis.

Filius Patri similis.

Similitudo Idētica Patris & Filij.

DEUS quem genuit, quoniam meliorem se generare non potuit (nihil enim DEO melius) generare debuit æqualem. Si enim voluit, & non potuit, infirmus est: si potuit & non voluit invidus est. Ex quo conficitur æqualem genuisse Filium. *T, 4. lib. 83. quæst: quæst: 50.*

Generatio Divina, æqualitatem infert.

Multis modis dici res possunt similes DEO, aliæ secundum virtutem & sapientiam factæ, quia in ipso est virtus & sapientia non facta; aliæ in quantum solum vivunt, quia ille summè & primè vivit. *T, 4 lib. 83. quæst: quæst: 50.*

Res Creata alio modo sunt similes Deo nō simpliciter.

Non itaq; DEUS deceptor est, quod credere nefarium & impium esse quis non intelligat? sed meritorum & personarum, justissimus distributor, facies quædam per seipsum, quæ illo solo digna sunt, eiq; soli conveniunt; sicuti est illuminare animas, & seipsum eis ad perfruendum præbendo, sapientes beatasq; præstare: alia per servientem sibi creaturam, integerrimis legibus pro meritis ordinatam, quædam eorum jubens, quædam permittens usq; ad passerum administrationem: sicut Dominus in Evangelio dicit, &

Deus alia operatur per se præcise alia per alia Creata sed non absolutè per illa

usq;

Etiam minima ordinatione Divina sunt. usq; ad fæni decorem, usq; ad numerum etiam capillorum nostrorum divina providentia attingente, de qua etiam dictum est: attingit à fine usq; ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. *Ibid. quæst: 53.* *Sap. 8. 1.*

Absit ut impassibilem DEI naturam, perpeti ullam molestiam suspicemur, sicut autem zelat sine aliquo livore, irascitur sine aliqua perturbatione, miseretur sine aliquo dolore, pænitet eum alicujus suæ pravitatis corruptione, ita est patiens sine ulla passione. *T, 4. lib. de patien: cap: 1.*

Munera Dei sunt amoris exigitivum. Jlli non sufficiat DEUS, cui non sufficit munus ejus. Jlli inquam non sufficiat ad colendum DEUS dator felicitatis, cui non sufficit ad accipiendum ipsa felicitas. Cui autem sufficit (non enim habet homo quid amplius optare debeat) serviat uni DEO datori felicitatis. *T, 5. lib. 4. de Civit: Dei, cap: 25.*

Causa prima Deus. Causa rerum quæ facit nec fit, DEUS est. Aliæ verò causæ & faciunt & fiunt sicut sunt creati omnes Spiritus, & maximè rationales. Corporales autem causæ quæ magis fiunt quàm faciunt, non sunt inter causas efficientes annumerandæ, quoniam hoc possunt, quod ex ipsis faciunt Spirituum voluntates. *Ibid. lib. 5. c: 9.*

Deus est causa omniū rerum Creatarum. *Libertas Dei gloriosa.* Jllum DEUM colimus, qui naturis à se creatis, & subsistendi & movendi initia finesq; constituit, qui rerum causas habet, novit, atq; disponit; qui vim seminum condidit, qui rationalem animam quæ dicitur animus quibus voluit viventibus indidit, &c. Ab hoc uno & verò DEO, vitam speremus æternam. *Ibid. lib: 7. cap: 29 & 30.*

Neq; audiendi sunt qui DEUM invisibilem, visibilia miracula operari negant, cum ipse etiam secundùm ipsos fecerit mundum, quem certè visibilem negare non possunt. Quidquid igitur mirabile fit, in hoc mundo profectò minus est, quam totus hic mundus, id est cælum & terra. Quamvis itaq; miracula visibilium naturarum videndi assiduitate viluerint, tamen cum ea sapienter intuemur, inusitatissimis rarissimisq; majora sunt, nam & omni miraculo quod fit per hominem, majus miraculum est homo. *Ibid. lib. 10. cap: 12.* *Quotidiana miracula.* *Miraculum homo.*

Species Dei. *In corpore non videtur Deus.* *Deus sine voce non sine verbo.* Sicut sonus quo auditur senrentia, in silentio intelligentiæ constituta, non est hoc quod ipsa: ita species quâ visus est DEUS in natura invisibili constitutus, non erat quod ipse. Verumtamen ipse in eadem specie corporali videbatur, sicut illa sententia ipsa in sono votis auditur: nec illi ignorabant Invisibilem DEUM in specie corporali, quod ipse non erat se videre. Nam & loquebatur cum loquente Moyses, & ei tamen dicebat: si inveni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum scienter, ut videam te. *Ibidem cap: 13.*

Vnio moralis cum Deo pretiosissima. Mihi adhærere DEO bonum est, non dicit mihi divitijs abundare bonum est, aut insigniri purpurâ & sceptro, vel diademate excellere, aut quod nonnulli Philosophorum dicere non erubuerunt, mihi voluptas corporis bonum est; aut quod melius, velut meliores dicere visi sunt mihi virtus animi mei bonum est, sed mihi inquit DEO adhærere bonum est. Hoc enim docuerat, cui uni tantummodo sacrificandum, sancti quoq; Angeli, legalium sacrificiorum etiam contestatione monuerunt. *Ibid. cap: 18.*

Omnia creata à Deo affectivè respiciant Deum. DEO id est summæ essentiæ & authori omnium qualiumcunque essentiarum essentia nulla contraria est. *T, 5. lib. 12. de Civit: Dei. cap: 2.*

Testis conscientiæ Deus. DEUS conscientiæ testis maxima est gloria. *T, 5. lib. 4. de Civit: Dei. cap: 8.*

Magnæ cæcitatis est adhuc quærere, quis iste sit Deus, ipse est Deus cujus Prophetæ prædixerunt ista, quæ cernimus. Ipse est Deus, à quo responsum accepit Abraham; in semine tuo benedicentur omnes gentes. Quod in Christo fieri qui secundum carnem de illo semine exortus est, iidem ipsi qui remanserant hujus nominis inimici, velint nolintuè cognoscunt. *Ibid. lib. 19 c: 22,* [*Ex. 28. 14.*] [*Deum etiam inimici cognoscunt.*]

Cum Deus mutare dicitur voluntatem, ut quibus lenis erat V. G. reddatur iratus, illi potiùs quàm ipse mutantur: sicut mutatur sol oculis sauciatis], & asper quodammodo ex miti, & ex delectabili molestus efficitur, cum ipse apud se ipsum maneat idem, qui fuit. *T, 5. lib: 22. de Civit: Dei, cap: 1.* [*Deus nostris accomodat se voluntatib9. Volentibus nobis, nobis bene, vult, Deus bene.*]

Potest reddi ratio quare ita dictum sit, non tamen potest aliquid de Deo dignè dici, quia ideo jam indignum est quia potuit dici. *Ibid. cap: 13.* [*Nil de Deo digne dicere possumus.*]

Nonne cor nostrum ardens erat in nobis in via. Ipse est ignis edax, consumit enim veterem vitam Divinus amor & innovat hominem, ut ex eo quod Deus ignis est edax faciat ut eum nos amemus, ex eo autem quod Deus zelans est, ipse nos amet. Nolite ergo timere ignem, qui est Deus, sed timete ignem quem paravit Hæreticis Deus. *Ibid. cap: 18.* [*Luc. 24 32.*] [*Amat Deus ut ametur.*] [*Non nocet ignis bonus.*]

Adonai verbum Hæbreum est, & interpretatur Dominus, & modo quo solus Deus dicitur Dominus, sicut Latria quod verbum Græcum est, & interpretatur servitus, non quæcunq; sed illa qua tantummodo Deo servitur: sicut Amen interpretatur verum, non ubicunq; & quomodocunq; sed mystica Religione. *Ibid. lib. 15. con: Faustum cap: 9.*

Deus verus colendus est, quo solo fruens beatus fit cultor ejus: & quo solo non fruens, omnis mens misera est, qualibet re alia perfruatur. *Ibid lib. 20. con. Faustum cap: 3.* [*Colendo Deum nobis bene facimus.*]

Sicut enim Deus sibi sufficit ad æternam beatitudinem, & ex hac abundat ad faciendos beatos: ita sibi sufficit ad æternam lucem, & ex hac abundat illuminatos: nullius bonum cupiens, cum ipso fruatur omnis voluntas bona: nullius malum timens, cum ipso deseratur omnis voluntas mala, quia nec auget eum, qui ejus dono beatus est; nec terret cum quis ejus judicio miser est. *Ibid. lib. 22. con: Faustum cap: 9.* [*Deus bonorum nostrorum non eget nec vult sibi, sed nobis ea dari.*]

Semper autem ille (intellige Deus) justus est, aut remunerator, aut damnator. *Ibid. lib: 2. de Actis cum Felice Manich: c. 4.*

Itanè præcipitabis cor tuum in hoc impietatis abruptum, ut existimes in illam Divinam summamq; naturam, mutabilitatem temporis cadere, & credas ibi aliquid existere; quod ante non fuerit? *Ibid. lib. con. Secundinum cap: 6.* [*Scit Deus hostes nostros, sed & præmia nobis parat: Deus immutabilis.*]

Si anima tua cum sit invisibilis in corpore tuo, per quod appareat, profert vocem, & vox in qua apparet anima tua cum loqueris, non est substantia animæ tuæ, aliud est illa, aliud est vox, tamen apparet, ut in ea re, quæ ipsa non est; sic & Deus in igne apparuit, non est ignis, si in fumo apparuit, non est fumus, si in sono apparuit, non est sonus. Non sunt hæc Deus, sed indicant Deum. *T, 6. Tra: de eo quod dict: est. Ego sum qui sum circa medium.* [*Signa Deum indicantia.*]

Dei cultus in hoc maximè constitutus est, ut anima ei non sit ingrata. Unde in ipso verissimo & in singulari sacrificio Domino Deo nostro agere gratias admonemur. Erit autem ingrata, si quod illi ex Deo est, sibi tribuerit. *T, 7. lib: de Spiritu & litera cap: 11.* [*Bene colit Deum qui nō est ingratus.*]

O homo! non verborum tuorum tantum, verùm etiam cogitationum testis est Deus, si aliud à tanto divite veraciter ac fideliter poscis ab illo à quo poscis accipere te crede quod poscis. [*Petitio bonorum cum fide*]

Noli eum labjis honorare, & super eum corde te extollere, credens, à te ipso tibi esse quod ab illo te fingis orare. *T. 7. lib: 2. de dono perseverantiæ cap: 2.*

Vilescat totum quidquid præter DEUM est. Qui nos tuetur in loco vitæ hujus, ipse post istam vitam sit locus noster, quia & ipse psalmus hoc ei ait superius. Esto mihi in DEUM protectorem meum, & domum refugij. Ergo erimus in vultu DEI absconditi. Quis sinus est in facie DEI à me expectatis audire? Purgate cor ut ipse illuminet, & quem invocatis intret. Esto domus ejus, & erit domus tua: inhabitet in te & tu habitabis in eo, si eum exceperis in hoc sæculo in corde tuo, ille post hoc sæculum excipiet te vultu suo. Abscondes inquit eos. Ubi? in abscondito vultus tui. *T. 8. Con: 3. in Psal: 30.*

In quo Deus habitat, & ipse habitabit in Deo. — *Ps. 30. 3.* — *Ps. 30. 21.*

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEUS. Curre ad fontem, desidera fontem, sed noli utcunq; ut Cervus curre. Quid est ut Cervus? Non sit tarditas in currendo, impigre curre, impigre desidera fontem. Quid aliud est in Cervo? Serpentes necat, & post serpentum interemptionem majori siti inardescit: peremptis serpentibus ad fontem acrius currit. Serpentes vitia tua sunt: consume serpentes iniquitatis, tunc amplius desiderabis fontem veritatis. *Et infra.* Traduntur Cervi & à quibusdam etiam visi sunt, quando natando alias partes terrarum petunt, onera capitum suorum super se invicem ponere, ita ut unus præcedat ille autem unus qui pondus capitis in primatu portabat, fatigatus redit ad posteriora, ut alius ei succedat qui portet quod ille portabat. Ita vicissim portando quod grave est & viam peragunt, & invicem se non deserunt. Nonne quosdam Cervos alloquitur Apostolus dicens. Invicem onera vestra portate & sic adimplebitis legem Christi. *Ibid. in Psal: 41.*

Ps. 41. 59. — *Ad Deum velo ci passu currendum est.* — *Alterius onera portanda.*

Quemadmodum sol oculos puros sanos, vegetos, fortes habenti tranquillus apparet, in oculos autem lippos quasi tela aspera jaculatur, intuentem illum vegetat, hunc excruciat non mutatus sed mutatum. Sic cum cæperit esse perversus & tibi DEUS perversus esse videbitur, tu mutatus es non ille, ergo erit tibi pæna quod bonis gaudium. Hoc iste recolens. Quàm bonus inquit DEUS Israel rectis corde. Quid autem tibi? Mei autem pæne commoti sunt pedes. *Ibid. in Psal: 72.*

Deo bonis gaudium, malis pæna.

Noli ergo cogitare DEUM in locis, ille tecum est talis qualis fueris. Quid est talis qualis fueris? Bonus si bonus fueris, & malus tibi videbitur si malus fueris: sed opitulator si bonus fueris: ultor si malus fueris. Ibi habes Judicem in secreto tuo. *Ibid: in Psal: 74.*

Quando & te ipso inferior est, non est quo fugias à DEO irato, nisi ad DEUM placatum. Prorsus non est quo fugias. Vis fugere ab ipso? fuge ad ipsum. *Ibidem.*

A Deo irato ad misericordē fugiendum.

Non erit in te DEUS recens. DEUS est ad tempus factus: DEUS autem noster non recens, sed ab æternitate in æternitatem. Et Christus noster recens forte homo, sed sempiternus DEUS. Quid enim ante principium? Et utiq; in principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM, & DEUS erat verbum. Et ipse DEUS noster Verbum caro factum ut habitaret in nobis. *Et infra.* Quid recentius DEO ex officina, licet illos jam vetustos aranearum casses contexerint? Qui sempiterni non sunt recentes sint. *Ibid. in Psal: 80.*

Ps. 80. 10.

Non est similis tibi in Dijs Domine. Quantum autem sit dissimilis DEUS, non dixit, quia dici non potest. Intendat charitas vestra. DEUS ineffabilis est. Facilius dicimus quid non sit, quàm

Ps. 85. 8.

quid

quid sit. Terram cogitas non est hoc DEUS, mare cogitas non est hoc DEUS. Omnia quæ sunt in terra, homines & animalia, non est hoc DEUS. Omnia quæ sunt in mari, quæ volant per aërem, non est hoc DEUS. Quidquid lucet in Cælo stellæ sol & luna, non est hoc DEUS. Ipsum Cælum non est hoc DEUS Angelos cogita, virtutes, potestates, Archangelos, Thronos, Sedes, Dominationes, non est hoc DEUS. Et quid est hoc? Solum potui dicere quid non
1. Cor. 2. 9. sit. Quæris quid sit? Quod oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit. Quid quæris ut ascendat in linguam, quod in cor non ascendit. *Ibid. in Psal: 85.*

Nimis profundæ factæ sunt cogitationes DEI. Ubi est cogita-
Ps. 91. 6. tio DEI? Ad præsens habenas laxat, sed postea adstringet. Noli gaudere ad piscem, qui in esca sua exultat, nondum traxit hamum piscator. Nam jam ille habet hamum in faucibus & quod tibi videtur longum, breve est: omnia ista cito transeunt. Quid est vita longa hominis ad æternitatem DEI? Vis esse longanimis? Vide æternitatem DEI. Nam attendis ad dies tuos paucos, & diebus tuis paucis vis impleri omnia. Quæ omnia? ut damnentur omnes impij, & coronentur omnes boni. Istis diebus tuis vis hæc omnia impleri? implet ea DEUS in tempore suo. Quid tu tædium pateris & facis? Æternus est tardat longanimis: Tu autem dicis: Ideo ego non sum longanimis, quia temporalis sum. Sed in potestate habes. Junge cor tuum æternitati DEI, & cum illo æternus eris. *Æternus est, qui Cor suum jungit æternitate Dei.* *Et infra.* Sunt quidem & ipsi, & atroces isti qui nec lingua nec cogitationibus malis parcunt injurijs DEO. Et quid faciunt DEO excelso, æterno? si pugnam in columnam ferias, tu læderis: & putas quia blasphemia DEUM percutis? Non. Tu dirumperis: nam nihil facis DEO. *Ibid. in Psal: 91.* *In seipsos injurij in Deum blasphemi.*

Confitemini Domino, quam id ipsum scilicet ut laudemus
Ps. 117 1. DEUM? Non potuit laus DEI brevius explicari quàm ut diceretur. Quoniam bonus est. Quid sit grandius ista bonitate non video, cum ita sit proprium DEO quòd bonus est, ut à quodam compellatus ipse Filius DEI cum audiret: Magister bone ab eo scilicet qui carnem ejus intuens, & divinitatis ejus plenitudinem non intelligens solum hominem arbitrabatur: responderet. Quid me interrogas de bono? Nemo bonus nisi unus DEUS. Quod quid est aliud dicere quàm si me bonum vis appellare, intellige & DEUM. *Ibid. Expos: Psal. 117.*

Quidquid de DEO sentis secundum corpus, multum erras, Multum infans es si sentis de DEO etiam secundum animam humanam quod DEUS aut obliviscatur, aut ita sapiat, ut desipiat, aut faciat aliquid & pæniteat eum; omnia enim ista posita sunt in scripturis, ut nobis lactentibus commendaretur DEUS, non ut proprie de illo sic audiamus illa, & intelligamus quasi pæniteat DEUM, & modo aliquod discat quod non noverat, & intelligat quod non intelligebat, & reminiscatur quod oblitus erat. Talia enim animæ sunt, non DEI. Nisi ergo homo transierit, & modum animæ suæ, non videat quia DEUS est quod est, qui dixit: Ego sum qui sum. *Ibid. Expos: Psal: 130.* *Vana de Deo opinio.*

Maria meliorem partem elegit, Non tu malam, sed illa me-
Luc. 10 42. liorem. Sed unde meliorem? Quia tu circa multa, illa circa unum. Præponitur unum multis. Non enim à multis unum, sed multa ab uno. Multa sunt quæ facta sunt: unus est qui fecit. Cælum, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt, quàm multa sunt? Quis ista enumeret? Quis horum multitudinem cogitet? Quis hæc fecit? DEUS omnia. Ecce bona valde. Bona valde quæ facit; *Maxima perfectio uni esse intentum.*

 quan-

quantò melior ille qui fecit. *T, 10. ser: de verb: Dñi. ser: 27. De Martha & Maria.*

Dictum est. Et DEUS erat verbum. De DEO loquimur, quid mirum si non comprehendis? Si enim comprehendis, non est DEUS. Sit pia confessio ignorantiæ magis, quàm temeraria professio scientæ. Attingere aliquantum mente DEUM, magna beatitudo est: comprehendere autem omnino impossibile. *Et infra.* Hoc dico DEUS non crescit ex cognitore, sed cognitor ex cognitione DEI, *T, 10. eorund: ser: 38.* Ioã. 1.

Deum comprehẽdere impossibile.

Quisquis à DEO præter DEUM aliquid quærit, non castè DEUM quærit. *Ibid. ser: 49. De Patre Mercenario & fure.*

A Deo nil præter Deũ petendum est.

Quidquid est, quod DEUS est piè credatur, sanctè cogitetur: & quantum datur, quantum potest, ineffabiliter intelligatur. Quiescant verba, cesset lingua, cor excitetur, cor illud levetur. Non enim est illud tale, quod in cor hominis ascendit, sed quo cor hominis ascendat. *Ibid. 63. De manifesta ostensione Trinit: in Deo nostro:*

De Deo vel maximè loquimur dum silemus.

Si novit oculus pasci luce, nec tamen minuit lucem: non enim minor est lux quia videtur à pluribus, plurium oculos pascit, & tamen tanta est, quanta erat, & illi pascuntur, & illa non minuitur. Si DEUS dedit hoc luci, quam fecit ad oculos carnis, quid est ipse lux ad oculos cordis? Si ergo laudaretur tibi aliquis cibus magnus, quem pransurus esses, parares ventrem. Laudatur tibi DEUS, para mentem. *Ibid. ser: 64. de illo. Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est &c,*

Deus quo magis cognoscitur, plꝰ cognoscendũ restat.

In DEO omne quod dicitur id ipsum est. Neq; enim in DEO aliud potestas, & aliud prudentia, & aliud fortitudo, & aliud justitia aut aliud castitas. Quidquid horum de DEO dicis, neq; aliud, & aliud intelligitur, & nihil digne dicitur. *Et infra.* Sed ibi dicitur & pænitere DEUM, ibi dicitur & nescire DEUM. Quis non exhorreat, nescit DEUS, pænitet DEUM? Ideo tamen & ad ista verba salubriter scriptura descendit, quæ & tu exhorres, ne illa quæ magna putas, digni dicta arbitreris: atq; ita si quæras quid ergo digne de DEO dicitur, aliquis fortasse tibi respondet & dicet, quia justus est. *Ibid. ser: 40. Dom: 1. post Epiph: ser: 2.*

Attributorũ Dei unitas.

Maximũ Dei prædcatũ justitia.

Avarus est DEUS ad salutem nostram. Si sic damnatur qui non erogavit, quid debent expectare qui perdunt? *T, 10. ser: de Sanctis ser: 51. in festis unius Confessoris ser: 1.* Ps. 36. 7.

Magis est Deo solicitus pro salute nostra quam nos.

Homines & jumenta salvos facies Domine: sicut multiplicata est misericordia tua DEUS. Sic enim es, quia DEUS es: ut bonitas tua non remaneat in summis, & deserat infima. Pervenit ab Angelis usq; ad extrema & minuta animalia. *T, 10 ser: de diver: ser: 1. In Festo Paschæ.*

Apud Deum nulla personarum discretio.

Si anima tua cum sit invisibilis in corpore tuo, ut appareat profert vocem, & vox in qua appareat anima tua, quod loqueris non est substantia animæ tuæ, aliud est illa, aliud est vox, & tamen apparet in ea re quæ ipsa non est, sic & DEUS si in igne apparuit, non est ignis: si in fumo apparuit; non est fumus: si in sono apparuit, non est sonus. Non sunt hæc DEUS, sed indicant DEUM. *T, 10 Hom: 11. ser: 6. de rubo in quo flamma non comburebatur.*

Deus omnia etiam possibilia excedit infinite.

Ista lux videtur ab omnibus, pascit omnium oculos, & aspectus videntis reficitur, & lux integra perseverat, si duo videant, tanta permanet, si plures videant eadem permanet, dives videat, pauper videat, æqualis est cibus. Nullus in ea limites figit, impletur pauperis inopia, vacat divitis avaritia. Nunquid enim qui plus habet, plus videt, aut prolato auro præoccupat pauperem, & emit sibi quod videat, ut ille non habeat? Si ergo talis cibus est ocu-

Deus in quavis particula integer, similitudine probatur.

oculis nostris, quid est ipse DEus mentibùs nostris? *Ibid. ser: 7. de voce, & jejunare, & esurire.*

Non DEus erit major quia placeat tibi sed tu minor si displicet tibi. *T, 9. in Euan: Ioan: Tract: Tract: 18. de cap: 5.* *Non Deo sed sibi justus homo est.*

Nunc si non potestis comprehendere quid sit DEUS, vel hoc comprehendite quid non sit DEus. Multum profeceritis, si non aliud quàm est de DEO senseritis. Nondum potes pervenire ad quod sit, perveni ad quod non sit. Non est DEus corpus, non terra, non Cælum, non luna, non sol, non stellæ non corporalia ista, Si enim non cælestia quantò minus terrena? Tolle omne corpus. Adhuc audi aliud. Non est DEus mutabilis Spiritus. *Ibid. Tract. 23: de cap: 5.* *Dei definitio negativa.*

In istis usibus corporalibus, aliud est lumen aliud fons. Fontem fauces quærunt, lumen oculi. Quando sitimus quærimus fontem: quando in tenebris sumus, quærimus lumen, & si forte nocte sitiamus, lumen accendimus, ut ad fontem veniamus. Non est sic apud DEUM. Quod lumen est, hoc est fons. Qui tibi lucet ut videas, ille tibi manat ut bibas. *Ibid. Ioan: Tract: 34. de cap: 8.* *Deus & illuminat & potat.*

Ergo non habebit DEus servos si tu nolueris & omnes noluerint? DEus non indiget servis, sed servi DEO: ideo dicit psalmus, dixi Domino DEus meus es tu. Ipse est verus Dominus. Et quid ait? Quoniam bonorum meorum non eges. *T, 9. in Epist: Ioan: Tract: 8. de cap: 4.* *Ps. 15. 52.* *Non Deus hominis sed homo Dei est indignus.*

Reddis debita nullis debens, donas debita nihil perdéns. Qui solus vivificas omnia, qui creasti omnia, qui ubiq; es, & ubiq; totus qui sentiri potes, videri non potes, qui nusquam dees, & tamen ab iniquorum cogitationibus longe es. Qui nec ibi dees ubi longe es, quia non es per gratiam, ades per vindictam. *Et infra.* Magnus enim es sine quantitate, & ideo immensus: bonus es sine qualitate & ideo verè & summè bonus: & nemo bonus nisi tu solus cujus voluntas est opus, cujus velle posse est. *T, 9. lib. Medit: cap: 29.* *Deus sentiri potest videri non potest. Dei præsentia ubiq.*

DEus vera & summa vita, à quo, per quem & in quo, vivunt omnia, quæcunq; vere & beate vivunt DEus bonum & pulchrum à quo, per quem, & in quo bona & pulchra sunt omnia, quæcunq; bona & pulchra sunt. DEUS cujus nos fides excitat, spes erigit, charitas jungit. DEus qui peti te jubes & inveniri te facis, & pulsanti aperis. DEus à quo averti cadere est, ad quem converti surgere est, in quo manere consistere est. DEUS quem nemo amittit nisi deceptus, nemo quærit nisi admonitus, nemo invenit nisi purgatus. DEUS quem nosse vivere est, cui servire regnare est, quem laudare salus & gaudium animæ est. *Ibid. cap: 32.* *A Deo omnia.* *Deum nemo amittit nisi deceptus.*

Immensus es Domine, ac ideo sine mensura debes amari, & laudari ab his quos tuo pretioso sanguine redemisti. Amator hominum benignissime, clementissime Domine, & æquissime Judex, cui omne judicium dedit Pater, sapientissimo tuæ æquitatis judicio discernis hoc rectum & justum esse, ut filij hujus sæculi noctis & tenebrarum præstantiori desiderio, virtute ac studio diligant & quærant perituras divitias, & fugitivos honores, quem nos servi tui diligamus te DEUM nostrum, per quem facti & redempti sumus. Si enim homo hominem tantum diligit dilectione, ut alter alterum vix patitur ab esse, si sponsa sponso tanto conglutinatur mentis ardore, ut præ magnitudine amoris, nulla perfrui valeat requie, chari sui absentiam non sine magno mærore ferens: qua ergo dilectione: quo studio, quo fervore anima quam desponsasti tibi fide & miserationibus debet diligere te verum DEUM, & *Amoris Dei mensura immensitas.* *Amandi Deũ necessitatem summã nostra fecit redemptio.*

pulcherrimum ſponſum, qui nos ſic amaſti & ſalvaſti, qui pro nobis tot, tanta, & talia feciſti. *Ibid. cap:* 35.

DIABOLUS.

Diabolus quilibet peccator.

SPiritus immundus duobus modis appellari ſolet, vel ille qui extrinſecus invadit animam, cui excludendo qui præſunt, manum imponere, vel exorcizare dicuntur, hoc eſt per divina illum adjurando expellere. Aliter autem dicitur ſpiritus immundus, omnis omninò anima immunda, quod nihil eſt aliud quàm vitijs & erroribus inquinata. *T,* 1. *lib. vit. beata diſp: dic:* 2.

Scriptum eſt in libro Job veniſſe Angelos in conſpectum DEI, & cum eis veniſſe Diabolum. Non ideo Diabolus DEUM vidiſſe credendus eſt; ipſi enim dicti ſunt veniſſe in conſpectum DEI, non DEUS in conſpectum eorum. Veniunt autem in conſpectum noſtrum quæ videmus, non à quibus videmur. *T,* 2. *Epiſt:* 112. *c:* 11. *Job.* 1. 6

Supplent pro Diabolo detractores, et quomodocunq; aliis nocentes.

Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. Quem non poteſt devorare ſeductum ad nequitiam; famam ipſius inquinare conatur; ut ſi fieri poteſt opprobrijs hominum, & malarum linguarum detractione deficiat, & ſic in ejus fauces ruat. Si autem nec famam innocentis maculare potuerit, hoc ei perſvadere tentat, ut per malevolas ſuſpiciones de fratre ſuo judicet, & ſic ab eo implicatus abſorbeatur. Et quis omnes ejus circumventiones enumerare ſufficiat? *T,* 2. *Epiſt:* 137. 1. *Pet.* 5. 8.

Converſatio ſimiles efficit.

Sicut Diabolus ſuperbus hominem ſuperbientem perduxit ad mortem; ita Chriſtus humilis hominem obedientem reduxit ad vitam. *T,* 3. *lib.* 4 *de Trinit: cap:* 10.

Non eſt gloriosum peccatoribus, magna differre miracula facere.

Facillimè eſt ſpiritibus nequiſſimis per àërea corpora facere multa, quæ mirentur animæ terrenis corporibus aggravatæ etiam melioris affectus. Sed ſicut fieri poteſt ut homo vitâ ac moribus melior ſpectet nequiſſimos homines in fune ambulantes, vel multa incredibilia facientes, nec ullo modo facere talia concupiſcat, ſic anima fidelis & pia, ſi videat miracula Dæmonum, non ideo tamen non ſe poſſe talia dolebit: cum ſint, præſertim in ſocietate Sanctorum, qui per virtutem DEI, & minimè fallacia & multò majora fecerunt ſive homines, ſive Angeli boni. *Ibid. cap:* 11.

Mali etiã faciẽdo bonis nocere volunt.

Poteſtates àëreæ ſuperbæ atq; fallaces etiamſi quædam de ſocietate & Civitate Sanctorum, & de vero Mediatore à Sanctis Prophetis vel Angelis audita, per ſuos vates dixiſſe reperiuntur, id egerunt, ut per hæc aliena vera, etiam fideles DEI, ſi poſſent ad ſua falſa traducerent. DEus autem per neſcientes id egit, ut veritas undiq; reſonaret, fidelibus in adjutorium, impijs in teſtimonium. *Ibid. cap:* 17.

Finis malo ab origine pẽdet.

Nec fruſtra putari poteſt ab initio temporis Diabolum ſuperbâ cecidiſſe, nec fuiſſe ullum antea tempus, quo cum Angelis Sanctis pacatus vixerit & beatus; ſed ab ipſo primordio creaturæ, à ſuo Creatore apoſtatâſſe, & illud quod Dominus ait: ille homicida fuit, ab initio & in veritate non ſtetit; utrumq; ab initio intelligamus, non ſolum quod homicida fuit, verùm etiam quia in veritate non ſtetit. *T,* 3. *lib:* 11. *de Gen: ad lit: cap:* 16. *Joã.* 8. 44.

Peccator Diaboli eſca.

Quando dictum eſt Diabolo, terram manducabit dictum eſt peccatori terra es & in terram ibis. Datus eſt ergo in cibum Diabolo peccator. Non ſimus terra, ſi nolimus manducari à ſerpente. *Gen.* 1. 14.

Diabolus peccatis nutritur.

Sicut enim quod manducamus in noſtrum corpus convertimus, ſic malis moribus per nequitiam & ſuperbiam & impietatem hoc efficitur quiſq; quod Diabolus eſt, id eſt ſimilis ejus, & ſubjicimur & ſi-

& ſicut ſubjectum eſt nobis corpus noſtrum, & hoc eſt quod dicitur manducari à ſerpente. *T, 3. lib. de agon: Chriſt: cap: 2.*

Diaboli Principes peccatoris.

Ideo rectores tenebrarum harum eos dicit, quoniam pecca-
Eph. 6. 12. tores homines tenebras appellat; quibus iſti dominantur. Ideò &
alio loco dicit. Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lùx in Do-
Eph. 5. 8. mino, quia ex peccatoribus juſtificati erant. *Ibid. cap: 3.*

Dæmones ſunt vates factorũ ſuorum.

Acrimoniâ ſenſûs & celeritate motûs multa ante cognita prænuntiant vel nuntiant, quæ homines præ ſenſus terreni tarditate mirentur. Acceſſit etiam Dæmonibus per tam longum tempus, quo eorum vita protenditur, verum longè major experientia, quam poteſt hominibus propter brevitatem vitæ provenire. *T, 3. lib: de Divinat: Dæm: cap: 3.*

Dæmon prædicit aliqua futura, habita cogitationè naturali de futuris.

Quid mirum ſi quemadmodum medicus in corporis humani vel perturbata vel modificata temporis, ſeu bonas, ſeu malas, futuras prævidet valetudines, ſic Dæmum in àëris affectione atq; ordinatione ſibi notas, vobis ignotas futuras prævidet tempeſtates. *T, 3. lib: de Divinat: Dæmon: cap: 5.*

Ficta Divinitas.

Quid mirum ſi jam imminente Templorum, aut ſimulacrorum everſione quam Prophetæ Dei ſummi tanto ànte prædixerant, Seraphis Dæmon alicui cultorum ſuorum hoc de proximo prodidit, ut ſuam quaſi Divinitatem, recedens vel fugiens commendaret. *Ibid: cap: 6.*

Quis non ſentiat quod ejuſmodi ſpiritus talibus obſcænitatibus delectentur; niſi vel neſciens utrum omninò ſint ulli immundi ſpiritus, Deorum nomine decipientes: vel talem agens vitam, in qua iſtos potiùs quam Deum verum & optet propitios & formidet iratos. *T, 5 lib. 2. de Civ: Dei. cap: 4.*

Dæmones gaudent etiam ſceleſtiſſima quoque à ſe fieri idq; ut honorĩficum divulgant.

Maligni ſpiritus quos iſti Deos putant (intellige gentiles) etiam flagitia, quæ non admiſerunt, de ſe dici volunt ut ſceleſta ac turpia perpetrãda velut ab ipſo cælo traduci in terras ſatis idonea videatur authoritas. *Ibid. cap: 10.*

Non poteſt Dæmon, & malus homo nocere nobis, niſi permiſerit Deus.

Sicut ipſi mali homines in terra, ſic etiam illi (intellige Dæmones) non omnia quæ volunt facere poſſunt, niſi quantum illius ordinatione ſinuntur, cujus plenè judicia nemo comprehendit, juſtè nemo reprehendit. *Ibid. cap: 23.*

Aſtrologorum ſpiritus, Entheus, Dæmon.

Non immerito creditur, cum mirabiliter Aſtrologi multa vera reſpondent, occulto inſtinctu fieri ſpirituum non bonorum, quorum cura eſt has falſas & noxias opiniones de aſtralibus fatis inſerere humanis mentibus atq; firmare, non Horoſcopi notati & Inſpecti aliqua arte quæ nulla eſt. *T, 5 lib: 5. de Civ: Dei. cap: 7.*

Nil prodeſt ſcire Deum, niſi ametur.

Mar. 1 Quid nobis & tibi Jesu Nazarene. Clarum eſt in his verbis,
24. quod in eis & ſcientia erat, & charitas non erat. Tantum verò eis innotuit, quantùm voluit, tantùm voluit, quantum oportuit, ſed ſic innotuit, non ſicut Angelis Sanctis, qui ejus ſecundum id, quod Dei Verbũ eſt, participata æternitate perfruuntur, ſed ſicut eis terrendis innoteſcendum fuit, ex quorum Tyrannica quodammodo poteſtate fuerat liberaturus prædeſtinatos in ſuum Regnum & gloriam, ſemper veracem & veraciter ſempiternam. *Ibid. lib. 9. de Civit: Dei. cap: 21.*

Dæmones, ut hoſtes fugiunt res ſacras.

Vera enim pietate homines Dei àeream poteſtatem inimicam contrariamq; pietati exorcizando eijciunt non placando: omnes tentationes adverſitateſq; ejus vincunt, orando non ipſam, ſed ſuum Deum adverſus ipſam. *Ibid. lib. 10. de Civ: Dei. cap: 22.*

Quantò enim in hæc ima poteſtatem Dæmonum majorem videmus, tantò tenacius Mediatori eſt inhærendum, per quem de imis ad ſumma conſcendimus. *Ibid. lib. 18. de Civ: Dei. cap: 18.*

Plùs

Magis in poteſtate Dæmonis ille, qui alios ſervietes Deo odit.

Plùs poſſidetur à Diabolo, qui non ſolum alienatus eſt à DEO, verum etiam gratis odit ſervientes DEO. *T.5. l.20. de Civ: Dei, c:7.*

Diabolus culpæ eſt Author non naturæ. *T, 7. lib: 2. de Nupt: & concupiſ: cap: 4.*

Initium malæ ſuggeſtionis caput eſt diaboli.

Iniquitas calcanei mei circumdabit me. Diabolus calcaneum tuum obſervat quando labaris ut deijciat te. Jlle obſervat calcaneum tuum, tu obſerva caput illius. Quid eſt caput illius? Initium malæ ſuggeſtionis illius. *T, 8. in Pſal: 48.* Pſ: 43. 6.

Diabolus tantū poteſt quātum permittitur.

Quid tibi facturus eſt vel princeps ipſorum Diabolus? Si poſſet aliquid nullus noſtrum remaneret. Nonne quotidie tanta in illum dicuntur ore Chriſtianorum, & creſcit ſeges Chriſtianorum. Quando iraſceris nequiſſimo ſervo tuo, hoc nomen illi imponis, Sathanas, Diabole, hoc illi dicis. Fortaſſe in hoc erras quia homini hoc dicis & immoderata ira raperis, ad convitiandam imaginem DEI: & tamen hoc eligis, ut ei dicas, quod valde deteſtaris ſi poſſet ille non ſe vindicaret? ſed non permittitur, & tantum facit quantum permittitur. *Ibid. in Pſal: 96.*

Sævitia Diaboli nobis aliquando eſt proficua.

Neſcit Diabolus quanta bona de illo fiant, etiam cum ſævit. Sæviens intravit in cor Judæi, ſæviens tradidit Chriſtum, ſæviens crucifixit: Et crucifixo Chriſto redemptus eſt orbis terrarum. Ecce ſævitia Diaboli. diabolo obfuit, nobis autem profuit. Sæviēdo enim quos tenebat amiſit redemptos ſanguine Domini, quem cum ſæviret effudit. Si ſciret tantum damnum ſe paſſurum non funderet in terram pretium, quo redemptum eſt genus humanum. *Ibid. Expoſ: Pſal: 130.*

Diabolus vel maxime tunc gaudet, dum accuſatur.

Diabolus ſuadere peccatum poteſt, cogere non poteſt.

Homines magis ſequuntur mortem, quàm vitam.

Non eſt unde plus gaudeat diabolus, niſi quando homo dicit, quod ipſe faceret ut peccaret. Quando enim dicit: Diabolus hoc fecit, non ſe accuſat: & dum peccata ſua diſſimulat confiteri, indulgentiam non meretur accipere. Reſpondet ergo & dicit, Diabolus hoc fecit: quaſi revera traxerit eum diabolus, aut violentiam fecerit. Suadere enim & ſolicitare poteſt, cogere omnino non poteſt. Et ideo cum per DEI adjutorium in poteſtate tua ſit utrum conſcientias diabolo: quare non magis DEO, quàm ipſi obtemperare deliberas? Si enim ſolus diabolus daret conſilium, & DEUS taceret, haberes quo excuſari poſſes. Cùm verò Chriſtus tibi & conſcientia tua contradicat, & per ſcripturas divinas audias in Eccleſia, quod non debeas facere malum, quare eligis mortem, deſeris vitam: & magis vis ſequi diabolum ad luxuriam, quàm obtemperare Chriſto, qui te invitat ad æternam vitam. *T, 10. 50. Homil: Hom: 12. Ee illo. Confitemini alterutrum &c.*

Diabolus neminē perſequitur, niſi bonū.

Hoc ſcitote fratres quia diabolus non perſequitur niſi bonos. Malos enim luxurioſos, cupidos, & ſuperbos perſequi diabolus non conſvevit. Amici enim ſunt ſui, & ſemper voluntates illius faciunt. Et intantum eos non perſequitur, ut etiam per illos alios perſequatur. Malos enim homines diabolus, quaſi malleos vel flagella habere conſvevit. *T, 10. ſer: de Temp: ſer: 85. Fer: 2. poſt 3. Dom: Quadr. ſer: 1.*

Diabolus, illi ſoli nocet, qui illum vult ſibi nocere.

Venit ergo Chriſtus & alligavit diabolum. Sed dicit aliquis: ſi alligatus eſt, quare adhuc tantum prævaleret? Verum eſt fratres chariſſimi, quia multum prævalet ſed tepidis & negligentibus, & DEUM in veritate non timentibus dominatur. Alligatus eſt enim tanquam innexus canis catenis, & neminem poteſt mordere, niſi eum qui ſe illi mortifera ſecuritate conjunxerit. Jam videte fratres, quàm ſtultus eſt homo ille quem canis in catena poſitus mordet. Tu te illi, per voluntates & cupiditates ſæculi noli conjungere, & ille ad te non præſumit accedere. Latrare poteſt, ſolicitare Matt: 29.

poteſt,

potest, mordrre omnino non potest nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet: nec extorquet à nobis consensum sed petit. *Ibid ser*: 197. *Dnica* 1. *post Fest*: *S. Trin*: *ser*: 2.

Ideo & de bonis mala spargit, ut infirmi non putent aliquos esse bonos, & tradant se rapiendos libidinibus & dispensandos, dicentes apud seipsos: quis est enim qui servat mandatum Dei, aut quis est qui servat castitatem? Dum putat quia nemo, ipse fit nemo, Hoc ergo ait diabolus. *Ibid. ser*: 234. *Dnica* 18. *post idem ser*: 1. *Pessimus est, qui putat neminem esse bonum.*

Quod diabolus in medio Angelorum fuit, si bonos Angelos intelligis, sic in medio eorum intellige diabolum, sicut reus in medio apparitorum judici audiendus assistit. Non enim scriptura declarat quales illi Angeli fuerint. Si autem in medio Angelorum malorum, quid mirum est, principem ac ducem turba ministrorum suorum esse circumdatum? *T*, 10. *ser*: *de diver*: *ser*: 16. *Tra*: 3. *contra Manichæos*. *Diabolus in medio Angelorū bonorū ut reus ante judicem.*

Fingunt spiritus mali umbras quasdam honoris sibimetipsis, ut sic decipiant eos qui sequuntur Christum. Usq; adeo fratres mei illi ipsi, qui seducunt per ligaturas, per præcantationes, per machinamenta inimici, misceant præcantationibus suis Christi nomen quia jam non possunt seducere Christianos ut dent venenum, addunt mellis aliquantum, ut per id quod dulce est, lateat quod amarum est, & bibatur ad pernitiem. *T*, *in Ioan*: *Tra*: 7. *de cap*: 1. *Satan se trāsfigurat in Angelū lucis.* *Peccatum speciosam sibi inducit larvā.*

Non tibi sævitiam suam perdidisse diabolus videtur: quando blanditur tunc magis cavendus est. Sed inter has ejus insidias & tentationes, quid faciemus nisi quod ibi audivimus. Ego autem cum mihi molesti essent induebam me cilicio, & humiliabam in jejunio animam meam. Est qui exaudit ne dubitetis orare: qui autem exaudivit intus manet. *Ibid. Tra*: 10. *de cap*: 2. *Noxiæ dæmonis blanditiæ.*

Jlle homicida erat ab initio. Videte genus homicidij fratres. *Ioā 8. 44.* Homicida dicitur diabolus non gladio armatus, non ferro accinctus, ad hominem venit, verbum malum seminavit, & occidit. Noli ergo putare te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persvades: si fratri tuo mala persuades, occidis. Et ut scias quia occidis, audi psalmum, Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum machæra acuta. Vos ergo desideria Patris vestri vultis facere. Ideo sævitis in carnem quia non potestis in mentem. *Et infra.* Et mendax est, & Pater mendacij. Nam tu forte mendax es quia mendacium loqueris, sed non es pater ejus. Si enim quod dicis à diabolo accepisti, & diabolo credidisti mendax es, pater mendacij non es. Jlle vero quia non aliunde accepit mendacium? quo mendacio tanquam veneno serpens hominem occideret, pater est mendacij, sicut Deus pater est veritatis. Recedite à patre mendacij currite ad Patrem veritatis: amplectimini veritatem ut accipiatis libertatem. *Ibid. Tra*: 42. *de cap*: 8. *Homicida Diabolus.* *Occidit qui ad peccatum trahit.* *Veritatis pater Deus est, mendacij Diabolus.*

D I I.

VErumtamen si ridere delectat, habes apud nos magnam materiam facetiarum. Deum Stercutium Cloatinam, Venerem calvam, Deum Timorem, Deum Pallorem, Deam Febrem, & cætera innumerabilia hujusmodi, quibus Romani antiqui simulachrorum cultores Templa fecerunt, & colenda censuerunt. Quæ si negligis Romanos Deos negligis. Augustinus Maximo Grammatico Pagano. *T*, 2. *Epist*: 44. *Deorum multitudo Regnorum.*

Nihil homines tam insociabiles reddit vitæ perversitate, quam illorum Deorum imitatio, quales describuntur & commendantur *Amore aliorum mores illorum trahimus.*

literis eorum. Et revera Terentianus ille adolescens, qui spectans tabulam pictam in pariete, ubi pictura inerat de adulterio Regis Deorum, libidinem quâ rapiebatur stimulis etiam tantæ authoritatis accendit. Nullo modo in id flagitium laberetur, si Catonem imitari maluisset quam Jovem: sed quo pacto id faceret, cum in Templis adorare cogeretur Jovem potiùs quàm Catonem. *Ibid. Epist: 202.*

Deus pluralitate non gaudet. Hi Dij tui Israel qui eduxerunt te. Non sanè locutiones istæ reperiuntur, ubi pluralis pro singulari ponitur, nisi in eo rerum genere, in quo etiam de pluribus fieri vel intelligi potest. Non enim quia unus ille vitulus erat, ideo & non plures fieri poterant? Hac locutione dictum est Latrones Insultâsse Domino, cum hoc unum fecisse scriptura testetur, sed non solus fuerat latro. *T. 3. l. 2. Locut. de Exod.* *Ex. 32. 23.*

Difficiliora propter infernum, quam propter Deum facimus. Quod jubet Aaron inaures demi ab auribus uxorum atq; filiarum, unde illis faceret Deos, non absurdè intelligitur difficilia præcipere voluisse, ut hoc modo eos ab illa intentione revocaret. Factum tamen illud ipsum difficile ut esset aurum ad faciendum idolum, propter eos notandum putavi, qui contristantur, si quid tale propter vitam æternam divinitùs fieri vel æquo animo tolerari jubeatur. *T. 4. l. 2. quæst: in Exod. quæst. 141.* *Ex. 32. 4.*

Plura propter idola quã Deũ præstamus.

Quid igitur mirum est, si hòc fecerunt antiquiores homines de Jove & Saturno & cæteris quod Romani de Romulo, quod deniq; in recentioribus temporibus, & de Cæsare facere voluerunt. Quibus & Virgilius adulationem carminis addidit dicens: Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum, videant ergo nè fortè historica veritas, sepulchra falsorum Deorum ostendat in terra, vanitas autem pòeticè stellas eorum non figat, sed fingat in cælo. *Et infra.*

Malorum sumus laudatores tacemus bona. De quibus quid tantum mali castitas, aut quid tantùm boni voluptas commeruit ut inter astra, quæ cum sole & luna circumeunt, Venus habeat stellam, Minerva non habeat? *Ibid. lib. 1. de cons: Evang: cap. 23.*

Qui sibi bene non vult, nec aliis potest. Neq; enim enim homines à simulacro sed simulacrum ab hominibus servabatur. Quomodo ergo colebatur ut Patriam custodiret & Cives quæ suos non valuit, custodire custodes. *T, 5. l, 1. de Civ: Dei. c. 2.*

Deorum falsorum custodia, pereundi causa est. Quis non cùm adverterit, videat quanta sic vanitate præsumptum non posse vinci sub defensoribus victis, & ideo periisse, quia custodes perdidit Deos suos: cum vel sola potuerit esse causa pereundi, custodes habere voluisse perituros. *T, 5. l. 1. de Civ. Dei. c. 3.*

Filij Matri similes. Talis Mater Deûm, qualem habere Matrem puderet quemlibet etiam pessimum virum. *Ibid. l. 2, de Civ: Dei. c. 5.*

Voluptas fugax est. Fugalia (sacra Deorum, sic dicta in memoriam exactorum Regum, ac liberatæ Reipub. instituta) effusa animi licentia turpitudinum, & verè fugalia, sed pudoris & honestatis. *Ibid. c. 6.*

Patientes voluerunt habere Deos, antiqui ligneos, &c. Illos ludos in quibus regnant figmenta Pòetarum, non per imperitum obsequium, sacris Deorum suorum intulisse Romanos, sed ipsos Deos, ut sibi solenniter ederentur, & honori suo consecrarentur, acerbè imperando, & quodammodo extorquendo fecisse. *T, 5. l. 2. de Civ: Dei. c. 8.*

Exempla Imitationi proponuntur. Ipsorum Deorum in scænicis fabulis sive à Pòetis illa essent conficta, sive flagitia. eorum vera connumerarentur, & agerentur in theatris atq; ab eorum cultoribus, utinam solo risu ac non etiam imitatione digna viderentur. Nimis enim superbum fuit famæ parcere Principis Civitatis & Civium, ibi suæ famæ parci Numina noluerunt. *T. 5. l. 2. de Civ: Dei. c. 9.*

Scipio laudas hanc Pòëtis Romanis negatam esse licentiam, ut cuiquam opprobrium infligerent Romanorum, cum videas eos nulli Deorum pepercisse vestrorum? itanè pluris tibi habenda visa est, existimatio vestræ Curiæ, quàm Capitolii, imò Romæ unius, quam cæli totius, ut linguam maledicam in Cives tuos exercere Pòëtæ etiam lege prohiberentur, & in Deos tuos securi tanta convitia, nullo senatore, nullo censore, nullo Principe nullo Pontifice prohibente jacularentur: Indignum videlicet fuit, ut Plautus aut Nævius Publico & Cnæo Scipioni, aut Cæcilius Marco Catoni, malediceret: & dignum fuit, ut Terentius vester flagitio Jovis Optimi Maximi adolescentium nequitiam incitaret. *Ibid. c. 12.*

Magis homines quam Deum timemus.

Veneramur authoritates humanas, negligimus Divinas.

Rectè quisquis Civium Romanorum esse scænicus elegisset, non solum ei nullus ad honorem dabatur locus, verumetiam Censoris nota tribum tenere propriam, minimè sinebatur. O animum Civitatis laudis avidum germanèq; Romanum: sed respondeatur mihi, quâ consentanea ratione homines scænici ab omni honore pelluntur, & ludi scænici Deorum honoribus admiscentur? quomodo ergo abjicitur scænicus per quem colitur DEUS? si Dij tales homines honorandi sunt. Assumunt Romani, sed nullo modo tales homines honorandi sunt. Concludunt Christiani, Nullo igitur modo Dij tales colendi sunt. *Ibid: cap 63.*

Facilius Deum suũ contemptum patitur quam humanum.

Romulum suum Dijs multis prætulerunt, quamvis & ipsum semideum potiùs quàm DEUM, velut secretior eorum doctrina commendet? nam benevolentia Civium velut receptus in cælum. Quirinus est postea nominatus ac per hoc & Neptuno & Plutoni Fratribus Jovis, & ipsi Saturno, Patri eorum, isto Romulus honore prælatus est *Ibid. cap: 15.*

Dij sunt viri probi virtute cum Diis certantes.

Mirum nimium si ullus ibi erat pudor mortalium, quo humana flagitia non liberè homines committerent, quæ apud Deos etiam religiosè discerent iratos habituri, nisi etiam exhibere curarent. *Ibid. cap 26.*

Magni iræ æstuant, cum æmulatores suorum n[illegible] habent malorũ.

Satiùs erat tales Deos irritare temperantiâ, quàm placare luxuriâ: neq; enim gravius fuerat, quamlibet crudelissima immanitate nocituri homines propter quos placabantur, quam nocebant ipsi, cum vitiositate fœdissima placarentur. *Et infra.* Hanc talium Numinum placationem petulantissimam, impurissimam, impudentissimam, nequissimam, immundissimam, cujus Actores laudanda Romanæ virtutis Indoles honore privavit, tribu movit, agnovit turpes, fecit infames: hanc inquam oculis & auribus publicis Civitas tota discebat. *Ibid. cap. 27.*

Gratiâ nocere

Exempla per oculos ad cor.

Evigila plenius, nullo modo his artibus placatur Divina Majestas, quibus humana dignitas inquinatur *Ibid. cap. 29*

Quæ hominũ eandem & Diĩ oculos ludũt.

Sub hoc tot Deorum præsidio, quos numerare quis potest, indigenas & alienigenas, cælites, terrestres, Infernos, Marinos, Fontanos, Fluviales; & ut Varro dicit certos, atque incertos, in omnibusq; generibus DEORUM, sicut in animalibus Mares & fæminas? constituta Roma, quanto major facta est, sicut navis nautas, tanto plures adhibendos putavit: quibus templa, altaria, sacrificia, Sacerdotes, instituendo atq; præbendo summum verum DEUM, cui uni hæc ritè gesta debentur offenderet. *Ibid. cap. 12.*

Antiqua Roma Deorũ antiquorum cœlum.

Ubi erant (intellige Dij) quando populus cum fame laboraret, Præfectum annonæ primum creavit, atq; illa invalescente, Æmilius qui esurienti multitudini frumenta largitus est, Regni affectati crimen incurrit, & ejusdem Præfecti instantia, cum maximo & periculosissimo tumultu Civitatis occisus est; ubi erant quando per decem continuos annos malè pugnando crebras, & ma-

Etiam benevolentiam nocere suis.

Ingratitudo. magnas clades apud Vejos Exercitus Romanùs acceperat, nisi per Furium Camillum tandem subveniretur, quem postea Civitas ingrata damnavit? vel quando gravi pestilentia cæteris laborantibus; multi etiam in exercitu icti fulmine perierunt. atq; in tanta strage bellorum etiam pestilentia gravis exorta est mulierum, namq; priusquàm maturos partus ederent gravidæ moriebantur. Quid hyems illa memorabilis tam incredibili immanitate sæviens, ut nivibus horrenda altitudine etiam in foro per dies quadraginta manentibus, Tyberis quoq; glacie duraretur? Vide ibi plura. *Ibig. cap.* 17.

Deorũ Romanorũ figmẽta sunt. Cur & iniquitas Dea non sit vel externarum gentium, si pavor & pallor & Febris Dij Romani esse meruerunt? Nam si victoria Dea est, cur non est & triumphus & victoriæ jungitur, vel Maritus, vel Gilius. *T, 5. l. 4. de Civi: Dei, c. 15. & 17.*

Mẽdacia Poëtarum plurimos fecere Deos. Relatum est in literis, Doctissimum Pontificem Scævolam disputâsse, tria genera tradita Deorum: unum à Poëtis, alterum à Philosophis, tertium à Principibus Civitatis. Primum genus nugatorium dicit esse, secundum non congruere Civitatibus. Poëticum sanè Deorum genus, eur Scævola respuat, eisdem literis non tacetur: quia sic videlicet Deos deformant, ut nec bonis hominibus comparentur, cum alium faciunt furari, alium adulterare. *Ibid. cap.* 27. *Præsidia Civitatum.*

Ficta Deorũ simulachra præsidia Civitatibus subtrahunt. Dicit (scilicet Varro) antiquos Romanos plùs quàm annos centum & septuaginta, Deos sine simulacro coluisse. quodsi adhuc inquit mansisset, castius Dij observarentur. Cujus sententiæ suæ testem adhibet inter cætera etiam gentem Judæam: nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat qui primi simulacra Deorum populis posuerunt, eos Civitatibus suis & metum dempsisse, & errorem addidisse: prudenter existimans Deos facilè posse in simulacrorum stoliditate contemni. Quod verò non ait errorem tradiderunt, sed addiderunt jam utiq; fuisse eum sine simulacris intelligi vult errorem. *Ibid. cap.* 31.

Non sana mẽte Deos pagani invenerũt, & statuerunt. Si cui intueri vacet (loquitur de sacris Paganorum) quæ faciunt quæq; patiuntur, inveniet tam indecora honestatis, tam indignæ liberis, tam dissimilia sanis, ut nemo fuerit dubitaturus furerere eos, si cum paucioribus furerent. Nunc sanitatis patrocinium insanientium turba est. *T, 5. l. 6. de Civit: Dei, c.* 10.

Anima debeæt esse nostra Deus, parvi mundi. Dicit varro DEUM se arbitrari esse animam mundi, quem Græci Cosmon vocant, & hunc ipsum mundum esse DEum, sed sicut hominem sapientem, cum sit ex corpore & animo tamen ab animo dici sapientem: ita mundum Deum dici ab animo, cum sit ex animo & corpore. *T, 5. l. 7. de Civ: Dei, cap: 6.*

Idolorum Dæmoliter Christus. Hermes Ægyptius quem Trismægistum vocant, futurum tempus est inquit, cum appareat Ægyptios in cassum pia mente Divinitati sedulam religionem seruâsse, & omnis eorum sancta veneratio in irritum casura frustrabitur. Videtur hoc tempus prædicere, quo Christiana Religio, quantò est veracior & sanctior, tantò vehementius & liberiùs, cuncta fallacia figmenta subverrit, ut gratia verissimi Salvatotis liberet hominem ab his Dijs, quos facit homo: & ei DEO subdat, à quo factus est homo. Propriè verò de Ægypto Sanctus Ezaias prophetat. Movebuntur manu facta Ægypti à facie ejus. Hunc autem Ægyptio illi Spiritus indicaverant futura tempora perditionis suæ. Qui etiam præsenti in carne Domino trementes dixerunt, quid venisti ante tempus perdere nos? ante tempus id est ante tempus Judicij, quo æterna damnatione puniendi sunt. *T, 5. l. 8. de Civi: Dei. cap: 23.*

Tanta

Tanta hominis impij cæcitate in montes quodammodo offendunt, resque oculos suos ferientes, nolunt videre, ut non attendant in omnibus literis Paganorum aut non inveniri, aut vix inveniri Deos, qui non homines fuerint, omnibus tamen honores studeant exhiberere divinos, Quasi nihil unquam humanitatis habuerint. *Ibid cap: 26.*

Si antiqui Dijs ficti, vel hominibus, cultũ fecerẽ Divinum scut non sibi: Nimis inhumani fuerũt.

Jlli qui Deos quosdam malos esse dixerunt, Dæmones quoq; appellaverunt nomine Deorum: quanquam & Deos, sed rariùs nomine Dæmonum: ita ut ipsum Jovem quem volunt esse Regem ac Principem cæterorum, ab Homero fateantur Dæmonem nuncupatum. *T, 5. l. 9. de Civit. Dei. c. 1.*

Deus etiã (timendũ ne christianis) Dæmõ fuit antiquis.

Dicit (intellige quidam Platonicus) & animas hominum Dæmones esse, & ex hominibus fieri Lares, si meriti boni sunt. Lemures seu Larvas si mali. Manes autem Deos dici cum incertum est bonorum eos seu malorum esse meritorum. *T, 5. l. 9. de Civit. Dei. cap. 11.*

Dæmon homo malus.

Etsi fabula cantat crimen Numinum falsum, delectari tamen falso crimine, crimen est verum. *T, 5. l. 18. de Civit. Dei. c. 12.*

Falsa si placẽt, nocens.

Liberi Dei nomine bacchanalia sacra vel potius sacrilegia sunt instituta, de quorum rabiosa turpitudine, post tam multos annos, sic Senatus erubuit, ut in Vrbe Roma esse prohiberet. *Ibid. c. 13.*

Bachiferta Romã proscripta.

Ps: 81. 1. Deus stetit in Synagoga Deorum in medio autem deos discernit Deos dixi participatione, non natura: sed gratia qua voluit facere Deos. Quantus Deus est qui facit: aut quales Dij sunt quos facit homo? Quam ille magnus Deos faciendos, tam isti nihil qui ab homine facti sunt. Deus vero facit Deos credentes in se quibus dedit potestatem filios Dei fieri. Et ideo ipse verus Deus, qua Deus non factus est: nos autem facti non veri Dij, meliores tamen ijs quos homo facit. *T, 8. in Psal: 94.*

Noli ergo addere manus hominum, ut ex eo metallo quod fecit verus Deus velis facere falsum Deum, imò falsum hominem quem pro vero venereris Deo: quem quisquis pro vero homine in amicitiam reciperet, insaniret. *Ibid. Con: 2. de 2. parte Psal: 113.*

Idola.

Deus aureus, & Deus ligneus ad pretium dispares sunt: ad habere oculos, & non videre pares sunt, fratres sunt. Ecce qualibus docti homines Romam custodibus commiserunt, habentibus oculos, & non videntibus. Aut si Romam servare potuerunt, quasi ipsi ante perierunt? Inquiunt: Tunc perijt Roma. Tamen perierunt. Non inquiunt, ipsi perierunt, sed simulachra eorum Quomodo ergo custodirent tecta vestra, qui non potuerunt custodire simulachra sua? *T, 10. ser: de ver: Dñi, ser: 29. de illo. Quis vestrum habet amicum, &c.*

Deorum simulachra oculos habẽt & non vident.

DIVITIÆ.

Utilius terrena opulentia tenetur humiliter, quàm superbè relinquitur. *T, 2. Epist. 34.*

Dives humilis securior est.

Abraham cum dives viveret sic suscepit impium divitem cruciatus ignis, ut tamen pium pauperem susciperet sinus divitis, qui divitias sic habebat, & eas præ Dei præceptis tam parvi pendebat, ut etiam cum ipsius filii immolatione nollet offendere Deum jubentem, quem suarum divitiarum & sperabat & optabat hæredem. *Ibid. Epist: 89.*

Multi sunt tales qui etiam putant sibi ad augendas opes suas, & multiplicanda delectamenta terrena religionem debere suffragari Christianam, sed non sunt tales Divites Christiani. *Ibidem.*

Religio sceleri non suffragatur.

Divitiis Christum, & ipsas divitias profligamus.

Divitias ad quas vendendas parati non fuerunt monente Christo ad perdendas eas debent parati esse pro Christo, nè cum eis pereant perdito Christo. *Ibidem.*

Divitiæ, honores, sunt Cruciatus mentium.

Divitiæ quippe atq; fastigia dignitatum cæteraq; hujusmodi quibus se felices esse putant mortales veræ illius felicitatis expertes, quid afferunt consolationes, cùm sit eis indigere quàm eminere præstantius, quæ plùs excruciant adepta timore amissionis, quàm concupita adeptionis amore, talibus bonis non fiunt homines boni, sed aliunde boni facti benè utendo faciunt, ut ista bona sint. *Ibid. Epist. 121. c. 2.*

Dives qui intelligens, sapiens.

Philosophi in rebus intelligibilibus divitias ponunt, in sensibilibus egestatem. *Ibid. Epist. 151.*

Animalium est proprium egere.

Qualis quæstio divitiarum.

Divitiæ sæculares si desunt, non per mala opera quærantur in mundo, si autem adsunt per bona opera serventur in cælo. Animum virilem & Christianum si adsunt non debent extollere, nec debent frangere si recedunt. Illud potiùs cogitemus, quod Dominus ait: ubi est thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. *Ibid. Epist: 15.*

Qui propter Christum dimittit aliquid, plura accipit.

Ego quippe secundum multorum sensum comparantium semetipsos sibimetipsis, non divitias dimisisse, sed ad divitias videor venisse. Vix enim vigesima particula res mea paterna existimari potest, in comparatione prædiorum Ecclesiæ, quæ nunc ut Dominus existimor possidere. In qualibet autem maximè Africanarum Ecclesiarum hic noster non dico Præsbiter, sed Episcopus sit, comparatus pristinis opibus suis, etiamsi animo dominantis egerit pauperrimus erit. Multò ergo liquidiùs & securiùs in hoc amatur Christiana paupertas, in quo nulla rerum ampliorum potest putari cupiditas. Hoc accendit animos populi, hoc in illam violentiam perseverantissimi clamoris erexit. De vestra venerabili redundantia indigentiæ supplementum sperabant. Restat ergo ut iste pecuniæ turpissimus appetitus ex obliquo in Clericos & maximè in Episcopum dirigatur. *Ibid Epist: 225.*

Ille pauper vere Christianus qui non est cupidus.

Qui amator est divitiarum cor cum eis amittit.

Divitiæ iniquè congregatæ evomentur, cum tormento interiorum & pressurâ cordis. *T, 4. l. annot: in Iob. c 20.*

Sicut divitiæ Christus pœna quærendus.

Admonendi fuerant, qui tanta patiebantur pro auro, quanta essent sustinenda pro Christo, ut eum potiùs diligere discerent, qui pro se passos æterna felicitate ditaret, non aurum & argentum, pro quo pati miserrimum fuit, seu mentiendo occultaretur, seu verum dicendo proderetur. Namq; inter tormenta nemo Christum confitendo amisit, nemo aurum nisi negando servavit. *Ibid. cap: 10.*

Virtuosus, dives est.

Avarus mendicum agit.

Dives exterius interius eget.

Nam dicimus divites sapientes, justos, bonos, quibus pecunia, vel nulla est vel parva. Magis enim sunt virtutibus divites, per quas eis etiam in ipsis corporalium rerum necessitatibus, satis est quod adest: pauperes verò avaros dicimus semper inhiantes & egentes. Quamlibet enim magnas pecunias habere possunt, sed in earum quantacunq; abundantia non egere non possunt. Et DEUM ipsum verum rectè dicimus divitem, nón tamen pecuniâ sed omnipotentiâ: dicuntur autem & divites pecuniosi, sed interiùs egeni si cupidi. Item dicuntur pauperes pecuniâ carentes, sed interiùs divites, si sapientes. *T, 5. l. 7 de Civ: Dei c. 12.*

Pauperes adornant Christum.

Si vis esse perfectus, vade & vende omnia &c. Tristis quidem ille discessit neglector perfectionis, & elector defectionis. Sed nunquid ideo defuerunt, in quos unitatis unguentum tali rerum terrenarum dimissione perfectos tanquam in oram vestimenti à capite descenderet. *T, 7. l. 2. con: literas Petil. c. 104.* *Matth. 19. 21* *Ibidem.*

Ego dixi in abundantia mea non movebor in æternum. Quis *Ps. 29. 7.*

hic

hic habet abundantiam? Nemo. Abundantia hominis quæ est? Ærumna, calamitas, sed divitiæ habent abundantiam. Plus egent, quanto habent: desiderijs vastantur, cupiditatibus dissipantur, timoribus cruciantur, tristitia contabescunt. *T, 8. Enar: 2. in Psal: 29.*

Ne timueris ait tibi Spiritus DEI cum dives factus fuerit ho-
Ps:48. 17. mo, oculos non vis habere nisi in præsentia. Futura promisit qui resurrexit. Non est pax in hac vita: in Cælo nobis promissum est quod in terra quærimus. Quoniam cum interierit non sum & omnia. Vides viventem cogita cogita morientem, quid hic habeat attendis? quid secum tollat attende. Quid secum tollit? Multum auri habet multum argenti habet, multum prædiorum mancipiorum, moritur, remanent illa nescio quibus. Et si enim dimittit quibus vult, non servat qubus vult. Multi enim & non sibi dimissa acquisiuerunt, & multi sibi dimissa perdiderunt. Remanent illa omnia, & tulit secum. Quid? forte illud secum tollit unde involvitur. Ego nec hoc dico. Exhibentut enim ista non sentienti. *Et infra.* Ubi enim sensus ibi homo, ubi nullus sensus, non est homo. *Et infra.* Tanquam si Dominus domûs mittitur in exilium, & tu omnes parietes ipsius. Jlle in exilio eget, & fame deficit, vix sibi unam cellam invenit, ubi somnum capiat, & tu dicis: Felix est namq; ornata est domus illius: Quis te non aut jocari aut insanire arbitretur? Ornas caput torquetur spiritus. Da aliquid spiritui, & dedisti aliquid mortuo. Sed quid illi dabis, quando unam guttam desideravit & non accepit? *Ibidem.*

Divitiæ nil prosunt mortuo.

Ornatus corporis tortura spiritus.

Speravit in multitudine divitiarum suarum, & prævaluit in
Ps:51. 9. vanitate sua. Quid enim vanius eo qui putat plus valere nummum, quàm DEUM. *Ibid. Expos: in Psal:*

Apud improbos plus valet nummus quã Deus.

Divitiæ si fluant ne apponatis cor. Jlle non habet, iste habet:
Ps:61. 11. ille non quærat rapere quod non habet, iste non apponat cor in eo quod habet. Divitiæ si fluant id est si exundent, tanquam de fonte currunt ne apponas cor. *Noli* de te præsumere, noli tibi fidere: certe vel hoc time: *divitiæ si fluant*, vides quia si ibi cor posueris, & tu flues. *Ibid. in Psal. 61.*

Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum. Sunt enim mali, sed
Ps:72. 7. macre mali, ideo mali, quia macri: id iest exiles exiguitate quadam necessitatis affecti, & ipsi mali & damnandi. Ferenda est enim magis omnis necessitas, quàm perpetranda aliqua iniquitas: tamen aliud est de necessitate peccare, aliud in abundantia. Pauper Mendicus furtum facit, ex macie processit iniquitas. Dives abundans rebus tantis quare diripit res alienas? Jllius iniqnitas ex macie, hujus ex adipe processit. Ideo macro cum dicis. Quare hoc fecisti? Humiliter affectus & abjectus respondet: Necessitas coegit me. Quare non timuisti DEUM? Egestas compulit. Dic diviti quare hæc facis? & non times DEUM? si tamen tantus es qui possis dicere, vide si vel dignatur audire. vide si non etiam in teipso prodiet iniquitas ex adipe ejus. Jam enim præceptoribus & correptoribus suis inimicitias indicunt: & fiunt inimici verum dicentibus, jam sveti palpari verbis adulantium, aure molli corde non sano. Quis dicat diviti: Male fecisti rapiendo res alienas? aut forte si ausus fuerit aliquis dicere, & talis est cui non possit ille resistere, quid respondet? Totum in contemptum DEI loquitur. Quare? quia superbus est. Quare? quia pinguis est. Quare? quia devotus ad victimam est. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. Transi-
Ibidem. erunt in dispositionem cordis: ibi intus transierunt. Quid est transierunt? Prætergressi sunt viam. Quid est transierunt? Excesserunt metas humani generis homines, se pares cæteris non putant, *Et infra.*

Rerum abundantia vitiorum origo.

fra. Simul te pauperem contegit tectum mundi Cælum: sed diversus es, à paupere rebus non tuis extrinsecus appositis. Te in illis vide non illa in te. Attende teipsum qui sis ad pauperem: teipsum non quod habes. Quid enim despicis fratrem? In visceribus Matrum vestrarum ambo nudi fuistis. Certe etiam cum de ista vita exieritis & istæ carnes exutâ animâ fuerint, putrefactæ non dignoscuntur ossa divitis & pauperis? *Et infra.* Et cum apud inferos ille dives in tormentis esset, nonne elevavit oculos suos, & vidit in infinito gaudio eum quem contempsit ante januam suam, & digito ejus aquæ stillam desideravit, qui de mensa ejus cadentes micas desideravit. Fratres labor iste pauperis quantus fuit? Deliciæ illius divitis quàm longæ fuerunt? Quod autem mutaverunt perpetuum est. *Ibid. in Psal. 72.*

Divites quid sint bona quæ possident considerent.

Luc. 16. 24.

Dormierunt somnum suum & nihil invenerunt. Omnes viri divitiarum in manibus suis. Quomodo qui videt per somnium, invenisse se thesauros, tamdiu dives est, quam diu non evigilet: somnium illum divitem fecit: evigilatio pauperem fecit. Tales sunt & isti. *Ibid. in Psal: 75.*

Somniant qui se divites existimant.

Ps. 75. 6.

Quid enim tam incertum quàm res volubilis? Nec immerito. Ipsa pecunia rotunda signatur quia non stat. Tales ergo etsi habeant aliquid pauperes sunt. Qui vero nihil horum habent, & habere desiderant inter reprobandos divites computantur: non enim attendit DEUS facultatem, sed voluntatem. *Ibid. in Psal: 83.*

Unde homines sunt divites? Puto auro, argento, familia terra: sed omnia per ipsum facta sunt. Quid ergo illo ditius per quem factæ sunt divitiæ? Per illum enim & illæ divitiæ ingenium, memoria, mores, vita, ipsius corporis sanitas, sensus confirmatioq; membrorum, Etenim cum hæc salva sunt, & pauperes divites sunt. Per illum & illæ majores divitiæ. Fides pietas, justitia charitas, castitas, mores boni. Nemo enim & has habet, nisi per eum qui justificat impium. Ecce quàm dives. Quis enim magis dives qui habet quod vult alio faciente, an qui habet quod vult & alio habente? Puto quia dicitur ille qui fecit quod habes. Quia quod ille habet tu non habes: Ecce quàm dives. *Ibid. ser: 1. de 1. parte Ps: 101.*

Quam dives est qui Deum possidet.

Ioa. 1. 3.

Superflua divitum necessaria sunt pauperum. Res alienæ possidentur cum superflua possidentur. Faciens ergo hujusmodi misericordias, & illam præcipue quæ gratis constat. Dimitte sicut dimittimus: qua non nisi charitate erogas quæ crescit cum erogas. *Ibid. Expos: Psal: 147.*

Superflua divitum pauperibus debentur.

Præcipe divitibus hujus mundi. Præcipe. Quid? Præcipe ante omnia non superbe sapere. Nihil est enim quod sic generent divitiæ, quomodo superbiam. Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum, habet vermem suum. Alius est vermis mali, alius pyri alius fabæ, alius tritici: vermis divitiarum superbia. *Et infra.* Vix fastidiosus satiaris: Nescis quomodo sapit, quod fames accendit. Neq; ita hoc dixi, ut divites cogam epulis, & cibis pauperum vesci. Utantur divites consvetudine infirmitatis suæ: sed doleant aliter se non posse. Melius etenim possint, si aliter possint. Si ergo non extollitur pauper de mendicitate: tu quare extolleris de infirmitate? Utere cibis electis, pretiosis, quia sic consvesti, quia non aliter potes: quia si consvetudinem mutes, ægrotas. Conceditur tibi utere superfluis, da pauperibus necessaria. Utere pretiosis da pauperibus vilia. Expectat à te, expectas à Deo. Expectat ille manum, quæ facta est secum: expectas tu manum quæ fecit te. Sed non solum te fecit, sed & pauperem tecum. Dedit vobis unam viam istam vitam. Invenistis vos comites, unam viam ambula-

1. Tim. 6. 17.

Vermis divitiarũ superbia.

Pauperes dũ præmiamus, præmiamur.

bulatis. Jlle nihil portat: tu interim plus portas quàm opus est. Oneratus es, da illi de eo quod habes: & illum pascis, & onus minuis. *T, 10. ser. de ver: Dom: ser: 5. de illo. Petite, & dabitur vobis &c.*

Etiam tunc dum nobis nocere videmur prosumus.

Difficile est, ut non sit superbus qui dives est. Tolle superbiam, divitiæ non nocebunt. *T, 20. 50. Homil: Hom: 13. de illo. Ne tardes converti ad Dominum &c.*

Superbia comes est divitiarum.

Tunc vere dives eris, quando nullius indigens eris. Non tu dives, & Angelus pauper, qui non habet jumenta, & rhedas, & familias. Quare? Quia non indiget, quia quantò fortior, tanto minus indigus. Ergo ibi divitiæ, & vere divitiæ. Epulas terræ hujus non ibi cogites. Epulæ enim terræ hujus medicamenta quotidiana sunt, ægritudini cuidam nostræ, cum qua nascimur, necessaria sunt. Ægritudinem istam sentit, quisquis cum hora reficiendi transierit. Vis videre quanta ægritudo sit ista, ut tanquam acuta febris septem diebus necet? Ne te sanum putes. Sanitas immortalitas erit. *T. 10. ser. de Temp: serm: 74. Dnica 2. in Quadrag ser: 1.*

Maximæ divitiæ paupertas.

Vera sanitas est immortalitas.

Temporalia ad utendum, æterna ad fruendum. *Et infra.* Hoc prosint divitiæ, ne sit tibi difficultas tribuendi. Vult enim pauper & non potest: vult dives & potest. *Ibid. ser: 212. Dnica 8. post Festum Trinit: ser: 1.*

Copia ejus non extollat bonos nec elidat inopia; malos autem & cum offertur excæcet. & cum aufertur excruciet. *T. 10. de diver: ser: 15. tract: 2. con: Manichæos.*

Divites in bonis operibus ut facile tribuant. Ad hoc dives esto, ut facile tribuas. Pauper enim vult tribuere & non potest, apud illum difficultas, apud te facilitas. Hoc tibi prosit quod dives es, quia cum volueris facere, statim facis. Facile tribuant. *T. 10. Homil: ser: 10.*

Ad hoc divites esse debemus ut facile tribuamus.

De divitibus dicit Psalmus, dormierunt somnum suum, &
Ps. 75. 6. nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Aliquando & mendicus in terra jacens, & frigore tremens, occupatus à somno thesauros somniat, gaudet, exultat, superbit, & patrem suum pannosum videre indignatur. In somnis est quod vides o tu mendice, qui dormis & gaudes. *Et infra.* Dives ergo moriens similis est illi pauperi dormienti, & thesauros somnianti. Nam ille dives qui induebatur purpura & bysso, nec nominatus, nec nominandus, contemptor pauperis ante januam jacentis epulabatur quotidiè splendidè, postea mortuus est & sepultus. Evigilavit, & se in flamma invenit. *Et infra.* Propter vitam quæruntur divitiæ, non vita propter divitias. Quàm multi cum suis hostibus pacti sunt, ut vitam solam redimerent? Quantumcunque habuerunt totum dederunt, tantum ne vitam amitterent. Totum dedisti barbaris, quod habuisti, frater? Totum inquit dedi, nudus remansi: & si nudus, vivam. Et quare? Totus occidendus eram, ideo totum dedi. Et quare tibi hoc contigit? Vis dico tibi? Quia antequam barbarus superveniret, pauperi non subveniebas, ut per pauperem eleemosyna ad Christum perveniret. Christo modicum non dedisti, & barbaris totum quod habuisti dedisti, & hoc cum Sacramento dedisti: Christus rogat & non accipit. Jlle torquet, & totum aufert. Si tanti redemisti vitam perituram, quanti comparanda est vita æterna? Qui das hosti ut vivas mendicus, da aliquid Christo, ut vivas paucis diebus, quod hostis exigit facis, & quod Christus exigit contemnis. Omnes dies hominis ab infantia usq; ad senectutem pauci sunt: & si ipse Adam hodie moreretur paucos dies vixerat, quia omnes finierant, qui utiq; sex millia annos vixerat: & tamen pauci erant, quia cunctos finierat. Paucos dies, laboriosos,

Thesauri hujus mundi similes illis quos somniamus.

Plerumq; homines vitam propter divitias quærunt.

Christo in pauperibus subvenimus.

Pluris æstimamus vitam perituram quã æternam.

In hostem aliquãdo liberaliores sumus quã in Deum.

Brevia sunt illa quæ aliquando finiuntur.

ſos, tentationibus plenos redimis, ut modicam terram habeas, id eſt villam. *Et infra.* Scriptum eſt, Theſaurizate vobis theſauros in Cælo, quo fur non accedit: nec tinea nec rubigo exterminat. *Et infra.* Si inveneris meliorem cuſtodem quàm Chriſtum commenda ei pecuniam tuam. Commendo inquit ſervo meo bene. Quanto melius Domino ſuo? Et ſervum tuum præponis Domino tuo? O Chriſtianum virum! Servus tuus fortaſſis audiet, & fugiet: nunquid Chriſtus hoc facturus eſt? *Matt. 6. 20.*

Cui animam commēdamus, illi et divitias commendare debemus. Divitibus pecuniæ cariores, quam animæ. In terra quod Deo damus, in Cælo recipimus. Deus in terra eget, ut nos faciat in Cælo divites. Divitum cor inter divitias Sæpe Deo illis contentos esse dedit quæ illi promisimus.

Et infra. Cui animam meam commendo? DEO meo. Quanto melius o homo illi & aurum tuum cui & animam tuam? An forte fidelis eſt in cuſtodiendo animam tuam, & infidelis in cuſtodiendo pecuniam tuam? Servat tibi qui ſervat & te. *Et infra.* Dicit Chriſtus, in Cælo theſauriza, non dicit tibi. Scalas quære, machinas liga, pennas apta. Hoc dicit, mihi in terra da, & tibi in Cælo ſervo: Ideò veni egere ego in terra ut ſis tu dives in Cælo. Fac trajectitium. Forte times fraudatorem, ne perdas: & quæris qui portet, qui migret. Chriſtus tibi in utroq; adeſt. *Et infra.* Amas divitias? Amo inquis. Ergo migra eas, & cum migraveris eas, ſequere eas, interim corde, cum vivis: quia ubi fuerit theſaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Si autem in terra obruis cor tuum, erubeſcere quia mentiris, cum reſpondes quando audis, Surſum cor. Nam dicitur, ſurſum cor, & continuo reſpondes. Habemus ad Dominum, DEO mentiris. Una hora in Eccleſia verum non dicis. DEO mentiris, quod ſemper hominibus facis. Dicis: Habemus ad Dominum, & in terra obrutum habes cor: quia ubi fuerit theſaurus tuus, ibi erit & cor tuum. *Matt. 6. 21.*

Angeli et Sācti in Cælo nihil habentes omnia possident.

Et infra. Si revera tu multa habendo dives es, Angelus meus pauper eſt: nihil habet, nec equo utitur, nec rheda vehitur, nec menſam honeſtis implet apparatibus: nec ei veſtis texitur, quia luce æterna veſtitur. Diſce ô homo dives veras divitias appetere! Tu iſtas divitias habere vis, ut habeas unde multum manduces, quia deficis. Jlle te verè divitem facit, qui tibi donat ne tu æternum eſurias.. Nam quantumvis habeas, cum venerit hora quinta, antequam ad menſam accedas, eſuris & deficis, quia miſer es. *Et infra.* Amas, & ſequi vis eum quem amas? Cucurrit, volavit, quære qua: neſcio qua: o Chriſtianum! neſcis qua ivit Dominus tuus? Vis dico tibi qua eum ſequaris? Per preſſuras, opprobria, per falſa crimina, per ſputa in faciem, per alapas & flagellorum verbera, per coronam ſpineam, per crucem, & per mortem. Quid piger es? Ecce demonſtrata eſt tibi via. Sed dura eſt inquis, via quis per iſtam illum ſequatur? Erubeſce barbare, erubeſce, à virtute vir diceris. Fæminæ ſecutæ ſunt quarum hodie natalitia celebramus. Fæminarum Martyrum Tiburtinarum ſolennitatem celebramus. *T. 10. Ser: Nov: ser: 32. de contemptu mundi.*

Ille solus ad Cælum perveniet, qui vestigia Christi sequitur.

DOCTRINA

Astrologia Dæmoniaca.

OMnes autem hujuſmodi (loquitur de Genethliacis ſivè Aſtrologis) vel nugatoriæ, vel noxiæ ſuperſtitionis, ex quadam peſtifera ſocietate hominum ac Dæmonum, quaſi pacta infidelis & doloſæ amicitiæ conſtituta, penitùs ſunt repudianda, & fugieuda Chriſtiano. *T. 3. lib: 2, de doct: Christ: c, 23.*

Falsis et fictis facilè delectamur.

Millia fictarum fabularum & falſitatum, quarum mendacijs homines delectantur, humana inſtituta ſunt, & nulla magis hominum propria, quàm quæq; falſa & mendacia. *T. 3. ibid: c. 26.*

Ambro-

Ambrosius quæstionem solvit calumniantibus Platonis lectoribus & dilectoribus: qui dicere ausi sunt omnes Domini nostri Jesu Christi sententias, quas mirari & prædicare coguntur, de Platonis libris eum didicisse, quoniam longè ante humanum adventum Domini Platonem fuisse negari non potest. Nonne memoratus Episcopus consideratâ historiâ gentium, cum Platonem reperisset Hieremiæ Prophetæ temporibus profectum fuisse in Ægyptum, ubi tunc ille Propheta erat, probabilius esse ostendit, quod Plato potius nostris literis per Hieremiam fuerit imbutus, ut illa posset dicere & scribere, quæ jure laudantur. Ante literas enim gentis hæbræorum, in qua unius DEI cultus emicuit, ex qua secundum carnem venit Dominus noster nec ipse quidem Pithagoras fuit, à cujus posteris Platonem Theologiam didicisse isti asserunt. *Ibid: cap. 28.*

Christi doctrina à seipso.

Sicut corporis medicamenta quæ hominibus ab hominibus adhibentur, nonnisi eis prosunt, quibus DEus operatur salutem, ita & adjumenta doctrinæ tunc prosunt animæ adhibita per hominem, cum DEus operatur ut prosinr, qui potuit Evangelium dare homini, etiam non ab hominibus neq; per hominem: *T, 3, l, 4, de Doctr: Christiana c, 26.*

Doctrina prodest animæ, operante Deo.

In ipso sermone malit rebus placere, quàm verbis nec existimet, dici melius nisi quod dicitur veriùs, nec Doctor verbis serviat, sed verba Doctori. *T, 3, lib: 4 de Doctr: Christ: c,* 28.

Doctores Prædicatores, res non verba curent.

De septuaginta duobus discipulis: sicut viginti quatuor horis totus orbis peragitur atque à sole illustratur: ita mysterium illustrandi orbis per Evangelium Trinitatis in septuaginta duobus discipulis intimatur. Viginti quatuor enim ter in septuaginta duobus ponimus. Quod autem binos mittit, Sacramentum est charitatis. *T, 4, lib: 2, quæst: Evang: quæst:* 14.

Apostoli discipuli soles orbis.

Binarij charitatis imago.

Jllud planè non prætermittendum est, ut si ad te quisquam catechisandus venerit liberalibus doctrinis excultus, cum his breviter agendum est, & non odiosè inculcando quæ norunt, sed modestè perstringendo: ita ut dicamus nos credere quod jam noverint illud atq; illud, atq; hoc modo cursim enumerare omnia, quæ rudibus indoctisq; inculcanda sunt: ut etsi quid novit eruditus iste, non tanquam à Doctore audiant: & si quid adhuc fortè ignorat, dum ea commemoramus, quæ illum jam nos se credimus, discat. *T. 4, lib, de Catechisan: rudibus c.* 8.

Prædicatio modesta sit.

Tam stulti sumus, ut alacrius arbitremur cum pane currendum, quo ventrem esurientis impleamus, quàm cum verbo DEI quo mentem studentis instruamus. *Ibid: c, 14.*

Verbum Dei epulis delectabilius.

Vir doctissimus undecunq; Varro; qui tam multa legit, ut aliquid ei scribere vacâsse miremur: tam multa scripsit, quàm multa vix quenquam legere potuisse credamus. *T 5, lib: 6. de Civit; Dei. c, 2.*

Varro eruditus.

Quantum attinet ad literas Græcas, quæ lingua inter cæteras gentium clarior habetur, duo Philosophorum genera traduntur: vnum Italicum ex ea parte Italiæ, quæ quondam magna Græcia nuncupata est: alterum Jonicum in eis terris, ubi & nunc Græcia nuncupatur. Italicum genus Authorem habuit Pithagoram Samium à quo etiam ferunt ipsum Philosophiæ nomen exortum. Nam cum antea sapientes appellarentur: iste interrogatus quid profiteretur? Philosophum se esse respondit, id est Studiosum vel amatorem sapientiæ, quoniam sapientem profiteri arrogantissimum videbatur. Jonici verò generis Princeps fuit Thales Millesius, unus eorum septem qui appellati sunt sapientes. Huic successit Anaximan-

Pithagoras Italicæ Philosophiæ auctor.

Sapiens idem est quod Philosophus

Thales Millesius Jonicæ Philosophiæ Princeps.

mander ejus Auditor. Iste Anaximenem discipulum & successorem reliquit Anaxagoras verò ejus Auditor, & Diogenes quoq; alter Auditor hujus. Socrates hujus discipulus fuisse perhibetur Magister Platonis, propter quem breviter cuncta ista recolui. *T 5. lib: 8. de Civit: Dei. c, 2.*

Non fuit Plato Hieremiæ discipulus. Platonem nonnulli putaverunt, qvando perrexit in Ægiptum, Hieremiam audisse Prophetam, vel scripturas Propheticas in eadem peregrinatione legisse. Sed diligenter supputata temporum ratio, Platonem indicat à tempore quo prophetavit Hieremias centum fermè annos postea natum fuisse. Qui cum octoginta & unum vixisset, ab anno mortis ejus, usq; ad id tempus, quo Ptolomæus Rex Ægipti scripturas Propheticas gentis hæbreorum de Judæa poposcit, & per septuaginta Viros hæbreos qui etiam Græcam linguam noverant, interpretandas habendasq; curavit, anni fermè reperiuntur sexaginta: nisi fortè quia fuit acerrimi studij, sicut Ægiptias, ita & istas per interpretem didicit, quod & me plurimum adducit, ut pene assentiar, Platonem illorum librorum expertem non fuisse: quod cum ad Sanctum Moysem, ita verba DEI per Angelum perferantur, ut quærenti quod sit nomen ejus, respondeatur: Ego sum qui sum. Vehementer hoc Plato tenuit & diligentissimè commendavit. *Ibid. cap, 11.*

Nihil novimus nisi mendacium. Semitas tuas edoce me, quæ non latæ sunt, nec multitudinem ad interitum ducunt: sed angustas & paucis notas semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua errores fugientem & doce me: nam per ipsum non novi nisi mendacium. *T, 8. in Psal: 24.* *Ps. 24. 4.*

Injuria servorū Christi, injuria Christi. Dominus noster JESUS Christus, quæ discipulis suis loquebatur illô tempore, scribebantur, & nobis ad audiendum parabantur. Audivimus ergo verba ejus. Quid enim prodesset si videretur, & non audiretur? Nec modo aliquid obest, quia non videtur, & tamen auditur. Dicit ergo qui vos spernit me spernit. Si solis Apostolis dixit. Qui vos spernit, me spernit; spernite nos. Si autem sermo ejus pervenit ad nos, & vocavit nos; & in eorum loco constituit nos: videte ne spernatis nos, ne ad illum perveniat injuria quam nobis feceritis. *T, 10 ser: de verb. Dni ser: 24. de illo. Qui vos spernit, me spernit.* *Luc. 10. 16.*

Corpꝰ Christi & verbū Dei eandem reverentiam merentur. Interrogo vos fratres vel sorores, dicite mihi quid vobis plus esse videtur, verbum DEI an corpus Christi? Si verum vultis respondere, hoc utiq; dicere debetis, quod non sit minus verbum DEI, quàm corpus Christi. Et ideo quanta solicitudine observamus, quando nobis corpus Christi ministratur, ut nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat? tanta solicitudine observemus, ne verbum DEI quod nobis erogatur, dum aliquid aut cogitamus, aut loquimur, de corde nostro pereat, quia non minùs reus erit qui verbum DEI negligenter audierit, quàm ille qui corpus Christi in terram cadere negligentia sua permiserit. *Qui verbum Dei neglienter audit, corpus Christi in terram cadere permittit.* Vellem tamen scire si ab illa hora, quâ verbum DEI prædicari cæperit, semper pretiosissimas gemmas, & inaures vel annulos aureos erogare vellemus? utrum stare aut accipere vellent filiæ nostræ. Sinè ulla dubitatione cum grandi ambitione, quæ illis offeruntur, acciperent. Nos vero quia ornamenta corporalia offerre nec possumus, nec debemus, ideo non libenter audimur. Sed non est justum ut spiritualia ministrantes superflui judicemur. *T, 10. 50. Homil: Homil: 26. de permissione ac prohibitione sedendi in Ecclesia &c.*

Verbū Dei est vermis eorū, qui illô auditô peccant. Post susceptum verbum DEI qui peccat, efficitur ei ipsum verbum vermis, qui ejus semper conscientiam fodiat, & arcana pectoris rodat. Nunc ergo festinemus cæleste manna suscipere.

Istud

Istud enim manna prout vult quisq; talem saporem sapit. Audi enim & Dominum dicentem his qui accedunt ad se: Fiat tibi secundum fidem tuam. Et tu ergo si verbum DEI quod in Ecclesia prædicatur tota fide; & tota devotione suscipias, fiet tibi ipsum verbum quodcunq; desideras v G. Si tribularis, consolatur te dicens: Cor contritum & humiliatum DEUS non despiciet. Si lætaris prosperè, cumulat tibi gaudia dicens: Lætamini in Domino & exultate justi. Si iracundus es, mitigat te dicens: Dominus sanat omnes languores tuos. Si paupertate consumeris, consolatur te dicens: Dominus erigit de terra inopem, & de stercore erigit pauperem. Sic ergo manna verbi DEI reddit in ore tuo saporem quemcunq; volueris. *T, 10. ser: de Temp: ser: 91. Fer: 5. post 3. Dñicam Quadrag: sert 2.*

Verbum Dei est manna cæleste.

Ps. 501 *Ps. 31. 11.*

Idcirco doctrinam Catholicam contradicentium obsidet impugnatio, ut fides nostra non otio torpescat, sed multis exercitationibus elimetur. Propter hoc deniq; & Apostolus dicebat: Oportet autem hæreses esse, ut probati quiq; manifesti fiant inter vos. *Ibid: ser: 97. Fer: 2. post 4. Dnicam Quadrag.*

I. Cor. 11. 19.

Hæreses permissione Catholicorum torpescas.

Qui bene vivit meretur amplius intelligere: qui malè vivit & quod intelligit perdet. Sic dictum est. Qui habet, dabitur ei: qui autem non habet, & id quod videtur habere, aufertur ab eo. *T. 10. ser: de diver: ser: 5. de duabus piscationibus.*

Bona vita intellectum alit, mala habet.

Scribæ inquit & Pharisæi super Cathedram Moysi sedent: quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite. Quid aliud dixit nisi per mercenarios vocem pastoris audite? Sedendo enim super Cathedram Moysi, legem DEI docent ergo per illos DEUS docet. Sua vero illi si velint docere, nolite audire, nolite facere: certe enim tales sua quærunt, non quæ JESU Christi. Nullus tamen mercenarius ausus est dicere populo Christi tua quære non quæ JESU Christi. Quod enim male facit non prædicat de Cathredra Christi: inde lædit unde male facit, non unde bona dicit. Botrum carpe, spinam cave. Bene quia intellexistis, sed propter tardiores dicam hoc idem planius. Quomodo dixi: Botrum carpe, spinam cave: cum Dominus dicat Nunquid colliguntur de spinis uvæ, aut de tribulis ficus? Verum est omnino, & tamen verum ego dixi, botrum carpe, spinam cave: quia botrus aliquando de radice vitis exortus pendet in sepe, crescit palmes, inseritur spinis, & portat fructum spina non suum. Non enim spinam vitis attulit, sed spinis palmes incubuit. Noli interrogare nisi radices, Quære radicem spinæ, extra invenies à vite: quære originem uvæ, vitis hanc protulit ex radice. Cathedra ergo Moysi vitis erat: Pharisæorum mores spinæ erant. Doctrina vera per malos palmes in sepe. Botrum inter spinas caute lege, ne dum quæris fructum laceres manum: & cum audis bona dicentem ne imiteris mala facientem. Quæ dicunt facite, legite uvas: quæ autem faciunt, facere nolite, cavete spinas. *T, 9. in Ioan: Tract: 46. de cap: 10.*

Matt. 23. 2

Concionatoris non mores sed salutaria verba attendenda.

Ex malis bona eruenda.

Doctrina vera perversi ore prolata est botrus de spinis.

Veniat semen ad terram bonam. Scio quod qui audit, & bene audit, officit & proficit. Deficit iniquitati proficit veritati. Deficit sæculo, proficit DEO. *T, 9. lib: de discip: Christ: cap. 13.*

Concionis fructus est in defectu & profectu.

An vultis inquit experimentum ejus accipere, qui in me loquitur Christus? Christus est qui docet. Cathedram in Cælo habet quia paulo ante dixi: Schola ipsius in terra est, & schola ipsius corpus ipsius est. Caput docet membra sua, lingua loquitur pedibus suis, Christus est docet. Audiamus, timeamus, faciamus. Et ne contemnas ipsum Christum, qui proter te in carne natus est pannis mortalitatis circumdatus propter te esurivit & sitivit, pro

Christi Cathedra in cælo Schola in terra.

pter te lassatus ad puteum sedit, propter te fatigatus in navi dormivit, propter te contumelias indignas audivit; propter te à facie sua sputa hominum non abegit, propter te alapas in faciem accepit, propter te in ligno pependit: propter te animam effudit, propter te in se pulchro positus est. Hæc omnia forte contemnis in Christo? Vis nosse quis sit? Recole Evangelium quod audisti. Ego & Pater unum sumus. *Ibidem cap: 14.*

DOMINUS

Deus minimè gaudet Titulo Domini.

Nusquam positum est Dominus Deus sed tantùm Deus; nunc verò ubi ad id ventum est, ut hominem in paradiso constitueret, ita scriptura locuta est: Et sumpsit Dominus Deus hominem, quem fecit, quia hoc propter hominem scribebatur, ad eum admonendum, quantum ei expediat hebere Dominum; hoc est sub ejus dominatione obedienter vivere, quàm licentiosè abuti propriá potestate. Et posuit eum in Paradiso operari eum, ut justus esset, & custodire ut tutus esset, ipsa utiq; dominatione sua, quo non est illi sed nobis utilis. Jlle quippè nostra servitute non indiget, nos verò dominatione illius indigemus ut operetur & custodiat nos: & ideo verus & solus est Dominus, quia uon illi ad suam, sed ád nostram utilitatem salutemq; servimus. *T. 3, lib: 8. de Geń: ad literam cap: 11.* *Gen. 2.* *Ibidem*

Dominus nostro bono imperat nobis vel Dominus non sibi sed subditis vivere dicit.

Hæc est sine ulla dubitatioue justa servitus, & justa dominatio, cum pecora homini serviunt, & homo pecoribus dominatur. Servum autem hominem homini, vel iniquitas vel adversitas dominari fecit. Iniquitas quidem sicut dictum est: Maledictus Chanaan erit servus fratribus suis. Adversitas verò sicut accidit Joseph, ut venditus à frátribus servus alienigenæ fieret. Itaque primos servos quibus hoc nomen ín latina lingua inditum est, bella fecerunt. Qui enim homo ab homine superatur jure belli posset occidi, quia servatus est, servus est appellatus: índe & mancipia, quia manu capta sunt. *Et infra.* Hæc igitur in dominationibus & servitutibus clara justitia est, ut qui excellunt ratione, excellant dominatione: quod cum in hoc sæculo per iniquitatem hominum perturbatur, vel per naturarum carnalium diversitatem, ferunt justi temporalem perversitatem, in finem habituri ordinatissimam & sempiternam felicitatem. *T, 4, lib: 1. quæst: in Geń: quæst: 153.* *Gen. 9. 25.*

Servitus est animalis Conditio.
Peccata servos nos reddunt.
Vnde servi ab nomen deducitur:
Sapiens Dominari dat.

Dominus dicit ad Jesum Nazarenum sicut eram cum Moyse ita ero & tecum. Non solùm autem hoc testimonio, sed etiam in Deutoronomio multis documentis approbatur. Moyses ita defunctus, ut Dei famulus & Deo placens. Ex quo datur intelligi Dominum, etiam bonis servis suis in aliquo succensentem, & temporaliter vindicare, & tamen in eorum habere numero qui sunt in Domo ejus vasa in honore utilia Domino, quibus daturus est promissa Sanctorum. *T, 4, lib: 6. quæst: in Iosue quæst: 1.*

Amoris indicium est, cum servos suos castigat Deus.

Non enim Christianum sic oporteret possidere servum, quomodo equum aut argentum: quanquam fieri possit, ut majori pretio valeat equus, quam servus, & multò magis aliquid aureum vel argenteum. *Ibid: lob: 1. de serm: Dńi in monte cap: 19.*

Servorũ pretium.

Facit hoc bene id est humili charitate ac benigna severitate, qui sic præesset fratribus ut eorum servum se esse meminerit, sicut se habent ipsius Domini & præceptum & exemplum. Tunc enim fit sine typho elationis in hominem, & cum luctu deprecationis ad Deum. *T, 7, lib: 3. coń: Epam: Parmen. cap: 2.*

Servire debet Dni exemplo sibi subjectis.

Non-

Ps.118 133. Non dominetur mihi omnis iniquitas. Noli timere si Christianus es. Dominum hominem: Dominum DEUM tuum semper time. Malum in te time hoc est cupiditatem tuam: non quod in te DEus fecit, sed quod tibi ipse fecisti. Te Dominus bonum servum facit, tu tibi in corde tuo malum Dominum creasti. Merito subderis iniquitati, merito subderis Domino, quem tu tibi ipse fecisti: quia ei qui te fecit subditus esse noluisti. *T, 8. Expos: Psal: 18.* *Mancipia cupiditatis sumus*

Luc.16 13. Non potestis duobus Dominis servire. Et. Alium colis propter id quod expectas in Cælo, & alium colis propter id quod expectas in terra. Quantò melius unum colis, qui fecit Cælum & terram. Qui curavit ut esset terra, imaginem suam non negligit in terra. *Ibid. Enar: in Psal: 40.*

Dixi Domino: DEus meus es tu. Quare? quoniam bonorum meorum non eges. Jlle non eget nostri, nos egemus ipsius: ideo verus Dominus. Nam tu non valde verus Dominus servi tui: ambo homines, ambo egentes DEO. Si autem putas egere hic servum tuum, ut des panem, eges & tu servi tui, ut adjuvet labores tuos: uterq; vestrùm altero vestrum indiget. Itaq; nullus vestrum vere Dominus & nullus vestrum verè servus. *Ibid. in Psal: 69.* *Nullus in terra Dominus, nullus servus.*

Ps.109 1. Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis. Jllud enim quod natum est ex semine David, ita honoratum est, ut esset & Dominus David. Ita admiraris hoc quasi in rebus humanis ista non fiant. Si enim contingat filium cujusquam Regem fieri Patre privato, nonne erit Dominus Patris? Admirabilius est quod potest contingere, ut non solum Rex factus privati filius, Dominus sit Patris sui: sed & Episcopus factus Laici filius, sit Pater Patris sui. *Ibid. Expos: Psal: 109.*

Ibidem Dominare in medio Paganorum, Judæorum, hæreticorum, falsorum fratrum. Dominare, dominare Fili David Domine David: dominare in medio Paganorum, Judæorum, hæreticorum, falsorum fratrum. Dominare in medio inimicorum tuorum. *Et infra.* Ut enim resurgeres mortuus es: ut ascenderes resurrexisti, ut sederes ad dexteram Patris, ascendisti; ergo ut ad dexteram Patris sederes mortuus es. De morte enim resurrectio, de resurrectione ascensio, de ascensione ad dexteram sessio. Hoc totum ergo cæpit à morte. Excellentia claritatis hujus, principium habet humilitatis. *Ibid. Expos: Psal: 109.* *Excellentia claritatis principium habet humilitatis.*

1. Cor. 6. 15. Qualis ille Dominus, qui servos suos fecit fratres suos? Sed parum erat fratres suos, nisi faceret membra sua? Itane tanta dignitas viluit? quia tam benignè præstita est, non honor ei retribuitur? Si non præstaretur, desideraretur: quia præstita est, contemnitur? *Et infra.* Propter corpus Christi corpora nostra membra sunt Christi: propter inhabitantem spiritum Christi corpora nostra sunt templum Spiritus Sancti. Quid horum in te contemnis? Christum cujus membrum es? an Spiritum Sanctum cujus templum es? *T, 10. ser: de verb: Apost: serm: 18. de illo. Nescitis, quia corpora vestra &c.* *Servi Christi sunt fratres Christi.* *Corpus Christi facit nos membra Christi.*

Servum si haberes velles ut serviret tibi servus tuus: servi tu meliori Domino DEO tuo. Servum tuum non tu fecisti, & te & servum tuum ille fecit. Vis ut tibi serviat cum quo factus es & non vis servire à quo factus es? Ergo cum vis ut serviat tibi servus tuus homo, & tu non vis servire Domino DEO tuo: facis DEO quod tu pati non vis. *T, 9. lib: de 10. chordis cap: 10.* *Indignum est non servire Deo.*

DO-

DOMUS.

DOmus nostra Æternitas tua. *T.1. lib: 4. confess: c.16.*

Peregrini sumus.

Quantumlibet enim vigilet disciplina Domus meæ, homo sum & inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, ut Domus mea melior sit quàm Arca Nòé, ubi tamen inter octo homines, reprobus unus est inventus. Aut melior sit, quàm Domus Abrahæ, *Gen.21*
ubi dictum est: eijce ancillam & filium ejus: aut melior sit quàm *10.*
Domus Jacob, cui de duobus geminis dictum est: Jacob dilexi. *Rom.9.*
Esau autem odio habui; aut melior sit, quam cohabitatio Pauli A- *13.*
postoli, qui tamen si inter omnes bonos habitaret, non diceret, fo- *2. Cor.*
ris pugnæ, intus timores. *T, 2. Epist: 137.* *7. 5.*

Bonis mali per mixti.

Sicut per aquarum diluvium una Domus Nòé remanserat, ad reparandum genus humanam: sic in diluuio multarum superstitionum per universum mundum una remanserat Domus Thare, in qua custodita est plantatio Civitatis DEI. *T, 5. lib: 12. de Civ: Dei. cap. 12.*

Felicitas abiectum esse in domo Domini.

Bona vox gaudenda vox, eligenda nox: Elegi abijci in domo *Ps.83.*
Domini, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Ipse *11.*
elegit abijci in domo Domini: sed ille qui invitavit ad convivium, eligentem inferiorem locum. Vocat ad superiorem, & dicit illi: Ascende. Ipse tamen non elegit nisi esse in Domo Domini in quocunq; loco non tamen extra limen. *T, 8. in Psal: 83.*

Iusti lapides in Cæli structuram.

Quoniam ædificavit Dominus Sion. Hoc agitur nunc. Eia *Ps.101*
labia vivi in structuram currite, non in ruinam. Ædificatur Sion, *19.*
cavete parietinas, ædificatur turris, cavete diluvium: ædificatur arca observate diluvium. *Ibid. ser: 1. de 1. parte Psal: 101.*

Cor nostrum Domus opulenta.

Gloria & divitiæ in domo ejus. Domus enim ejus, cor ejus *Ps.111*
est: ubi DEO habitante opulentius habitat cum spe vitæ æternæ, *3.*
quàm hominibus habitantibus in marmoratis, laqueatisq; tectis cum timore mortis æternæ. Hujus enim justitia manet in sæculum sæculi. Ipsa ejus gloria, ipsæ divitiæ. JIlius enim purpura& byssus, & epulæ splendidæ, & cum præsto sunt transeunt: : & cum ad finem venerit, aquæ guttam ex digito stillantem: desiderans ardens lingua clamabit. *Ibid. in Psal: 111.*

Felicitas Sanctorum omnes ad Cælum invitat.

In domum Domini, ibimus. Ergo curramus, curramus, *Ps.121*
quia in domum Domini ibimus. Curramus & non fatigemur, *1.*
quia illuc perveniemus ubi non lassabimur. Curramus in domum Domini, jucundetur anima nostra in his qui ea nobis dicunt. Qui enim ea nobis dicunt, priores viderunt ipsam Patriam de longinquo clamantes ad posteriores. In domum Domini ibimus. Ambulate, currite, viderunt illam Apostoli, & dixerunt nobis. Currite, ambulate, sequimini, in domum Domini ibimus. Et quid dicit unusquisq; nostrum? Jucundatus sum in his qui dixerunt mihi: in domum Domini ibimus. Jucundatus sum in Prophetis, jucundatus sum in Apostolis. Omnes enim isti dixerunt nobis: in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atrijs Hierusalem- Ecce habes domum Domini, si quærebas quid sit domus Domini. In illa domo Domini laudatur qui condidit domum. Ipse est deliciæ omnium habitantium in domo. Ipse sola spes hic, & res ibi. *Ibid. Expos: Psal: 121.*

Quomodo Deus in Sanctis habitat.

Antequam faceret DEUS Sanctos, ubi habitabat? In se habitabat DEUS, apud se habitabat, & apud se est DEUS. Et quando dignatur habitare in Sanctis, non sic fiunt Sancti Domus DEI, ut ipsa subtracta cadat DEUS. Aliter enim nos habitamus in domo, ali-

aliter Deus in sanctis. Tu habitas in domo: si subtracta fuerit, cadis. Deus autem sic habitat in sanctis, ut si ipse discesserit ipsi cadant. Quicunq; ergo sic portant Deum ut sint templum Dei, non putent sic à se portari Deum, ut terreant Deum si se subducant. Væ illi si se subtraxerit Deus, quia ipse cadit: nam Deus in se permanet. In quibus nos habitamus, ipsa nos continent: in quibus Deus habitat, ipse illos continet. Jam videte quantum interest inter nostram habitationem, & Dei: & sic dicat anima: Ad te
Ps. 122 1. levavi oculos meos qui habitas in Cælis: ut intelligat quia Deus nec Cælo indiget, ubi habitet, sed Cælum ipso indiget, ut ab ipso inhabitetur. *Ibid: Enar: in Psal: 122.*

Domum meam habeo, jactavit se. Quæris quam domum tuam? Quam mihi dimisit Pater meus. Et ille unde habuit hanc domum? Avus noster illi eam dimisit. Recurre & ad Proavum, inde ad Atavum, & jam nomina non potes dicere. Nonne inde potius terreris quia multos attendis transisse per illam domum, & neminem ipsorum secum illam tulisse ad æternam domum? Pater tuus hic eam dimisit, transijt per illam, sic & tu transibis. Si ergo transitum habetis in domo vestra, stabulum est itinerantium, non habitatio commanentium, *Ibid: Enar: Psal: 122.* *Domus terrena stabulũ est itinerantium.*

Domus ista tibi locata est & non donata, & si nolis migrabis. Et non eam tali conditione accepisti, ut quasi tempora certa sit tibi. Quid dixit Dominus Deus tuus? Quando voluero cum dixero, migra paratus esto. Expello te de hospitio, sed dabo domum. Inquilinus es in terra, eris possessor in Cælo. *Ibid. Expos: Psal: 248.* *Terra locata nobis non donata.*

Ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus:
Io. 14, 23. Ecce quid promittit Deus. Si ego qualiscunq; fragilis homo venturum me ad domum tuam promitterem, sine dubio mundares eam, superflua proijceres, quæ erant necessaria parares: Deus ad cor tuum venire vult, & piger es ei domum mundare? Omnia vitia inimica sunt Deo, & ideo ipso auxiliante proijce illa, si vis excipere Deum. Non enim amat Deus habitare cum avaritia immunda, sordida, & insatiabili, cui infideles homines servire volunt, & Deum videre cupiunt. Et tu ergo munda cor tuum, si po-
Iac: 4. 6. tes, id age, id operare, ut Christus mundet ubi maneat. Roga, supplica, humiliare: audi scripturam dicentem, Deus superbis resistit. Esto humilis, ut in te requiescat Deus. Idem ipse Christus tibi est via & Patria, secundum hominem via, secundum Deum Patria. *T, 10. ser: de Tem: ser: 175. In vigilia Ascensionis ser: 2.* *Advenienti Christo cor mũdandum.* *Minima vitanda.* *In eodẽ domicilio nõ potest manere Deus & peccatum.* *Humilitas gratissima Deo requies.*

Ostendit ille ubi maneret, & venerunt, & fuerunt cum illo. Quam beatum diem duxerunt, quàm beatam noctem? Quis est qui nobis dicat quæ audierint illi à Domino? Ædificemus & nosmetipsi in corde nostro, & faciamus domum quo veniat ille, & doceat nos. Colloquatur nobis. *T, 9. in Ioan: Tract: 7 de cap: 1.* *Cor nostrum domus Dei.*

Est quædam Dei manifestatio interior quam impij non noverunt *Et infra.* Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nescit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Ecce facit in sanctis cum Patre & Filio Sanctus etiam spiritus mansionem: intus utiq; tanquam Deus in templo suo. Deus Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Veniunt ad nos dum venimus ad eos. Veniunt subveniendo, venimus obediendo: veniũnt illuminando, venimus intuendo: veniunt implendo, venimus capiendo: ut sit nobis eorum non extraria visio sed interna, & in nobis eorum non transitoria mansio sed æterna. *Ibid. Tra: 76. de cap: 14* *Impiis se Deus non communicat.* *Adventus Dei ad nos, noster ad Deum.*

E

EBRIETAS

EBriosus nunquam fui, sed ebriosos à te sobrios factos ego novi. Ergo à te factum est, ut hoc non essent, qui nunquam fuerunt, à quo factum est, ut hoc non semper essent, qui fuerunt, à quo etiam factum est, ut scirent utriq; à quo factum est. *T, 1. lib: 10. confessionum cap: 31.*

Ebrietas longè est à me, misereberis nè appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquam subrepit servo tuo, misereberis ut longè fiat à me. *Ibidem.*

Visitasti eam & inebriasti eam. Apparet hanc ebrietatem, saturitatem significare. Nam ita inebriari, ut inebriantur ebriosi, nec ipsi terræ utile est, quoniam majore quàm satietati sufficit, humore corrumpitur, sicut vita ebriosorum, qui non satietate se replent sed mergunt diluvio. *T, 4. l. 1. quæst: de Genesi quæst: 144.* *Ps: 64. 10.*

Omne nimium nocet.

Quis aliquando habens uxorem, quia ancillam suam vitiavit, crimen invenit? sed in foro, non in Cælo, in lege mundi, non in lege creatoris mundi. Luxuriosus autem immundus, atq; lascivus felix dicitur: abundare voluptatibus, frui delicijs. Jam vero si se etiam vino ingurgitet, si bibat mensuras sine mensura, parum est quia non invenit crimen, etiam viri fortis accipit nomen: tantò nequior, quantò sub poculo invictior. *T, 10. ser: de ver: Ap. ser: 4.*

Peccata impunita in hoc seculo punietur in altero.

Cum fratres charissimi ebrietatis malum, sit grave vitium & DEO odibile, ita per universum mundum à pluribus in consvetudinem missum est, ut ab illis qui DEI præcepta cognoscere nolunt, jam nec putetur, nec credatur esse peccatum: in tantùm ut in convivijs suis irrideant eos, qui minus bibere possunt, & per inimicam amicitiam adjurare homines non erubescunt, ut potum amplius accipiant quàm oportet. Qui enim alterum cogit, ut se plus quàm opus est, bibendo, inebriet, minus malum ei erat, si carnem ejus vulneraret gladio, quàm animam ejus per ebrietatem necaret. *Et infra.* Et quia corpora nostra terrena sunt, quomodo pluvia nimiùm grandis, & diuturna si fuerit terra infunditur, & in lutum resolvitur, ut nulla in ea cultura possit fieri: sic & caro nostra quando abundantiori potu fuerit inebriata, nec spiritualem culturam accipere, nec fructus animæ necessarios poterit exhibere. *Et infra.* Istæ enim herbæ, vel arbores, quæ aut in ipsis paludibus, aut circa ripas earum nasci solent, nihil utilitatis habere videntur, in tantum ut in annis singulis incendio concrementur. Videte quod de ebrietate nascitur, igni præparatur. Tales enim sunt sicut jam dixi omnes ebriosi. Quorum prandia dicuntur usq; ad noctem, quorum cænas lucifer videt, qui stare non possunt, etiam cum videntur esse jejuni, quorum sensus tardi, graves, obtusi, & quodam modo jam sepulti. Deniq; in ipsa frequenter ebrietate nec se ipsos, nec alios recognoscunt, nec ambulare valent, nec stare, dicere aliquid vel audire, quod ad rationem pertineat omnino non possunt.

Ebrietas grave crimen.

Apud iniquos non est crimen

Minꝰ malum est vulnerari gladio quàm inebriari.

Potatores culturæ spiritualis non sunt capaces.

Ebrij similes sepultis.

Et infra. Majora enim pocula providentur, certa bibendi lege contenditur, qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine. Inde lites & rixæ nascuntur: inde diversis & horrendis saltationibus membra torquentur: inde adulteria, & nonnunquam homicidia perpetrantur, & quoties nimium potum accipiunt tanquam in paralysim resoluti, dum suis pedibus ambulare non possunt, fœdissima latera aliorum manibus portantur ad lectum. Et est in illis oculo-

Ebrietas rixarum vitiorum que mater.

culo-

culorum caligo, vertigo, fatigatio & dolor capitis, suffusio vultûs, membrorum omnium tremor, animæ ac mentis stupor. *Et infra.* Sed illi qui tales esse volunt, miserabiliter se excusare conantur dicentes: ingratum habeo amicum meum, si quoties illum ad convivium vocavero potum ei quantum voluerit ipse non dedero, & non sit tibi amicus, qui te DEO vult facere inimicum, qui & suus, & tuus est inimicus. Si & te & alium inebriaveris, habebis hominem amicum habebis DEUM inimicum.

Corpori & animæ noxia.

Invitans ad potum, amicũ habet hominẽ, Deum inimicum

Et infra. O infelicitas generis humani, quam multi inveniuntur, qui ebriosos & luxuriosos amplius quàm oportet cogunt bibere, & ante ostium pauperibus petentibus vel unum calicem dissimulant dare; nec attendunt quia illud quod luxuriosis videntur ingerere, Christus in pauperibus deberet accipere, qui dixit: quod fecistis uni ex minimis meis mihi fecistis. *Et infra.* Sed hic ante omnia intelligere & scire debemus quia non una die efficiuntur homines ebriosi, sed cum paulatim adjurantibus & cogentibus crudelissimis inimicis potius quàm amicis per singulos dies, singulos aut binos calices ad potum consvetudinarium addunt. At ubi hoc in usum miserint, ita eos ipsius ardor ebrietatis occupat, ut illos semper sitire compellat. *Et infra.* Quod pejus est aliqui etiam Clerici qui hoc deberent prohibere ipsi cogunt bibere aliquos plus quam expedit.

Ebrij in potatores prodigi, in pauperes parci.

Quo plus bibunt eò plus sitiunt.

Clerici aliquãdo ebrietatis authores.

Et infra. Et illud ante omnia rogo, & per tremendum diem judicij vos adjuro, ut quotiescunq; vobis invicem convivia exhibetis, illam fædam consuetudinem; per quam grandi mensura sine mensura, tres homines aut volentes aut inviti solebant bibere, tanquam venenum diaboli de vestris convivijs respuatis: quia ista infelix consvetudo adhuc de Paganorum observatione remansit. Et quicunq; hoc in suo convivio aut alieno fieri acquieverit, diabolo se sacrificasse non dubitaverit. *T, 10. serm: de Temp: ser:* 231. *Dom:* 17. *post Festum Trinit: ser: I.*

Qui cogit bibere, venenum propinat.

Qui ebrietati acquiescit Diaboli scrifiũ fit.

Videte miseriam ebriosorum. Se dicunt esse viros, qui in ebrietatis cloaca jacent, & illos non dicunt esse viros, qui honeste, & sobriè stant. Jacent prostrati, & viri sunt: stant erecti & viri non sunt? Victor ebrietatis vituperatur, & victus ebrietate laudatur. Irridetur sobrius, qui & se & alios potest regere: & non irridetur, imo non plangitur ebriosus, qui nec se, nec alios potest agnoscere. *Et infra.* Persona potens me coëgit, ut ampliùs bibam, & in convivio Regis non potui aliud facere. Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus: & quod implere nolumus, non potuisse nos dicimus. Nolle in culpa est nostra, & non posse prætenditur. *Et infra.* Et illud quàm lugendum & erubescendum est, quod dicuntur aliqui rustici, quando aut vinum habuerint, aut alia sibi pocula fecerint, quasi ad nuptiale convivium, ita ad bibendum vicinos vel proximos suos invitare, ut eos per quatuor aut quinq; dies teneant, & nimia ebrietate sepeliant, & tamdiu ad domos suas de illa lugenda potatione non redeant, donec omnem potum, quem ille, qui eos invitaverat, habuit, expendat; & unde se vel per duos aut tres menses cum omni familia sua rationabiliter reficere potuit, quatuor aut quinq, diebus dolenda, aut erubescenda bibitione consumat. *Ibid. ser:* 232. *in eadem ser:* 2.

Ebrietas laudat vitia, virtutem crimen putat.

Pluris facit amorem hominũ quàm Dei.

Ebrietas damnorũ origo.

Nullus se vestrum inebriet, quia ebrius insano simillimus est. Nolite in hominibus bibendo nomina vestra de Cælo tollere. Sunt quidem multi quod pejus est, qui non solum seipsos inebriant, sed etiam alios cogunt & adjurant, ut amplius quàm expedit bibant, & inde sæpe inter eos nascuntur jurgia & homicidia. Nunquid per-

Ebrius insano similis.

Ebrietas homicidiorum parens.

penditis fratres, cujus isti in hoc sequantur voluntatem? Ebriosi enim ait Apostolus, & homicidæ regnum DEI non possidebunt. *Ibid. ser: 251. post Trinit: Dnica 26. ser: 1.*

ECCLESIA.

IN sole posuit tabernaculum suum, in manifestatione Ecclesiam suam, non in occulto, non quæ lateat velut operta: ne fiat sicut operta super greges hæreticorum. In sole ergo posuit tabernaculum sum. Quid tu hæretice fugis in tenebras? Christianus es, audi Christum: servus es, audi Dominum: Filius es audi Patrem: emenda te revivisce. Dicamus & de te. Mortuus erat & revixit: pecierat, & inventus est. *T, 8. Expos: 2. in Psal: 18.* *Ps: 18. 5.* *Luc. 34. 12.*

In sole Christi Ecclesia.

A solis ortu usq; ad occasum laudate nomen Domini. Ecce Ecclesia quam ostendo, ecce quod emit Christus, ecce qui redemit, ecce pro quo sanguinem fudit. *T, 8. Expos: 2. Psal: 21.* *Ps: 112. 3.*

Inter fluctus stabilitas Ecclesiæ.

Ipse super maria fundavit eam universus orbis terrarum fit Ecclesia ejus. Ipse firmissime stabilivit eam super omnes fluctus sæculi hujus, ut ab ea separentur, nec nocerent ei. Et super flumina præparavit eam. Flumina in mare fluunt, & cupidi homines labuntur in sæculum. Etiam istos superat Ecclesia, quæ devictis per DEI gratiam cupiditatibus sæcularibus ad recipiendam immortalitatis claritatem parata est. *Ibid. in Psal: 23.* *Ps: 23. 2.* *Ibidem*

In Ecclesijs benedicam te Domine. Hoc est benedicere DEum in Ecclesijs Fratres, sic vivere, ut per mores cujusq; benedicatur DEus, nam qui benedicit Domino linguâ, & factis maledicit: non in Ecclesijs benedicit Domino. Linguâ prope omnes benedicunt, sed non omnes factis. Quidam voce benedicunt quidam moribus. *Ibid. Enar: 2. in Psal: 25.* *Ps: 25. 12.*

Ecclesia Arca Noë.

Dominus diluvium inhabitat. Dominus primum inhabitat diluvium sæculi hujus in Sanctis suis, tanquam in arca, ita in Ecclesia constitutis. Et sedebit Dominus Rex in æternum. Et deinde sedebit regnans in eis in æternum Dominus, virtutem populo suo dabit. Quia Dominus virtutem populo suo contra hujus mundi procellas & turbines dimicanti dabit, Dominus benedicet populum suum. In pace benedicet populum suum, in se ipso illi pacem præstans. *Ibid. in Psal: 28.* *Ps: 28. 10.*

Ecclesia tabernaculum.

Proteges eos in tabernaculo à contradictione linguarum. Quid est tabernaculum? Ecclesia hujus temporis. Tabernaculum ideo dicitur, quia adhuc in hac terra peregrinatur. Tabernaculum enim habitaculum est militum in expeditione positorum. Pugna in expeditione peregrinus, ut salvus factus in tabernaculo, gloriosus recipiaris in domum. Erit enim in Cælo domus tua æterna, si modo bene in hoc tabernaculo vixeris. Ergo in hóc tabernaculo proteges eos à contradictione linguarum. Contradicunt linguæ multæ, diversæ hæreses, diversa schismata personant, linguæ multæ contradicunt veraci doctrinæ. Tu curre ad tabernaculum DEI, Ecclesiam Catholicam tene, à regula veritatis noli discedere, & protegeris in tabernaculo à contradictione linguarum. *T, 8. Con: 3. in Psal: 30.* *Ps: 30. 11.*

Jlla schola Christi in duodecem non defecit, quantò magis nos firmi esse debemus, cum impleatur in Ecclesia magna, quæ de malorum permixtione prædicta est. *Ibid. Con: 1. in Psal: 34.*

In ista omni multitudine, id est in Ecclesia, quæ toto orbe terrarum diffusa est, palea est & frumentum. Palea volat, frumentum manet, ideo in populo gravi laudabo te. In gravi populo, *Ps: 34. 18.*

quem

quem ventus tentationis non aufert, in his DEus laudatur. Nam in palea blasphematur semper. Quando palea nostra attenditur quid dicitur? Ecce quomodo vivunt Christiani, ecce quid faciunt Christiani. Et fit quod scriptum est. Quoniam nomen meum per nos blasphematur in gentibus. Iniquè, invide, aream inspicis qui totus in palea es, non tibi facile grana occurrunt. quære & invenies populum gravem in quo Dominum laudes. Vis invenire? Esto talis nam si fueris talis difficile est ut non omnes tales tibi videantur qualis es. Et comparantes ait Apostolus semetipsos sibimetipsis, non intelligunt. *Ibid. Con: 2. in Psal: 34.* (2. Cor. 10. 13.)

De Sancta Ecclesia ejus, introibo ad altare DEi sublime. Quale ibi sacrificium est? Ipse qui intrat assumetur in holocaustum. *T, 8. in Psal: 42.*

Gaudeat sponsa amata à DEO. Quando amata? Dum adhuc fœda. Omnes enim peccaverunt ait Apostolus. Et iterum. Etenim Christus pro impijs mortuus est. Amata est fœda ne remaneret fœda, non enim vere fœda amata est: quia non fœditas amata est. Nam si hoc amaret, hoc servaret. Evertit fœditatem, formavit pulchritudinem. Ad qualem venit, & qualem fecit? *Ibid. in Psal: 44.* (*Ecclesia sponsa.*)

Delectaverunt te Filæ Regum in honore tuo. Intellige Filias Regum Civitates, quæ crediderunt in Christum, & à Regibus conditæ sunt. In honore tuo. Quia non quæsierunt honorem Patrum suorum, sed quæsierunt honorem tuum. Ostendatur mihi Romæ in honore tanto templum Romuli, in quanto tibi ostendo memoriam Petri. In Petro quis honoratur nisi ille defunctus pro nobis: sumus enim Christiani, non Petriani. Et si nati per fratrem defuncti, tamen cognominati nomine defuncti. *Ibid. in Psal: 44.* (Ps. 44. 10.) (*Civitates Fidelis augent Christo honorem.*)

Audi filia & vide. Prius audi postea vide. Viderunt Judæi & crucifixerunt: non viderunt gentes & crediderunt Veniat Regina de gentibus in vestitu deaurato, circumamicta varietate: veniat à gentibus. Veniat circumamicta omnibus linguis, in unitate sapientiæ: dicatur ei *Audi Filia* & vide, si non audieris non videbis. Audi ut mundes cor fide; sicut Apostolus ait. Fide mundans corda eorum. Parum est audi, humiliter audi. Inclina aurem tuam quoniam concupivit Rex speciem tuam. Quam speciem nisi quam ipse fecit? Cujus speciem? peccatis iniquæ, impiæ, qualis erat apud Patrem diabolum & apud populum suum? Non. Sed de qua dicitur. Quæ est ista quæ ascendit dealbata. Antea ergo non erat alba postea dealbata: quia si fuerant peccata vestra sicut phænicium, tanquam nivem dealbabo. Quis Rex? Rex tuus & ipse sponsus tuus. Regi nubis DEO, ab illo dotata, ab illo decorata, ab illo redempta, ab illo sanata. Quidquid habes unde illi placeas, ab illo habes. *Ibidem.* (Ibidem)

Simul in unum audiant Dives & pauper: simul in unum pascantur hædi & agni, donec veniat qui segreget alios ad dexteram, alios ad sinistram. Simul in unum audiant docentem, ne segregati ab invicem audiant judicantem. *Ibid. in Psal: 48.* (Ps. 48. 3.)

Permanebit cum sole. Permanebit ergo cum sole, quamdiu sol oritur & occidit: hoc est quamdiu tempora ista voluentur, non deerit Ecclesia DEI, id est Christi corpus in terris *Ibid. in Psal: 71.* (Ps. 71. 3.)

Bonum testimonium veritatis & Christum & vineam confitetur; hoc est caput & corpus: Regem & plebem: Pastorem & gregem: & totum omnium scripturarum mysterium Christum & Ecclesiam. *Ibid. in Psal: 76.*

Nostram vero Apostoli nunquam Synagogam dixerunt, sed semper Ecclesiam: sive discernendi causa, sive quod inter congre-

gationem, unde Synagoga, & convocationem unde Ecclesia nomen accepit, distet aliquid: quod scilicet congregari & pecora solent, atq; ipsa proprie, quorum & greges proprie dicimus; convocari autem magis est utentium ratione, sicut sunt homines. *Ibid. in Psal: 81.*

Amori Dei ut Patris conjungendus amor Ecclesiæ ut Matris.

Amemus Dominum DEUM nostrum, amemus Ecclesiam ejus: illum sicut Patrem, istam sicut Matrem: illum sicut Dominum, hanc sicut ancillam ejus: quia filij ancillæ ipsius sumus. Sed matrimonium hoc magna charitate compaginatur. Nemo offendet unum & promeretur alterum. Attendite ergo charissimi, tenete omnes communiter DEUM Patrem, & Matrem Ecclesiam. *Ibid. Con: 2. in Psal: 88.*

Ex quibus Dei Ecclesia coalescit.

Corpus hujus capitis Ecclesia est, non quæ hoc loco est, sed quæ hoc loco & per totum orbem terrarum: nec illa quæ hoc tempore, sed ab ipso Abel usq; ad eos qui nasci turi sunt usq; in finem, & credituri in Christum, totus populus Sanctorum, ad unam Civitatem pertinentium, quæ Civitas corpus est Christi cui caput est Christus. Ibi sunt & Angeli Cives nostri. Sed quia nos peregrinamur, laboramus: illi autem in Civitate expectant adventum nostrum. *Ibid. Con: 2. de 2. parte Psal: 90.*

Ecclesia Insula.

Possunt & in figura recte accipi insulæ omnes Ecclesiæ. Quare insulæ? quia circumlatrantur fluctibus omnium tentationum. Sed quomodo insula undiq; circumstrepentibus fluctibus tundi potest, frangi non potest, magisque ipsa frangit fluctus venientes, quam frangatur ab eis: sic Ecclesiæ DEI pullulantes per totum orbem terrarum passæ sunt persecutiones undiq; fremētium infidelium, & ecce stant insulæ, & jam placatum est mare. Jucundentur insulæ multæ. *Ibid. in Psal: 96.* *Act. 10 11. 16.*

Ideo quia totus orbis terrarum per Evangelium vocabatur, quatuor Evangelia conscripta sunt. Ter autem submissum vas de Cælo hoc significat: quia dictum est Apostolis. Ite baptizate omnes gentes. In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. *Ibid. Con: 3. de 2. parte Psal: 103.* *Ps. 103 26.*

Ecclesia Navis.

Jllic naves commeabunt. Ecce in eo quod terrebant commeabunt, naves natant & non merguntur. Naves Ecclesias intelligimus, commeant inter tempestates, inter procellas tentationum, inter fluctus sæculi, inter animalia pusilla, & magna. Gubernator est Christus in ligno crucis suæ. Jllic naves commeabunt. Non timeant Naves, non valde attendant ubi natent, sed à quo gubernentur. Jllic naves commeabunt. Quem comeatum reperiunt tristem, quando gubernatorem sentiunt Christum. *T, 8. Con: 4. de 3. parte Psal: 103*

Suggestio caput serpentis Diaboli.

Ipsa tuum observabit caput. O Ecclesia caput serpentis observa! Quid est caput serpentis? Prima peccati suggestio. Venit tibi in mentem nescio quid illicitum, noli ibi tenere mentem tuam, noli consentire. Hoc quod venit in mentem caput serpentis est; caput calca, & occides cæteros motus. *Ibidem.*

Somnus genitor.

De latere Christi morientis nata Ecclesia.

Cum dormiret Adam costa illi detracta est, & Eva facta est, sic & Dominus cum dormiret in cruce latus ejus lancea percussum est, & Sacramenta profluxerunt, unde facta est Ecclesia. Ecclesia enim conjunx Domini facta est de latere, quomodo Eva facta est de latere. *Ibid. Expos. Psal: 126.* *Gen. 2.*

Sæpe expugnaverunt me à juventute mea. Ecclesia loquitur de his quos tolerat, & tanquam diceretur: Nunquid modo, & non olim est Ecclesia? Ex quo vocantur Sancti est Ecclesia in terra. Aliquando in solo Abel Ecclesia erat, & expugnatus est à fratre *Ps. 128 1.*

tre malo, & perdito Caim. Aliquando in solo Enoch Ecclesia erat, & translatus est ab iniquis. Aliquando in sola domo Nòé Ecclesia erat, & pertulit omnes qui diluvio perierunt, & sola arca natavit in fluctibus, & evasit ad siccum. Aliquando in solo Abraham Ecclesia erat, & quanta pertulit ab iniquis novimus. In solo Filio Fratris ejus Loth & in domo ejus in Sodomis Ecclesia erat, & pertulit Sodomorum iniquitates, & perversitates, quousq; Deus eum de medio ipsorum liberavit. Cæpit esse & in populo Israel Ecclesia, pertulit Pharaonem Ægiptios. Cæpit & in ipsa Ecclesia id est in populo Israel numerus Sanctorum. Moyses & cæteri Sancti pertulerunt iniquos Judæos populum Israel. Ventum est & ad Dominum nostrum Jesum Christum prædicatum est Evangelium, dixit in Psalmis: Annuntiavi & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Quid est super numerum? Non solum illi qui crediderunt, & qui pertinent ad numerum Sanctorum: sed & super numerum intrarunt multi justi, sed plures iniqui & pertulerunt justi iniquos. Quando? in Ecclesia. *Ibid. Enar: in Psal: 128.*

Nunquam Ecclesia sine adversisi

Ps: 39, 6.

Quis numerat testimonia de Ecclesia toto terrarum orbe diffusa? Quis numerat? Non sunt tot in orbe hæreses contra Ecclesiam, quot sunt testimonia legis pro Ecclesia. Quæ pagina non hoc sonat? Quis versus non hoc loquitur? Omnia clamant pro unitate dominica, quia posuit fines Hierusalem pacem. Tu contra ista latras hæretice? Unde merito dicitur in illa Civitate quod scriptum est in Apocalipsi. Canes foras. Tu contra ista latras. Unde judicasti de orbe terrarum ut dicere cæperam? Quo tribunali? Præsumptione videlicet cordis tui. Altum tribunal sed ruinosum. Dixit hoc Moyses, dixerunt hoc Prophetæ, & nondum credunt qui se Christianos videri volunt. *T, 8 Expos: Psal: 147.*

Quam multis testimoniis Ecclesia firmatur.

Nonne Ecclesia Dei per totum mundum non erat? Ecce est. Antea legebatur & non videbatur, modo sicut legitur, ita cernitur. Quidquid temporaliter nobis promissum est ad unam partem gladij pertinet: quidquid in sempiternum, ad alteram partem gladij pertinet. Habes spem futurarum rerum, habes consolationem præsentium, noli retrahi ab eo qui vult retrahere. Pater, Mater, soror, uxor sit, amicus sit, non te retrahant: Et utilis tibi erit gladius bis acutus. Utiliter te ille separat, male tu conglutinas. Venit ergo Dominus noster ferens gladium bis acutum, promittens æterna, implens temporalia. Nam ideo duo testamenta dicuntur. Quæ erant ergo frameæ bis acutæ in manibus eorum? Duo testamenta ad gladium bis acutum pertinent. Vetus testamentum terrena promittit, novum æterna. In utroq; sermo Dei verax inventus est, ut gladius bis acutus. Quare ergo in manibus & non in linguis? Et frameæ bis acutæ inquit in manibus eorum. In manibus dixit: in potestate. Acceperunt ergo sermonem Dei in potestate, ut ubi vellent dicerent, cui vellent, dicerent: non timerent potestatem, non contemnerent paupertatem. *Ibid. Expos: Psal: 146.*

Duo testamenta in Ecclesia gladius bis acutus.

Sicut ex Ecclesiis pluribus una constat Ecclesia, & ex pluribus Cælis unum Cælum *Ibid. Enar: in Psal: 150.*

Ecclesia Cælum.

Quare credis de capite, & non credis de corpore? Quid tibi fecit Ecclesia, ut eam velis quodammodo decollare. Tollere vis Ecclesiæ caput, & capiti credere, corpus relinquere, quasi exanime corpus Sine causa capiti quasi famulus devotus blandiris. Qui decollare vult, & caput, & corpus conatur occidere. Erubescunt negare Christum, & non erubescunt negare verba Christi. *T, 10. ser: de verb: Dni: ser: 45. de illo. Scrutamini scripturas, &c.*

Qui Ecclesiæ caput non agnoscunt in terra, eam decollant.

Ecclesia tunc in una domo erat, accepit Spiritum Sanctum: in

Linguæ Ecclesiam amplificaverunt.

in hominibus paucis erat, in linguis totius orbis erat. *Ibid. ser: 186. Fer: 2. Pent: ser: 2.*

Qui in Ecclesia Dei constituti sunt, Spiritum Dei habent.

Sicut tunc qui Spiritum Sanctum percipiebat, etiam unus homo linguis omnibus loquebatur: sic & nunc per omnes gentes omnibus linguis ipsa veritas loquitur, in qua constituti Spiritum Sanctum habetis, qui à Christi Ecclesia loquente omnibus linguis, nullo schismate dissidetis. *Ibid. ser: 187. in eadem ser: 1. fer: 3. Pent.*

Ecclesia quomodo nigra quomodo formosa.

Nigra sum sed formosa filia Hierusalem. Unde est Ecclesia nigra & formosa? Nigra per naturam, formosa per gratiam. *Ibid. ser: 201. Dnica. 3. post Trin: ser: 3.* *Cant. 2. 4.*

Decimæ in Ecclesia institutæ ne Catholicos Pharisæi confundant.

Decimas dabant Scribæ & Pharisæi. Erubescamus fratres, decimas dabant, pro quibus Christus nondum sanguinem fuderat. Decimas dabant Scribæ & Pharisæi, ne forte aliquid magnum facere te putes, quia frangis panem pauperi, & vix est millesima ista facultatum tuarum, & tamen non reprehendo. Vel hoc fac. Sic sitio, sic esurio, ut ad istas micas gaudeam. Sed tamen quid dixerit vivus, qui pro nobis mortuus est non tacebo. Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Jlle nos non palpat: Medicus est usq; ad vivum pervenit. Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum Cælorum. *Ibid. ser: 205. Dnica 5. post Trinit: ser: 1.*

Ecclesia quem libet sine delectu recipit.

Vnus ab Ecclesia exclusus.

Ad Christi & Ecclesiæ societatem, convocati sunt nobiles, & ignobiles, divites & pauperes, omnis conditio, omnis sexus, omnis ætas. Inter hos accessit unus, qui solus excludi meruit, quia habitum talium nuptiarum sanctitati congruentem non habuit. Attendite fratres, iste unus, multi sunt, & tamen hæc tota multitudo unitatis nomine comprehenditur. Multi enim sunt quantum ad numerum personalis discretionis, sed unus sunt per consonantiam unius pravitatis. Sicut enim Ecclesia una est per fidem sub capite Christo, ita tota reproborum multitudo, sive pateat, sive lateat, unum corpus est sub principe diabolo. *Ibid. ser: 247. Donica 24. post idem festum ser: 1.*

Veri Ecclesiæ filij eam colunt.

Symbola Ecclesiæ.

Ecclesia est Regina in vestitu deaurato.

Ecclesia Reges parit.

Rectè festa Ecclesiæ colunt, qui se Ecclesiæ filios esse recognoscunt. Hæc enim omnium credentium mater est, quæ natos ad mortem, regenerat ad salutem. Hæc est post Synagogam quidem vocata, sed ante Synagogam promissa. Hæc enim jam in primo homine præfigurata est. Nam sicut ex Adæ latere fabricata est Eva: ita ex Christi corpore & vulnere redempta crevit Ecclesia. *Gen. 2.* Hæc intra arcam diluvio exundante servata, crucis beneficium, & baptismatis mysterium præsignavit. Hanc Sara sterilis, & desperata in senectute, unico pignore fæcunda præcinuit, quod Ecclesia unicum id est dilectissimum Deo populum, sæculo jam senescente progenuit. Hæc est regina illa, de qua ad Dominum dicitur. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate, id est diversarum circumdata pretioso decore virtutum. *3. Reg. 10. 23.* Hæc est illa Regina quæ venit à partibus Æthiopiæ, audire sapientiam Salomonis. Sed hæc non tam ex una regione, quàm ex universis mundi partibus reges paritura convenit. *Ibid. in anniver: dedicat Eccl: ser: 2.*

Ecclesia cur torculari comparatur?

In isto torculari, quia & torculari Ecclesia comparata est, vide si non ille qui palam nocet, amurca currens est per publicum. Amurca per publicum currit, oleum autem ad sedem suam occultos transitus habet. Et cum occulte transeat, in magnitudine apparet. Quàm multi enim o fratres mei, quàm multi in ista conflictatione rerum, in hujus mundi malitia, in ista malorum abundantia

tia subtraxerunt se, & conversi sunt ad DEUM, & vale fecerunt mundo, & cæperunt pauperibus subito donare suas, qui paulò ante rapiebant alienas. Sed multi raptores, invasores, spoliatores, publicè apparent, amurca illa est per plateas currens. Illi autem unus hinc, unus inde. corde conjuncto malus, faciens mala permanere erubescens, DEI monita cogitans, spem sæculi irridens, spem cælestem expectans, mutans amores & mores: oleum sanctitatis est in torculari vas in honorem est in domo magna, aurum est in fornace, granum est in horreo, ibi est decor domus DEI. *T, 10, eorund: ser: 154. in eodem ser: 3.* *Ecclesia vitā perversam in rectam commutat.*

Quamvis sancta sint templa, quæ videmus de lignis & lapidibus fabricari, tamen plus apud DEUM pretiosa sunt templa cordis, & corporis nostri: quia illa fiunt ab homine carnali, ista ab artifice mundi. Templa de lignis & lapidibus humano ingenio componuntur, templa corporum ipsius cælestis artificis manu fabricantur: sicut scriptum est. Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me. *Ibid. ser: 255 in eodm festo ser: 4.* *Deo magis placet templa cordis quam è lapidibus.*

Adhuc amplius agendæ sunt gratiæ DEO nostro. Hanc enim Ecclesiam, quam fecit nomini suo construi, fecit etiam Sanctorum Martyrum reliquijs amplius honorari *Ibid. 256 ser: in eodem festo.* *Reliquiæ SS. Martyrū sunt ornamentum Ecclesiæ.*

Ex: 3. 5. Solve calceamenta de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est. Quid tam terra sancta, quàm DEI Ecclesia? In illa ergo simus calceamenta solvamus, id est mortuis operibus renuntiemus. Nam de his calceamentis, quibus calceati ambulamus consolatur me idem ipse Dominus meus. Si enim calceatus non esset, non de illo Joannes diceret. Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum. Sit ergo obedientia, non subrepat superba duritia *T, 10. ser: de Sanctis ser: 42. In fest: Sanct: Apost: ser: 1* *Ecclesia est terra Sancta.*

Dum cæduntur de mentibus lapides, & ligna de sylvis, dum formantur, dolantur, coaptantur; labor & cura est. Cum autem perfecti ædificij dedicatio celebratur, gaudium & securitas, laboribus curisq; succedunt. Sic etiam ædificatio spiritalis cujus habitator DEUS, non ad tempus, sed in æternum erit. *Ibid ser: 15. in Dedic. Eccl: ser: 1.* *Laboris in Ecclesia suscepti finis est gaudium.*

Ps: 70. 6. De ventre matris meæ tu es protector meus. Pater DEUS est, mater Ecclesia. Longe aliter ab his generabimini, quàm ab illis geniti fueratis. Hos partus non labor, non miseria, non fletus, non mors, sed facilitas, felicitas, gaudium, vitaq; suscipiet. Per illos lamentabilis generatio, per hos optanda generatio est. Illi nos generando in æternum pœnam generant, propter veterem culpam, isti regenerando nec pœnam faciunt remanere, nec culpam. Hæc est illa regenaratio quærentium eum quærentium faciem DEI Jacob. Humiles quærite: quod cum inveneritis, ad securam altitudinem venietis. Infantia vestra innocentia erit, pueritia reverentia, adolescentia patientia, juventus virtus, senium meritum, senectus nihil aliud quàm canus sapiensq; intellectus. Per hos articulos vel gradus ætatis, non tu evolveris, sed permanens innovaris. *T, 10. serm: de diver: ser: 8. ad Competentes.* *Ecclesia est mater quæ nos cœlo generat.* *Ecclesiæ filiorum qualis est ætas?*

Habet hortus ille Dominicus, non solum rosas Martyrum, sed & lilia virginum, & conjugatorum hederas, violasq; viduarum. Prorsus nullum genus hominum de sua vocatione desperet, pro omnibus passus est Christus. Veraciter de illo scriptum est. Qui vult omnes salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. *Ibid. ser: 37. de S. Laurentio Mart.* *Ecclesia est hortus.*

Mar. 16. 24. Qui vult me sequi, abneget semetipsum. Non enim hoc virgines debent audire, & maritatæ non debent: aut viduæ debent,

& nuptæ non debent: aut monachi debent & conjugati non debent: aut clerici debent, & laici non debent: sed universa Ecclesia, universum corpus, cuncta membra per officia propria distincta, & distributa, sequuntur Christum. Tota sequatur ipsa unica, sequatur columba, sequatur sponsa, sequatur redempta, & dotata sanguine sponsi. Habet ibi locum suum integritas virginalis: habet ibi locum suum continentia vidualis: habet locum suum pudicitia conjugalis. Non ibi habet locum suum adulterium: non ibi habet locum suum illicita & punienda lascivia. Ista autem membra quæ ibi locum suum habent, in genere suo, & in loco suo, & in suo modo: sequantur Christum, abnegent se, id est non præsumant de se. Tollant crucem suam, id est, tolerent in mundo pro Christo, quidquid intulerit mundus. Ament eum quia verum est quod promittit. *Ibid. serm: 47. in 16. caput Matthæi.*

Virtutum locus.

Generatio Dei diversa ab humana.

Generat per uxorem filium Pater moriturus successurum, generat DEUS de Ecclesia filios non successuros sed secum mansuros. Et sequitur: Quod natum est de carne caro est, & quod natum est de Spiritu Spiritus est. Spiritualiter ergo nascimur & in Spiritu nascimur. verbo & Sacramento. Adest Spiritus ut nascamur, Spiritus invisibiliter adest, unde nascaris, quia & tu invisibiliter nasceris. *T, 9. In Evan: Ioan: Tra: 12. de cap: 3.*

Nativitas spiritualis verbo fit & Sacramento.

Quare nemo loquitur linguis omnium gentium? Quia jam ipsa Ecclesia linguis omnium gentium loquitur. Antea in una gente erat Ecclesia, ubi omnium linguis loquebatur. Loquendo linguis omnium significabat futurum, ut crescendo per gentes loqueretur linguis omnium gentium. In hac Ecclesia quia non est, nec modo accipit Spiritum Sanctum. Præcisus enim & divisus est ab unitate membrorum, quæ unitas linguis omnium loquitur. Renuntiet sibi, non habet. Nam si habet det signum quod tunc dabatur. Quid est det signum quod tunc dabatur? Loquatur omnibus linguis. Respondet mihi. Quid enim? Tu loqueris omnibus linguis? loquor plane, quia omnis lingua mea est id est ejus corporis cujus membrum sum. Diffusa Ecclesia per gentes loquitur omnibus linguis Ecclesia est corpus Christi, in hoc corpore membrum est. *Ibid. Tra: 32. de cap: 7.*

Linguis omnibus loquitur et nunc Ecclesia.

Non potest quisq; per ostium, id est per Christum egredi, ad vitam æternam, quæ erit in specie: nisi per ipsum ostium hoc est per eundem Christum in Ecclesiam ejus, quæ est ovile ejus intraverit ad vitam temporalem quæ est in fide. *Ibid. 45. de cap: 10.*

Non intrabit in cælum qui non intravit Ecclesiam.

De uno pane & Petrus & Judas accepit, & tamen quæ pars fideli cum infideli? Petrus eum accepit ad vitam Judas ad mortem: quomodo enim ille odor bonus sic ille cibus bonus. Sic ergo odor bonus, ita & cibus bonus: bonos vivificat malos mortificat. Qui enim manducaverit indigne judicium sibi manducat & 1. Cor. 11.29.
bibit: judicium sibi non tibi. Si judicium sibi non tibi, tolera malum bonos: ut venias ad præmia bonorum. ne mittaris in pœnam malorum Exemplum Domini accipite conversantis in terra. Quare habuit loculos cui Angeli ministraverunt, nisi quia Ecclesia Ioã: 12. 6.
ipsius loculos suos habitura erat? Quare furem admisit nisi ut ejus Ecclesia fures patienter toleret. *Ibid. Tract: 50. de cap: 12.*

Malos tolera si præmiari desideras.

Opportebat pati Christum & resurgere à mortuis die tertia, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum. Ubi remissio peccatorum, Ecclesia est? Quomodo Ecclesia: Jlli enim dictum est. Tibi dabo claves regni Cælorum. *T, 9. in Epist: Ioan: Tract: 10. de cap: 5.*

Ecclesia est ubi peccatorum remissio est.

Ecclesia Catholica contra omnes hæreses pugnans. Pugnare

potest

potest, expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illa exierunt tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa: ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua. Portæ inferorum non vincent eam. *T, 9. lib. 7. de symbolo ad Cathechum: cap: 6.* *Ecclesia oppugnari potest expugnari nõ potest.*

Non habebit DEUM Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere Matrem. *T, 9, lib. 4. de Symbolo ad Cathech: cap: 12.* *Cui non est Mater Ecclesia nec Pater erit Deus.*

Accipite disciplinam in domo disciplinæ. Disciplina à discendo dicta est: disciplinæ domus est Ecclesia Christi. Quid ergo hic discitur vel quare discitur? Qui sunt, qui discunt, & à quo discunt? Discitur bene vivere. Propter hoc dicitur bene vivere: ut perveniatur ad semper vivere. Discunt Christiani, docet Christus. *T, 9. lib, de discip: Christ: cap. 1* *Ecclesia domus est disciplinæ.*

Neq; in confusione Paganorum, neq; in purgamentis hæreticorum, neq; in languore Schismaticorum, neq; in cæcitate Judæorum, quærenda est Religio, sed apud eos solos, qui Christiani, Catholici, vel orthodoxi nominantur, id est integritatis custodes & recta sectantes. Hæc enim Ecclesia Catholica per totum orbem validè lateq; diffusa, omnibus errantibus utitur ad profectus suos & ad eorum correctionem cum evigilare voluerint. *T, 1. lib: de ver: relig: cap: 5.* *Religio vera apud Catholicos.*

Tenenda est nobis Christiana Religio, & ejus Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est & Catholica nominatur, non solùm à suis, verùm etiam ab omnibus inimicis. *Ibid: cap 7.* *Christiana Religio communis esse debet.*

Ecclesia Catholica Mater Christianorum verissima. *Vbi fusè & præclare laudes recenset Ecclesiæ. T, 1. l: 1. de morib: Eccl: Cathol: c: 30.* *Catholica Ecclesia Mater.*

Erubescendum sine fructu bonorum operum esse in agro DEI, hoc est in Ecclesia; & timeant nè eos deserat DEUS, quia & ipsi in agris suis infructuosas arbores deserunt, nec aliquam culturam eis adhibent. *T, 1. lib: 1. de Gen: con: Manich: cap: 13.* *Ecclesia Catholica ager.*

Propterea me nolle tuam ex hæbreo interpretationem in Ecclesijs legi, nè contra septuaginta authoritatem tanquam novum aliquid proferentes, magno scandalo perturbemus plebes Christi, quarum aures & corda illam interpretationem audire consveverunt, quæ etiam ab Apostolis approbata est. *T. 2. August: Hieron: Epist: 19. cap: 4.* *Versio Septuaginta.*

Mater Ecclesia, mater est & matris tuæ, hæc nos de Christo concepit, hæc Martyrum sanguine parturivit, hæc in sempiternam lucem peperit, &c. Adde contumelias, flagella, mortem, mortem autem crucis. Adde viri ejus susceptionem carnis, nè carnalibus inhæreres. Talibus conceptè seminibus, taliq; in vitam novam connubio procreatè languescis, & contabescis in veterem hominem. *T, 2. Epist: 38.* *Mater est Ecclesia.*

Cum enim præcisus ramus inseritur (loquitur de Ecclesia) fit aliud vulnus in arbore, quo possit recipi ut vivat, quia sine vita radicis peribat: sed cum receptus recipienti còaluerit; & vigor consequetur & fructus, si autem non còaluerit, ille quidem arescit, sed vita arboris permanebit. *Ibidem.*

In requirendis de his rebus, quas cum omni sollicitudine decet à Sacerdotibus, maximè à vero justoque & catholico tractari Concilio, antiquæ traditionis exempla servantes, & Ecclesiasticæ memores disciplinæ, vestræ religionis vigorem, non minùs nunc in consulendo, quàm antea cùm pronuntiaretis, vera ratione firmatis, qui ad nostram referendum approbastis esse judicium, scientes quid Apostolicæ sedi (cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum) debeatur; à quo ipse Episcopatus & tota authoritas nominis hujus emersit. *T, 2. Epist: 91.* *Responsa in fidei rebus à Conciliis & Sacerdotibus petenda.*

Diligenter ergo & congruè Apoſtolico conſulitis honori, honori inquam illius, quem præter illa, quæ ſunt extrinſecus, ſollicitudo manet omnium Eccleſiarum ſuper anxijs rebus, quæ ſit tenenda ſententia, antiquæ ſcilicet regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper ab orbe mecum noſtis eſſe ſervatam. *Et infra.* Scientes quod per omnes Provincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent, præſertim quoties fidei ratio ventilatur. Innocent: Pontifi: concilio Millevitano. *T, 2. Epiſt: 93.*

Eccleſia Catholica vera reſponſa dat.

Similiter etiamſi quid horum tota per orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. *T, 2. Epiſt: 118.*

Quiſquis ergo ab hac Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet ſe laudabiliter vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quod à Chriſti unitate diſiunctus eſt non habet vitam, ſed ira DEI manet ſuper eum. *T, 2. Epiſt: 152.*

Separatus ab Eccleſia Catholica mortuus.

Nemo delet de cælo conſtitutionem DEI, nemo delet de terra Eccleſiam DEI. Dabo tibi gentes hereditatem tuam & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Jlle totum orbem promiſit, iſta totum orbem replevit, & malos habet & bonos, ſed nec in terris admittit, niſi malos, nec in cælum admittit niſi bonos. *T, 2. Epiſt: 126.*

In ſole poſuit tabernaculum ſuum, ipſa eſt Eccleſia in ſole poſita, hoc eſt in manifeſtatione omnibus nota, uſq; ad terminos terræ. *T. 2. Epiſt: 166.* *Pſ: 18. 5.*

Eccleſia clara

Violenti vel latrocinantes, ſi quid audendum putaverint, non deerit Dominus ad tuendam Eccleſiam ſuam, qui jugo ſuo, in gremio ejus toto orbe diffuſo omnia terrena Regna ſubjecit. *T, 2. Epiſt: 169.*

Ipſa Eccleſia Catholica græcè appellatur, καθολικη quod per totum orbem terrarum diffunditur, hanc ignorare nulli licet, ideo ſecundum Verbum Domini noſtri JESU Chriſti abſcondi non poteſt. *T, 2. Epiſt: 170.*

In orbe toto eadem.

Agnoſcamus arcam illam, quæ præfiguravit Eccleſiam, ſimul illic munda animalia ſimus, nec in ea nobiſcum etiam immunda portari uſq; in finem diluvij recuſemus. Simul in arca fuerunt; ſed non ſimul Domino in odorem ſacrificij de immundis obtulit DEO: nec ideo tamen à mundis aliquibus arca ante tempus propter immunda deſerta eſt. Corvus tamen deſervit, & ſe ante tempus ab illius arcæ communione ſeparavit, hujus ſeparationis immunditiam deteſtemur. *T, 2. Epiſt: 256.* *Gen. 7.*

In Eccleſia omnia müda.

Corvi hæretici.

Credimus & Sanctam Eccleſiam utiq; Catholicam. Nam & hæretici & ſchiſmatici congregationes ſuas Eccleſias vocant, ſed hæretici de DEO falſa ſentiendo ipſam fidem violant; ſchiſmatici autem diſciſſionibus iniquis à fraterna charitate diſſiliunt; quamvis ea credant quæ credimus. Quapropter nec hæreticus pertinet ad Eccleſiam Catholicam, quæ diligit DEUM; nec ſchiſmaticus, quoniam diligit proximum. *T, 3. lib: de Fide & Smybolo: cap. 10.*

Hæretici i ſchiſmatici ab Eccleſia ſunt alieni.

Templum DEI hoc eſt totius ſummæ illius Trinitatis, Sancta eſt Eccleſia, ſcilicet univerſa in cælo & in terra. *T, 3. Enchirid: c: 26.*

Templum Dei, Trinitatis Eccleſia.

Paradiſus dicta eſt Eccleſia, ſicut in cantico Canticorum legitur. Paradiſus cum fructu pomorum. Inde ceciderunt vel aperta & corporali ſeparatione, omnes hæretici, vel occultâ & ſpirituali, quamvis in ea eſſe corporaliter videantur omnes converſi ad vomitum ſuum, quibus expediebat non cognoſcere viam juſtitiæ, quam cognoſcentibus retrorſum reflecti, à tradito ſibi ſancto mandato. Hanc peſſimam generationem Dominus deſcribit, ut ſint noviſſima hominis illius pejora prioribus. Tali generi hominum, *Canti: 4.*

Paradiſus Eccleſia. Hæreticorum è paradiſo exilium.

quod

quod jam factum est corpus Diaboli, possunt hæc verba congrue-
Ezech: 28. re. Ambulasti sine vitio in diebus tuis, ex quo die creatus es tu, donec inventa sunt delicta tua in te. Possunt diligentiùs ista tractari, ut fortassis ostendatur non solum & hunc intellectum esse in his verbis posse, sed omninò alium esse non posse. *T, 3. lib: 11. de Gen: ad literam, cap: 25.*

In hoc Paradiso id est Ecclesia, solent à Sacramentis Altaris visibilibus homines disciplinâ Ecclesiasticâ removeri: & ejecit Adam & collocavit eum contra paradisum voluptatis, & hoc significandi gratia factum est, sed tamen factum, ut contra Paradisum, quo beata vita etiam spiritualiter significatur, habitaret peccator utiq; in miseria. *Ibid. cap: 40.* *In Ecclesia Catholica, arcẽtur aliquã ab usu Sacramẽtorum.*

Itaq; jam & masculi & fæminæ, & omnis ætas, & omnis hujus sæculi dignitas, ad spem vitæ æternæ commutata est. Alij neglectis temporalibus bonis convolant ad divina. Alij cedunt eorum virtutibus, qui hæc faciunt, & laudant quod imitari non audent, pauci autem adhuc murmurant, & inani livore torquentur, aut qui sua quærunt in Ecclesia, quamvis videantur Catholici, aut ex ipso Christi nomine gloriam quærentes hæretici, aut peccatum impietatis suæ defendere cupientes Judæi, aut curiositatem vanæ licentiæ perdere timentes pagani. Sed Ecclesia Catholica per totum orbem longè lateq; diffusa, impetus eorum prioribus frangens magis magisq; roborata est non resistendo, sed perferendo. *Ibid. lib. de agone Christiano cap: 12.*

Nusquam tam vigere debent viscera misericordiæ, quàm in Catholica Ecclesia, ut tanquam vera Mater, nec peccantibus filijs superbè insultet, nec correctis difficilè ignoscat. Non enim sine causa inter omnes Apostolos hujus Ecclesiæ Catholicæ personam sustinet Petrus, huic enim Ecclesiæ Claves Regni Cælorum datæ sunt, cum Petro datæ sunt, & cum ei dicitur, ad omnes dicitur, amas me? pasce oves meas. Debet ergo Ecclesia Catholica correctis & pietate firmatis filijs libenter ignoscere, cum ipsi Petro personam ejus gestanti, & cum in mari titubasset, & cum Dominum carnaliter à passione revocâsset, & cùm aurem servi gladio præcidisset, & cum ipsum Dominum ter negâsset, & cum in simulationem postea superstitiosam lapsus esset, videamus veniam esse concessam, eum correctum atq; firmatum, usq; ad Dominicæ Passionis gloriam pervenisse. *Ibid. cap: 30.* *Ecclesia Mater amat filios* *Principes sub ditorum defectus tolerare debent.*

Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam DEI, omnia peccata posse dimittere: itaq; miseri, dum in Petro Petram non intelligunt; & nolunt credere datas Ecclesiæ claves Regni cælorum, ipsi eas de manibus amiserunt. Isti sunt qui viduas, si nupserint tanquam adulteras damnant, & super doctrinam Apostolicam se prædicant esse mundiores. Qui nomen suum si vellent agnoscere, mundanos se potiùs quàm mundos vocarent. Nolentes enim si peccaverint corrigi, nihil aliud delegerunt, nisi cum hoc mundo damnari. *Ibid cap: 31.* *Omnia peccata sunt remissibilia.* *Claudunt sibi cælum, qui potestatẽ peccatorũ solvendorum negant Petro.*

Hoc nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio. *T, 4. lib. 5. quæst: quæst: 39.* *Excommunicatus interfectus dicitur.*

Ex omnibus ætatibus Ecclesia congregatur, Quarum prima est ab Adam usq; ad diluvium. Secunda à diluvio id est à Nòé usq, ad Abraham. Tertia ab Abraham usq; ad David. Quarta à David, usq; ad transmigrationem in Babylonem. Quinta ab hac transmigratione usq; ad Virginis partum. Sexta inde usq; in hujus sæculi finem. *T, 4. lib: 7. quæst: super Iudicum quæst. 49.* *Omnium sæculorũ Ecclesia.*

Marcî 11. 17. Vos autem fecistis eam speluncam latronum. Significavit futuros *Ficti Catholici Latrones.*

turos

turos in Ecclesia, qui sua negotia potiùs agerent vel receptaculum ibi haberent ad occultanda scelera sua, quàm ut charitatem Christi sequerentur, & peccatorum confessione, accepta venia, corrigerentur. *T, 4. lib. 2. quæst: Evang: quæst: 48*

Nunc verò quis tam durus non flectatur; quis tam tepidus non ignescat? quando impletur quod scriptum est. Quia non est qui se abscondat à calore ejus. *T, 4. lib: 1 de consen: Evan: cap: 30.* Ps: 18.

Mater Ecclesia etiam pessimis. Ipsa Ecclesiæ Catholicæ tam insignis authoritas, quæ in eodem dono Spiritus Sancti omnium Sanctorum Mater, toto fæcunda orbe diffunditur, cui unquam spem liberationis hæretico vel schismatico, si se corrigat, amputavit? cui placandi DEI aditum clausit? Nonne omnes ad ubera sua, qui eam superbo fastidio reliquerunt, cum lachrymis revocat *T, 4 l: expos: Epist: ad Rom: fol: 364.*

Paradisus Ecclesia. Intelligi Paradisum ipsam Ecclesiam, sicut de illa legitur in cantico canticorum 4, quatuor autem Paradisi flumina, quatuor Evangelia; ligna fructifera Sanctos: fructus autem eorum, opera eorum: lignum vitæ Sanctum Sanctorum utiq; Christum; lignum scientiæ boni & mali proprium voluntatis arbitrium. Nec seipso, quippe homo divina voluntate contempta, nisi perniciosè uti potest, atq; ita discit, quid intersit, utrum inhæreat communi omnibus bono, an proprio delectetur. *T, 5. lib: 13. de Civit: Dei. cap: 21.* *Lignum vitæ Christus.*

Ecclesia speciosa sponsa Christi. De Ecclesia dicitur audi Filia, & vide: audi promissum, vide completum, & obliviscere populum tuum & donum Patris tui, sic nova implentur, sic vetera committuntur, quoniam concupivit Rex speciem tuam, speciem quam fecit ipse per se non invenit in te. Quomodo enim speciosa esses ejus oculis, quando eras fœdata tuis peccatis? nè tamen spem tuam arbitreris esse in hominibus, sequitur & dicit: quoniam ipse est Dominus DEUS tuus, nè formam servi spernas, nè potentis infirmitatem excelsique humilitatem derideas, ipse est DEUS tuus. In eo quod parvus apparet, magnus latet, in umbra mortis sol justitiæ, in contumelia Crucis Dominus gloriæ. Quamvis eum persecutores necent, infideles negent, ipse est Dominus DEUS tuus. *Oratione adversus Iudæos. T, 6. cap: 4.* Ps: 44. 12. *Etiam latens majestas honori est.*

Catholica Ecclesia est vera Quod autem quærentibus satis est, una est Ecclesia Catholica, cui hæreses aliæ diversa nomina imponunt, cum ipsæ singulæ proprijs vocabulis quæ negare non audeant appellentur; Ex quo intelligi datur Judicantibus Arbitris, quos nulla impedit gratia, cui sit Catholicum nomen ad quod omnes ambiunt tribuendum. *T, 6. lib: de utilit: creden: cap: 7.*

Fidei tutissima Ecclesia Catholica. In Catholica enim Ecclesia, ut omittam sincerissimam sapientiam, ad cujus cognitionem pauci spirituales in hac vita perveniunt, ut eam ex minima quidem parte, quia homines sunt, sed tamen sine dubitatione cognoscant: cæteram quippe turbam non intelligendi vivacitas sed credendi simplicitas tutissimam facit. Ut ergo hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia esse Catholica non creditis multa sunt alia, quæ in ejus gremio me justissimè teneant. Tenet consensio populorum atq; gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas, post resurrectionem Dominus commendavit, usq; ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum: tenet postremò ipsum Catholicæ Ecclesiæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel Basilicam suam, vel Domum audeat *Motiva Credibilitatis.*

deat ostendere. Ista ergo tot & tanta Christiani nominis charissima vincula rectè hominem tenent, credentem in Catholica Ecclesia etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum veritas nondum se apertissimè ostendat. Apud vos autem ubi nihil horum est, quod me invitet, ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio, quæ quidem si tam manifesta monstratur, ut in dubium venire non possit, præponenda est omnibus illis rebus, quibus in Catholica teneor. Si autem tantũmodo promittitur & non exhibetur, nemo me movebit ab ea fide, quæ animum meum tot & tantis nexibus, Christianæ Religioni adstringit. *T, 6. lib: con: Epist: Manich: quam vocant fundamenti cap: 4.*

Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas. *Ibid. cap: 5.*

Authoritas Ecclesiæ promovet Evangelium Christi.

Quidquid futuram Ecclesiam significavit, Prophetia est. *Ibid. cap: 15.*

Matt: 18. Si nec Ecclesiam audierit, sit tibi tanquam Æthnicus & Publicanus: gravius est, quàm si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subrigeretur. *T, 6. lib: 1. con: Adversarum legis & Prophet: cap. 17.*

Æthnici sunt & Publicani Christiani, qui inobedientes Ecclesiæ.

Piè credamus quòd universa Ecclesia à sacrilegio schismatis remota custodit. In qua tamen, si aliud alij de ista quæstione salva pace sentirent, donec universali Concilio unum aliquid eliquatum sincerumq; placuisset, humanum infirmitatis errorem cooperiret charitas unitatis, sicut scriptum est: quia charitas cooperit multitudinem peccatorum. *T, 7. l: 1. de baptis: con: Donatist: cap: 18.*

Concilia quæ per singulas regiones, vel provincias fiunt plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere: ipsaq; plenaria sæpe priora posterioribus emendari: cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine ullo typo sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantiæ, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum charitate Christiana. *Et infra.* Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi universæ Ecclesiæ concordissima authoritate firmati: cui & ipse (loquitur de Sancto Cypriano de rebaptizandis hæreticis docente) sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium solidaretur. *Ibid: lib. 2. cap: 3. & 4.*

Concilia majora minoribus auctoritatem majorem habent.

Saluberrimam consvetudinem tenebat Ecclesia, in ipsis quoq; schismaticis & hæreticis, corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est, sanare quod vulneratum est, non curare quod sanum est. Quam consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa quæ non inveniuntur in literis eorum, neque in concilijs posteriorum; & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur. *T, 7. lib: 2 de baptism: con: Donatist: cap: 7.*

Ecclesia in Schismaticis mala depellit bona retinet.

Si authoritas Cypriani sequenda est, magis eam sequendam esse in unitate servanda, quàm in Ecclesiæ consvetudine commutanda. Si autem Concilium ejus attenditur, huic est universæ Ecclesiæ posterius Concilium præponendum, cujus se membrum esse gaudebat, & ut se in totius corporis compage retinenda cæteri imitarentur sæpiùs admonebat. Nam & Concilia posteriora prioribus apud posteros præponuntur, & universum partibus semper jure optimo præponitur. *Ibid: cap: 9.*

Inimicus homo hoc fecit, qui superseminavit zizania: sicut ergo & intus quod diaboli est arguendum est, sic & foris quod Christi,

Rara communitas sine malo.

sti, agnoscendum est; An extra unitatem Ecclesiæ non habet sua Christus? & in unitate Ecclesiæ habet sua Diabolus. *T, 7. lib: 4. de baptism: con. Donat: cap: 9.*

Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur. *Ibid. cap: 24.*

Malus usus Sacrarum rerum nocet. Qui manducat & bibit indignè, non altari sed sibi judicium manducat & bibit, & commixti optimis pascuis hædi agniq; pascuntur, donec à Pastore qui errare non potest, segregentur: & ex omni genere piscium retia complentur unitatis, donec ad judicium literis perducantur. *Ibid: cap: 17.* *2. Cor. 11.29.*

Hæreditas Christi in omnibus gentibus constituta, adversus omnes exhæredatas hæreses tuta est. *T, 7. l: 1 con: lit: Petil: cap: 26.*

Diaboli ab unitate Ecclesiæ avocant. Quod tunc Paradisus, hoc nunc Ecclesia: Diaboli ergo Filij sunt, qui homines ab Ecclesia seducendo interficiunt; sicut autem per verba DEI novimus, ubi sit plantatus Paradisus, sic per verba Christi ubi sit Ecclesia didicimus. Per omnes (inquit) gentes incipiens ab Jerusalem. Ab isto universo ad partem quamlibet quisquis separat hominem, ille Diaboli filius & homicida convincitur. *T, 7. lib: 2. con: lit: Petil: cap: 13.*

Cathedra Pontifiçu Cathedra Petri. Si omnes per totum orbem tales essent, quales vanissimè criminaris, Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet: vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua Jacobus sedit, & in qua hodie Joannes sedet, quibus nos Catholica unitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separatis? Quare appellas Cathedram pestilentiæ Cathedram Apostolicam? *Et infra.* Sed quid est aliud quàm nescire quid dicere, & tamen non posse nisi maledicere. *Ibid: cap: 51.*

Quisquis in Ecclesia non invenitur, jam non interrogetur, sed aut correctus convertatur, aut correptus non conqueratur. *T, 7. lib: 2 con: lit: Petil: cap: 85.*

Arx, vel Exercitus invictus Ecclesia. Mihi sat est ad rem quam nunc ago, quòd qualiscunq; in ea sim, tamen Ecclesia pro qua loquor, invicta est. Homo sum enim de area Christi, palea si malus; granum, si bonus. *T, 7, l: 3, con: lit: Petil: cap: 11, & 12,*

Quæstio certè inter nos versatur, ubi sit Ecclesia, utrum apud nos, utrum apud illos? quæ utiq; una est, quam majores nostri Catholicam nominârunt: ut ex ipso nomine ostenderent quia per totum est. Totum igitur quod annuntiatur de Christo caput & Corpus est. Caput est ipse unigenitus JESUS Christus Filius DEI, ipse Salvator corporis, qui mortuus est propter delicta nostra. Corpus ejus Ecclesia, de qua dicitur: ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam. *T, 7. lib: de uni: Eccl: cap: 2.*

Ecclesiæ Corpus Christi.

Ecclesia Lilium. Sicut lilium inter spinas, ita proxima mea in medio filiarum, unde appellat spinas? nisi propter malignitatem morum, & easdem inter filias, nisi propter unitatem Sacramentorum. *Ibid. cap: 14.*

Sunt adhuc nonnullæ gentes, in quibus nondum est Evangelium prædicatum, necesse est autem impleri omnia, quæ de Christo & Ecclesia prædicta sunt: oportet ergo & in eis prædicari, quod cùm impletum fuerit, tunc erit finis. *Ibid: cap: 16.* *Cant: 1. 3.*

Unitas compotis Eccl. siæ, Deo &c. Unus DEUS, una fides, unum baptisma una incorrupta Catholica Ecclesia, non in qua sola unus DEUS colitur, sed in qua sola unus DEUS piè colitur, nec in qua sola una fides retinetur, sed in qua sola una fides cum charitate retinetur, nec in qua sola unus baptismus habetur, sed in qua sola unus baptismus salubriter habetur. *T, 7, lib: 1, con: Crescen: Grammat: cap: 30.*

Ecclesiæ inter nos agitur causa, non mea. Ecclesiæ inquam, quæ in nullo homine spem ponere, à suo dicit Redemptore. Quanquam nec de meipso vobis etiamsi meam conversationem nossetis rectè crederetur inimicis mihi. Ad existimationem hominum, magna testium, qui me noverunt, suppetit copia, ad DEI verò conspectum sola conscientia. *T, 7, lib: 3, con. Cresc: cap: 80.* *Conscienta testis.*

Quisquis ab hac Ecclesia Catholica fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod à Christi unitate disiunctus est, non habet vitam, sed ira DEI manet super eum. *Ibid: Epist: ad Donatist: post collatione, fol: 230*

Extra Ecclesiam Catholicam totum potest præter salutem. Potest habere honorem, potest habere Sacramentum, potest cantare alleluia, potest respondere Amen, potest Evangelium tenere, potest in Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti fidem & habere & prædicare, sed nusquam nisi in Ecclesia Catholica salutem poterit invenire. Transeunt enim ista omnia fratres mei. *T, 1, serm: ad Eccl: Cesarien: plebem, de Emerito.* *Salutis promontoriū Ecclesia.*

Iterum te admoneo, iterum rogo, aspice tot ac tales Ecclesiæ Catholicæ defensores, atque Rectores, vide quibus tam gravem, tamq; nefariam irrogas injuriam? An ideo contemnendos putas, quibus occidentalis Ecclesiæ sunt omnes? Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primam Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo Martyrio coronare, cui Ecclesiæ præsidentem Beatum Innocentium, si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. *Ibid lib: 1, cōn: Iulian: cap: 4.*

ELEEMOSYNA

QVi contra jus societatis humanæ, furtis, rapinis, calumnijs, oppressionibus, invasionibus abstulerit, reddenda potiùs quàm donanda censemus, Zachæi publicani Evangelico exemplo. *T, 2. Epist: 54.* *Eleemosynis injuriæ redimendæ.*

DEO creditis non homini, quia ille promittit, vos nihil eorum quæ misericorditer facitis, perdituros, sed in illo die cum usuris immortalibus recepturos. *T, 2. Epist: 215.* *Qui largitur servanda tradit.*

Luc. 11 4. Date Eleemosynam &c Qui vult eleemosynam ordinatè dare, à seipso debet incipere, & eam sibi primùm dare. Est enim Eleemosyna opus misericordiæ, verissimèq; dictum est: miserere animæ tuæ placens DEO. *Ibid. cap: 76.* *Eleemosyna spiritualis.*

Non ergo se fallant, qui per eleemosynas quaslibet largissimas, impunitatem se emere existimant, in facinorum suorum immanitate ac flagitiorum nequitia permanendo: non solùm autem hæc faciunt, sed ita diligunt: ut in eis semper tantum si possint impunè versari, qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam, non est in eam misericors, sed crudelis. *Ibid. cap. 77.* (Psal. 10. 6.)

Nemo dat Eleemosynam quamlibet, nisi unde det, ab illo accipiat, qui non eget; & ideo dictum est, Misericordia ejus præveniet me. *Ibid. cap: ibid.*

Præmonuit ut sibi amicos facerent, & qui se ipsum pasci, vestiri, hospitio recipi, visitari in uno quoq; minimorum suorum, liberatoris bonitatis dignatus est. Quantum illa receptio (loquitur super illa verba, ut vos recipiant in æterna tabernacula) utrum statim post istam vitam fiat, an in fine sæculi in resurrectione mortuorum, atq; ultima retributione judicij, non minima quæstio est. *T, 4. lib: 2. quæst: Evang: quæst: 38.* *Quod pauperi facimus, Divitι Christo facimus.*

Eleemosyna inferis aqua. Sicut aqua ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum. Sicut si periclitaremur incendio, ad aquam utiq; curreremus, quia posset extingui: ita, si de nostro fæno aliqua peccati flamma surrexit, & propterea conturbamur, data occasione misericordissimi operis, tanquam de oblato fonte gaudeamus, ut inde illud, quod inarserat, opprimatur. *T, 4. lib. de Catechisan: rudib: cap: 14.*

Thesaures colligit, qui partitur bona in egenos. Liberalitas nostra magis ferveat adjuvandis egenis, quàm ditandis avaris, in thesaurum quippe cælestem non mittuntur dona cupidorum, sed eleemosynæ pauperum: quæ in immensum modum orationes adjuvant viduarum. *T. 4. l: de bono viduitatis, c: 21.*

Etiam pauper Eleemosynam facere potest. Sit ergo eleemosyna tua in ipsa conscientia, ubi multi eleemosynam faciunt bona voluntate, etiamsi pecuniam, vel si quid aliud est, quod inopi largiendum est, non habent. Multi autem foris faciunt, & intus non faciunt, qui vel ambitione vel alicujus rei gratiâ volunt misericordes videri. *Et infra*, Sit ergo eleemosyna tua in abscordito, & reliqua. Rectissimè omninò, & verissimè. *Eleemosyna tacita.* Si enim præmium ab eo expectas, qui conscientiæ solus Inspector est, sufficiat tibi ad promerendum præmium sola conscientia. *T, 4. lib. 2. de ser; Domini in monte, cap: 3.* *Mat. 6. 3.*

Si fæneras homini habes spem, & si fæneras Deo spem non habebis? *Et infra.* Attende quid facit fænerator. Minus vult dare certe & plus accipere: hoc fac & tu. Da modica accipe magna. *Eleemosina Magnũ fæno.* Vide quàm late crescat fænus tuum. Da temporalia accipe æterterna: da terram, accipe Cælum. Et cui dabo forte dices? Ipse Dominus procedit quem fæneres, qui tibi jubebat ne fænerator esses. Audi scripturam quomodo fæneres Dominum. Fænerat inquit Dominum qui miseretur pauperi. Non enim eget à te Dominus, sed habes alium qui à te egeat. Illi porrigis, ille accipit. *Prov. 19. 17.* Cum autem pauper orat pro te, tanquam Deo dicit. Domine nummum accepi, fide dic pro me. Proinde & si non tenes pauperem redditorem, sed idoneum tenes fide jussorem. *Et infra.* Cum uni inquit ex his minimis meis fecistis, mihi fecistis. Eja avare fænerator vide quid dedisti, vide quid accepturus es. Si dedisses paucam pecuniam, & ille cui dederas pro parva pecunia tua daret tibi magnam villam, incomparabiliter amplius valentem, tu pecuniam dederas: quantas gratias ageres? Audi quam possessionem det quem fænerasti. Venite benedicti Patris mei percipite regnum. *Et infra*, Habetis Christum in Cælo sedentem in terra petentem. *Et infra.* Itaq; dum tempus habemus ait operemur bonum ad omnes Hoc est semen tuum quod erit in benedictione. *Matt. 25. 34.* *Eleemosyna semen.* Terræ committis & tanto amplius colligis: Christo committis & perdis? Vide ipsum semen expressius nominatum ab Apostolo, cum de eleemosynis diceret. Hoc enim ait. Qui parce seminat parce & metet, & qui seminat in benedictione de benedictionibus & metet. *Et infra.* Noli esse piger, declina à malo & fac bonum. *Ps: 36. 29.* Noli tibi putare sufficere, si non expoliasti vestitum. Non expoliando enim vestitum declinasti à malo, sed noli arescere, & sterilis esse. Sic noli spoliare vestitum ut vestias nudum, hoc est enim declinare à malo & facere bonum. *T, 8. Con: 3. in Ps: 36.*

Pretium Eleemosinæ ipse Deus. Fiant eleemosynæ redimantur peccata, gaudeat indigens de dato tuo, ut & tu gaudeas de dato Dei. Eget ille, eges & tu: eget ille ad te, eges tu ad Deum. Tu contemnis egentem tui, Deus non te contemnet egentem sui? Ergo impleto tu egentis inopiam, ut impleat Deus interiora tua. *T, 8. Titulo in Psal: 37.*

Contemnis pauperem contemneris à divite. Oblitus es servum te esse, quem constituit Dominus super familiam suam dare con-

conservis cibaria. Quid ergo quæris accipere, quod piger es erogare? Merito ergò quoniam quod acceperas dare noluisti, impediris ne accipias quod accipere cupiebas. Aliquid enim volebas, aliquid habebas; da quod habes ut merearis accipere quod non habes. *Ibid. Enar: in Psal: 38.*

Da quod habes ut accipias quod non habes.

Respexi ad Dominum meum dicentem: Serve nequam & piger, dares pecuniam meam nummularijs, & ego veniens cum usuris
Luc:19 13. exigerem. Et quod sequitur avertat Deus à dispensatoribus suis. Projjciatur in tenebras exteriores ligatis manibus & pedibus servus, non eversor ad perdendum sed piger ad errogandum. Quid expectare debent qui cum luxuria consumpserunt, si damnantur qui cum pigritia servaverunt. *Ibidem.*

Pœna pigri ad erogandum.

Hilarem datorem diligit Deus Si panem dederis tristis, &
2. Cor. 9. 7. panem & meritum perdidisti. Ergo ex animo fac, ut ille qui intus videt, adhuc loquente te dicat. Ecce adsum. *Ibid. in Psal: 42.*

Qui tristis eleemosynã largitur duplex dãnum incurrit.

Facite vobis sacculos non veterascentes. Noluit Deus ut
Luc. 12 33. perdas divitias tuas, sed ut locum illis mutes. Si amicus tuus intraret in domum tuam & inveniret te in loco humido frumenta posuisse, audires amicum suggerentem, ut frumenta levares de inferioribus ad superiora; & non audis Christum monentem, ut thesaurum tuum leves de terra ad Cælum; ubi non hoc tibi reddatur quod servas, sed serves terram, accipias Cælum, serves mortalia accipias sempiterna? Fænerare Christo, recipiat in terra pauca, ut reddat tibi in Cælo multa. *Ibid. in Psal: 48.*

Eleemosyna nostra transfert thesaurum de terra in Cælũ.

Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Esurire in
Matt. 22. 40 pauperibus voluit, qui dives in Cælo est: & dubitas homo dare homini, cum scias te Christo dare, quod das, à quo accepisti quidquid das. *Ibid in Psal: 75.*

Christus ipse eleemosynas ercipit.

Supplicem nullum spernas, & cui dare non poteris quod petierit, non eum spernas. Si potes dare, da: si non potes affabilem te præsta Coronat Deus intus voluntatem ubi non invenit facultatem. Nemo dicat: Non habeo Charitas non de sacculo erogatur: quia quidquid dicimus, & quidquid diximus, & quidquid dicere potuerimus, vel nos, vel post nos, vel qui ante nos, finem non habent nisi charitatem: quia finis præcepti charitas est, de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta. *Ibid. Con: 1. de 1. parte Psal: 103.*

Benignitas supplet facultatem.

Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Attendunt
Ps: 40. 2. res suas, villas suas & omnes superfluas copias, quibus videntur excelsi, & præbent illas servis Dei, dant agros, dant hortos, ædificant Ecclesias, monasteria, colligunt passeres ut in Cedris Libani nidificent. Passeres ergo satiantur Cedris Libani quas plantavit Dominus, & illic passeres nidificabunt Attendite totam terram, si non ita est. *Ibid: Con: 3. de 2. parte Psal: 103.*

Date eleemosynas, & ecce omnia munda sunt vobis. Unde
Luc: 11 14. autem procedit eleemosyna? De corde. Si enim manum porrigas nec in corde miserearis, nihil fecisti. Si autem in corde miserearis etiamsi non habeas quod porrigas manu acceptat Deus eleemosynam tuam. *Ibid. Expos: Psal: 125.*

Cordis Eleemosyna.

Non perdunt quod erogant. Servo commendat & tutum est,
Ps: 111 5. Christo commendant & perit? *Et infra.* Obliviscatur me dextera mea; vehementer se constringit Fratres mei: obliviscatur me dextera mea, atrociter se obligavit. Dextra nostra est vita æterna, sinistra nostra est vita temporalis. Quidquid facis propter vitam æternam, dextera operatur. Si charitati vitæ æternæ in operibus tuis miscueris concupiscentiam vitæ temporalis, aut laudis humanæ, aut

In eleemosinis dextra operetur.

ut alicujus commodi sæcularis cognovit sinistra tua quid facit dextera tua. *Ibid. Enar: in Psal: 136*

Non expectãda preces pauperis. Cum dicit. Qui intelligit super egenum & pauperem non expectat ut petat intellige super illum. Alius te quærit indigens, alium tu debes quærere indigentem. Utrumq; dictum est Fratres mei. Et omni petenti te da, modo lectum est. Et alio loco scriptura dicit. Sudet eleemosyna in manu tua, quousq; invenias justum cui eam tradas. Alius est qui te quærit, alium tu debes quærere: nec eum qui te quærit relinquas inanem, omni enim petenti te da. *Ibid. Enar: in Psal: 146.* *Ps. 42. a.*

Quid tam justum quàm ut in qua mensura mensi fueritis, in ea remetiatur vobis. Da egenti Fratri. Cui Fratri? Christo. Si ergo quia fratri Christo, & quia Christo Deo qui est super omnia benedictus in sæcula, Deus egere à te voluit & tu manus retrahis? Certe tu porrigis manum, & petis à Deo: audi scripturam. Non sit manus tua porrecta ad accipiendum, & ad dandum collecta. *Reddi sibi vult Deo ea per Eleemosyn: quæ nobis confert.* Erogari sibi Deus ex illo quod dedit, Quid enim das quod ille non dedit? Quid enim habes quod non accepisti. Aut verò non dico Deo sed cuilibet de tuo des aliquid? De illius das qui jubet ut des? Prærogator esto non invasor. *Ibid. Exposit: Psal: 147.*

Eleemosyna lucrat. Consilium do lucrorum disce mercari. Laudas enim mercatorem qui vendit plumbum, & acquirit aurum: & non laudas mercatorem, qui erogat pecuniam & acquirit justitiam. Sed ego inquis non erogo pecuniam: quia non habes justitiam. Eroget pecuniam qui habet justitiam. *Erogat pecuniam acquirit justitiam.* Ego non habeo justitiam, habeam vel pecuniam. Ergo quia non habes justitiam, ideo non vis erogare pecuniam? Magis eroga pecuniam ut habeas justitiam. A quo enim habes justitiam, nisi à Deo fonte justitiæ? Ergo si vis habere justitiam, esto mendicus Dei, qui te paulò ante ex Evangelio, ut peteres, quæreres, pulsares, monebat. Mendicum suum sciebat, & ecce paterfamilias, & magnus dives, divitiarum scilicet spiritualium & æternarum, hortatur, & dicit tibi, pete, quære, pulsa. Qui petit accipit quærens invenit, pulsanti aperietur. *T, 10. ser: de ver: Dñi: ser: 5. de illo. Petite & dabitur vobis.*

Eleemosyna misericordia animæ Facite veram eleemosynam. Quid est vera eleemosyna? Misericordia. Audi scripturam. Miserere animæ meæ placens Deo: fac eleemysam miserere animæ tuæ placens Deo. Mendicat ante te anima tua, redi ad conscientiam tuam. Quicunq; malè vivis, quicunq; infideliter vivis, redi ad conscientiam tam: & ibi invenis mendicantem animam tuam, invenis egentem, invenis pauperem, invenis ærumnosam, invenis forte nec egentem, sed egestate obmutescentem. Nam si memdat, esurit justitiam. *Et infra.* Hanc autem eleemosynam, si prætermittis, da quantum vis, dona quantum vis, retrahe de fructibus tuis, non decimas, sed dimidias: novem partes da, & unam tibi dimitte, nihil facis, quando tecum non facis, & tecum pauper es. Anima tua vescatur, ne fame pereat. Da illi panem. Quem panem inquis? Ipse tecum loquitur. Tu si audires, & intelligeres, & crederes Domino, ipse tibi diceret. Ego sum panis vivus, qui descendi de Cælo. Nonne istum panem primum dares animæ tuæ, & faceres cum illa eleemosynam? *Ibid. serm: 30.* *Eccl. 30 24.*

Divitiæ non sunt veræ divitiæ. Honestè acquisisti: de justis laboribus plenam domum habes, non reprehendo. Tamen etiam sic noli illas dicere divitias: nam si dicis illas divitias, amabis illas. Et si amaveris illas, peribis cum illis. Perde ne pereas, dona ut acquiras; semina ut metas. Has divitias noli appellare, quia veræ non sunt. Paupertate plenæ sunt, &

& semper obnoxiæ casibus. Quales divitiæ sunt, propter quas latronem times, propter quas times servum tuum, ne te occiso auferat, & fugiat? *Ibid. ser: 35 de illo. Facite vobis amicos de mammona &c.*

Ps: 36. 29. Declina à malo & fac bonum. Nam quomodo dicturus sum ei, vesti nudum, qui adhuc spoliare vult vestitum? Qui premit concivem suum, quomodo debet suscipere peregrinum? Ergo per ordinem prius declina à malo, & fac bonum: prius accinge lumbos tuos, & lucernas accende. Et cum hoc feceris, securus expecta vitam, & dies bonos: quære pacem & sequere eam: & tunc bona fronte dices Domino: Feci quod jussisti, redde quod promisisti, *Ibid. ser: 39. de illo. Sint lumbi vestri accinti &c.* *Prius debemus vitare mala quàm bona operari.*

Timete Christum sursum agnoscite deorsum Habe Christum sursum largientem, hic agnosce indigentem. Hic pauper est, ubi dives est? *Et infra.* Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Qui panem quotidianum petis, pauper es an dives? Et tamen Christus dicit tibi, Da mihi ex eo quod tibi dedi. Quid enim attulisti quando venisti? Omnia quæ creavi creatus hîc invenisti: nihil attulisti, nihil hinc tolles de meo mihi quare non donas; Quia tu plenus es, & pauper inanis est? Primordia vestra attendite: ambo nudi nati estis. Et tu ergò nudus natus es. Multa hîc invenisti. Nunquid tecum aliquid attulisti? De meo quæro; da & reddo. Habuisti me largitorem, facito debitorem. Parum est quod dixi. Habuisti me largitorem fac me debitorem: habeam te fæneratorem. Pauca mihi das, plura reddam. Terrena mihi das, cælestia reddam. Temporalia mihi das, æterna restituam. Teipsum tibi reddam, quando te mihi reddidero. *Ibid. ser: 41, de conversione aquæ in vinum.* *Tanti Christo eleemosyna ut propter eam indigens factus sit.* *Plura à Deo accipimus quàm dando eleemosynas elargimur.*

Matt. 25. 35 Esurivi, & dedistis mihi manducare. Forte contemnebas nescio quem pauperem, & egenum: noli contemnere Christum in Cælo sedentem, in terra egentem, veniet cum retributione, & vita æterna, & igne æterno. *T, 10. Homil: 8.* *In paupere Christo eleemosyna datur.*

Mitte sursum quod invenisti, & non perditurus es Da Christo: Christus enim hic voluit accipere. Das Christo & perdis? Non perdis. Si commendas servo tuo quod acquisisti, & non perdis: commendas Domino tuo & perdis? *Et infra* Omnes pauperes quos videtis, potuit illos Christus pascere, quomodo per corvum Heliam pavit, tamen & ipsi Heliæ subtraxit corvum: ut à vidua pasceretur, non Heliæ præstitit, sed viduæ. Quando ergo Deus pauperes facit, quia ipse non vult ut ipsi habeant, quando facit pauperes, probat divites. Sic enim scriptum est: Pauper & dives occurrerunt sibi? In hac vita natus est ille, natus est & ille. Invenerunt se, occurrerunt sibi. Et quis fecit illos ambos? Dominus Divitem, unde pauperem adjuvaret: pauperem unde divitem probaret. Pro viribus suis unusquisq; faciat. Non sic faciat, ut ipse patiatur angustias. Non hic dicimus. Superflua tua necessaria sunt alijs. Audistis modo cum Evangelium legeretur, Quicunq; de- *Cur Deus pauperes facit?* *Divites fiunt propter pauperes.*
Matt. 10:42 derit calicem aquæ frigidæ uni ex minimis meis propter me, non perdet mercedem suam. *Et infra.* Eleemosynæ illis prosunt, qui vitam mutaverunt. Das enim Christo egenti, ut peccata tua redimas præterita. Nam si ideò illi das, ut liceat tibi semper impunè peccare: non Christum pascis, sed judicem corrumpere conaris. *Ibid. Hom: 13. de illo. Ne tardes converti ad Deum &c.* *Eleemosyna bonis prodest.*

Homo mendice unde habuisti? Ergo unde dares aliquid habuisti? Quid enim habes quod non accepisti? Ergo de Dei das Deo: Ex eo quod tibi dedit, à te accipit. Nam mendicitas tua nisi ipse prior dedisset, inanissima remaneret. *Ibid. Homil: 17. de illo. Apli: Pax fratribus, & charitas cum fide.*

Nemo tibi dicturus est post resurrectionem in regno Dei: Frange esurienti panem tuum, quia non invenies esurientem. Nemo dicturus est: Vesti nudum, ubi omnium tunica immortalitas erit. Nemo dicturus est, suscipe peregrinum, ubi omnes in patria sua vivent. Nam modo sumus inde peregrini. Nemo dicet, visita ægrum, ubi est sanitas sempiterna. Nemo dicet: sepeli mortuum, ubi mors morietur. Ista omnia pietatis officia in vita æterna necessaria non erunt: ubi sola pax erit, & lætitia sempiterna. *Ibid. Hom: 18.*

Eleemosyna cælũ ære comparat.

Eleemosina horreum.

Felix operarius cultor eleemosynarum, eo quod ære suo comparaverit cælum, & dans panem esurientibus, delictorum suorum presserit incendium. *Et infra.* Talis operarius felix vivit, & securus jam moritur: cum quo ambulat patrimonium, immortale horreum, in quo debitorem fecit Dominum, dum pascit alterum dando. *Et infra.* Perfecta est ergo misericordia fratres charissimi, ut ante occuratur esurientibus, quam roget mendicus. Non enim est perfecta misericordia, quæ precibus extorquetur. Sed si tacet mendicus, loquitur pallor in facie, pæne lassus, fessus & elisus, nusquam suspectus. Festina pietate succurrere, ne audias rogantem, ne quod debetur Domino, vendices tibi. Imitare Deum tuum, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos & injustos. *Matt. 5. 45.* Et ecce veniet tibi pluvia antequam roges, descendet ubertas nocte, dum stertis, dum adhuc in lecto es, ex præcepto vigilat dies, excubant elementa, fructus te nesciente effunduntur. Jactat cælum & parturit terra: tot cellaria messium, dum nescimus sic accipimus, & tantas opes comedimus, antequam rogemus. Et tu homo modicus est ipse panis, & precibus vendis? Non rogaverunt quatuor millia Jesum in deserto septem panes & paucos pisces, ut infinita agmina pranderent, quo prandio vicisset saltem usuram mensura. Qui cum erogarentur, Colligite inquit fragmenta, ne quid depereat: quia sanctum fuerat totum quod ipse cōfecerat. *Marc. 14.* Replentur septem sportæ buccellarum, saturata sunt tanta millia, & nihil minoratum est. Et crevit eis cibus, dum impenditur victus: sic & eleemosyna si indigentibus erogetur. Magnum opus est eleemosyna, fratres charissimi, ut faciat homo quod fecit Deus, qui hos paucos esurientes in terra dimisit: qui uno vasculo orbem cæli pascit, per quem & nobis liceat erogare. Si ubiq; fuisset abundans, perierat misericordia, dedit nobis Deus secundum baptismorum. Quis enim sine peccato? Nam sicut aqua extinguit ignem, sic & eleemosyna extinguit peccatum. In horreis nostris habemus abundantiam, quæ flammas nostras oblatione unius panis extinguat: & ante fores gehennæ stat misericordia, & neminem permittit in carcerem mitti. Et quicunq; misertus fuerit, miserebitur ei: & si quis non fuerit misertus, non miserebitur ei. Da panem cum potes: quia nemo esuriet in inferno, quem possis pascere: nec habebis post mortem frumentum, nec invenies illic aliquando mendicum, quia non erit tempus miserendi. *Et infra.* Date ergo omnibus dilectissimi fratres, date & præcipuè domesticis fidei. Date omnibus ne cui non dederitis ipse sit Christus, cuive dederitis ipse sit Christus. *Ib. Hom: 39. de illo. Beatus qui intelligit super egenum &c.*

Perfecta misericordia dare nondũ roganti.

Eleemosynis bona crescũt.

Eleemosyna cordis.

Una est eleemosyna quæ fit de corde, quando fratri tuo dimittis peccatum. Altera eleemosyna quæ fit de substantia, quando panem pauperi porrigis. Ambas fac, ne sine una ala & altera remaneat oratio tua. *Ibid. Hom: 42. De Oratione Dnica.*

Deo datur quod pauperi.

Da de quo dederit tibi Deus. Ipse te divitem fecit, ideo redde illi quod suum est. Ipse se dicit accipere quod pauperibus datur,

tur, sibi collatum conclamat, quod in corde pauperis fuerit seminatum. *Et infra.* Unde semper flagellamur in frugibus: quia bene egentibus non facimus. Revera si consideres homo, unde damna, unde pericula, unde calumniæ nisi de sterilitate nostra? Tu non das indigenti quod potes, quod te non gravat: venit tua calumnia, & perdes quod non habes. Ventre pleno ambulas, & vacuum pauperis ventrem non consideras? *Et infra.* Plus tibi dedi, ut haberes unde pauperi dares. Pauperi non dedi ob hoc, ut te probarem: non quia ambobus non habui unde darem, sed per pauperem volui te probare. *Ibid. Hom: 47. de remediis peccatorum.*

Steriles agros sterilis manus facit.

Paupertas divitum probatio.

Migra ergo. Consilium do servandi non perdendi. Habebis inquit thesaurum in Cælo: & veni sequere me, ut ducam te ad thesaurum tuum. Non est hoc dispendium, sed compendium. *Et infra* Invasit hostis domum nunquid invaderet Cælum? Occidit servum custodem nunquam occideret Dominum servatorem, quo fur non accedit, neq; tinea corrumpit. *Et infra.* Cum uni inquit
Matt. 25.40. ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, Christus accepit quod dedisti. Jlle accepit, qui tibi unde dares dedit. Jlle accepit qui in fine tibi seipsum dabit. *Et infra.* Breviter ergo audiant homines, dignèque considerent, quantum sit meritum Christum pavisse esurientem, & quale sit crimen Christum contempsisse esurientem. Mutat quidem homines in melius pænitentia peccatorum: sed nec ipsa videtur aliquid profutura, si ab operibus misericordiæ sterilis fuerit. *T, 10. ser: de Temp: ser: 50. Dnica in Septuagesima ser: 1.*

Christus eleemosynæ pretium.

Pænitentia sine eleemosyna sterilis est.

Matt: 6. 3. Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: ad hoc quod supra diximus pertinere agnoscitur. In dextera enim intelligetur amor DEI, in sinistra vanitas vel cupiditas mundi. Si pro laude humana dederis eleemosynam, totum sinistra facit, dextera omnino nihil facit. *Ibid. ser: 60. Fer: 6. post Dnicam in Quinquasima ser: 2.*

Eleemosyna non propter respectū erogata validior.

Pro eo quod non potest jejunare, amplius debet erogare pauperibus, ut peccata quæ non potest jejunando curare, possit in eleemosynis dando redimere. Bonum est jejunare fratres, sed melius est eleemosynas dare. Si aliquis utrumq; potest duo sunt bona. Si vero non potest melius est eleemosynam dare. *Et infra.* Quis erit qui se possit excusare, cum etiam pro calice aquæ frigidæ mercedem se Dominus redditurum promiserit? Et quare frigidæ dixit? Ne forte se posset aliquis pauper de lignorum penuria excusare, aut dicere se vasculum ubi aquam calefaceret non habere. Denique & per beatum Prophetam fratres charissimi Dominus ita hortatur & admonet eleemosynam fieri, ut prope nullus pauper sit, qui se valeat excusare. Sic enim ait. Hoc est jejunium quod elegi dicit Dominus. Frange esurienti panem tuum. Non dixit ut
Is: 58 integrum daret, cum forte pauper ille alium non haberet: sed frange inquit: hoc est dicere: Etiam si tanta paupertas tibi est, ut non habeas nisi unum panem, ex ipso tamen frange, & pauperi tribue.
Matt: 25. 45 *Et infra.* Quamdiu uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis. Laboriosum & fastidiosum nobis est in pauperibus recipere Christum in patriam nostram: timeo ne nobis ille vicem reddat in cælo, & non nos recipiat in beatitudinem suam. Contemnimus illum in mundo: timeo ne nos ille contemnat in cælo, secundum illud quod ipse dixit. Esurivi & non dedistis mihi manducare. *Ibid. ser: 62. Sabbatho post Quinquag: ser: 1.*

Qui jejunare nequeunt eleemosynas faciant.

Eleemosyna jejunia superat

Nemo ab eleemosyna excipitur.

Qui non lugēter eleemosynas largiūtur sunt in periculo amittendo cælo.

Ne putes jejunia sola sufficere ad sananda vulnera peccatorum, in medicamento eleemosynæ recreentur. Jejunium ergo tuum te castiget, sed lætificet alterum: & ita fructuosæ erunt angustiæ tuæ, si alteri latitudinem præstent. Sic jejuna ut in alio manducan-

Eleemosyna jejunia recreat.

ducante prandisse te gaudeas. Hilarem enim datorem diligit Deus. Nam manducante paupere, de bonis tuis tuis, prandet Christus, qui se in paupere esurire testatur. *Ibid. ser: 66. Dnica 1. Quadrag: ser: 2.*

Pauperi & Christo idem bolus.

Cui dare præcipitur gaudeat, quod non ea sorte natus sit, ut indigeat. *Et infra.* Talem enim se exhibere quis pauperi debet, qualem sibi alium exhibere vellet, si pauper ipse fuisset. *Et infra.* Pecunia, quæ servatur, casibus servit: quæ in misericordia conservatur præmium futurum acquirit. Quid vereris Christo committere, quod à latronibus vix poteris reservare? Qui dat inquit pauperi non egebit. Dividis patrimonium tuum heredi, & Christus est indignus de tuo aliquid tecum tollere, aliqua tecum in futura sæcula deportare? Quid heredi servas, quo si utatur ignoras? Quid substantiam cumulas, quàm fortassis ingrato relinquis. *Ibid. Fer: 3. post 2. Dnicam Quadrag.*

Eleemosynæ cum gaudio danda.

Qui pauperibꝰ erogat non egebit.

Non solum qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimenta, peregrinantibus hospitium, & cætera hujusmodi: verùm etiam qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat. Et qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coërcet aliquâ disciplinâ: & tamen peccatum ejus, qui ab illo læsus, aut offensus est, dimittit ex corde, vel orat ut ei dimittatur: non solum in eo quod dimittit atq; orat, verùm etiam in eo quod corrigit, & aliquâ emendatoriâ pœnâ plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat. *Ibid. ser: 203. Dnica 4. post Trinitatis ser: 2.*

Qui proximũ corripiẽdo corrigit eleemosynam illi largitur.

Deus fidelissimus in retribuendo.

Si pecunias homines fideli servo commendant, & securi sunt, misericordias suas commendant potenti Domino, & soliciti sunt! *T. 10. eorundem ser: 220. Dnica 12.*

Attendis pauperem & despicis, & non recogitas quoniam homo est sicut & tu. Homo chara & amica possessio Dei, homo cujus causa firmatum est cælum, & extensum est mare, fundata est terra, propter quem sol oritur & occumbit, luna crescit & deficit: astra micantia surgunt. Tune ergo contemnis hominem pauperem, propter quem Deus talia & tanta constituit? Ad extremum ut adhuc amplius dicam, propter quem Dei filius humanam carnem assumpsit, opprobria & flagella sustinuit, crucem pertulit, & flagelli amaritudinem sensit, mortem gustavit, ad inferna descendit, & eos qui à Diabolo detinebantur obnoxij sanguinis sui pretio liberavit. *Ibid. ser: 224. Dnica 14. post idem festum ser: 2.*

Pauperes non contemnendi propter quos Dei filius multa pertulit.

Dicis ergo, pauper sum. Si nihil amplius habes in substantia tua, quam tibi aut in victu, aut vestitu rationabili, aut mediocri sufficiat, sola tibi potest bona voluntas sufficere. Sed rogo te diligenter conscientiam tuam interroga, ne forte aliquoties per ebrietatem perdas, quod per eleemosynam dare potueras: ne forte per gulam studeas in terra consumere, quod per eleemosynam debueras in Cælum recondere. *Et infra.* Et ideo o anima Christiana, quæ mecum audis & legis adjuva te consilio Sanctissimi Danielis. Sic enim ait: Consilium meum accipe, & peccata tua eleemosynis redime. Quod consilium si non libenter audieris, ad Cælum sine causa pulsabis. *Et infra.* Si ergo aperueris pauperibus manus tuas, Christus tibi aperiet januas suas, ut paradysi possessor introeas. Si forte putas quod finis mundi tardiùs veniat, vel tuum considera finem. Ecce paulatim deficit mundus, subtrahuntur omnia bona quæ fuerant, & accedunt mala quæ non erant. Quotidie quod prædixit Dei sermo, completur, & nec sic homo mutatur. Accipe ergo consilium, dum in manibus tuis habes pretium tuum. Dona tibi de tuo, dum tuum est, quia fragile est quod tenes, &

Aliquãdo voluntas ad eleemosynam est sufficiens.

Plura per ebrietatem consumũtur quæ per eleemosynam servarentur.

Dan. 4.

Sine eleemosyna frustra cælũ pulsatur.

Eleemosynas pauperibus erogandi nobis damus.

& cæterorum est quod attendis. Considera quale pro te pretium dederit Dominus tuus, sanguinem fudit. Charum te habuit, quem tam caro pretio comparavit. *Ibid. ser: 227. Dnica 15. post idem Fest: serm: 2.*

Pauca dedisti, plura sume Terrena dedisti, cælestia sume. Temporalia dedisti, æterna sume. Mea dedisti, me ipsum sume. Quid enim dedisti nisi ex eo quod accepisti. Ergone quod dederis non reddo qui unde dares dedi? Qui teipsum qui dares dedi, qui tibi Christum cui dares dedi, qui tibi diceret: Quando uni minimis meis fecisti mihi fecisti. Ecce ut des pascit, & esurit propter te. Donat, & eget. Quando donat vis accipere: quando eget, non vis dare. Eget Christus quando eget pauper. *Ibid. ser: 245. Dnica 23. post idem fest: ser: 1.* *Eleemosynam quã das cælũ mutuò accipis* *Eget pauper, eget Christus.*

Meum est inquit aurum, & meum est argentum, non vestrum o divites terræ? Quid ergo dubitatis dare pauperi de meo, aut quid extollimini cum datis de meo? *Et infra.* Namq; aurum & argentum, & omnis terrena possessio, exercitatio humanitatis est: & supplicium cupiditatis. Cum talia Deus bonis hominibus tribuit, ostendit in eis quanta contemnat animus, cujus divitiæ sunt ipse Deus qui tribuit. Non enim potest quisq; apparere contemptor, nisi ejus rei cujus possessor effectus est: *Et infra.* Cum autem malis hominibus Deus ista concedit, ostendit in ejs, quomodo, & in ipsis bonis quæ Deus largitur crucietur animus, cui viluit qui tanta largitur. Bonis enim subministrat occasiones beneficiorum: malos torquet timore damnorum. *T. 10. ser: de diver: ser: 15. tra: 2. contra Manichæos.* *Nullus de proprio eleemosynam largitur.* *Cur Deus malis divitias conferat?*

Matt. 11. Quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Expectat unusquisq; vestrum suscipere Christum sedentem in Cælo, attendite illum jacentem sub porticu. Attendite esurientem, attendite frigus patientem, attendite egenum, attendite peregrinum. Facite quod soletis, facite quod non soletis. *Ibid. ser 19 de ver: Psal: Beatus homo quem tu erudieris.* *In quolibet paupere Christo bene facimus.*

Major misericordia in eum fiat, cui proponitur bonæ imitationis exemplum, quàm cui porrigitur reficiendi corporis alimentum. *T, 10. eorund: ser: 26. de quatuor quæstionibus.* *Eleemosynæ propter exemplum aliorum conferendæ.*

Matt. 11. Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Mendicat pauper, sed accipit dives: das ei qui consumat, accipit ille qui reddat. Neq; hoc redditurus quod accipit: fænarari se voluit, plus promittit, quàm dederis. Exere nunc avaritiam tuam, te puta fæneratorem. *Et infra.* Da Deo, & conveni Deum. Imo da Deo: & ut recipias conveni. *Et infra.* Esurivi inquit, & dedistis mihi manducare. Terram accepi, cælum dabo. Temporalia accepi, æterna restituam. Panem accepi vitam dabo. Imo etiam hoc dicamus: Panem accepi, panem dabo. Potum accepi, potum dabo. Hospitem accepi, domum dabo. Æger visitatus sum, salutem dabo. In carcere visus sum, libertatem dabo. Panis quem dedistis consumptus est: panis quem dabo, & reficit, non deficit. Det ergo nobis panem panis ille qui de Cælo descendit. Cum panem dabit, seipsum dabit. Quid enim volebas quando fænerabas? Nummos dare, & nummos accipere. Sed pauciores dare, plures accipere. Ego tibi inquit Deus omnia quæ dedisti in melius commutabo. Si enim dares libram argenti, & reciperes libram auri quanto capereris gaudio? Inspice & interroga avaritiam. Libram argenti dedi, libram auri recipio. Quid simile argentum & aurum? Magis ergo quid simile terra & cælum? Et aurum & argentum hîc eras relicturus: tu autem hîc non perpetuò mansurus. Et aliud dabo, & plus dabo, & me- *Deus eleemosynarum fænerator.* *Quæ per eleemosynã damus à Deo in melius commutatur.*

& melius dabo, & æternum dabo. Sic ergo compescatur avaritia nostra, fratres, ut alia quæ sancta est inflammetur.

Et infra. Aliquando possident hominem duæ Dominæ contrariæ, avaritia & luxuria Avaritia dicit: Serva: Luxuria dicit: Eroga. Sub duabus dominis diversa jubentibus, diversa exigentibus quid facturus es? Habent allocutiones suas ambæ. Et quando cæperis nolle obtemperare, & in libertatem tuam ire: quia jubere non possunt, blandiuntur. Et plus sunt cavenda earum blandimenta, quàm jussa. *Et infra.* Adhuc senex incurvus, baculo innixus, lucrum quærit & audit avaritiam dicentem. Consule in posterum. In quod posterum; jam expirans loquitur. Propter filios tuos inquit. Utinam vel illos senes non avaros haberemus qui filios non habent. *Et infra.* Intendant cum vivunt, filios aliorum alios alienis improbitatibus, quod habuerant amittentes, alios alienis improbitatibus quod possederant consumentes, & remanent inopes filij divitum. *Et infra.* Sed Dominus eadem dicat, justitia jam loquatur: ipsa erunt verba, non sententia ipsa. Serva tibi ait Dominus, consule in posterum. Et hunc interroga. Ubi servabo? habebis thesaurum in cælo ubi fur non accedet, neq; tinea corrumpet: In quantum posterum servabis? Venite benedicti Patris mei percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Hoc regnum quantorum dierum est ostendit finis ipse sententiæ. Cum de sinistris diceret: Sic ibunt illi in ambustionem æternam: ait de dexteris: Justi autem in vitam æternam. Hoc est consulere in posterum. *Et infra.* Luxuria quid dicit? Quid? Fac cum anima tua bene. Ecce dicit Dominus: Fac cum anima tua bene. Quod tibi dicebat luxuria, hoc tibi dicit justitia. Sed vide & hic quomodo dicatur. Si cum anima tua vis facere bene, attende illum divitem qui ex consilio luxuriæ & avaritiæ volebat tum animæ suæ benefacere. Successit ei regio, & non habebat ubi reconderet fructus suos, & ait: Quid faciam? non habeo quo colligam.

Qui vult luxuriæ et avaritiæ jugum excutere eleemosynas faciat.

Quæ per eleemosynam erogantur periculo non subjacent.

Matt: 25. 34.

Et infra, Audi consilium contra luxuriam: Stulte anima tua hac nocte auferetur abs te. Quæ præparasti cujus erunt? Et quo itura est anima ista quæ auferetur ab illo? Hac nocte auferetur, & nescit quo itura est. Vide alium divitem luxuriosum, superbum. Epulabatur quotidie splendidè, & induebatur purpura & bysso: & pauper ulcerosus jacebat ad januam, micas de mensa divitis frustra concupiscebat: canes ulceribus pascebat, & à divite non pascebatur: uterq; mortuus est. Unus eorum sepultus est. De altero quid dictum est? Ablatus est in sinum Abrahæ ab Angelis. Videt dives pauperem, imò jam pauper, divitem: desiderat de digito stillam aquæ in linguam suam, ab illo qui desideravit micam de mensa ejus. Certe vices mutatæ sunt. Frustra hoc dicit dives mortuus: non hoc frustra audiamus qui vivimus. *Et infra.* An expectamus ut aliquis & à mortuis resurgat, & dicat nobis, ut faciamus cum anima nostra bene? Jam & hoc factum est, non resurrexit pater tuus, sed resurrexit Dominus tuus Ipsum audi accipe bonum consilium. Noli parcere thesauris tuis, eroga quantum potes. Luxuriæ vox erat; Domini vox facta est. Eroga quantum potes, fac bene cum anima tua, ne auferatur hac nocte anima tua. *T, 10. ser: de diver: serm 43. De avaritia & luxuria.*

Contra luxuriam consiliũ.

Luc. 12 20.

Pauperis & superbi divitis dispar finis.

Luc. 16.

Animæ bene facit qui eleemosynas largitur.

Si impudenter agricola quærit messem, ubi se novit non præmisisse semen, quantò impudentius quærit DEUM divitem dantem, qui hominem pauperem noluit exaudire poscentem? In paupere enim se pasci voluit, qui non esurit. DEUM ergo egentem non spernamus, in paupere: ut egentes satiemur in divite. Habemus

Impudens est si quis aliquid à Deo petit, qui nullas eleemosynas facit.

bemus egentes, & egemus. Demus ergo ut accipiamus. Verumtamen quid eſt quod damus? Et pro iſto exiguo, viſibili, temporali, atq; terreno quid eſt quod accipere deſideramus? Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Niſi ipſe promitteret, impudentiæ fuiſſet dare iſta, & accipere velle illa: & nolle dare nec iſta. *Et infra.* Dimittite & dimittetur vobis. (Matt: 6. 14.) Hoc eſt ignoſcite, & ignoſcetur vobis. Conſervus conſervo reconcilietur: ne juſtè ſervus à Domino puniatur. In hoc genere eleemoſynæ nullus eſt pauper. Poteſt hoc facere, ut in æternum vivat: etiam qui ad tempus non habet unde vivat. Gratis datur, dando cumulatur. *T, 10. parte 2. ſer: de diver: ſer: 70. Dnica 2. Quadr.*

Ignoſcere proximo eſt eleemoſyna quam quilibet facere poteſt.

Accipiat eſuriens Chriſtus, quod jejunans minus accipit Chriſtianus. Caſtigatio volentis, fiat ſuſtentatio non habentis. Voluntaria copioſi inopia, fiat neceſſaria inopis copia. Sit etiam in animo placabili & humili miſericors ignoſcendi facilitas. Petat veniam, qui fecit injuriam: det veniam qui accepit injuriam: ut non poſſideamur à Sathana, cujus triumphus eſt diſſenſio Chriſtianorum. Et hæc enim magni lucri eleemoſyna eſt, debitum relaxare conſervo, ut tibi relaxetur à Domino. *Et infra.* Remittite, & remittetur vobis. In hoc genere operis boni excuſatio nulla eſt, ubi ſola voluntas tota facultas eſt. *Ibid. ſer: 94. Sabb: poſt Dnicā 2. Quadr.*

Præcipua eleemoſyna debita remittere.

Chriſtus eget. Eget in ſuis, plenus eſt in ſe. Sed qui eget in ſuis, & plenus eſt in ſe; egentes adducit ad ſe. Ibi non erit fames, non erit ſitis, non erit nuditas, non erit ægritudo, non erit peregrinatio, non erit labor, non erit dolor. Scio quia iſta ibi non erunt: & neſcio quid ibi erit. *Ibid. ſer: 88. in feſto Paſchæ.*

Eleemoſynæ nunc faciendæ.

Dictum eſt, omni petenti te, da: non eſt dictum omnia petenti te da. Omni petenti te da: prorſus da. Et ſi non quod petit, tu tamen aliquid da. Malum petit tu bona da. *Ibid ſer. 91. De lite & concordia cum Donatiſtis.*

Ad eleemoſynā non multa requiruntur.

Magnæ opes ſunt Chriſtianorum neceſſitates egentium: ſi intelligamus ubi debeamus ſervare quod habemus. Ante nos ſunt egentes. Ibi ſi ſervaverimus, non perdemus. Non timemus ne aliquis tollat: ille enim qui dedit ſervat. Nec meliorem poſſumus invenire cuſtodem, nec fideliorem promiſſorem. *Ibid. ſer: 111. de S. Laurentio.*

Opes Chriſtianorū eleemoſyna pauperibꝰ erogata.

Id quod minus eſt, detur ut quod eſt majus ibi inveniatur. Damus terram, & accipimus cælum, damus temporalia, & accipimus æterna, damus putreſcentia & accipimus immortalia. Poſtremo damus quod dedit DEUS, & accipimus ipſum DEUM. *Et infra.* Non intret arcam cordis tinea, malæ cogitationes: non dicatur, non dabo, ne cras non habeam. Noli multum cogitare de futuris. Imo multum cogita de futuris: ſed de longè futuris. Theſaurizent ſibi fundamentum bonum in futurum, apprehendant veram vitam. *Et infra.* Timebas mala neſcio quæ, propterea pecuniam ſervabas? Tene fide juſſorem hoc DEUS tibi dicit, non te derelinquam, non te deſeram. Homo ſi promitteret, crederes, DEUS promittit, & dubitas? Promiſit, ſcripſit, cautionem fecit. Eſto ſecurus. Lege quod tenes, cautionem tenes, ipſum debitorem tenuiſti, à quo tua debita relaxari petiſti. *T, 10. Hom: 11. de diver: ſer: 10. de illo, Nihil in hunc mundum intulimus &c.*

Præmium eleemoſynæ eſt ipſe Deus.

Fidelis Deus Remunerator eleemoſynæ.

Forte de illo paupere quem ſuſcepiſti in domum tuam, dubitat & hæſitat animus tuus, utrum verax homo ſit, an forte fallax ſimulator hypocrita. Titubat animus in facienda miſericordia, quoniam cor inſpicere non potes. Fac & cum malo, ut pervenias & ad bonum. Qui timuit ne bona ſua ſemina in vias, in ſpi-

Non debemus curioſe inquirere quis & qualis ſit cui eleemoſynam damus.

 nas,

nas, in lapides caderent, piger seminare hyeme, esurivit æstate. Verumtamen dicit tibi Dominus tuus, de quo utiq; non dubitas, si Christianus es, ego propter te factus sum pauper cum dives essem. Qui cum in forma DEI esset quid illa forma ditius? *Et infra.* Adde adhuc, sitijt in cruce, accepit potum, non à miserante sed ab insultante: & bibit acetum in morte fons vitæ. Noli aspernari, noli contemnere, noli dicere. Ergo DEUS meus homo factus est: ergo DEUS meus occisus est: crucifixus est? Etiam, planè ita, crucifixus est. Paupertas ejus tibi commendatur: longè à te fuit, propinquavit tibi paupertate. *T, 10 ser: nov: ser: 11. de eo Eccl: Fidem possid e cum proximo.*

Bona quandoque aliis facimus, non ut misereamur sed ut insultemus

An times ne perdat Christus quod illi commodaveris? Nonne dispensatorem unusquisq; elegit de familia sua fidelem cui committit pecuniam suam? Qui etsi habet in potestate non auferre, non tamen habet in potestate non perdere. Quid fide Christi prolixius? quid omnipotentià divinius? nec auferre tibi aliquid potest, quia ipse dedit tibi spe quod illi dares, nec aliquid perdere, quia universa omnipotens tenet. *Et infra* Bonum est fratres etiam manu vestra dispensetis: valde gratum est DEO. Ipse accepit & dabit tibi, qui ante tibi quàm deberet, quod dares, dedit. Debet erogationis officio conjungi ministrationis officium. Cum tibi liceat duas mercedes habere, quare perdis unam? *Ibid. ser: 19. Dom: in Alb.*

Christus nos perdere non potest, nisi velimus.

Multũ lucramur dum aliquid propter Deum perdimus.

De occasione multorum peregrinorum egentium, laborantium, abundet hospitalitas vestra, abundent bona opera vestra. Quod jubet Christus faciant Christiani, & tantùm suo malo blasphement Pagani *Ibid ser: 33. de eo quod commonemur à scandalis mundi cavere.*

Mala opera aliorũ non nocent nobis, modo illis caveamus.

Dictum est, Omni petenti te, da. Non est dictum, Omnia petenti te da. Omni petenti te da Prorsus da, & si non quod petit, tu tamen aliquid da, malum petit, tu bona da. *Ibid. ser: 37. de illo Ecclesiastici: Concordia fratrum.*

Omni petenti aliquid dare debemus, sed non omnia.

Daniel Regi Nabuchodonosor sic dicit: Consilium meum accipe rex, & peccata eleemosynis redime. Si ergo consilium est, quod accipimus, quando jubetur nobis, vel quando monemur ut aliquid ex eo quod habemus, indigentibus præbeamus, non superbiamus quando damus. Si enim consilium est quod accepisti, tibi prodest plus quàm illi qui dedit. *Et infra.* Audire me pulsantem noli, si audes. Si rogaturus non es, contemne rogantem, contemne me si nihil petis ab eo qui fecit & me & te. Si autem petiturus es illud quod mihi das, qui me exaudisti, tibi præstas ut exaudiaris. Age illi gratias, qui rem tam pretiosam, tam vili pretio te facit emere. Das quod in tempore petit; & accipis quod manet in æternum. Das, quod si non dares, pòst paululum projiceres: accipis quo in æternum perfruaris. Das unde sustentetur fames hominum: accipis unde sis socius Angelorum. Das unde non esuriat homo famem post paululum iterum passurus: accipis unde nunquam esuriem vel sitim patiaris. Cùm ergo vides quid des, & quid accipias, noli dare si audes Videamus quis majore damno feriatur: ego cui non das terram, aut tu qui non pervenies ad eum, qui fecit Cælum & terram. Si ergo consilium accipimus, faciamus propter nos, & nemo dicat, quia præstet pauperi. Plus enim sibi præstat, quàm pauperi: *Ibid. ser: 40. De dandis eleemosynis.*

Dan: 4. 24.

Plus nobis prosumus, dum aliquid damus, quam illi cui damus.

Migra ergo, consilium do servandi non perdendi Habebis inquit thesaurum in Cælo, & veni sequere me, & ducam te ad thesaurum tuum. Non est hoc dispendium, sed compendium Evigilent

Luc: 18. 22.

lent homines, audiant vel experti quod timeant, aut faciant unde non timeant. Migrent in Cælum. *Et infra.* Ubi enim inquit est thesaurus tuus, illic erit & cor tuum. Leva inquit cor in Cælum, ne putrescat in terra. Consilium est ejus qui te vult servare non perdere. *Et infra.* Cum uni inquit, ex minimis meis fecistis mihi fecistis. Christus accipit quod dedisti. Jlle accipit qui in fine tibi seipsum daturus est. *Et infra.* Venite benedicti Patris mei, percipitè regnum quod vobis paratum est ab origine mundi: sinistris autem: ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus. Quærite causas vel tantæ mercedis, vel tanti supplicij. Percipite regnum, & ite in ignem æternum. Quare isti percepturi regnum? Esurivi & dedistis mihi manducare. Quare isti ituri in ignem? Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare. Quid est rogo, unde hoc ijs qui percepturi sunt regnum? Quia dederunt tanquam boni fideles Christiani, verba Domini non contemnentes & cum fiducia promissa sperantes. *Et infra.* Non ait: Percipite regnum: castè enim vixistis, nulli fraudem fecistis, neminem jurando fefellistis. Non dixit hoc: sed percipite regnum, quia esurivi & dedistis mihi manducare. Quanto hoc excellit, quando cætera tacuit, & hoc solum Dominus nominavit? Rursum ad illos. Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus. Quàm multa posset impijs dicere, si quærerent quare imus in ignem æternum? Quare quæris? adulter, homicida, fraudator, sacrilegus, blasphemator, infidelis? Nihil horum; sed quia esurivi, & non dedistis mihi manducare.

Matt: 25. 34 — *Ibidem*

Cor in Cælum levare debemus, ne in terra putrescat.

Pro minimis quæ à nobis Deus accipit, se ipsum donat.

Esurientē saturare est Regnū Cælorum emere.

Eidem cibum negare est infernum lucrari.

Et infra. Commendaverim vobis fratres mei. Date panem terrenum, & pulsate ad Cælestem. Dominus panis est. Ego sum inquit panis vitæ. Qnomodo tibi dabit, qui non das egenti? Eget à te alter, eges ad alterum. Et cum eges ad alterum, & eget ad te alter, ille ad egentem eget, ad quem tu eges, nullius eget. Fac quod circa te fiat. *Et infra.* Non enim quomodo inter se solent improperare quodammodo beneficia sua amici. Ego tibi præstiti hæc; respondetur: & ego tibi hæc. Sic & Deus hoc vult ut præstemus ei quia & ipse præstitit nobis. Nullius indiget, ideo verus est Dominus. Dixit Domino Deus meus es tu quoniam bonorum meorum non indiges. Cum ergo sit Dominus, & verus Dominus, & bonorum nostrorum non egeat: tamen ut aliquid etiam erga illum faceremus, esurire dignatur, in pauperibus suis. Esurivi inquit, & dedistis mihi manducare. *Et infra.* Cum uni ex minimis meis non fecistis, mihi non fecistis. Breviter ergo audiant homines; digneq; considerent, quantum sit meritum Christum, pavisse esurientem, & quale sit crimen Christum contempsisse esurientem. Mutat quidem hominem pœnitentia peccatorum: sed nec ipsa aliquid videtur profutura, si ab operibus misericordiæ sterilis fuerit. *Ibidem.*

Ps: 15 1. — *Matt: 25.*

Nemo ita dives, ut non egeat.

Vicem pro vice Deo reddere debemus.

Quod hominibus negamus, Deo negamus.

Quam multi sunt qui jactantiæ causa, multa tribuunt, multa donant: & non ibi quærunt nisi laudem humanam, & gloriam popularem, plenam ventis, nulla stabilitate solidatam. Quia ergo sunt tales ubi probanda erit charitas fraterna, quia voluit illam probari. & ait admonens: Filioli non diligamus verbo tantùm & linguâ, sed opere & veritate. Quærimus in quo opere, in qua veritate? Potest esse manifestius opus quàm tribuere pauperibus? Multi hoc jactantia faciunt non dilectione. Potest esse majus opus quàm mori pro fratribus? Et hoc multi volunt putari facere jactantiâ nominis comparandi, non visceribus dilectionis. *T, 9. in Ep: Io: Tract: de cap: 3.*

Eleemosynam multi dant vanam gloriam.

Habes alio loco dicentem Dominum: nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum non intrabitis in regnum Cælorum. Ergò illi dant decimas tu si centesimam dederis, aliquid magnum te fecisse gloriaris. Attendis enim quid aliud non faciat, & quid te jubeat facere DEUS. Metiris te de comparatione pejoris non de jussione melioris. Non quia ille nihil facit, ideo tu magnum aliquid facis: sed quia gaudetis ad quædam minima opera vestra, quia tanta est sterilitas vestra ut ad modica gaudeat. Quasi securi vobis blandimini de minimis eleemosynarum granis, & acervos obliviscimini peccatorum. *T, 9. lib: de 10. chordis cap: 12.*

Matt: 5. 10.

Male se metitur qui se aliorum malefactis metitur.

Quid est quod dicis ego dives ille pauper, nisi ego oneratus, ille levis? Ego dives, ille pauper. Sarcinam tuam commemoras, pondus tuum laudas. Et quod gravius est constrinxisti ad te Sarcinam tuam; ideo non potes porrigere manum. Onerate: ligate: quid te jectas? quid te laudas? Solve vincula tua, minue Sarcinam tuam. Da comiti & illud adjuvas & te relevas. Inter has voces tuas laudantes Sarcinam tuam, adhuc Christus petit, & non accepit: & obtendis nomen pietatis crudelibus vocibus, & dicis. Et quid servo filijs meis? Christum illi oppono, filium suum mihi reponit. Istane vero magna justitia ut habeat unde luxurietur filius tuus, egeat Dominus tuus? Cum enim uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti. Non legisti non advertisti. Cum uni ex minimis meis non fecistis, mihi non fecistis. Non legisti non timuisti? Ecce quis eget & filios tuos numeras? Postremo numera filios tuos adde unum illum inter illos. Dominum tuum. Unum habes, sit ille secundus: duos habes sit ille tertius: tres habes sit ille quartus: nihil horum vis. Ecce quomodo diligis proximum tuum quem tibi facis socium ad istam perditionem. *T, 9. lib: de discipl: Christ: cap: 8.*

Dives oneratus, levis pauper.

Matt. 40.

Adhortatio ad eleemosynam.

EPISCOPUS

QUàm multos Episcopos optimos viros, sanctissimosq; cognovi quàm multos Præsbyteros, quàm multos Diaconos, & hujusmodi ministros Divinorum Sacramentorum, quorum virtus eo mirabilior mihi, & majori prædicatione dignior videtur, quò difficiliùs est eam in multiplici hominum genere, & in ista vita turbulentiori servare. Non enim sanatis magis, quàm sanandis hominibus præsunt. Perpetienda sunt vitia multitudinis, ut curentur, & priùs toleranda quàm sedanda pestilentia. Difficillimum est hîc tenere optimum vitæ modum & animum pacatum atque tranquillum. Quippe ut breviter explicem. Hi agunt, ubi vivere discitur, illi (intellige Monachi) ubi vivitur. *T, 1. lib: 1. de morib: Eccl: Cathol: cap: 32.*

Patientia Episcoporum, Prælatorum Honor.

Quanquam secundum honorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit Episcopatus Præsbyteris major sit, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est: licet etiam à minore quolibet non est dedignanda sed refugienda correctio. *August: T, 2. Epist: 19. cap: 4.*

Minor non reprehēdat majores.

Quis Ecclesiasti ferat eligi divitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore atq; sanctiore? *Ibid: Epist: 29.*

Quosdam autem Pastores & doctores. Ut intelligerent Pastores ad Officium suum pertinere doctrinam. Ideo enim non ait, quosdam autem Pastores, quosdam verò Doctores: sed cum superiora ipso locutionis genere distingueret dicendo, quosdam autem

Eph. 4. 11.

Apostolos, quosdam autem Prophetas, quosdam verò Evangelistas; hoc tanquam unum aliquid duobus nominibus amplexus est, quosdam autem Pastores & Doctores. *Ibid. Epist: 59.*

Nequaquam juvenilem ætatem tuam, & honoris Ecclesiastici rudimenta contemno; en adsum senex à Juvene Coëpiscopo, & Episcopus tot annnorum, à collega necdum aniculo paratus sum discere. *Auxilio Augustinus. Ibid. Epist: 75.*

Infans Magister, senex discipulus.

Adhuc in corpore posito beatæ memoriæ Patre & Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo; quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat. *Augustinus de seipso. Ibid. Epist: 110*

Reverentia Episcoporum.

Nihil est in hac vita & maximè hoc tempore facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi Officio, si perfunctoriè atq; adulatoriè res agatur; sed nihil apud DEUM miserius & tristius & damnabilius. Item nihil esse in hac vita & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius, Episcopi aut Presbyteri, aut Diaconi Officio, sed apud DEUM nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet. Et hinc erant lachrymæ illæ quas me fundere in Civitate ordinationis meæ tempore nonnulli fratres animadverterunt. *Ibid. Epist: 148.*

Laboriosa & coronis plena vita Prælatorum.

Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quantò certius & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Eccesiæ figuram gerenti, Dominus ait: super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur. In illum ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro, usq; ad Anastasium, qui nunc eandem Cathedra sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præjudicaret Ecclesiæ, quibus Dominus providens ait: *quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite*, ut certa sit spes fidelibus; quæ non in homine, sed in Domino collocata, nunquam tempestate sacrilegi Schismatis dissipetur. *Ibid. Epist: 165.*

Omnes Episcopi summi Petri sunt.

Quæ sua sunt quærunt: alij sunt qui propterea tenent Pastorales Cathedras, ut Christi gregibus consulant: alij verò qui propterea in eis sedent, ut suis honoribus temporalibus & commodis sæcularibus gaudeant. Temporibus Apostolorum fuerunt tales, inter quos falsos fratres Apostolus gemeret & diceret periculis in falsis fratribus. *Ibid. Epist: 209.*

Episcopi bono ovium non suo famulantur.

1. Cor. 11.26.

Novi quia cor habes, sed & tardum securum est; & acutum cor nihil est, quando in terra est. Non est Episcopatus artificium transigendæ vitæ fallacis. *Ibidem.*

Longè est gloriosiùs Episcopatus sarcinam propter Ecclesiæ vitada pericula deposuisse, quàm propter regenda gubernacula suscepisse. Retribuatur ei pax æterna quæ promissa est Ecclesiæ, qui intellexit sibi non expedire, quod paci non expediat Ecclesiæ. Tu verò Fili charissime, non mediocre gaudium nostrum, qui nulla tali necessitate à suscipiendo Episcopatu impediris, decet indolem tuam in Christo in te dicare quod dedit. Ingenium quippe tuum, prudentia, eloquentia, gravitas, sobrietas; & cætera quibus ornantur mores tui dona DEI sunt. Cui meliùs serviunt, quàm ei à quo tributa sunt, ut & augeantur, & perficiantur, & remunerentur? non serviant huic sæculo, nè vanescant cum illo, atq; dispereant. Obsecramus te per Christi divinitatem atq; humanitatem, per pacem cælestis illius Civitatis, unde peregrinantes labore temporali æternam requiem comparamus; ut in Episcopatu Vaginensis Eccle-

Gloriosa fuga honoris Ecclesiastici.

Dotes Episcopi.

cle-

clesiæ fratri tuo non ignominiosè cadenti, sed gloriosè cedenti succedas. *Augustinus exhortatur Castorum ad suscipiendum Episcopatum. Ibid. Epist: 238.*

Episcopatus pondus cum merito.

Dominum JESUM in cujus nomine securus hæc dico, testem invoco super animam meam, quoniam quantùm attinet ad meum commodum, multo mallem per singulos dies certis horis, quantum in bene moderatis Monasterijs constitutum est, aliquid manibus operari, certas horas habere ad legendum & orandum, aut aliqvid de Divinis literis agendum liberas, quàm tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati, de negotijs sæcularibus, vel judicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis, quibus nos molestijs affixit Apostolus non utiq; suo, sed ejus qui in eo loquebatur arbitrio. *T, 3 lib: de Oper: Monach: cap: 29.*

Episcoporum onerosum nomen honor prodesse.

Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Exponere voluit. Quid sit Episcopatus: Quia nomen est operis, non honoris. Græcum est enim atq; inde ductum vocabulum, quod ille qui præficitur, eis quibus præficitur: superintendit, curam eorum scilicet gerens: ut intelligat non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse. Locus verò superior, sine quo regi populus non potest: etsi ita teneatur atq; administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atq; intuendæ vacandum est veritati, si autem imponitur suscipienda est propter charitatis necessitatem. Sed nec sic omnimoda veritatis delectatio deserenda est, nè subtrahatur illa suavitas, & opprimat ista necessitas. *T, 5. lib: 19. de Civit: Dei. cap: 19.* 1. Tim. 3. 1.

Qui præest, prosit.

Qui in medijs turbis agendo ac suadendo populis præsunt: non ut præsint sed ut prosint. *Et infra* Quis non videat geri toto orbe terrarum, venire omnes ex operibus sæculi, & ire in otium cognoscendæ & contemplandæ veritatis, tanquam in amplexum Rachel: & excipi de transversa Ecclesiastica necessitate atq; ordinari in laborem, tanquam Lia dicente: ad me intrabis. Quibus castè mysterium DEI dispensantibus, ut in nocte hujus sæculi filios generent fidei, laudatur à populis etiam illa vita, cujus amore conversi, spem sæculi reliquerunt, & ex cujus professione, ad misericordiam regendæ plebis assumpti sunt. *T, 6. lib: 22. con: Faust: c: 58.*

Possunt esse populi boni, ubi fuerint Episcopi mali, sicut potuit esse populus malus, ubi fuit Moyses Princeps & Rector bonus. *T, 7. lib: 2. con: Epist: Parmen: cap: 4.*

Non valet authoritas Episcopi cōtra authoritatē Ecclesiæ.

Nec Catholicis Episcopis consentiendum est, sic ubi fortè falluntur, ut contra canonicas DEI scripturas aliquid sentiant. Sed qui custodito utilitatis & charitatis vinculo, in hoc incidunt, fiet in eis quod Apostolus ait: & si quid aliter sapitis, hoc quoq; DEus vobis revelabit. *T, 7. lib: de unit: Eccl: cap: 11.*

Honorificum est fugere honores.

Nonnulli sancta humilitate præditi viri, propter quædam in se offendicula, quibus piæ religioseq; movebantur, Episcopatûs officium, non solum sine culpa, verùm etiam cum laude posuerunt. Nunquid sic etiam Christianum nomen & fidem laudabiliter, ac non potiùs damnabiliter ponerent? Quid ita? nisi quia sine Episcopatu vel Clericatu salvi esse possumus, sine Christiana verò religione non possumus. *T, 7. lib: 2. con: Crescon: Gram: cap: 11.*

Charitas est honorificum onus.

Nunquam nos ita honorem nostrum fovemus, ut unitati invideamus: minores sumus honore, cum simus majores dilectione: Novimus quemadmodum est invitanda infirmitas ut perficiatur charitas *T, 7. ser: ad Cesarien: Eccl: plebem de Emerito.*

Pastorum honor onus, & labor.

Si Pastoralibus visceribus præditi sumus, per sepes & spinas nos coarctare debemus. Membris laceratis ovem quæramus, & Pasto-

Pastori Principique omnium cum lætitia reportemus. *T, 7, lib. de gestis cum Emerito,*

Cum sub Arriano Principe vir magnæ constantiæ, fidei Sanctissimæ Athanasius Alexandrinus Episcopus, dilapso à fide Apostolorum omni pænè mundo, & impietatis temporibus obstitisset, atq; ob hoc in exilia coactus fuisset, de sexcentis & quinquaginta (ut fertur) Episcopis, vix septem inventi sunt, quibus chariora essent DEI præcepta, quàm Regis; videlicet ornamenta, nec in Athanasij damnationem convenirent, nec Trinitatis confessionem negarent. Jlla verò omnis dejectorum peccatorum multitudo extra injuriarum metum hæc est potissimùm, vel nominis comminatione, nè Athanasiana vocaretur, vel interrogationis calliditate decepta. *T, 7. lib: 1. imperfecto con: Iulianum. cap. 74.*

Magis hominibus quam Deo placere cupimus.

Hæresis ab Episcopis non adhuc examinanda, sed coërcenda est potestatibus Christianis. *Ibid. l, 2. imperfect: con: Iulianum. c: 103.*

Ps. 44. 18. Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij. Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filij nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in sedibus Patrum. Non ergo te putes desertam (alloquitur Ecclesiam) quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es. De prole tua tibi crevit paternitas. Pro Patribus tuis nati sunt tibi Filij. Constitues eos super omnem terram. *T, 8 in Psal: 44.*

Episcopi Apostolorum successores.

Ideo altior locus positus est Episcopis, ut ipsi superintendant, & tanquam custodiant populum. Nam & græce quod dicitur *Episcopus*, hoc latine superintentor interpretatur; quia superintendit, quia desuper videt. Quomodo enim vinitori altior fit locus ad custodiendam vineam, sic & Episcopis altior locus factus est. Et de isto alto loco periculosa additur ratio, nisi eo corde stemus hic, ut humilitate sub pedibus vestris simus, & pro vobis oremus, ut qui novit mentes vestras ipse custodiat: quia nos intrantes vos & exeuntes possumus videre. Usq; adeo autem non videmus quid cogitetis in cordibus vestris, ut neq; quid agatis in domibus vestris videre possimus. Quomodo ergo custodimus? Quomodo homines, quantum possumus quantum accepimus. Et quia nos sicut homines custodimus & perfecte custodire non possumus, ideo sine custode remanebitis? Absit. Nam ubi est ille de quo dicitur.

Episcopi etymon.

Periculosa de alto loco Episcopis reddenda ratio.

Ps. 126 2. Nisi Dominus custodierit Civitatem, in vanum laboravit qui custodit eam. Laboramus in custodiendo sed vanus est labor noster, nisi ille custodiat qui videt cogitationes vestras. Custodit ille cum vigilatis, custodit & cum dormitis. Jlle enim dormivit in cruce semel, & surrexit, jam non dormit. Estote Israel qui non dormit, neque dormitabit qui custodit Israel. Eja fratres si volumus sub umbra alarum DEI custodiri, simus Israel. Custodimus enim vos ex officio dispensationis, sed custodiri vobiscum volumus. Tanquam vobis pastores sumus, sed sub illo Pastore vobiscum oves sumus. *Ibid. Expos: Psal: 136,*

Omnis malus ideo persequitur bonum, quia non illi consentit bonus ad malum. Faciat aliquid mali non objurget Episcopus, bonus est Episcopus, objurget Episcopus, malus est Episcopus. Rapiat aliquid, taceat cui rapuit, bonus est. Saltem loquatur & reprehendat & si non repetat, malus est. Malus est qui reprehendit raptorem, & bonus est qui rapit. *Ibid. Enar: in Psal: 128.*

Impavidi esse debent Episcopi in malorũ reprehensionibus.

Io: 21. 17. Amas me. In hoc ostende quia amas me, pasce oves meas. Ergo fratres cum obedientia audite vos esse Christi; quia & nos

Magis timemus pro aliis quam pro nobis.

cum timore audimus, pasce oves meas. Si nos cum timore pascimus, & timemus pro ovibus, ipsæ oves quomodo pro se debent timere. Pertineat ergo ad nos cura, ad vos obedientia, ad nos vigilantia pastoralis, ad vos humilitas gregis. *T, 10. ser: de ver: Dñi ser: 62. de trina interrogatione Domini*

Episcopi tam pro se quā pro aliis Deo rationem reddent.

Die quidem omni, & omni hora, & cura omnino continua dilectissimi, cogitare debet Episcopus, quantæ dispensationis sarcinam gerat, qualem de illa rationem Domino suo reddat. Verumtamen cum dies anniversarius nostræ ordinationis exoritur, tunc maximè honor hujus officij tanquam primum imponatur, attenditur. Interest autem quod eo die, quo id prius suscepimus, tanquam quemadmodum gerendum esset cogitavimus. At vero consequentibus, præcipuèq; illo, quo ejus solennitas agitur, non solum futura ejus, quemmadmodum deinceps geri debeant, cauta prævisione consulimus, verum etiam præterita quemadmodum gesta sint solicita recordatione recolimus: ut nosmetipsos in benefactis imitemur, & si qua culpanda transierunt, ne repetantur, curemus, ut ignoscantur oremus: & accusationem diaboli ubi possumus, rectè agendi sedulitate fugiamus: ubi autem non possumus, confidendi pietate vincamus.

Non prius munus Episcopi suscipiendum, quam geri sciatur.

Dulce & proficuum est meminisse benefactorum.

Superiorū peccata, multiplex occasio lædendi subditos.

Et infra. Diversarum ergo curarum æstibus ac difficultatibus conturbatus, si quem forte non ut poscebat audivi, si quem tristius quàm opus erat aspexi: si in quem verbum durius, quàm oportebat emisi, si quem corde contribulatum & opis indigum responsione incongrua conturbavi; si quem pauperem mihi in aliud intento importunius insistentem, vel prætermisi, vel distuli, vel etiam nutu aspero contristavi, si cui de me falsi aliquid, tanquam homini de homine suspicanti, justò acerbius indignatus sum, si quis in sua conscientia non agnovit, quod de illo humanitus suspicatus sum: vos quibus pro his, atq; hujusmodi offensis esse me fateor debitorem, simul me vestrum credite debitorem. Nam pullos quos fovet sæpe in angustijs, sed non toto pedis pondere calcat & mater: nec ideo desinit esse mater. Dimittite ut dimittatur vobis. Dimittite amanti vos, debita difficultatis, qui nec contra inimicos debita crudelitatis tenere debetis. Ad summum omnes obsecro commendate vos Domino curam pro vobis meam. *T, 10. 50. Homil: Hom: 24. De anniversario Episcopalis ordinationis &c.*

Non quilibet hostis reputādus qui lædit.

Quantò anni accedunt, imò decedunt, nosq; propinquiores faciunt diei ultimo, utiq; quandoq; sine dubitatione venturo, mihi est acrior cogitatio, & stimulus plenior, qualem Domino DEO nostro rationem possim reddere pro vobis. Hoc enim interest unumquemq; vestrum & nos: quod vos pæne de vobis solis reddituri estis rationem, nos autem & de nobis, & de omnibus vobis. Ideo major est sarcina: sed bene portare majorem gloriam comparat, infideliter autem gesta ad immanissimam præcipitat pænam. Quid ergo mihi hodie maximè faciendum, nisi ut commendem vobis periculum meum, ut sitis gaudium meum? Periculum autem meum est, si attendam, quomodo laudetis, & dissimulem quomodo vivatis. *Et infra.* Nihil est melius, nihil dulcius, quàm divinum scrutari, nullo strepente, thesaurum. Dulce est, bonum est, prædicare, arguere, corripere, ædificare, pro unoquoq; satagere magnum onus, magnum pondus, magnus labor. Quis non refugiat istum laborem? *Ibid. Hom: 25 de eadem re.*

Ab Episcopis eo plura requirētur quo plures subditos habuēre.

Dissimulatio periculosa.

Accusator cordis esse non posses, nisi cordis inspector. Oportet enim ut sermo DEI habenti aliquem honorem in Ecclesia deferatur primus locus, quia si non deferatur, malum est illi qui

non

non defert: non tamen bonum est illi cui defertur. Oportet ergo ut in congregatione Christianorum, præpositi plebis eminentius sedeant, ut in ipsa sede distinguantur, & eorum officium satis appareat, non tamen ut inflentur de sede: sed ut cogitent sarcinam, unde reddituri sunt rationem. Quis autem novit utrum hoc ament, aut non ament? Res ista cordis est, judicem habere non potest nisi DEUM. *Ibid. ser: 234. Dnica 18. post Trinit.*

Illi qui præsunt, sedere eminentius debent, non inflari de sede.

Agite vicem nostram in domibus vestris. Episcopus inde appellatus est, quia superintendit, quia intendendo curat. Unusquisque in domo sua, si caput est domui suæ, debet ad eum pertinere Episcopatus officium, quomodo sui credant, ne aliqui ipsorum in hæresim incurrant, ne uxor, ne filius, ne filia, ne ipse servus, quia tanti est emptus. Disciplina Apostolica præposuit Dominum servo, & servum subdidit Domino: Christus tamen pro ambobus unum pretium dedit. *T, 10. ser: de Sanctis ser: 51. In festo unius Conf.*

Episcopus unde appellatur.

Episcopi officium.

Idem pretium est apud Deū, pro Domino et subdito.

Vobiscum hic vivimus, & propter vos vivimus? & intentio votumq; nostrum est, ut apud Christum vobiscum sine fine vivamus. Credo autem ante oculos vestros esse conversationem nostram: ut & nos dicere fortassis audeamus, quamvis illi multum
1. Cor. 4. 16. impares qui dixit: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. *Et infra.* Duæ res sunt conscientia & fama. Conscientia tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam, crudelis est: maximè in loco isto positus de quo dicit Apostolus scribens ad discipulum suum. Circa omnes teipsum bonorum operum proba exemplum. Ut ergo vos non diu teneam, præsertim quia ego sedens loquor, vos stando laboratis: nostis omnes, aut pæne omnes sic nos vivere in ea domo, quæ dicitur domus Episcopi, ut quantum possumus imitemur eos Sanctos, de quibus lo-
Act: 4. 32. quitur liber Actuum Apostolorum. Nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia. *Et infra.* Non est Episcopi servare aurum, & revocare à se mendicantis manum. Quotidie cam multi petunt, tam multi gemunt: tam multi nos inopes interpellant: ut plures tristes relinquamus, quia quod possimus dare omnibus, non habemus. *T, 10 ser: de diver: 49.*

Sicut nobis cōscientia utilis ita proximo fama.

Episcopus nihil proprium habere debet sed omnia cōmunia.

Sæpe de nobis dicitur: Ivit ad illam potestatem. Et quid quærit Episcopus cum illa potestate? Et tamen omnes nostis quia vestræ necessitates nos cogunt venire quo nolumus: observare, ante ostium stare intrantibus dignis & indignis expectare, nuntiari, vix aliquando admitti: ferre humilitates, rogare, aliquando tristes abscedere. Quis vellet hæc pati nisi cogeremus? Dimittamur non illa patiamur, nemo nos cogat: ecce concedatur nobis ferias hujus rei. *T, 10. parte 2. ser: de diver: ser: 111. de S Laurentio.*

Sæpe debemus incommodum pati, ut aliis cōmodum faciamus.

Matt: 11. 30. Dominus JESUS sarcinam levem non diceret, nisi cum portante portaret. Sed & vos sustinete me ut secundum præceptum Apostolicum invicem onera nostra portemus, & sic adimpleamus legem Christi. Qui nobiscum si non portat succumbimus: si nos non portat occumbimus. Ubi me terret, quod vobis sum, ibi me consolatur quod vobiscum sum. Vobis enim sum Episcopus, vobiscum sum Christianus. Jllud est nomen suscepti officij, hoc gratiæ: illud periculi est, hoc salutis. Deniq; tanquam in mari magno illius actionis tempestate jactamur. Sed recolentes cujus sanguinè redempti fuerimus, velut portum securitatis tranquillitate hujus cogitationis intramus. Et in hoc propriè laborantes officio, in communi requiescimus beneficio. Si ergo plus me delectat quod vobiscum emptus sum, quàm quod vobis præpositus sum, tunc ut Dominus præcipit ero abundantiùs vester servus,

Leve onus, dū pluriū humeris portatur.

Beneficia Dei quæ nobis omnibus sunt cōmunia, maiora sunt privatis.

ne ingratus sim pretio, quo vester merui esse conservus. Amare quippe debeo Redemptorem, & scio quid Petro dixit: Petre amas me! Pasce oves meas. Hoc semel, hoc iterum, hoc tertio. Io. 21. 27.
Interrogabatur amor, & imponebatur labor: quia ubi major est amor, minor est labor. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Si dicam hoc me retribuere, quod pasco oves ejus, etiam hoc facio non ego, sed gratia DEI mecum.

Hoc ipsum Deo retribuere debemus quod illi serviamus.

Et infra. Qui sunt qui oves vendunt & columbas? Ipsi sunt qui sua quærunt in Ecclesia non quæ JESU Christi. Venale habent totum qui nolunt redimi. Emi nolunt, & vendere volunt. Bonum est enim eis ut redimantur sanguine Christi, ut perveniant ad pacem Christi. Quid enim prodest acquirere in hoc sæculo quodlibet temporale & transitorium: sivè sit voluptas ventris & gutturis, sive sit honor in laude humana. Nonne omnia fumus & ventus? Nonne omnia transeunt & decurrunt? Et væ his qui inhæserint transeuntibus, quia simul transeunt. Nonne omnia ut fluvius præceps currens in mare? Et væ ei qui ceciderit quia in mare trahetur, *T, 9. in Ioan: Tra: 10. de cap. 2.*

Oves vendunt et colūbas qui sua non quæ Christi quærunt.

Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus animas pro fratribus ponere. Debemus dixit: Debitores nos fecit qui primus exhibuit. Ideo quodam loco scriptum est. Si sederis cænare ad mensam potentis, sapienter intellige quæ apponuntur tibi: & mitte manum tuam, sciens quia opportet talia te præparare. Mensa potentis quæ sit nostis, ubi est corpus & Sanguis Christi: qui accedit ad talem mensam præparat talia. Et quid est præparat talia? Quomodo ipse pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus ad ædificandam plebem ad asserendam fidem animas pro fratribus ponere. Ideò Petro quem facere volebat Pastorem bonum, non in ipso Petro, sed in corpore suo, ait: Petre amas me, pasce oves meas Hoc semel, hoc iterum, hoc tertio usq; ad ejus tristitiam. *Ibid. Tra: 47. de cap: 10.*

1. Io. 3. 16.

Prov. 23. 1.

Eucharistia mensa potētis.

Non sint seipsos amantes, qui pascunt oves Christi, nec tanquam suas, sed tanquam ipsius eas pascant: & cessent ex illis sua lucra conquirere, sicut amatores pecuniæ: vel eis dominari sicut elati, vel gloriari de honoribus, quos ab eis sumunt, sicut superbi, vel in tantum progredi, ut etiam hæreses faciant, sicut blasphemi: nec cedant Sanctis Patribus sicut parentibus non obedientes: & eis qui illos corrigere volunt, quia perire nolunt, mala pro bonis reddant sicut ingrati: interficiant animas & suas & alienas sicut scelesti: materna Ecclesiæ viscera dissipent sicut irreligiosi: non compatiantur infirmis sicut sine affectione: famam Sanctorum maculare conentur sicut detractores: cupiditates pessimas non refrenent, sicut incontinentes: exerceant lites, sicut immites: nesciant subvenire sicut sine benignitate: indicent inimicis piorum quæ occultanda fuerint, sicut proditores: humanam verecundiam inverecunda exagitatione perturbent sicut procaces: non intelligant neque quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant sicut cæcati: lætitias carnales spiritualibus gaudijs anteponant, sicut voluptatum amatores magis quàm DEI. Hæc enim atq; hujusmodi vitia sive uni homini accidant omnia, sive his alia, illis alia dominentur, ex illa radice quodammodo pullulant, cum sint homines seipsos amantes. Quod vitium maxime cavendum est eis qui pascunt oves Christi: ne sua quærant, sed quæ JESU Christi, & in usus cupiditatum suarum conferant, pro quibus sanguis fusus est Christi. Cujus amor in eo, qui pascit oves ejus, in tam magnum debet spiritualem crescere ardorem: ut vincat etiam mortis naturalem timorem,

Cavenda Pastoribus Ecclesiæ.

Amor sui radix vitiorum.

Amor ovium in Pastoribus animarū quāt° esse debeat.

rem, quo mori nolumus, & quando cum Christo vivere volumus. Nam & Apostolus Paulus dicit se habere concupiscentiam dissolvi & esse cum Christo: ingemiscit tamen gravatus, & non vult expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale à vita. *T, 9. in Evan: Ioan: Tra: 123. de cap: 21.*

Phil: 1 23.

Væ pastoribus Israel qui pascunt se solos. Nunquid oves pascunt pastores? Id est non se pascunt pastores sed oves. Hæc prima causa est quare arguuntur postores isti: quia seipsos pascunt non oves. Qui sunt qui seipsos pascunt? De quibus dicit Apostolus: Omnes enim qui sua quærunt non quæ JESU Christi. *Ibid. in c. 34. Ezech: c. 1.*

Ezech, 34. 2. *Phil: 2 21.* *Malus Pastor se pascit non oves.*

Qualescunq; sint qui vobis præsunt, id est qualescunque nos scimus: vobis DEUS securitatem dedit qui pascit Israel. Nam DEUS non deserit oves suas: & mali pastores pænas debitas luent, & oves promissa percipient. *Ibidem.*

Malus Pastor bonis ovibus non officit.

Et infra. Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona opera vestra, & glorificent Patrem vestrum qui in Cælis est. Si ergo tibi lucerna accenderetur in domo, nonne adjiceres oleum, ne extingueretur? Porro si lucerna accepto oleo non luceret, non erat plane digna quæ in candelabro poneretur, sed quæ continuo frangeretur. Unde ergo vivitur necessitatis est accipere, charitatis est prebere, non tanquam venale sit Evangelium, ut istud sit pretium ejus, quod sumunt qui annuntiant, unde vivant. Si enim sic vendunt, magnam rem vili pretio vendunt. Accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino. Non enim est idoneus populus reddere mercedem illis qui sibi, in charitate Evangelij serviunt; non expectent illi mercedem, nisi unde & isti salutem. *T, 9. cap: 12.*

Matt: 5. 16. *Operarius mercede dignus.* *Evangelium venale non sit.*

Audi quid sequatur de ista negligentia malorum, imo falsorum pastorum: Et dispersæ sunt oves meæ, eò quod non sit pastor, & factæ sunt in comesturam omnibus bestijs agri. Furantur lupi insidiantes, rapiunt leones frementes: cum oves non hærent pastori. Nam præsens & pastor, sed malè agentibus non est pastor: & inhærent pastoribus, seipsos non oves pascentibus, & lethalis error consequitur. *Ibid. cap: 8.*

Mala ex Prælatorũ negligentia.

Propterea Pastores audite Verbum Domini: vivo ego dicit Dominus DEUS. Videte unde cæpit Tanquam juratio est DEI, testificatio vitæ suæ. Vivo ego dicit Dominus: Mortui sunt pastores: sed securæ sunt oves, vivit Dominus. Vivo ego Dominus DEUS. Qui autem pastores mortui sunt? Sua quærentes, non quæ JESU Christi. Erunt ergo & invenientur pastores, non quæ sua sunt, quærentes, sed quæ JESU Christi? Erunt plane, & invenientur plane: nec desunt, nec deerunt. *Ibid. cap: 9.*

Pastores mortui sua quærunt. *Veri pastores.*

Si ergo non bonam rationem reddit; quia non quæsivit errantem, qualem reddet, qui fecit errantem? Hoc est quod dico. Si in Catholica Ecclesia constitutus Episcopus non bonam rationem reddit de ove, si non quæsierit errantem de grege DEI: qualem rationem redditurus est Hæreticus qui non solum non revocavit ab errore. Sed etiam impulit in errorem? *Et infra.* Quæ dicunt facite: quæ autem faciunt facere nolite. Nempe mala facientes utique spinæ sunt. Quomodo vis de spinis me colligere uvam verbi tui? Respondebitur: Non est illa uva spinarum: sed aliquando increscens sarmentum implicat se in sepem, & pendet uva inter densa spinarum, sed non surgit de radice spinarum. Tu si esurieris & aliud non habes unde sumas, caute manum mitte ne lacereris à spinis: id est ne facta imiteris malorum: & lege uvam inter spinas pen-

Seductio proximi grave malum. *Hæretici Prædicantes.* *Qui mala facit spina est.* *Matt. 7. 16.* *Ex malis profectus.*

dentem, sed de vite nascentem. Ad te perveniat botri alimentum, spini, servatur ignis tormentum. *Ibid. cap: 10.*

Et pascam eas super montes Israel. Constituit montes Israel authores scripturarum divinarum. Ibi pascite & secure pascetis. Quidquid inde audieritis hoc vobis bene sapiat: quidquid extra est respuite ne erretis in nebula. Audite vocem pastores: colligite vos ad montes scripturæ Sanctæ: ibi sunt deliciæ cordis vestri, ibi nihil venenosum, nihil alienum, uberrima pascua sunt: vos tantum sanæ venite, sanæ pascamini in montibus Israel, & in rivis, & in omni habitatione terræ. A montibus enim quos ostendimus, manaverunt rivi prædicationis Evangelicæ, cum in omnem terram exijt sonus eorum: & facta est omnis habitatio terræ ad pascendas oves læta atq; fæcunda. *Ibid. cap: 11.*

Scripturæ sanctæ commendatio.

Ut oves commendaret quid illi prius dicit ne illi tanquam alteri commendaret? Petre amas me? Et respondit amo. Et iterum amas me? & respondit amo. Et tertio amas me? Et respondit, amo. Confirmat trinitatem ut consolidet unitatem. Ipse ergo pascit unus: in his, & hi in uno, & tacetur de pastoribus, sed non tacetur. Gloriantur pastores, sed qui gloriatur, in Domino glorietur. Hoc est Christum pascere: & cum Christo pascere, præter Christum non sibi pascere. *Ibid. cap: 13.*

Io: 21. 15. 16.

Volo ego jam & tibi committere proximum tuum, ut diligas eum tanquam te ipsum: volo sed adhuc timeo: adhuc enim discutere volo quomodo diligas teipsum. Noli ergo ægre ferre. Non es tu ipse facile dimittendus, cui est proximus committendus. Non transitorie tecum agendum est. Tu unus homo es, proximi tui multi sunt. Non enim primo sic debes intelligere proximum: vel fratrem, vel cognatum, vel affinem. Proximus est omni homini omnis homo. Proximi sibi dicuntur Pater & Filius, socer & gener. Nihil tam proximum quàm homo, & homo. Sed si putamus non esse proximos nisi qui de ijsdem parentibus nascuntur, Adam & Evam attendamus: & omnes fratres sumus. Et quidem fratres secundum quod homines sumus, quantò magis secundum quod Christiani sumus? Ad id quod homo es unus Pater fuit Adam, una Mater Eva: ad id quod Christianus es unus Pater est DEUS, una Mater Ecclesia. *T, 9. l. de discip: Christ: cap: 3.*

Amor sui mẽsura erga proximũ amoris.

Proximus omnis homo.

Omnes fratres sumus.

Jam ergo qui diligis iniquitatem quomodo tibi volebas committi proximum ut diligeres eum tanquam te? Homo quid perdis te? Si enim tu ipse sic te diligis ut perdas te: sic profecto perditurus es & eum quem diligis sicut te. Nolo ergo quenquam diligas, vel solus peri. Aut corrige dilectionem, aut respue societatem. *T, 9. cap: 4.*

Peccata diligens Pastor esse non potest.

Ps: 11. 27.

Redemit Christus animas, custodite quod ille redemit. Integro Christo integrum assignate prædium. Nemo invadat, nemo invasori consentiat: characterem Domini nullus abstergat, titulos Christi nemo deponat. Reddituri estis rationem Domino Regi, boni servi: data est vobis occasio bene operandi. Abundant peregrini captivi, expoliati. Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis, ut & ipsi recipiant vos in habitacula æterna. *T, 9. lib: de Tempore barbarico Tra: 5. cap: 8.*

Oves Christo integrè asservandæ.

EUCHARISTIA

SIc enim posset panem Angelorum homo manducare, nondum Angelis adæquatus, si Panis ipse Angelorum hominibus dignaretur adæquari; illos intrinsecus pascens per id quod DEUS est,

Eucharistia Angelos reddit.

nos

nos forinsecus admonens per id quod nos sumus, idoneos facit per fidem, quos per speciem pascat æqualiter. *T, 1. l. 3. de libero arbitrio. cap: 10*

Nonnè semel immolatus est Christus in seipso? & tamen in Sacramento, non solum per omnes Paschæ solennitates, sed omni die populis immolatur: nec utiq; mentitur, qui interrogatus eum responderit immolari. *T, 2. Epist: 23.* *Sacrificium Christi quotidianum.*

Dixerit aliquis non quotidie accipiendam Eucharistiam. Quæsieris, quare? quoniam inquit eligendi sunt dies, quibus puriùs homo continentiusq; vivat, quò ad tantum Sacramentum dignius accedat. Qui enim manducaverit indignè judicium sibi manducat. Alius contra, si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debet à quotidiana medicina Dominici corporis separare. Faciat autem unusquisq; quod secundum fidem suam piè credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & sanguinem Domini, si saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Neq; enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit. Zachæus, & ille Centurio, cum alter eorum gaudens in Domum suam susceperit Dominum, alter dixerit non sum dignus, ut intres sub tectum meum: ambo salvatorem honorificantes, diverso & quasi contrario modo, ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. Valet etiam ad hanc similitudinem, quod in primo populo unicuique manna secundum propriam voluntatem, in ore sapiebat: sic in ore cujusq; Christiani Sacramentum illud quomodo sumatur æstimandum. Nam & ille honorando non audet quotidie sumere, & ille honorando non audet ullo die prætermittere. Contemptum solum non vult cibus iste, sicut manna fastidium. *T, 2. Epist: 118. cap: 3.* *Frequens, vel etiam rara communio.*

Liquidò apparet quando primùm acceperunt Discipuli corpus & Sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Nunquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod à jejunis accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideo per universum Orbem mos iste servatur. *Ibid. Epist: 118. cap: 6.* *Iejunis Christi cibus datur.*

Ps: 21. 27. Edent pauperes & saturabuntur. Manducaverunt & adoraverunt omnes divites terræ. Neq; enim frustra ita distincti sunt, ut de pauperibus supra diceretur saturabuntur divites, adoraverunt omnes, & ipsi quippe adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & sanguine ejus, sed adorant tantùm, non etiam saturantur, quoniam non imitantur. Manducantes enim, pauperem dedignantur esse pauperes: Fama celsitudinis ejus & gloria nominis ejus in Ecclesia usquaquè diffusâ permoti, & ipsi veniunt ad mensam, manducant & adorant, non tamen saturantur, quia non esuriunt & sitiunt justitiam. *T, 2. Epist: 120. cap: 27.* *Christi mensa similes Christo facit.*

Beatus Cyprianus submisso dicendi genere utitur in eo libro, ubi de Sacramento calicis disputat, Solvitur quippe ibi quæstio, in qua quæritur, utrum calix Dominicus aquam solam, an etiam vino mixtam, debeat habere. *Et infra.* Ponit ipsa verba Cypriani hæc. Nam cùm dicat Christus, ego sum vitis vera, sanguis Christi non aqua est utiq; sed vinum, nec potest videri sanguis ejus, quo redempti & vivificati sumus, esse in calice, quando vinum desit calici. *T, 3. l. 4. de doctr: Christ: cap: 21.* *Sanguis Christi in calice fide accipitur.*

Illud quod Melchisedech obtulit DEO; jam per totum orbem terrarum in Christi Ecclesia videmus offerri. *T, 4. l: 83. quæst. quæst: 61.*

Plu-

Plurimi in orientalibus partibus non quotidie cænæ Dominicæ communicant. *T, 4. l. 2. de serm: in monte. cap: 7.*

Panem nostrum quotidianum da nobis. Fortasse propterea
panis dictus est, non potus: quia panis frangendo atq; manducan- *Luc. 11 3.*
do, in alimenta convertitur, sicut scripturæ aperiendo & disserendo animam pascunt: potus verò paratus, sicuti est, transit in corpus. *Ibid: cap: 10.*

Munimen est, et parma, corpus Christi.

Circumposui illi nubem operimentum. Non enim boni tantùm, sed & mali multi, amatoresque sæculi Sacramento corporis Christi subjecti sunt, cujus authoritate à Sanctorum persecutione reprimuntur. Et nebula obvolui illud. Ignorantia quia terrenam inde expectant felicitatem, terrenamque infelicitatem timent: & propterea timent, quos nisi ita esset, persequerentur. Non enim solum dictum est. Edent pauperes & saturabuntur, sed & dictum est. Manducaverunt & adoraverunt omnes divites terræ. Et posui illis terminos, & imponens claustra & portas. Terminos quibus sævitia cohibebatur, non ut nihil affligat, sed quousq; exerceat: claustra, ut injusti non prætergrediantur portas, ut ab eis justi egrediantur. *T, 4. l. Annot: Iob fol: 411.*

Non enim Dominus dubitavit dicere. Hoc est corpus meum, *Io: 18.*
cum signum daret corporis sui. *Adverte Augustinum non sicut Hæretici dicere corpus esse signum, sed de signo sacramentali dicit, quod sit Corpus meum; videatur de hoc loco Belarminus. T, 6. l. coñ: Adiman: c. 12.*

Corpus Christi firmos reddit.

Si enim Petra Christus propter firmitatem, cur & non Manna Christus tanquam panis vivus qui de cælo descendit? Quo verè qui vescuntur, spiritualiter vivunt, nam illi veterem figuram carnaliter accipientes mortui sunt. *T, 6. l. 12. coñ: Faustum. cap: 28.*

Corpus Christi Panis mysticus.

Noster Panis & Calix, non quilibet, (quasi propter Christum inspicis, & in sarmentis ligatum, sicut illi, intellige Manichæi, desipiunt) sed certa consecratione mysticus fit nobis Corpus Christi, non nascitur. Proinde quod non ita fit, quamvis sit panis & calix alimentum est refectionis, non Sacramentum religionis. *T, 6. l. 20. con: Faust: cap: 14.*

Sicut duos in carne una, Christum & Ecclesiam, istis nolentibus (intelligit Hæreticos) sine ulla obscænitate cognoscimus; sicut Mediatorem DEI & Hominem Christum JESUM carnem suam nobis manducandam, bibendumq; sanguinem, dantem, fideli corde atq; ore suscipimus: quamvis horribiliùs videatur humanam carnem manducare quàm perimere, & humanum sanguinem potare, quàm fundere. *Ibid. l. 2. con: Advers: legis & Prophet: cap: 9.*

Corpus Christi vita.

Optimè Punici Christiani baptismum ipsum nihil aliud quàm salutem, & Sacramentum Corporis Christi, nihil aliud quàm vitam vocant. Vnde nisi ex antiqua ut existimo & Apostolica traditione, qua Ecclesiæ Christi nomen insitum tenent, præter baptismum & participationem Dominicæ mensæ, non solùm ad Regnum, sed nec ad salutem & vitam æternam posse quenquam hominem pervenire? Senserat Sanctus Doctor etiam infantibus dandam Eucharistiam, & hunc usum fuisse in primitiva Ecclesia certum est: quod tamen postmodum aliter debere fieri declaravit Ecclesia. *T, 7. l: 1. de peccatorum meritis cap: 24.*

Etiã infantes corpore Christi saturabãtur.

Eucharistia frumentũ vinum et oleũm Dei dicitur.

A fructu frumenti vini & olei sui multiplicati sunt: non enim *Ps: 21.*
vacat quod dictum est. sui. Est enim & frumentum DEI siquidem *10.*
est panis vivus qui de Cælo descendit. Est & vinum Dei. Nam inebriantur inquit ab vbertate domus tuæ. Est & oleum DEI de quo dictum est impinguasti in oleo caput meum *T, 8. in Psal: 4.*

Manducaverunt & adoraverunt omnes Divites terræ. Mandu- *Ps: 4. 8.*

caverunt corpus humilitatis Domini sui etiam Divites terræ, nec sicut pauperes saturati sunt usq; ad imitationem, sed tamen adoraverunt. *Ibid. Expos: 1. Psal: 21.*

Mutavit nescio quis vultum suum. Quis est iste nescio quis?
2. Reg. Non sit nescio quis: notus est enim Dominus noster JESUS Christus. In corpore & sanguine suo voluit esse salutem nostram. Unde autem commendavit corpus & sanguinem suum? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur.
Ioã: 1. Respice altitudinem ipsius. In principio erat verbum & verbum erat apud DEUM, & DEUS erat verbum. Ecce cibus sempiternus: sed manducant Angeli, manducant supernæ virtutes, manducant cælestes spiritus, & manducant & saginantur, & integrum manet quod eos satiat & lætificat. Quis autem homo posset ad illum cibum? unde cor tam idoneum illi cibo? Opportebat ergo ut mensa illa lactesceret & ad parvulos perveniret. Unde autem fit cibus lac? Unde cibus in lac convertitur, nisi per carnem traijciatur? Nam Mater hoc facit. Quod manducat Mater, hoc manducat infans, sed quia minus idoneus est infans qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat: & per humilitatem mamillæ, & lactis succum, de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pavit nos sapientia DEI? Quia verbum caro factum est, & habitavit in nobis. videte ergo humilitatem: quia panem Angelorum manducavit homo, ut scriptum est: Panem Cæli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo. id est verbum illud quo pascuntur Angeli sempiternum: quod est æquale Patri. *Ibid. Con: 2. in Psal: 33.*

Humilitas Christi in Eucharistia.

In Eucharistia pane Angelorũ saturamur.

Et ferebatur in manibus suis. Quomodo intelligatur in ipso David secundum literam non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis quando commendans ipsum corpus suum ait. Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis. *Ipsa* est humilitas Domini JESU Christi, ipsa multum commendatur hominibus. *Ibidem.*

Christus humilitatem omnes docet in Eucharistia.

Ps: 33. 9. Gustate & videte quoniam suavis est Dominus. Nonne aperit se psalmus & ostendit tibi illam quasi insaniam, & furorem constantem, & sanam insaniam, & sobriam ebrietatem illius David, qui figurate Sacramentum dominicum ostendebat, quando illi
Ioã: 4. miseri coram Rege Achis dixerunt. Quomodo est? quando dicebat Dominus. Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum non habebit in se vitam. Et illi in quibus regnabat Achis, id est error & ignorantia dixerunt: Quomodo hic poterit nobis dare carnem suam manducare? Si ignoras gusta & vide, quàm suavis est Dominus: si autem non intelligis Rex es Achis. Immutabit faciem suam David, & recedet à te, & dimittet te & abibit. *Ibid. Expos: Psal: 33.*

Ps: 21. 27. Edent pauperes & saturabuntur & laudabunt Dominum. Divites quid? etiam ipsi edunt. Sed quomodo edunt? Manducaverunt & adoraverunt omnes divites terræ. Non dixit manducaverunt & saturati sunt, sed manducaverunt & adoraverunt. Adorant quidem DEUM, sed humanitatem nolunt exhibere fraternam. *Ibid. Enar: in Psal: 48.*

Quia unus panis, unum corpus multi sumus. In hanc escam suavem quis est qui dat fel nisi contradictores Evangelij, tanquam illi persecutores Christi? Minus enim peccaverunt Judæi crucifigentes in terra ambulantem, quàm qui contemnunt in Cælo sedentem. Quod ergo fecerunt Judæi, ut in escam quam jam acceperat, darent bibendum amarum illum potum, hoc faciunt qui male vivendo scandalum inferunt Ecclesiæ. Hoc faciunt hæretici. *Ibid. Con: 2. in Psal: 68.*

Hæretici Crucifixoribus pejores.

Adorate ſcabellum pedum ejus. Exponens autem mihi quid ſit ſcabellum pedum ejus dicit: Terra autem ſcabellum pedum meorum. Anceps factus ſum, timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit Cælum & terram. Rurſum timeo non adorare ſcabellum pedum Domini mei: quia pſalmus mihi dicit: Adorate ſcabellum pedum ejus. Quæro quid ſit ſcabellum pedum ejus? & dicit mihi ſcriptura. Terra ſcabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hîc & invenio quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedum ejus. Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ, carnem accepit. Et quia in ipſa carne hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adoraverit: inventum eſt quomodo adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando. Nunquid autem caro vivificat? Ipſe Dominus dixit cum de ipſa commendatione ejuſdem terræ loqueretur Spiritus eſt qui vivificat, caro autem nihil prodeſt. Ideo & ad terram quamlibet cum te inclinas, atq; proſternis, non quaſi terram intuearis, ſed illum ſanctum cujus pedum ſcabellum eſt quod adoras: propter ipſum enim adoras: ideo & hic ſubjecit: Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt. *Et infra.* Durum eis viſum eſt quod ait. Niſi quis manducaverit carnem meam non habebit vitam æternam: acceperunt illud ſtulte, carnaliter illud cogitaverunt, & putaverunt quod præciſurus eſſet Dominus particulas de corpore ſuo & daturus illis, & dixerunt: Durus eſt hic ſermo. Ipſi erant duri non ſermo: etenim ſi duri non eſſent ſed mites eſſent dicerent ſibi. Non ſine cauſa dicit hoc niſi quia aliud ſacramentum eſt ibi latens. *Ibid. in Pſal: 98.*

Pſ. 98. 5. — Iſ. 1. — Ioã: 6. 63. — Ioã: 6. 61.

Scabellum pedum Domini caro ejus.

Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum. Modo manduca quem oblitus eras. Sed venit & ipſe panis in cujus corpore tibi liceat recordari vocem oblivionis tuæ, & clamare ex paupertate ut ſumas divitias. Modo manduca: in ejus enim corpore es qui ait: Ego ſum panis vivus qui de Cælo deſcendi. Oblitus eras manducare panem tuum. Sed jam illo crucifixo commemorabuntur & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ. Poſt oblivionem veniat commemoratio manducetur panis de Cælo ut vivatur; non manna ſicut illi manducaverunt & mortui ſunt. *Ibid. ſer: 2 de 1. parte Pſal: 101.*

Pſ. 101. 5. — Ioã: 6.

Panis cor hominis confirmat. Satiabuntur ligna campi. Sed de iſta gratia educta de terra. Ligna campi plebes populorum. Et Cedri Libani quas plantavit. Cedri Libani potentes in ſæculo & ipſi ſaturabuntur. Pervenit panis & vinum & oleum Chriſti ad Senatores ad Reges, ad Nobiles. Satiata ſunt ligna campi. Prius humiles ſatiati ſunt, deinde etiam cedri libani, ſed quas plantavit ipſe. *Ibid. Con: 3. de 2. parte Pſal: 103.*

Pſ. 103. 16.

Primum jus ad Panem Euchariſtiæ pauperes habent & humiles.

Panis ille Angelorum in principio erat verbum; ut tamen panem Angelorum manducaret homo, creator Angelorum factus eſt homo. Ita nobis verbum incarnatum factum eſt receptibile: quod recipere non valeremus, ſi filius æqualis DEO non ſe exinaniret formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Ut ergo utcunq; capere poſſemus eum qui non poſſet capi à mortalibus, mortalis factus eſt immortalis, ut peracta ſua morte faceret immortales: & aliquid daret inſpiciendum, aliquid credendum, aliquid pòſt videndum. *Ibid. Expoſ: Pſal: 109.*

Phil: 2. 7.

Chriſtus ſe nobis in Euchariſtia accommodat.

Ps:134 3. Psallite Nomini ejus quoniam suavis est. Forte esset bonus, & suavis non esset, si tibi non daret posse gustare. Talem autem se præbuit hominibus, ut etiam panem de Cælo miserit, & filium suum æqualem qui hoc est quod ipse, dederit, hominem faciendum & pro hominibus occidendum: ut per hoc quod tu es, gustes quod non es. Multum enim ad te erat gustare suavitatem DEI, quia remota erat: illa nimis alta; tu autem nimis abjectus, & in imo jacens. In magna ista separatione missus est Mediator. Non poteras ad DEUM homo, DEUS factus est homo, ut quoniam homo potes ad hominem qui non posses ad DEUM, per hominem venires ad DEUM, & factus est Mediator DEI & hominum homo Christus JESUS. ***Ibid. in Psal:* 134.**

In Eucharistia cognoscimus quam suavis sit Dominus.

Ps:137 14. Et adipe frumenti satians te. Transit fames & sitis justitiæ, succedit saturitas. Qui ibi erit adeps frumenti nisi panis ille qui descendit de Cælo ad nos? In patria ipsa quomodo saturabit, qui in peregrinatione sic pavit? ***Ibid. Expos. Psal:* 147.**

Quomodo in Patria nos Deus saturabit qui in peregrinatione sic pavit.

Joã: 4. 54. Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Quid ergo respondit? Hoc vos scandalisat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius, quid sibi vult, hoc vos scandalisat? Putatis quia de hoc corpore meo quod videtis, partes facturus sum, & membra mea concisurus, & vobis daturus? Quid si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius? Certè qui integer ascendere potuit consumi non potuit. Ergo & de corpore ac sanguine suo, dedit nobis salubrem refectionem, & tam magnam breviter solvit de sua integritate quæstionem. Manducent ergo, qui manducant, & bibant qui bibunt, esuriant & sitiant: vitam manducent, vitam bibant. Illud manducare, refici est: sed sic reficeris, ut non deficiat unde reficeris. Illud bibere quid est nisi vivere. Manduca vitam, bibe vitam: habebis vitam, & integra est vita. Tunc autem hoc erit, id est vita unicuiq; erit corpus & sanguis Christi: si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur. *Et infra.* Joã: 4. Durus est hic sermo quis potest eum audire? Durus est, sed duris: hoc est incredibilis, sed incredulis. ***T,* 10. *serm: de verb: Apost: ser:* 2. *De corpore & sanguine Domini.***

Eucharistia saluberrima refectio.

Christus licet totus sumatur, totus manet.

Apud impios durus est, sermo Christi & incredibilis, sed duris & incredulis.

Luc. 11. 3. Attulit tibi temporale miraculum, ut tu eum quæras & mireris æternum. Etenim ipse qui tanquam sponsus processit de thalamo suo, de utero scilicet virginali, ubi sanctæ nuptiæ factæ sunt verbum & caro, attulit inquam miraculum temporale: sed ipse est æternus, ipse est Patri coæternus, ipse est, qui in principio erat Verbum, & verbum erat apud DEUM, & DEUS erat verbum. Fecit tibi unde sanareris, ut videre posses quod non videbas. Quod contemnis in Christo nondum est contemplatio sanati, sed medicamentum ægroti. Noli festinare ad visionem sanorum. Angeli vident, angeli gaudent, angeli pascuntur & vivunt: nec deficit unde pascuntur, nec minuitur esca ipsorum. ***T,* 10. *Hom:* 32.**

Temporalia miracula fiũt, ut miremur æterna.

Eucharistia infirmorũ sanitas, cæcorum lumen.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Eucharistiam tuam, quotidianum cibum. Norunt enim fideles quid accipiant, & bonum est eis accipere panem quotidianum huic tempori necessarium. ***Ibid. Hom:* 42 *De oratione Dominica.***

In Christi corpore vita nostra consistit, sicut & ipse dixit: nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam. Nam si non mutet vitam, ad judicium accipiet vitam: & magis ex ipsa corrumpitur, quàm sanetur: magis occiditur quàm

Prius vitam mutare debet qui vitã vult accipere.

vivificetur. Sic enim dixit Apostolus. Qui manducat corpus Domini, & bibit sanguinem ejus indignè, judicium sibi manducat, & bibit. *T, 10. ser: de Temp: ser: 1. Dnica 1. Adventus ser: 1.* 1. Cor. 11. 29.

Pauperis jus ad omnia divitum. Et quare pauper tecum non capiat cibum, qui tecum accepturus est regnum. Quare pauper non accipiat vel veterem tunicam, qui tecum recepturus & immortalitatis stolam: Quare pauper non mereatur panem tuum, qui tecum meruit accipere baptismi sacramentum. Cur indignus est accipere reliquias ciborum tuorum, qui tecum ad convivium invitatus est Angelorum. *T, 10. eorund: ser: 2. Dnica 2. Adventus.*

Panis Eucharistic9 non omnibus salutaris. Turba te premit, & dicis quis me tetigit? Et ille: Tetigit me aliquis. Nam isti premunt, illa tetigit. Corpus ergo Christi multi molestè premunt, pauci salubriter tangunt. *Ibid. ser: 74. Dnica 2. Quadrag.* Mar. 5. 30.

Unde commendavit Dominus corpus & sanguinem suum? Unde nisi de humilitate sua? Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ipsius: In principio erat Verbum. Ecce qualis cibus sempiternus. Sed manducant Angeli, manducant supernæ virtutes, manducant cælestes spiritus, manducant & saginantur, & integrum manet quod eos satiat, & lætificat. Quis autem homo posset ad illum cibum ascendere? Quia ergo ad illum panem homo non poterat ascendere, dignatus est panis ipse descendere ad hominem: & hoc cum ineffabili pietate factum est, quia oportebat ut mensa illa Angelorum lactesceret, & ad parvulos perveniret. Sic ergo fecit sapientia DEI, sic nos per carnis assumptionem pavit pane cælesti. Quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Vide ergo humilitatem, quia panem Angelorum manducavit homo: id est Verbum illud unde pascuntur Angeli sempiternum, quod est æquale Patri, manducavit homo, *Ibid. ser: 127. Fer: 5. in Cœna Dni.*

Verbum factū Caro, terra facta Cælum.

Et posteaquam venerunt ad locum quo tendebant, dixerunt: Jam hic nobiscum mane, declinavit enim in vesperum dies. Tene hospitem si vis agnoscere Salvatorem. Quod tulerat infidelitas, reddidit hospitalitas. Dominus ergo præsentavit seipsum in fractione panis. Discite ubi Dominum quæratis, discite ubi habeatis, discite ubi agnoscatis quando manducatis. Norunt enim fideles aliquid, quod melius intelligunt in ista lectione, quam illi non noverunt. Dominus his cognitus est: & posteaquam cognitus est, nusquam comparuit. Abscessit ab eis corpore, dum tenebatur fide. *Ibid ser: 140. Fer: 2. Pas: ser: 1.*

Deus ad nos venit, ut locupletet.

Beneficia Dei nō agnoscim9, nisi dum debemus. Dominus noster JESUS Christus ante panis fractionem ignotus loquitur cum hominibus, in panis fractione cognoscitur: quia ibi percipitur, ubi vita æterna percipitur. Hospitio suscipitur, qui domum parat in Cælo. Ait enim secundum Evangelistam Joannem. Multæ mansiones sunt apud Patrem meum: alioquin dicerem vobis, ibo parare vobis locum. Sed si iero & paravero, iterum veniens assumam vos. Hospes in terra esse voluit Dominus Cæli, peregrinus in mundo, per quem factus est mundus. Hospes esse dignatus est, ut tu haberes suscipiendo benedictionem, non quia ille indigebat, cum hospes intrabat. *Ibid ser: 146. Fer: 3. Paschæ ser: 3.* Lu. 24. 35.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Si vero spiritualiter panem istum accipias, vel ipsum Christum intellige, qui est supersubstantialis animæ panis: quia omnem superat substantiam qui de seipso ait. Ego sum panis vivus qui de Cælo descendi. Vel ipsum intellectum verbi divini, qui nobis necessarius est Lu. 11. 3.

ad reficiendas ruinas animæ, donec cognominaretur hodie. ***Ibid.***
***ser:* 182. *In vigilia Pentecostes ser:* 2.**

Ad mensam magnam sedisti, scito quoniam talia te oportet
Pr. 23. 1. præparare. Quæ est magna mensa, nisi unde accipimus corpus *Christus das nobis corpus et sanguinẽ, nos dem9 corp9 et animam.*
Christi & sanguinem? Quid est scito quoniam talia oportet te præ-
parare, nisi quod Beatus Joannes exponit, sicut Christus pro nobis
animam suam posuit, sic & nos debemus pro fratribus animas po-
nere? Ecce quantum impenderunt. *T, 10. ser: de Sanctis ser: 45. In*
***festo plurium Martyrum ser:* 1.**

Cum primâ stolâ ultro vobis occurret misericors pater, qui
Lu. 15. 22. ad vestram depellendam pestiferam famem, etiam saginatum vi- *Deus Pater & Iudex.*
tulum non distulit immolare. Ejus carnibus pascemini, ejus san-
guine potabimini, cujus effusione peccata dimittuntur, debita do-
nantur, maculæ deterguntur. Ut pauperes manducate, & tunc sa-
turabimini: ut & vos de illis sitis de quibus dicitur. Manducabunt
pauperes & saturabuntur: ac saturati salubriter, ejus panem glori-
amq; ructate. Currite ad eum & convertimini: ille est enim qui
convertit aversos, persequitur fugitivos, invenit perditos, humi-
liat superbos, pascit famelicos, solvit compeditos, illuminat cæ-
cos, purgat immundos, recreat fatigatos, suscitat mortuos, atq;
nequitiæ spiritibus obsessos, & captos eripit. *T, 10. serm: de diver:*
ser:* 8. *Ad competentes.

Eucharistia panis noster quotidianus est: sed sic accipiamus
illum ut non solum ventre, sed & mente reficiamur Virtus enim *Eucharistia non solũ corp9 sed & animã reficiat.*
ipsa quæ ibi intelligitur, unitas est: ut redacti in corpus ejus, effe-
cti membra ejus, simus quod accepimus. ***Ibid. ser:* 9. *De oratione***
Dominica.

Panis ille quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei,
corpus est Christi. Calix ille, imò quod habet calix, sanctificatum
per verbum Dei, sanguis Christi est. Per ista voluit Dominus com-
mendare corpus & sanguinem suum, quem pro vobis fudit in re-
missionem peccatorum, si bene accipitis. *T, 10. parte 2. ser: de div:*
ser:* 83 *In die S. Paschæ.

Seipsum commendans ait: Ego sum panis vivus qui de Cæ-
Joã. 6. 52. lo descendi. Cibus est qui reficit nec deficit, cibus est qui insumi-
tur, & non consumitur, cibus est qui esurientes satiat, & integer
manet. Cum hinc ad mensas vestras discesseritis, nihil tale man- *Nullus est delicatior cibus, corpore Christi.*
ducabitis. *T, 10. Hom:* 11. *de diver. ser:* 7. *de verbo, & voce, & jejuna-*
re, & esurire.

Tene fideliter, tene illum ad fractionem panis. Quid dicam
agnovistis? Si agnovistis, ibi Christum invenistis. Divinius de Sa-
cramento loquendum non est. Qui hoc sacramentum nosse differ- *Deum dum ad cor invitam9, ad Cælum invitamur.*
runt, longius ab eis Christus. Id teneant, non dimittant, invitent
ad hospitium, & invitantur ad Cælum. *Ibid. ser: 9. de arbore cui ma-*
ledixit Dominus.

Non te dimittam nisi me benedixeris, quia per carnem nos
prius benedixit Dominus Quomodo autem benedicitur? Quia
prævaluit Deo, quia tenuit fortiter & perseveravit, & de manibus
non dimisit, quod amisit Adam. *T, 10. serm: nov: ser: 1. de luctatio-*
ne Iacob.

Sive prospereris in Deo, sive tentationum tempestate turbe-
ris, totum te in baculum misericordiæ Dei projice, ut cum supra
cum donis spiritualibus pascendus accubueris, delectatus gustu su-
avitatis ejus, convenienter dicas, parasti in conspectu meo men-
sam adversus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput me- *Ad mensam Christi tribulatio deficit.*
Psal. 22. 7. um, & poculum tuum inebrians quàm præclarum est? Hoc per

orbem terrarum fulta gratiæ baculo universa cantat Ecclesia: hoc adversus hæreticos, Judæos, atq; gentiles, qui eam deridendo tribulant, prædicat, non in se, sed in Domino gloriando. Mensa

Passio Christi mensa jucunditatis.

namq; jucunditatis passio Christi est, qui se pro nobis in mensa crucis obtulit sacrificium DEO Patri, donans Ecclesiæ suæ Catholicæ vitale convivium: corpore suo nos videlicet satians, & inebrians sanguine. Hac mensa pasta, & vivificata, adversus eos qui tribulant eam exultat Ecclesia, habens spem vitæ æternæ per suam vitam Dominum nostrum Christum qui eam oleo lætitiæ, per Spiritum Sanctum unxit abundè. *Ibid. ser. 9. de Psal: 22.*

Cum accedis ad mensam potentis, scito quoniam oportet talia te præparare. Ad quam mensam potentis accedis? Qui tibi exhibet seipsum, non mensam cocorum arte conditam. Exhibet tibi Christus suam mensam, scilicet semetipsum. Accede ad hanc men- *Pr: 23. 1.*

Citius ad mensam Christi saturatur pauper, quam dives.

sam & saturare. Esto pauper, & saturaberis. Edent pauperes & saturabuntur. Scito quoniam talia te oportet præparare. Ut intelligas, expositorem Joannem attende. Forte enim nesciebas, quid sit. Cum accedis ad mensam potentis, scito quoniam talia te oportet præparare: audi expositorem. Sicut Christus animam suam pro nobis posuit, sic & nos debemus talia præparare. Quid est talia præparare? animas pro fratribus ponere. Ut saturareris pauper accessisti; unde talia præparabis? Ab ipso qui te invitavit pete, ut habeas unde pascas eum. Nisi ipse tibi dederit, nihil habebis. Accessisti pauper, recedis dives. Imo non recedis, sed manendo dives eris. Ab illo Martyres acceperunt, quod pro illo passi sunt: credite ab illo acceperunt. Paterfamilias dedit illis, unde illum pascerent. Ipsum habemus, ab ipso potamus. Et si accipere minus digni sumus, per amicos ipsius, qui eum de ipsius dono paverunt, potamus. Orent ipsi pro nobis, ut donet & nobis. *T, 10. eorund: ser: 28. In Natali Martyrum.*

Nihil Deo dare possumus, præter hoc quod à Deo accepimus.

Cum Dominus noster JESUS Christus sicut in Evangelio cum legeretur audivimus, panem se esse dixisset, qui de Cælo descendit murmuraverunt Judæi, & dixerunt. Nonne hic est JESUS filius Ioseph cujus non novimus Patrem & Matrem. Quomodo ergo hic dicit, quia descendi de Cælo? Isti à pane de Cælo longe erant, nec eum esurire noverant. Fauces cordis languidas habebant, auribus apertis surdi erant. Videbant & cæci stabant. Panis quippe iste interioris hominis quærit esuriem: unde alio loco dicit: Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam quoniam ipsi saturabuntur. Justitiam vero nobis esse Christum Paulus Apostolus dicit. Ac per hoc qui esurit hunc panem, esuriat justitiam, sed justitiam quæ de Cælo descendit, justitiam quam dat DEUS; non quam sibi facit homo. Si enim nullam sibi homo faceret justitiam non diceret idem Apostolus de Judæis: Ignorantes enim DEI justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ DEI non sunt subjecti. *T, 9. in Evan: Ioan: Tra: 26. de cap: 6.* *Ps: 21. 27.*

Panis Eucharisticus spiritualem requirit esuriem.

Justitia cibus Christus.

Credere in eum hoc est manducare panem vivum. Qui credit in eum, manducat: invisibiliter saginatur, quia invisibiliter renascitur. Infans intus est, novus intus est: ubi novellatur ibi satiatur. *Ibidem.*

Renascitur qui Eucharistiã sumit.

Nos hodie accipimus visibilem cibum: sed aliud est sacramentum aliud virtus sacramenti. Quàm multi de altari accipiunt, & moriuntur. Unde dicit Apostolus Judicium sibi manducat & bibit. Nonne buccella dominica venenum fuit Judæ? Et tamen accepit. Et cum accepit, in eum inimicus intravit: non quia malum accepit, sed quia bonum malè malus accepit. *Ibidem* *Joã: 6. 64.*

Bonum, si male accipiatur nocet.

De Cælo deſcendit & manna, ſed manna ſed manna umbra erat, iſte veritas eſt. Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum: Et Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita. Hoc quando caperet caro quod dixit panem carnem? Vocatur caro quod non capit caro. Et ideo magis non capit caro: quia vocatur caro. Hoc enim exhorruerunt, hoc ad ſe multum eſſe dixerunt: hoc non poſſe fieri putaverunt. Caro mea eſt inquit pro mundi vita. Norunt fideles corpus Chriſti, ſi corpus Chriſti non negligunt eſſe. *Et infra.* Unus panis inquit: unum corpus multi ſumus. O ſacramentum pietatis, o ſignum unitatis, o vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat. Accedat, credat incorporetur, ut vivificetur: non abhorreat à compage membrorum, non ſit putre membrum, quod reſecari mereatur, non ſit diſtortum de quo erubeſcatur. Sit pulchrum, ſit aptum, ſit ſanum: hæreat corpori vivat de DEO, nunc laboret in terra ut poſtea regnet in Cælo. *Et infra.* Caro enim mea, inquit, vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Cum enim cibo & potu id appetant homines, ut neq; eſuriant, neq; ſitiant: hoc veraciter non præſtat niſi iſte cibus & potus, qui eos à quibus ſumitur immortales & incorruptibiles facit, id eſt ſocietas ipſa ſanctorum, ubi pax erit, & unitas plena atq; perfecta. Propterea quippe, ſicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines DEI, Dominus noſter JESUS Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namq; aliud in unum ex multis granis conficitur: alius in unum ex multis acinis confluit. Deniq; jam exponit quomodo id fiat quod loquitur, & quid ſit manducare corpus ejus & ſanguinem bibere. Qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo. Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum: in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere. Ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubio nec manducat ſpiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti: ſed magis tantæ rei ſacramentum ad judicium ſibi manducat & bibit, quia immundus præſumpſit ad Chriſti accedere ſacramenta, quæ aliquis non digne ſumit, niſi qui mundus eſt: de quibus dicitur: Beati mundo corde quoniam ipſi DEUM videbunt. *Ibidem.*

Manna umbra cibus Euchariſticus veritas.

Pignus ſalutis æternæ eſt Euchariſtia.

Euchariſtia eſt Sacramentum unitatis.

Multi ex diſcipulis ejus dixerunt: Durus eſt hic ſermo, quis poteſt illum audire? Si diſcipuli durum habuerunt iſtum ſermonem, quid inimici? Et tamen ſic opportebat ut diceretur, quod non ab omnibus intelligeretur. Secretum DEI intentos debet facere, non adverſos: iſti autem cito defecerunt talia loquente Domino JESU Chriſto. Non crediderunt aliquid magnum dicentem, & verbis illis aliquam gratiam cooperientem: ſed prout voluerunt ita intellexerunt, & more hominum; quia poterat JESUS, aut hoc diſponebat JESUS, carnem qua indutum erat verbum, veluti conciſam diſtribuere credentibus in ſe. Durus eſt inquiunt hic ſermo.

Scriptura non omnibus clara.

Et infra. Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quidquam. Dicamus ei: patitur enim nos, non contradicentes, ſed noſſe cupientes. O Domine Magiſter bone, quomodo caro prodeſt quidquam, cum tu dixeris. Niſi quis manducaverit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit in ſe vitam? An vita non prodeſt quidquam? Et propter quid ſumus quod ſumus, niſi ut habeamus vitam æternam quam tua carne promittis? Quid eſt ergo non prodeſt quidquam caro? Non prodeſt quidquam, ſed quomodo

Ioã. 6. 64.

Caro Chriſti, vita eſt.

modo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est, caro non potest quidquam: quomodo dictum est, scientia inflat. Tam ergo debemus odisse scientiam? Absit. Et quid est, scientia inflat? Sola sine charitate: ideo adjunxit charitas vero ædificat. Adde ergo scientiæ charitatem, & utilis erit scientia: non per se, sed per charitatem. Sic etiam nunc caro non prodest quidquam, sed sola caro. Accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, & prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis. Si per carnem nobis multum profuit Christus, quomodo caro nihil prodest? Sed per carnem spiritus aliquid pro salute nostra egit. Caro vas fuit: quod habebat attende non quod erat. *Ibid. Tra: 27. de cap: 6.*

Sciētia inflat si sola sit, sine charitate. *1. Cor: 8. 1.*

Caro Christi sine Spiritu sūpta nō prodest quidquam.

Caro Christi vas.

Et post panem tunc introivit in illum Sathanas. Expressus est traditor, nudatæ sunt latebræ tenebrarum. Bonum est quod accepit, sed malo suo accepit, quia male bonum malus accepit. *Ibid. Tra: 61. de cap: 13.*

Io. 13. 27.

Iudas bonum male & malus accepit cōmunicans.

Quid miraris si datus est Judæ panis Christi perquem manciparetur diabolo, cum videas è contrario datum Paulo Angelum Diaboli per quem perficeretur in Christo? Ita & malo bonum obfuit, & malum bono profuit. Recordamini unde sit scriptum. Quicunq; manducaverit panem, aut biberit calicem indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. *Et infra.* Quid erat autem panis traditori datus, nisi demonstratio cui gratiæ fuisset ingratus? Intravit autem Sathanas post hunc panem in Domini traditorem, ut sibi jam traditum plenius possideret, in quem prius intraverat ut deciperet. *T, 9. In Evan: Ioan: Tra: 62. de cap: 13.*

Bona malis in malum, mala bonis operantur in bonum.

Beneficia malis collata timenda.

Discipuli ergo eum non agnoverunt nisi in fractione panis. Et vere qui non sibi judicium manducat & bibit, in fractione panis Christum agnoscit. Postea & illi undecem putabant se spiritum videre. Præbuit se palpandum qui se præbuit crucifigendum: crucifigendum inimicis, palpandum amicis. Medicus tamen omnium & illorum impietatis, & istorum incredulitatis. *T, 9. In Epist: Ioan: Tra: 2. de cap: 2.*

Lu: 24. 35.

EXEMPLUM

Attendamus Dominum nostrum exemplum verum, & adjutorium. Probemus quia adjutorium. Sine me nihil potestis facere. Probemus quia exemplum. Christus pro nobis passus est, Petrus dicit: nobis relinquens exemplum ut sequamur vestigia ejus. *T, 10. ser: de Sanct: ser: 42. de Apost: ser: 1.*

F

FAMA

Magìs mens infirma deprehenditur, quæ ferre non potest, vel duram sui corporis servitutem, vel stultam vulgi opinionem; majorq; animus meritò dicendus est, qui vitam ærumnosam magìs potest ferre, quàm fugere; & humanum judicium maximeq; vulgare, quod plerumq; caligine erroris involvitur, præ conscientiæ luce ac puritate contemnere *T, 5. l. 1 de Civit: Dei. cap: 22.*

Patientia persecutionū gloriosa.

Quisquis volens detrahit famæ meæ nolens addit mercedi meæ;

Neq;

Neq; enim me ille suo verbo tantummodo docuit, non etiam suo firmavit exemplo? Sequere sanctarum scripturarum fidem, invenies Christum resurrexisse à mortuis, ascendisse in cælum, sedere ad dexteram Patris. Sequere criminationes inimicorum; jam putabis eum de sepulchro furatum esse à discipulis; Quid ergo nos quantum ipse donat defendentes domum ejus ab inimicis ejus, sperare debemus? Si Patremfamilias, Beelzebub vocaverunt; quantò magìs domesticos ejus? Si ergo toleramus etiam corregnabimus; Si autem non aurem solam percutit iracundia criminantis, verùm etiam conscientiam mordet veritas criminis, quid mihi prodest, si me continuis laudibus totus mundus attollat? Ita nec malam conscientiam sanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat convitiantis opprobrium. *T, 7. l. 3. con; literas Petil: cap: 7.* *Nocendo aliis prosumus.*

Per bonam famam probamur, utrum nos in superbiam non extollamus; & per malam famam probamur, utrum inimicos eos ipsos, à quibus nobis confingitur, diligamus. Per arma justitiæ à dextera & à sinistra Diabolum vincimus. quæ Apostolus tanquam exponens quid dixerit: per gloriam (inquit) & ignobilitatem; per infamiam & bonam famam; gloriam scilicet & bonam famam numerans in armis dextris, in sinistris autem infamiam & ignobilitatem. *Ibid. cap. 12* *Prosperitas probat virtutem.* *2. Cor. 6. 8.* *Fama bona vel mala, arma.*

Qui non possunt bene innotescere, cupiunt vel male de se homines loqui, dummodo nomen eorum latissime pervagetur. *T, 8. in Psal: 9.* *Famæ cupidi etiã male innotescere cupiunt.*

FELICITAS

Ne putentur mala, (intellige bona temporalia) dantur & bonis; ne putentur magna vel summa bona, dantur & malis. Itemq; auferuntur ista & bonis ut probentur, & malis ut crucientur. *T, 2. Epist: 70.* *Felicitas etiã indignos ornat.*

Hujus vitæ felicitas temporalis est: ab hac vita incipere necessitatis est, in ea persistere voluntatis. In hac quippe ex utero Matris infans funditur, hujus offensiones quantùm potest refugit, hujus appetit voluptates, nihil amplius valet. Sed postquam venerit in ætatem; qua in eo rationis usus evigilet, poterit adjuta divinitùs voluntate eligere alteram vitam, cujus in mente gaudium est, cujus interna atq; æterna felicitas. *T, 2. Epist: 120. cap: 2.* *Cum tempore fugit.* *Stabilis quæ sit?*

Dextera nominatur in omnibus bonis, sinistra in malis, sive felicitas & infelicitas, sive justitia & injustitia; & aliquando dextera in æternis, sinistra in temporalibus. *T, 3. l. 1. locut: de Gen.* *Dextera manus & sinistra.*

Inter omnes suos laudabiles, & virtutum insignibus Jllustres viros, non proferunt Romani meliorem (loquitur de Regulo) quem neq; felicitas corruperit, nam in tanta victoria pauperrimus permansit: nec infelicitas fregerit: nam ad tanta exitia revertit intrepidus. *T, 5. l. 1. de Civ: Dei. cap: 24.* *Gloriosa virtus est felicitate non corrumpi.*

Quomodo ibi esset vera felicitas, ubi non est vera pietas? pietas enim est verus veri Dei cultus, non cultus falsorum tot Deorum, quot Dæmoniorum. *Et infra.* Potior est felicitas Regno. Nemo enim dubitat facilè inveniri hominem, qui timeat se fieri Regem. Nullus autem invenitur, qui se nolit esse felicem. *T, 5. l. 4. de Civ: Dei. cap: 23.*

Felicitatem (intellige Deus) non dat nisi bonis, hanc enim possunt habere & non habere servientes, possunt & non habere & habere regnantes, quæ tamen plena in ea vita erit, ubi jam nemo serviet ulli. *Ibidem.* *Felicitas à Deo, de Deo.*

Felices vel nos vel filios nostros, non divitiæ terrenæ faciunt, aut nobis viventibus amittendæ, aut nobis mortuis à quibus nescimus, vel forte à quibus nolumus possidendæ: sed Deus felices facit, qui est mentium vera opulentia. *T, 5. l. 5. de Civ: Dei: cap: 18.*

Magna infelices facit. Tullius de quodam qui peccandi licentiâ felix appellabatur; ô miserum cui peccare licebat; *Ibid. cap: 27.*

Peccatum, illis prædatora. Vivebat homo in Paradiso sicut volebat, quamdiu hoc volebat, quod Deus jusserat: vivebat fruens Deo, ex quo bono, erat bonus: vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, nè esuriret, potus nè sitiret. Lignum vitæ, nè illum senecta dissolveret. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in animo tota tranquillitas. Nihil omninò triste, nihil erat inaniter lætum: gaudium verò perpetuabatur ex Deo in quem flagrabat charitas, ex corde puro & conscientia bona, & fide non ficta. Vide ibi plura. *Ibid. l. 14. de Civ: Dei. cap: 26.*

Felicitas secularis debet prodesse spirituali. Secundæ res quæ sapientium animos fatigant, magìs Salomoni obfuerunt, quàm profuit ipsa sapientia, etiam nunc & deinceps memorabilis, & tunc longè latèq; laudata. Prophetâsse etiam ipse reperitur in suis libris qui recepti sunt, in authoritatem canonicam: Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum. Alij verò duo quorum unus sapientia, alter Ecclesiasticus dicitur, propter eloquij nonnullam similitudinem, ut Salomonis dicantur obtinuit consvetudo. *Ibid l. 17. de Civ: Dei. cap: 20.*

Felix cui portio Deus. Beatus populus cujus Dominus Deus ejus. Attendant ergo quomodo irrideatur ista felicitas, in hominibus impijs, & tota beatitudo in Deo solo inconcussa figatur. Jlli enim dicunt, beatum populum, cui hæc sunt, sed beatus populus, cujus est Dominus Deus ipsius. *T, 6. lib: con: Adiman: cap: 18.*

Quid sit vera felicitas. Habemus hic felicitates diversas generis humani, & miser quisque dicitur quando illi subtrahitur quod amat. Vere autem felix est, non si id habet quod amat, sed si id amet quod amandum est. Multi enim miseri sunt magis habendo quod amant quàm carendo. Amando enim res noxias, miseri, habendo sunt miseriores; & propitius Deus, cum male amamus, negat quod amamus: iratus autem dat amanti quod male amat. Habes evidenter dicentem Apostolum. Tradidit illos Deus in concupiscentiam cordis illorum. Ecce illos dedit in concupiscentiam cordis eorum; Paulo Apostolo negavit ad sanitatem. Cum autem id amamus quod vult Deus ut amemus, procul dubio daturus est nobis. *T, 8. Enar: 2. in Psal: 26.* *Rom. 1. 24.*

Propitius Deus aliquando negat quod iratus concedit.

Felicitas hujus sæculi somnium est. Veluti somnium exurgentis sic defecerunt, quomodo somnium evigilantis. Quæritur igitur & non est: nihil in manibus nihil in lecto. Pauper dormierat, dives in somnis factus fuerat. Si non evigilâsset dives esset. Evigilavit invenit ærumnam quam dimiserat dormiens. Et isti non invenient miseriam quam sibi comparaverunt? Cum evigilaverint de hac vita, transit illud quod somno tenebatur veluti somnium exurgentis. Et ne diceretur. Quid ergo? Parva tibi videtur claritas eorum, parva tibi videtur pompa eorum, parvi tibi videntur tituli, imagines, statuæ, laudes, cunei clientum? Domine ait, in Civitate tua imaginem illorum ad nihilum rediges. *Et infra.* Exhorrescant omnes fratres nostri divites abundantes pecunia auro, argento, familiâ, honoribus, exhorrescant quod modo dictum est. Domine in Civitate tua imaginem illorum ad nihilum rediges. Nonne digni sunt hæc pati, ut Deus in Civitate sua imaginem illorum ad nihilum redigat, qua & ipsi in Civitate sua terrena, imaginem Dei ad nihilum redegerunt. *Ibid. in Psal: 72.* *Psal. 72. 20.*

Sterilitas iniquitas.

Ubi autem felix est qui in cogitatione miser est? aut quomodo ibi non miser est, qui ad nihilum redactus est? Magna quippe est sterilitas, iniquitas. Merito dictum est. Confundantur iniqui facientes vanè. *T, 8. Con: 24, in Psal: 118.*

Felicitas infelices reddit.

Sæculi homines infeliciter felices sunt: Martyres autem feliciter infelices erant. Erant enim ad tempus infelices, sed in æternum felices. Et in eo ipso quòd erant ad tempus infelices, putabantur magis infelices quàm erant. Quid enim dicit Apostolus: Quasi tristes, semper autem gaudentes. *Ibid. Enar: in Psal: 127.*

Felicitates somnia.

Omnes istæ felicitates quæ videntur sæculi somnia sunt dormientium. Et quomodo qui videt thesauros in somnis dormiens dives est, sed evigilabit & pauper erit. Sic omnia ista vana hujus sæculi de quibus homines gaudent, in somno gaudent. Evigilabunt quando nolunt, si non modo evigilant quando utile est. Et invenient somnia illa fuisse, & transisse sicut dicit scriptura, Velut somnium exurgentis. *Ibid. Enar: in Psal: 131.*

Nunquid habere istam felicitatem hoc est peccare? Non. Sed facere illam dexteram cum sit sinistra. *Ibid. Enár: in Psal: 136.*

Sinistra & dextra, quid?

Quid dicimus? Non est ista felicitas? sit licet sed sinistra. Quid est sinistra? Temporalis, mortalis corporalis. Nolo illam diffugias, sed neq; dexteram putes. *Et infra.* Quid enim in dextera ponere debuerunt? DEUM, æternitatem, annos DEI non deficientes de quibus dicitur. Et anni tui non deficient. Ibi dextera, ibi esse debet desiderium nostrum. Sinistrâ utamur ad tempus, dexteram desideremus in æternum. Divitiæ si affluant ne apponatis cor: si enim divitijs fluentibus cor apposueritis, quod sinistrum est dextrum facietis. Corrigite vos, agnoscite sapientiam amplectentem vos: cui dictum est. Sinistra ejus sub capite meo, & dextera ejus amplectetur me. Videte amatoria sancta cantica. Videte cantica canticorum, Nuptiarum Cælestium Christi & Ecclesiæ. Quid dicit sponsa de sponso? Sinistra ejus sub capite meo, & dextera ejus amplectetur me: sinistra sub capite, dextera super caput. Amplectentis enim desuper, brachium super caput, sinistra autem subter caput. Sinistra inquit ejus sub capite meo. Non enim me deseret & in temporalibus necessarijs & desiderijs. Sed tamen ipsa sinistra sub capite erit. *Ibid. Expos: Psal: 147.*

(Margin: *Sa. 2. 6.*)

Magna felicitas est, non vinci à felicitate.

Magnæ virtutis est, cum felicitate luctari ne illiciat, ne corrumpat, ne ipsa subvertat felicitas. Magnæ inquam virtutis est, cum felicitate luctari, magnæ felicitatis est à felicitate non vinci. Disce calcare sæculum: memento fidere in Christo. Et si motus est pes tuus, si titubas, si aliqua non superas, si mergi incipis, dic, Domine pereo, libera me. Dic, Domine pereo, ne pereas. Solus enim à morte carnis liberat te, qui mortuus est in carne pro te. *T. 10. ser: de verb: Dom: ser: 13. De Domino Christo ambulante super aquas.*

Ne quis pereat, perire se coram Deo fateatur.

Consolatio justi in malis successibus.

Felix est ille, laborat ille· Jlle malè vivit & felix est, ille justè vivit, & laborat? Non indignetur juste vivens, & laborans; Intus habet quod felix ille non habet: non ergo tristetur, non maceretur, non deficiat. Felix ille habet aurum in arca, iste DEUM in conscientia. Compara nunc aurum & DEUM, arcam & conscientiam. Jlle illud habet quod perit, & ibi habet unde perit; iste DEUM habet qui perire non potest, & ibi habet unde auferri non potest, sed si sit rectus corde. *T, 9. In Ioan: Tract: 25. de cap: 6.*

Iustus miser felicior est injusto felici.

Mei autem, quando non eram recto corde, pene commoti sunt pedes, paulo minus effusi sunt gressus mei. Quare? Quia zelavi in peccatorib9, pacem peccatorum intuens. Vidi inquit malos felices, & displicuit mihi DEUS: hoc enim volebat ut non permitteret DE-

(Margin: *Ps. 72. 3.*)

us malos esse felices. Intelligat homo. DEus nunquam non permitit. Sed ideo malus, felix putatur, quia quid sit felicitas ignoratur. Simus ergo recti corde: tempus enim gloriæ nostræ nondum venit. Dicatur amatoribus hujus sæculi quales erant fratres Domini: tempus vestrum semper adest paratum, tempus nostrum nondum venit. Audeamus enim hoc dicere & nos. Et quoniam corpus Domini nostri JEsu Christi sumus, quoniam membra ejus sumus, quoniam caput nostrum gratanter agnoscimus: dicamus prorsus. Quoniam propter nos & ipse hoc dignatus est dicere. **Ibid. Tract; 28, de cap: 7.** *Ioã: 7. 6.*

FESTIVITAS

PRæponitur dies Dominicus Sabbatho, fide Resurrectionis, non consvetudine refectionis, nec etiam vinolentæ licentiâ cantionis. *T, 2. Epist: 86.*

Festa nos ad virtutem incitant. Anniversariè celebrantur, quæ insigniter excellentia certis diebus facta sunt, ut eorum necessariam salubremq; memoriam, festivitas concelebrata custodiat. Si vultis ergo nosse quare celebramus Pascha? quia tunc pro nobis immolatus est Christus. *T, 6. l. 32. coñ: Faustum cap; 12.*

Festorum observantia. Observa diem Sabbathi non Judaicis delicijs, qui otio abutuntur ad nequitiam. Melius enim utiq; tota die foderent quàm tota die saltarent. Sed tu cogitans requiem in DEO tuo, & propter ipsam requiem omnia faciens, abstine ab opere servili. Omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati. Et utinam hominis & non peccati. *T, 8. Con: 1. in Psal. 32.* *Exiz. 8.*

Festum continuum. In domo DEI festivitas sempiterna est. Non enim aliquid ibi celebratur & transit. Festum sempiternum, chorus Angelorum, vultus præsens DEI, lætitia sine defectu. Dies hic festus ita est, ut nec aperiatur initio, nec fine claudatur. De illa æterna & perpetua festivitate, sonat nescio quid canorum & dulce auribus cordis, sed si non obstrepat mundus. *Ibid. in Psal: 41.*

Titulus psalmi habet. Psalmus Cantici in die Sabbathi. Ecce & hodiernꝰ dies Sabbathi est: hinc in præsenti tempore, otio quodam corporaliter languido & fluxo, & luxurioso celebrant Judæi. Vacant enim ad nugas: & cùm DEus præcepit observari Sabbathum, illi in his quæ DEus prohibet, exercent Sabbathum. Vacatio nostra à malis operibus, vacatio illorum à bonis operibus est. Melius est enim arare quàm saltare. Illi à bono opere vacant, ab opere nugatorio non vacant. Nobis Sabbathum indicit DEus. Quale? Primò ubi sit videte. Intus est, in corde est Sabbathum nostrum: multi enim vacant membris, & tumultuantur conscientiâ. Omnis homo malus, Sabbathum habere non potest; nusquam enim illius conquiescit conscientia, & necesse est ut in perturbationibus vivat. Cui autem bona est conscientia tranquillus est: & ipsa tranquillitas Sabbathum est cordis *Ibid. in Psal: 91.*

Die festo vacatio à malis operibus.

Homo malus nunquam festum celebrat

Quinam ad celebrandũ festum diem invocandi. Venerunt dies ut cantemus alleluia. Adestote animo fratres ad percipienda ea quæ Dominus suggerit ad exhortationem nostram, & nutriendam charitatem, qua nobis inhærere DEO bonum est. Adestote animo cantores boni, Filij laudis & gloriæ sempiternæ veri & incorrupti DEI. Adestote intenti qui nostis cantare, & psallere in cordibus vestris: Domino gratias semper agentes in omnibus, & laudare Dominum, hoc est enim alleluia. *Ibid. Enar: in Psal: 110.*

Solennitas, ab eo quod solet in anno nomen, accepit: quomodo

..o perrennitas fluminis dicitur, quia non siccatur æstate, sed per totum annum fluit: ideo perenne id est, per annum, sic & solenne quod solet in anno celebrari. *T, 10. ser: de Temp: ser: 186. Feria 2. Pentecost: ser: 2.* *Solennitas unde nomen.*

Ipse est primus dies sæculi, in ipso formata sunt elementa mundi, in ipso creati sunt Angeli, in ipso quoq; à mortuis resurrexit Christus, in ipso de cælis Spiritus Sanctus super Apostolos descendit; manna in eodem, in eremo primùm de cælo datum est. His enim speciebus ac talibus indicijs, Dominica dies extat insignis. *Et infra.* In die verò, nullus se à sacrarum missarum celebratione separet, neq; otiosus quis domi remaneat, cæteris ad Ecclesiam pergentibus, neq; in venatione se occupet, & diabolico mancipetur officio, circumvagando campos & sylvas, clamorem ore exaltans, non gemitum nec orationis verba ex intimo pectore ad DEUM proferens. *Et infra.* Valde dolendum est, conqueri vobiscum volo, quia sunt aliqui, & maximè potentes istius mundi, qui cum veniunt ad Ecclesiam, non sunt devoti ad laudes DEI celebrandas, sed cogunt presbyterum, ut abbreviet missam, & ad eorum libitum cantet: nec ei licet morem Ecclesiasticum sequi, propter illorum gulam & avaritiam; quatenus unum punctum diei, ad DEI officium, & reliquum diurnum, spatium cum nocte simul ad eorum deputetur voluptates. *Ibid. ser: 251.* *Dies Dominica beneficiorum dies.* *Dominica dies dies devotionis.* *Impiis devotio fastidium paris.*

Beatus Apostolus exhortans nos ad imitationem suam, inter alia multa suæ virtutis insignia, dicit. Etiam in vigilijs sæpius Quanto ergo alacrius in hac vigilia velut matre omnium sanctarum vigiliarum vigilare debemus, in qua totus vigilat mundus? *T. 10. parte 2. ser: de div: ser: 77. In vigilia Paschæ 1.*

Ioã: 7. 8. Ego non ascendo ad diem festum hunc, quia meum tempus nondum impletum est. In die festo hoc, gloriam vos humanam requiritis: meum verò tempus, id est gloriæ meæ, nondum venit. Ipse erit dies festus meus, non diebus istis percurrens & transiens, sed permanens in æternum: ipsa erit festivitas gaudium sine fine, æternitas sine labe, serenitas sine nube. *T, 9. in Ioan: Tract: 28. de cap: 7.* *Festivitas est gloria Beatorum.*

F I D E S

Sicut evenire solet, ut malum expertus, etiam bono timeat se committere: ita erat valetudo animæ meæ, quæ utiq; nisi credendo sanari non poterat, & nè falsa crederet curari recusabat. *T, 1. lib: 6. Confes: cap: 4.* *Fides medicina.*

Oculus animæ, mens est ab omni labe corporis pura, id est à cupiditatibus rerum mortalium jam remota atq; purgata; quod nihil ei aliud præstat quàm fides. *T. 1. l, 1. soliloq: cap: 6.* *Fides pura esse debet.*

Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant crediturI *T, 2 Epist: 49. quæst: 2.* *Discipulos Christi facit.*

Sit ergo una fides universæ, quæ ubiq; dilatatur, Ecclesiæ, tanquam intus in membris; etiamsi ipsa fidei unitas, quibusdam diversis observationibus celebratur, quibus nullo modo, quod in fi-
Psi 44. 11. de verum est, impeditur. Omnis enim pulchritudo filiæ Regis intrinsecus. Jllæ autem observationes quæ variè celebrantur in ejus veste intelliguntur. Unde ibi dicitur fimbrijs aureis circumamicta varietate. *Ibid. Epist: 86.*

Iac: 2. 19. Fides quæ per dilectionem operatur. Ista quippe fides est Christianorum non Dæmoniorum: nam & Dæmones credunt & con- *Dilectionis soror.*

tremiſcunt, ſed nunquid & diligunt; Nam ſi non crederent non dicerent. Tu es Filius DEI, ſi autem diligerent non dicerent, quid nobis & tibi? *Ibid. Epiſt:* 105.

Quod enim nec contra fidem, neq; contra bonos mores injungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum inter quos vivitur ſocietate ſervandum eſt. *Ibid. Epiſt:* 118. *cap;* 2.

Oculos velatos habet. *Prævenit oculos.*

Meliùs eſt enim, quamvis nondum viſum credere quod verum eſt, quàm putare te verum videre quòd falſum eſt. Habet namq; fides oculos ſuos, quibus quodammodo videt verum eſſe, quod nondum videt, & quibus certiſſimè videt nondum ſe videre quod credit. Nam pia fides, ſine ſpe, & charitate eſſe non vult. *Ibid. Epiſt:* 222.

Authoritate ſcripturæ firmatur fides.

Titubabit fides, ſi divinarum ſcripturarum vacillat authoritas. Porrò fide titubante, charitas etiam ipſa langueſcit; Nam ſi à fide quiq; ceciderit, à charitate etiam, neceſſe eſt cadat: non enim poteſt diligere, quod eſſe non credit. *T, 3. lib: 1. de doct: Chriſt: cap:* 36.

Scientia & Prophetia ſine Theologicis virtutibus nil valent.

Tria hæc ſunt, quibus & ſcientia omnis & prophetia militat: Fides, Spes, Charitas. *Ibid. cap:* 37.

Homo fide, ſpe, & charitate ſubnixus, eaq; inconcuſſe retinens, non indiget ſcripturis, niſi ad alios inſtruendos. Itaq; multi per hæc tria, etiam in ſolitudine ſinè codicibus vivunt. *Ibid. c.* 38.

Sola fides non ſalvat.

Creduntur autem à quibuſdam etiam ij, qui nomen Chriſti non relinquunt, & ejus lavacro in Eccleſia baptizantur, nec ab ea ullo ſchiſmate vel hæreſi præciduntur, in quantislibet ſceleribus vivant, quæ nec diluant pænitendo, nec eleëmoſynis redimant, ſed in eis uſq; ad hujus vitæ ultimum diem pertinaciſſimè perſeverent, ſalvi futuri per ignem, licet pro magnitudine facinorum flagitiorumq;, diuturno, non tamen æterno igne puniri. Sed qui hoc credunt, & tamen Catholici ſunt, humana quadam benevolentia mihi falli videntur. Nam ſcriptura Divina aliud conſulta reſpondet. Librum autem de hac quæſtione ſcripſi, cujus titulus eſt. De Fide & operibus. *T, 3. Enchirid: cap:* 67.

Non ſic videtur fides in corde in quo eſt (intellige ſicut res materialis) ab eo cujus eſt? ſed eam tenet certiſſima ſcientia, clamatq; conſcientia. *T, 3. l:* 13. *de Trinit: cap:* 1.

Fides operibꝰ munita hæreticos oppugnat.

Qui fidem catholicam bene didicit, & bonis moribus, & vera pietate munitus eſt, quamvis eorum hæreſim neſciat, reſpondet illis tamen. Nec enim decipi poteſt, quia novit quid pertineat ad Chriſtianam fidem, (quæ Catholica dicitur) per orbem terrarum ſparſam, & contra omnes impios & peccatores negligentes autem ſui, Domino gubernante ſecuram. *T, 3. l: de agone Chriſtiano, cap:* 4.

Niſi credideritis non intelligetis. Fides in Eccleſia breviſſimè traditur, in qua commendantur æterna, quæ intelligi à carnalibus nondum poſſunt, & temporalia præterita & futura, quæ pro ſalute hominum geſſit: & geſtura eſt æternitas divinæ providentiæ. *Ibid. cap:* 13.

Origo vitæ bonæ, fides.

In homine niſi præcedat fides, vita bona ſequi non poterit: quidquid enim homo veluti rectè fecerit, niſi ad pietatem, quæ ad DEUM eſt referatur, rectum dici non oportet. *T, 4. lib: de Fide & operibus cap:* 7.

Inſeparabilis eſt bona vita à fide, quæ præter dilectionem operatur, imò verò eſt ipſa bona vita. *Ibid. cap:* 23.

A Fide ſola nulla ſecuritas.

Caveamus diligenter in adjutorio Domini DEI noſtri, non facere homines malè ſecuros, dicentes eis, quod ſi fuerint in Chriſto baptizati, quomodolibet in ea fide vixerint, eos ad ſalutem æter-

nam esse venturos, nec sic faciamus Christianos, quomodo Judæi proselytos, quibus Dominus ait: Cum autem feceritis, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos estis; sed potiùs sanam doctrinam DEI Magistri in utroq; teneamus, & sancto baptismo consona sit, vita Christiana, nec quidquam homini, si utrumlibet defuerit, vita promittatur æterna. *Ibid. cap: 26.*

Hebr. 11. 6. Sine fide impossibile est placere DEO Apostolus loquitur. Qui fidem operibus sic anteponit, ut ex illa pendeant bona opera, atq; ab ea præveniantur, non ut ipsa velut meritis bonorum operum retribui videatur. *T, 4. l: 2. quæst: super Exod: quæst: 48.*

Boni Catholici sunt, qui & fidem integram sequuntur & mores bonos. *T, 4. l: 2. in Evang: Matth: quæst: 11.*

Rom: 1. 17. Non itaq; ex fide vivit, quisquis præsentia, quæ videntur, vel cupit, vel timet: Quia fides DEI ad invisibilia pertinet, quæ post dabuntur. *T. 4. lib: Exp: Epist: ad Galatas fol: 381.*

Justitia fidei, quia non pro merito data est hominibus, sed pro misericordia & gratia DEI, non erat popularis antequam Dominus homo inter homines nasceretur. *Ibid. fol: 383.*

Rom: 4. 21. Abraham confestim filium cum fuisset immolaturus, resurrectionem credidisse laudandus est. Non hæsitavit, quod sibi reddi poterat; immolatus, qui dari potuit non speratus. *T, 5. lib: 16. de Civ: Dei cap: 32.* *Resurrectionis Imago.*

Quisquis adhuc prodigia, ut credat inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit, ubi refert miracula, facta Martyrum meritis & intercessione. *T, 5. l: 22. de Civ: Dei: c. 8.*

Multum adjuvat, cor fidele nosse quid credendum non sit, etiamsi disputandi facultate id refutare non possit. *T, 6. lib: de Hæresibus ad Quodvultdeum in fine.*

Quod intelligimus igitur, debemus rationi; quod credimus, authoritati; quod opinamur errori: sed intelligens omnis etiam credit; credit omnis & qui opinatur: non omnis qui credit, intelligit: nullus qui opinatur intelligit. *Ibid. l: de utilit: creden: cap: 11.*

Cur non igitur apud eos potissimùm diligentissimè requiram, quid Christus præceperit, quorum authoritate commotus, Christum aliquid utile præcepisse jam credidi? Tu nè mihi melius expositurus es, quid ille dixerit; quem fuisse aut esse non putarem, si abs te mihi hoc commendaretur esse credendum. Hoc ergo credidi, ut dixi, famæ celebritate, consensione, vetustate roboratæ. Vos autem & tam pauci, & tam turbulenti, & tam novi (alloquitur Manichæos) nemini dubium est, quàm nihil dignum authoritate præferatis. *Ibid. cap: 14.* *Authoritas motivum fidei.*

Ergo ille (intellige Christus) afferens medicinam, quæ corruptissimos mores sanatura esset, miraculis conciliavit authoritatem, authoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetustatem, vetustate roboravit religionem; quam non solum Hæreticorum ineptissima novitas fraudibus agens, sed nec gentium quidem veternosus error violenter adversans, aliqua ex parte convelleret. *Ibid. cap: 14* *Ex miraculis authoritas.* *Antiquitas robur religionis.*

Tantò quisq;, faciliùs aliquid, proficiendo cognoscit, quantò religiosiùs antequam cognosceret DEO credidit. *T, 6. l: 1. con: Adversarium legis & Prophet: cap: 7.*

Ad fidem quidem nullus est cogendus invitus, sed per se veritatem imò & per misericordiam DEI, tribulationum flagellis solet perfidia castigari. Nunquid quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur, ideo mores pessimi non legis integritate puniuntur? Sed tamen malè vivendi ultrix disciplina præpostera est, nisi *Tribulatio Professor Fidei.*

cùm

cùm præcedens bene vivendi doctrina contemnitur. Si quæ igitur adversus vos leges constitutæ sunt, non eis benefacere cogimini, sed malè facere prohibemini. Nam benefacere nemo potest, nisi elegerit, nisi amaverit, quod est in libera voluntate: timor autem pænarum, si nondum habet delectationem bonæ conscientiæ, saltem intra claustra cogitationis còërcet malam voluntatem. *T, 7. l: 2. con: literas Petil: cap:* 83.

Credenti in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam. Quisquis ergo ausus fuerit dicere justifico te, consequens est, ut dicat etiam crede in me. *Ibid. lib: de peccatorum meritis & remissione. cap: 14.* *Rom: 4.*

Eadem fide antiqui & nos salvamur.

Ea quippe fides justos sanavit antiquos, quæ sanat & nos, id est Mediatoris DEI & hominum, Hominis JESU Christi; fides sanguinis ejus, fides crucis ejus, fides mortis & resurrectionis ejus. Habentes ergo eundem spiritum fidei & nos credimus. *T, 7. lib: de Naã: & graã: cap: 44.*

Alia sunt in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atq; optimi regulæ Catholicæ defensores, salva fidei compage non consonant, & alius alio de una re meliùs aliquid dicit & verius. Hoc autem unde nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta. Quisquis in Christiana fide vult labefactare quod scriptum est: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur; Totum quod in Christum credimus auferre molitur. Omninò & parvulorum Salvator est Christus, omninò nisi redimantur ab illo, peribunt. *Ibid. l: 1. con: Iulianũ. cap: 6.*

Quando DEO donante ex vera vivitur fide, ipse DEUS adest & menti illuminandæ & concupiscentiæ superandæ, & molestiæ perferendæ: hoc enim totum rectè fit, quando fit propter ipsum, id est quando gratis amatur ipse: qualis amor nobis esse non potest, nisi ex ipso. *T: 7. lib: 5. coñ: Iulian: cap: 3.*

Stabilimenta fidei Christianæ, qui subvertere nititur, stantibûs eis ipse subvertitur. *Ibid l. 6. coñ: Iulian: cap: 4.*

Catholica fides homini primo principi generationis, hominem secundum, Principem regenerationis opponit. *T, 7. lib: 2. imperfect: con: Iulian: c: 187.*

Fides præceptorum Divinorum magistra.

Justus ex fide vivit. Per quam discretionem fit ut homo ducens vitam sine homicidio sine furto, sine falso testimonio, sine appetitu rei ullius alienæ, parentibus honorem debitum reddens, castus usque ad continentiam ab omni omninò concubitu etiam conjugali, elèëmosynarum largissimus, injuriarum patientissimus; qui non solùm non auferat aliena, sed nec sua reposcat ablata; vel etiam venditis omnibus suis, erogatisque in pauperes, nihil suum proprium possideat, cum suis tamen istis velut laudabilibus moribus, si non in DEUM fidem rectam & Catholicam teneat, de hac vita damnandus abscedat. *Ibid. lib: 3. ad Bonifac: cap: 5.*

Fides sine operibus mortua est: & tanquam radix sine fructu sterilis atq; arida remaneret. Quid ergo? debemus nulla opera præponere fidei, id est ut ante fidem quisquam dicatur bene operatus. Ea enim ipsa opera quæ dicuntur ante fidem quamvis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi videntur esse ut magnæ vires, & cursus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem: ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Fac enim hominem optimè gubernare navim, & perdidisse quo tendit, quid valet quia artem optime tenet. *T, 8. præfat: in Psal: 31.* *Iac: 2. 26.*

Nulla sunt opera bona ante fidem dicenda.

Si Christiani sumus credamus: si non credimus fratres, nemo se fingat Christianum. Fides non perducit. Quomodo illa dixit Dominus sic sunt. *Ibid: Expos: Psal: 33.*

Jo: 29. Dominus meus & DEUS meus. Videns dubitantem discipulum & intuens totum orbem terrarum crediturum, quia vidisti inquit credidisti. Beati qui non viderunt & crediderunt. *Ibid, con: 2, in Psal: 48.*

Plus est quod non videntes Christum credimus DEUM: quàm quod illi videntes non nisi hominem putaverunt. Jlli male putando mortificaverunt nos, bene credendo & vivendo vivificamur. *Ibid. in Psal: 49.*

Ut bona opera sequantur præcedit fides, nec ulla sunt bona opera, nisi quæ sequuntur præcedentem fidem. Hæc est fides de qua dicitur: In Christo JESU neq; Circumcisio aliquid valet neq; præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur *Ibid. in Ps: 67.* *Bona opera præcedit fides.*

Quanti videntur præter Ecclesiam bona operari? Quàm multi etiam Pagani pascunt esurientem, vestiunt nudum, suscipiunt hospitem, visitant ægrotum, consolantur inclusum. Quam multi hoc faciunt quasi videtur parere turtur, sed non sibi invenit nidum. Quàm multa multi hæretici non in Ecclesia operantur, non in nudo pullos ponunt. Concalcabuntur & conterentur: non servabuntur non custodientur. Turtur invenit sibi nidum ubi ponat pullos suos. *Ibid, in Psal: 83.* *Pagani & Hæretici multa bona quasi pullos extra nidum collocant.*

Ps: 83, 4.

Credite ergo Fratres mei toto corde, & qui diligitis Dominum odite malignum. Fortes estote non solum intelligendo DEUM, sed etiam in odiendo malignum. Nemo vos terreat: Potentior est qui vos vocavit, omnipotens est. Securus esto acceptu-rum te vitam ipsius, qui pignus habes mortem ipsius. Pro quibus enim mortuus est? Nunquid pro *justis*? Paulum interroga. Etenim Christus pro impijs mortuus est. Impius eras & mortuus est pro te: *justificatus es & desereret te*? Qui justificavit impium relinquet pium? *Ibid, in Psal: 96.* *Confirmatur fides cum Deo impios justificat.*

Ps: 114, 1. Quoniam inclinavit aurem suam mihi: sed unde scis o anima humana quod inclinavit DEUS aurem suam tibi, nisi dicas credidi? Manent ergo tria hæc. Fides, Spes, & charitas. Quia credidisti sperasti: quia sperasti jam dilexisti. Jam si quæram unde crediderit anima inclinasse sibi aurem DEUM suum, nonne respondebit: quia prior dilexit nos, & filio suo non pepercit. *Ibid. Enar: in Psal:* 114. *Concatenatæ virtutes.*

Fides debet præcedere intellectum, ut sit intellectus fidei præmium. Propheta enim apertissimè dixit, nisi credideritis, non intelligetis. *T, 10. serm: de ver: Dni: ser:* 51. *de illo Evang: secundum Ioannem. Ego & Pater unum sumus.*

Multum interest utrum quisq; credat ipsum esse Christum, & utrum credat in Christum. Nam ipsum esse Christum & dæmones crediderunt, nec tamen in Christum dæmones crediderunt. Jlle enim credit in Christum, qui & sperat in Christum, & diligit Christum. Nam si fidem habet sine spe, ac sine dilectione Christum esse credit, non in Christum credit. Qui ergo in Christum credit, credendo in Christum, venit in eum Christus, quodammodo unitur in eum, & membrum in corpore ejus efficitur. *Ibid. ser: 61.* *Aliud est credere Christum & aliud credere in Christum.* *Qui non diligit Christum, non credit in Christum.*

Nullæ sunt majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia, quàm est fides Catholica quæ peccatores homines salvat, cæcos illuminat, infirmos curat, cathechumenos baptisat, fideles justificat, pænitentes reparat, justos augmentat, Martyres coronat, Virgines, Viduas, & conjugales ca- *Fides Thesaurus.*

sto pudore conservat, clericos ordinat, Sacerdotes consecrat, regnis cælestibus præparat, in æterna hereditate cum Angelis Sanctis communicat. *T, 10. serm: de ver: Apost; serm: 1. De individua Trinitate &c.*

Quid magnum est si dicis Christum filium DEI? Hoc dixit Petrus, & audivit, Beatus es Simon Bar-jona. Hoc dixerunt dæmones, & adierunt, obmutescite. Ille beatus, dicitur ei Quia non revelavit tibi caro & sanguis, sed Pater meus, qui in Cælis est. Illi autem audiunt, obmutescite: & hoc ipsum dicunt, & repelluntur. Una vox est: sed Dominus radicem interrogat, non florem. Unde dicitur ad Hebræos, ne qua radix amaritudinis sursum germinans molestet, & per illam contaminentur multi. Prius ergo discerne fidem tuam à fide dæmonis. Unde eam discernis? Dæmones hoc dixerunt timendo, Petrus amando. *Ibid. ser: 16. de ver: Apost: Si Deus pro nobis quis contra nos.* Marc. 16 17. Mar. 2

Multi profitētur Christum, verbis sed non operibus.

Dæmones credunt & contremiscunt. Nunquid ideo dæmones ab æterno igne liberabuntur, quia credunt & contremiscunt? *T, 10. eorund: ser: 31. de ver: B. Ioannis. Omnis spiritus qui confitetur Iesum in carne venisse &c.*

Fides est sicuti alibi definitum est, sperantium substantia; convictio rerum quæ non videntur. Si non videntur quomodo convincuntur quia sunt? Unde enim sunt ista quæ vides, nisi ex illo quod non vides. Utiq; vides aliquid ut credas aliquid, & ex eo quod vides credas quod non vides. Ne sis ingratus ei qui fecit te videre, unde possis credere, quod nondum potes videre. Dedit tibi DEUS oculos in corpore, rationem in corde, excita rationem cordis, erige interiorem habitatorem interiorum oculorum tuorum, assumat fenestras suas, inspiciat creaturam DEI. Est enim aliquis intus qui per oculos videat. Nam quando aliquando in me cogitas averso interius habitatore, quæ sunt ante oculos tuos non vides. *Et infra.* Erige ergo rationalem aspectum utere oculis ut homo, intende cælum & terram, ornamenta cæli, fæcunditatem terræ, volatus avium, natatus pisciùm, vim seminum, ordinem temporum. Intende facta, & quære factorem, aspice quæ vides, & quære quem non vides. Crede in eum quem non vides propter ista quæ vides. Et ne sermone meo te exhortatum putes, Apostolum audi dicentem. Invisibilia enim DEI à creatura mundi per ea quæ facta sunt, conspiciuntur. *T, 10. 50. Hom: Hom: 32. de illo. Non potest filius à se facere quidquam &c.* Hebr. 11. 1. Hebr. 11. 3.

Ex Creaturis & in creaturis Deus cognoscendus est.

Vox clamantis in eremo. Tacet Zacharias generaturus vocem. Quia non credit, tacuit, merito obmutuit quousq; vox nasceretur. Si enim recte dictum est; imo valde recte dictum est in Psalmo Sancto. Credidi proter quod locutus sum, quia non credebat, merito non loquebatur. *Ibid. Hom: 44. De testimonio Christi de Ioanne Baptista.* Ioā. 2. 23.

Fides Catholica mutos facit loqui.

Credidit nasciturum, & non plangit moriturum. Ejus dextera eligitur ad sacrificium, ut moreretur: cujus cor erectum est ad fidem ut nasceretur. Non trepidavit Abraham credere quando promittebatur, non trepidavit offerre quando exigebatur: nec fuit religio credentis, contraria devotioni obtemperantis. *Et infra.* Ubiq; fidelis, nusquam crudelis. Omnino perduxit filium ad locum victimæ, armavit etiam dexteram cultro. Attendis quis feriat, & quem feriat, attende quis jubeat. Prius ergo Abraham obtemperando, qui DEUS in jubendo. *T, 10. ser: de Temp: serm: 72. Feria 6. post 1, Dnicam Quadrag: ser: 2.*

Audi totum quod dico ego: id est catholica fides, & quod dicit

dicit fundatissima fides, & serenissima veritas. *Ibid. ser: 145. Feria 3. Paschæ ser: 2.*

Vis scire naturam DEI: hoc scito quod nescias, nec in hoc contristeris quia nescias: quia & Angeli nescierunt, & similiter omnes creaturæ. *Et infra.* O Christiane qui tibi videris nihil scire, si scias hoc ipsum quod nescias, nonne magis plus videris à cæteris scire. *Ibid. ser: 189. in Festo S. Trinit: ser: 2.*

Salubrius, Deo credere quam scire.

Hebr. 10,18. Justus ex fide vivit. Facite justitiam, credite, Justus ex fide vivit. Difficile est ut male vivat, qui bene credit. Credite ex toto corde, credite non claudicantes, non hæsitantes, non contra ipsam fidem hominis suspicionibus argumentantes. Fides appellata est ab eo, quia fit quod dicitur. Duæ syllabæ sonant, cum dicitur fides. Prima syllaba est à facto, secunda à dicto. Interrogo ergo te utrum credas? Dicis, credo, fac quod dicis, & fides est. *Ibid. ser: 237, Dnica 19, post Fest: S, Triu: ser: 2.*

Optimè credit qui bene vivit.

Discernenda est fides nostra à fide dæmonum. Fides enim nostra mundat cor: fides autem illorum reos facit. Malè quippe operantur, & ideo Domino dicunt. Quid nobis & tibi est? Cum audis hoc dæmones dicere, putas eos non cognoscere? Scimus inquiunt qui sis. Tu es Filius DEI. Dicit hoc Petrus, & laudatur, dicit hoc dæmon & damnatur. Unde hoc, nisi quia vox par, & cor impar? Discernamus ergo fidem nostram, nec credere sufficiat. Non est talis fides quæ mundat cor. Fide, inquit, mundans corda eorum. Sed qua fide, quali fide, nisi quam definit Apostolus Paulus, ubi ait. Fides quæ per dilectionem operatur? Ista fides discernit à fide dæmonum, discernit ab hominum flagitiosis ac perditis moribus. Fides, inquit. Quæ fides? Quæ per dilectionem operatur, sperat quod DEus pollicetur. *Et infra.* Tolle fidem, perit quod credis; tolle charitatem, perit quod agis. Fidei enim pertinet ut credas: charitati ut agas. *T, 10. serm: decem & septem ser: 14. In Festo Omnium Sanctorum.*

Mar: 16. *Marc: 25.*

Fidei experimentum magis à corde quam ab ore.

Recordamini qui interfuistis hesterno die, duos filios Isaac, Esau & Jacob, quomodo majori præponitur minor: ut ad Jacob pertineatis. Esau non ametis. Erit autem Esau qui vult carnaliter vivere, vel carnalia in futuro sæculo sperare. Sive ergo carnaliter vivens, & talibus gaudens in hoc tempore, & talia de DEO sperans, qualia habent & mali, & totam felicitatem suam in ipsa ponens, de qua gaudent & iniqui, aut certe contemnens istam præsentem, & talem sperans in futuro: carnalis est carnalem fidem habens, carnalem spem, carnalem charitatem. Fides autem spiritualis est credere quod protector sit temporaliter Dominus tuus, ut venias ad illud quod temporale non erit, & sperare te habiturum vitam Angelorum, non in corruptionibus carnis, non in voluptatibus, illecebris, non in fornicationibus & ebrietatibus, & gaudio epularum carnalium, non in superbia possessionum. dominationis terrenæ, sed tantummodo quomodo Angeli vivunt. Vivunt autem Angeli in gaudio, non creaturæ, sed creatoris. Gaudium enim creaturæ est, quidquid videtur. Gaudium creatoris est, quod non videtur oculis corporis, sed purgata acie mentis. Beati mundo corde. Ad quam visionem beati sunt? quoniam ipsi DEUM videbunt. Non enim putetis fratres, quia gaudent Angeli ex eo quia vident Cælum aut terram, vel quæcunq; in eo sunt. Non ex eo gaudent, quia vident Cælum & terram: sed quia vident eum qui fecit cælum & terram. *Ibid. ser: 44. de Iacob & Esau in festo S, Vincentij.*

Temporalibus male virtus rependitur.

Multa quæ promissa sunt, facta sunt: multa quæ sperantur im-

Mors vitam dat non pœnã delictorũ terminat.

pleta sunt, in fide Christiana totus orbis viget. Non audent Christi resurrectioni detrahere, nec illi qui nondum Christo crediderunt. Testimonium in Cælo, testimonium in terra, testimonium ab Angelis, testimonium ab inferis Quid remansit quod non clamet, & tu dicis. Manducemus & bibamus, cras enim morimur. *Ibid. ser: 120. de Resurrectione mortuorum futura.*

Discrimen fidelis ab infideli.

Qui credat sperat & amat, non continuo salvus dicendus est. Interest enim quid credat, quid speret, & quid amet. Nemo quippe vivit in quacunq; vita sine tribus istis animæ affectionibus, credendi, sperandi, amandi. Si non credis quod credunt gentes, non amas quod amant gentes; congregaris de gentibus, segregaris, hoc est separaris de gentibus. Nec terreat commixtio corporis in tanta segregatione mentis. Quid enim tam separatum quàm ut credant illi dæmones DEOS, credas tu qui unus & verus est DEUS? Sperent illi inania sæculi, speres tu æternam vitam cum Christo: amant illi mundum, ames tu artificem mundi? Qui ergo aliud credit, aliud sperat, aliud amat vitâ probet, factis ostendat. Acturus es celebrationem strenarum, sicut Paganus, lusurus alea & inebriaturus te, quomodo aliud credis, aliud speras, aliud amas? Quomodo libera fronte cantas. Salva nos Domine DEus noster, & congrega nos de gentibus. *Et infra* Nolo vos fieri socios dæmoniorum. Voluit ut ab illis qui dæmonibus servirent vitâ & moribus separarentur. *Ibid. ser: 7, de Kalendis Ianuarij*

Sit primo pietas in credente, & erit fructus in intelligente. *T, 9. in Ioan: Tra: 8. de cap: 2.*

Hæreticis opera eorũ bona non prosunt.

Hæretici linguosi.

Unitas miraculorũ patratione potior.

Evidenter fratres mei nihil prodest istis servare Virginitatem, habere continentiam, eleemosynas dare, omnia illa quæ laudantur in Ecclesia, nihil illis prosunt, quia conscindunt unitatem, id est tunicam illam charitatis. Quid faciunt? Diserti sunt multi inter illos, magnæ linguæ, flumina linguarum. Nunquid angelice loquuntur. Audiant amicum sponsi zelantem sponso, non sibi: si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. *Et infra.* Teneamus ergo unitatem fratres mei: præter unitatem & qui facit miracula nihil est. In unitate enim erat populus Israel, & non faciebat miracula: præter unitatem erant Magi Pharaonis, & faciebant similia Moysi: Populus Israel ut dixi non faciebat miracula. Qui erant salvi apud DEUM, qui faciebant, an qui non faciebant? *Ibid. Tract: 13. de cap: 3.*

1. Cor. 13. 1.

Gradus pietatis est fides, fidei fructus intellectus, ut perveniamus ad vitam æternam, ubi non nobis legatur Evangelium: sed ille qui nobis Evangelium modo dispensavit, remotis omnibus lectionis paginis, & voce lectoris, & tractatoris, appareat omnibus suis purgato corde assistentibus, & in corpore mortali jam nunquam morituris: mundans eos, & illuminans viventes, & videntes, & quod in principio erat verbum & verbum erat apud DEUM. *T, 9 in Evan: Ioan: Tra: 22. de cap: 5*

Fides fundamentum virtutum.

Fides est credere quod non vides.

Magnum est quod incipit à fide, sed contemnitur. Fundamentum solet etiam in ædificio ab imperitis contemni. Fossa fit grandis, lapides quoquomodo passim mittuntur, nulla ibi expolitio, nulla pulchritudo apparet, quomodo nec in arboris radice, apparet aliqua pulchritudo: totum tamen quidquid te delectat in arbore de radice surrexit. Si vides radicem & non delectaris, vides arborem & miraris. Stulte quod miraris inde surrexit quo non delectaris. Parum aliquid videtur fides credentium, non habes stateram unde appendas. *Et infra.* Quid est enim fides nisi credere

quod

quod non vides? Fides ergo est, quod non vides credere, veritas quod credidisti videre. *Ibid. Tract: 40. de cap. 8.* *Fides & veritas.*

Fides meritum est, intellectus præmium. *Ibid Tra: 48. de c: 10.* *Fides est meritũ, intellectus est præmium.*

Fides autem qua eorum, qui DEUM visuri sunt, quamdiu peregrinantur, corda mundantur, quod non videt credit: nam si vides, non est fides. Credenti colligitur meritum videnti redditur præmium. Eat ergo Dominus & paret locum, eat, ne videatur, lateat ut credatur. Tunc enim locus paratur, si ex fide vivatur. Creditus desideretur, ut desideratus habeatur: desiderium dilectionis, præparatio est mansionis. Ita Domine para quod paras: nos enim tibi paras, & te nobis paras: quoniam locum paras & tibi in nobis, & in te nobis. Tu enim dixisti: Manete in me & ego in vobis. *Ibid. Tra: 68. de cap: 14.* *Si vides non est fides. Latet Christus ut credatur: Locum in cælis fides parat sed non sola. Nobis in Christo manẽdum.* *Ioã: 15 4.*

Credenti inquit in eum qui justificat impium deputatur fides ad justitiam. In hoc opere faciamus opera Christi, quia & ipsum credere in Christo opus est Christi. Hoc operatur in nobis non utiq; sine nobis. Audi ergo jam & intellige: qui credit in me opera quæ ego facio, & ipse faciet: prius ego facio, deinde faciet & ipse, quia facio ut faciat. Quæ opera nisi ut ex impio justus fiat? Et majora horum faciet. Quorum obsecro? Nunquidnam omnium operum Christi majora facit, qui cum timore, & tremore suâm ipsius salutem operatur? Quod utiq; in illo, sed non sine illo Christus operatur. Prorsus majus hoc esse dixerim quam est Cælum & terra, & quæcunque cernuntur in Cælo & in terra. Et Cælum enim & terra transibit, prædestinatorum autem, id est eorum quos præscit, salus & justificatio permanebit. In illis tantum opera DEI, in his autem est etiam imago DEI. Sed & in Cælis, Dominationes, Sedes, Principatus, Potestates, Archangeli, Angeli, opera sunt Christi Nunquid etiam his operibus majora facit, qui operante in se Christo, cooperatur salutem æternam ac justificationem suam? Non hic audeo præcipitare sententiam: intelligat qui potest, judicet qui protest, utrum majus sit justos creare, quàm impios justificare? Certe enim si æqualis est utrumq; potentiæ, hoc majoris est misericordiæ: hoc est enim magnum pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. *T, 9. in Evang: Ioan: Tract: 72. de cap: 14.* *Rom: 4. 5.* *Matt: 24. 35.* *Salus nostra opus est cælo potius.* *Impiorum justificatio quãtum opus ẽ*

Ad hoc ascendit in Cælum, ut fides suum impleat locum. *T 9. lib: 2. de Symbolo ad Cathech: cap: 7.* *Ascensio Christi in cælum.*

FILIUS

SI peccato illo magno non mutaretur in deterius humana natura, usq; ad certum numerum Sanctorum, quem prædestinavit DEUS, nascerentur homines, non Parentibus successuri morientibus, sed cum viventibus regnaturi. *T, 1. lib: 1 Retract: cap: 13.*

Sicut flamma splendorem quem gignit, tempore non præcedit, ita Pater nunquam sine filio fuit. Splendor est enim lucis æternæ. *T, 2. Epist: 66.* *Similitudo Patris Filius.*

Suæ substantiæ prolem quælibet res gignit, sicut homo gignit hominem, non alterius naturæ, sed ejus cujus ipse est. Vide quam impiè dicatur ipse non genuisse id, quod ipse est. *T, 2. Epist: 66.* *Secretarius Dei verbum.*

Patet ergo in quo sit æqualis Patri Filius, in quo sit non solùm subditus aut inferior, sed etiam humillimus servus, ipse inquam ostendit, in quo sit humilis, in quo sit æqualis: unde omnipotens,

unde Infirmus: unde abjectus, unde speciosus: unde dives, unde egestati subjectus. *Ibid. Epist: 178.*

Sicut verbis nostris id agimus, cum verbum loquimur, ut noster animus innotescat audienti: sic illa sapientia, quam DEUS Pater genuit, quoniam per ipsam innotescit animus secretissimus Patris, verbum ejus convenientissimè, nominatur. *T, 3. lib. de Fide & Symb: cap: 3.*

Si Creatura est Filius, quamlibet magna sit, facta est. Nos autem in eum credimus, per quem facta sunt omnia, non in eum per quem facta sunt cætera. *Ibid. cap: 4.*

Secundum id quod unigenitus est Filius DEI, non potest dici fuit & erit, sed tantùm est, quia & quod fuit, jam non est, & quod erit, nondum est. Jlle ergo est incommutabilis, sine conditione temporum & varietate. *Ibid. cap: 4.*

Omnis substantia quæ DEUS non est, creatura est; & quæ creatura non est; DEUS est. Et si non est filius ejusdem substantiæ, cujus est Pater. Ergo facta substantia est. Si facta substantia est, non omnia per ipsum facta sunt. At omnia per ipsum facta sunt, unius igitur ejusdemq; cum Patre substantiæ est: & ideo non tantùm DEUS, sed & verus DEUS. Quod Joannes apertissimè dicit 1ã. Joannis. Scilicet hic est verus DEUS & vita æterna. *T, 3. lib: 1. de Trin: cap: 6.*

En quò Christus minor Patre. Secundum formam DEI æqualis est Patri, & Filius & Spiritus Sanctus, quia neuter eorum creatura est: secundùm autem formam servi minor est Patre, quia ipse dixit. Pater me major est. Minor est seipso, quia de illo dictum est: semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Minor est Spiritu Sancto, quia ipse ait, qui dixerit, Blaspemiam in Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit in Spiritum Sanctum non remittetur ei. *Ibid. cap: 11.* *Ioã: 14 18.* *Vbi vide multa præclara quæ filio competunt secundum formam Dei & quæ secundum formam servi.*

Verbi Dei nativitas. Ego non ex me locutus sum. Hoc intelligi voluit. Ego non ex me natus sum. Si enim verbum Patris loquitur, seipsum loquitur, quia ipse est verbum Patris. Plerumq; enim dicit: Dedit mihi Pater: in quo vult intelligi, quod eum genuerit Pater, non ut tanquam jam existenti, & non habenti dederit aliquid: sed ipsum dedisse ut haberet, genuisse est, ut esset. Non enim sicut Creatura, ita DEI Filius ante Jncarnationem & ante assumptam creaturam unigenitus, per quem facta sunt omnia, aliud est, & aliud habet, sed hoc ipsum est, quod est id quod habet. Quod illo loco manifestius dicitur: sicut habet Pater vitam in semetipso, ita dedit Filio vitam habere in semetipso. Neq; enim jam existenti, & vitam non habenti dedit ut haberet vitam in semetipso; cum eo ipso quod est vita sit: hoc est ergo dedit Filio vitam habere in semetipso, genuit Filium esse incommutabilem vitam, quod est vita æterna. *Ibid. cap: 12 in medio.* *Ioã: 7. 17.* *Vita Dei.*

Quid mirum si mittitur? non quia inæqualis est Patri, sed quia est manatio quædam claritatis Omnipotentis DEI sincera; ibi autem quod manat, & de quo manat, unius ejusdemq; substantiæ est, sicut lux de luce. Nam quod dictum Candor est enim lucis æternæ. Sapientiæ 7. quid aliud dictum est, quàm lux est lucis æternæ? Maluit autem dicere candor lucis, quàm lux lucis, nè obscurior putaretur ista quæ manat, quàm illa de qua manat. Sed quia cavendum non erat, nè minor lux illa putaretur, quæ istam genuit, illi cogitationi occurrit scriptura, quâ posset videri obscurior lux ista, quæ manat, quàm illa de qua manat, cùm ait; *Splendoris æqualis Pater & filius.* *Sap: 7. 26.*

candor est illius, id est lucis æternæ, atq; ita ostendit æqualem. *Ibid. lib: 4 de Trinit: cap: 20.*

Acutè quidam respondit Hæretico (fuit Eumenianus, qui Filium DEI non de substantia Patris genitum, sed Filium voluntatis DEI, accidentem scilicet DEO credebat) versutissime interroganti, utrum DEUS Filium volens an non volens genuerit? ut si diceret nolens, absurdissima DEI miseria sequeretur, si autem volens: continuò quod intendebat, vel invicta ratione concluderet, non naturæ esse Filium sed voluntatis. At ille vigilantissimè vicissim quæsivit ab eo, utrum DEUS Pater volens an nolens DEUS sit? ut si responderet nolens, sequeretur illa miseria, quam de DEO credere magna insania est. Si autem diceret volens: responderet ei. Ergo & ipse DEUS est suâ voluntate non naturâ. Quid ergo restabat, nisi ut obmutesceret, & sua interrogatione obligatum in solubili vinculo se videret. Sed voluntas DEI si & propriè dicenda est, aliqua in Trinitate persona, magis hoc nomen Spiritui Sancto competit, sicut charitas. Nam quid est aliud charitas, quàm voluntas. *Ibid. lib: 15 de Trin: cap: 20.*

Non morientur Patres pro filijs, & Filij non morientur pro *Filij Patrum oppr. brii fe- runt.*
Deute: 24. Patribus. Quid est ergo quod alibi dicitur, DEUS reddens Patrum peccata in filios in tertiam & quartam progeniem? An de filijs nondum natis, illud intelligitur propter originale peccatum, quod etiam ex Adam traxit genus humanum, hic autem de filijs jam natis facta est distinctio, ut unusquiq; in suo peccato moriatur? sed cum etiam dicit, ijs qui oderunt me. Manifestum est & illam conditionem posse mutari, si Filij Parentum suorum facta non fuerint imitati. *T, 4. lib: 5. quæst: in Deuter: quæst: 42*

Melior est semper natus, quàm qui semper nascitur, quia qui semper nascitur, nondum est natus, & nunquam natus est aut natus erit, si semper nascitur. Aliud *est* enim nasci, aliud natum esse. Ac per hoc nunquam Filius, *si* nunquam natus: Filius autem quia natus, semper est *filius*: semper igitur natus. *T, 4. lib: 83 quæst: quæst 37.*

Profectò credibilius est, & in filijs duorum illorum (intellige Sem & Japheth) jam tunc antequam Babilonia cæpisset institui, fuerunt contemptores DEI, in filijs Cham Cultores DEI: Utrumq; tamen hominum genus terris nunquam defuisse credendum est. *T, 5. lib: 16. de Civit: Dei. cap: 10.*

Matt: 28.20. Vobiscum sum usq; ad consummationem sæculi, nobiscum est, & cum Patre est, quia nec Patrem dimisit, cum ad nos descendit, nec nos deservit, cùm ad Patrem ascendit. *T, 6. libro de quinq; Hæresibus cap: 6*

Quiescat rogo, conquiescat hæretica tua non religio, sed superstitio: de Christi initio deficit calculatio. Quia cùm auditur sine initio æternitas, nulla ibi quæritur ætas. Si Pater DEUS & Filius DEUS, Pater major, Filius minor: jam non unus DEUS, sed duo Dij. Si duo Dij sunt, quid est ergo quod dicit Dominus per Prophetam. Ante me non est formatus DEUS & post me non erit? *Christi Divinitas.* Quid dicis Arriane? cui istas deputas voces? si Patris sunt, aut ipse Pater non erit, aut Filius non erit DEUS. Si enim hoc tantùm diceret, ante me non est formatus DEUS, nec adderet post me non erit: liberum tibi erat, hæc verba Patri tantummodo applicare. Cum autem sequitur & dicit, post me non erit: secundum te ut dixi, & se Patrem, & Filium negat DEUM. Item si Filij sunt, hæc verba, Patrem suum & DEUM negat & Patrem. Si enim non diceret, ante me, non est formatus DEUS, sed tantùm diceret post me

non erit, posset forsitan dici Filium illud fuisse locutum. Modò autem cum dicit, ante me non est formatus DEUS, & post me non erit, Patrem suum nec DEUM dicit esse, nec Patrem. Item si Patris hæc verba sunt, quid dicit, dum dicit: Filius meus es tu, ego hodie genui te? an fortè, quod absit mendacij arguendus est DEUS?

Et infra. Non hoc docet Sancta Ecclesia Pater Pater est, Filius filius est; & ille nunquam non fuit Pater, & iste nunquam non fuit Filius, ambo æterni nec cæperunt esse nec desierunt. Quod Pater loquitur, Filius loquitur, quia verbum Patris est: & quod filius loquitur, Pater loquitur, quia Pater verbi est: Ipsum verbum dicit, verba quæ ego loquor, à me ipso non loquor; Concedite quæso Creatori, quod ipse præstitit Creaturæ, & in Creatura si potestis capite Creatorem. Ecce ignis & splendor duo sunt, alter ex altero est, nec sine altero alter est. Ignis splendorem mittit. Extingue ignem splendor nusquam parebit. Iste ergo ignis Pater, & splendor Filius, unus sine conjuge Pater, alius sine Matre Filius. *Et infra.* Cum dico Filius, alter est: cum dico DEUS, unus est. Alius est, quia Filius est: aliud quidem non est, quia DEUS est. Erubescite Arriani. *T, 6. lib: de quinq; hæresibus. cap: 6. circa finem.*

Identitas naturæ Divinæ Diversitas Personarum in Patre & Filio.

Ioã: 7.

Ego & Pater unum sumus. Non dixit. Ego & Pater unus sum: sed Ego & Pater unum sumus: quod dico unum: audiat Arrianus: quod dico sumus audiat Sabellianus. Non dividat Arrianus, unum: non deleat Sabellianus, sumus. *T, 6. lib: de quinq; hæresibus cap: 7.* *Ioã: 10 30.*

Pater major est me: ipse filius dixit. Vide, quando hoc dixit; in susceptione naturæ humanæ positus hoc dixit, quando dixit. Tristis est anima mea usq; ad mortem, quando flevit, quando lassatus est, quando esurivit, quando sitivit, quando & dicit scriptura. Minoratum paulò minùs ab Angelis. Nunquid etiam insana superbia ita irreverens progreditur vestra, ut Verbum DEI manens apud Patrem audeatis dicere in illa Divinitate Angelis esse minorem? si non audes hæretice hoc dicere, serva hos gradus & peribit error tuus. *T, 6. Concione ad Catechum: cap: 8.* *Ioã: 14 18.*

Tribus modis in scripturis sanctis Filiorum nomen accipiatur; uno secundùm naturam, quomodo Isaac Filius Abrahæ. Alio secundum doctrinam, sicut Filios suos appellat Apostolus, qui ab illo didicerunt Evangelium. Tertiò secundùm imitationem sicut Filios Abrahæ nos vocat Apostolus, qui ejus fidem imitamur. *Et infra.* Filij ergo DEI sunt homines renovati ad ejus imaginem, & ei similes facti usq; ad dilectionem inimici. Quod in potestate nostra ab ipso DEO esse positum docet scriptura, cum dicit: Dedit eis potestatem Filios DEI fieri. Filij autem Diaboli dicuntur homines, cùm imitantur ejus impiam superbiam, & à luce atque celsitudine decidunt sapientiæ, & non cedunt veritati: quales Dominus arguit, cum dicit: vos ex Patre Diabolo estis. *T, 6. lib: coñ: Adimañ: cap: 5.*

Filij variæ acceptio.

Mar: 14. 34

Ioã. 1.

Si sacra scriptura cogente permittatis, ut verus Filius sit, rogamus permitte ut degener non sit. Et degener quomodo? audiant Catholici unde erubescant hæretici. Filius viri fortis, si non habeat fortitudinem degener dicitur, tamen homo est, quod & Pater ejus est: atq; in dissimili vita, non est tamen aliena substantia. Vos vnigenitum DEI Filium ita degenerem vultis, ut ipsam Patris ei substantiam denegetis: minorem natum, minorem remansisse jactatis. Non ullam datis ætatem, quâ possit augeri, non datis eandem formam, quâ possit æquari. Cujus naturæ tanta subtrahitis. Minor, verum Filium quâ fronte dicatis? nisi quia infelicissi-

Filius Dei æqualis natura Patri æterno.

mo errore non vos putatis, ad unius Patris gloriam, nisi per unici Filij contumeliam, pervenire. *T, 6, lib. 2. con: Maximum Arrianum Episc: cap: 6.*

Ps. 109 4 Ex utero ante Luciferum genui te. Jlla ineffabilis generatio etiamsi ex utero Patris accipiatur, hæc significatio est, quia de seipso, hoc est de substantia sua DEUS DEUM genuit; sicut ex utero Matris quando natus est homo, hominem genuit; ut intelligeremus in utraque generatione non diversas ejus, qui natus est, & eorum de quibus natus est, esse substantias. Diversa quidem substantia est, DEUS Pater, & homo Mater: non tamen diversa substantia est DEUS Pater, & DEUS Filius: sicut non est diversa substantia homo Mater, & homo filius. Sed audi quid dicat in Prophetia iste Filius. (Ps. 21. 11.) De ventre inquit Matris meæ DEUS meus es tu: noli multis verbis ad rem non necessarijs conari operire res claras. Qui est Pater Filio ex utero suo de vente Matris suæ DEUS ejus est, non de suo. Ad hoc ergo prorsus nihil respondere potuisti. *Ibid. cap: 7.*

Scriptum est quidem, beatum est magis dare quam accipere, sed in hac vita, ubi est inopia, quâ utiq; melior est copia? meliùs est enim habere, quàm egere: & meliùs est donare, quàm accipere, erogare quàm mendicare. Ubi autem qui dedit, gignendo dedit: & qui accepit, nascendo accepit: non inopi subventum est, sed ipsa copia generata est. Nec potest qui accepit, ei, qui dedit, esse inæqualis, quia & hoc accepit ut esset æqualis. Nihil enim Patre minùs habet, ille qui dicit: Omnia quæ habet Pater, mea sunt. *Ibid. cap: 14.*

Unicum genuit, & unum esse noluit. Unicum genuit inquam & unum eum noluit remanere. Fecit ei Fratres: etsi non gignendo, tamen adoptando fecit ei cohæredes. Fecit eum participem prius mortalitatis Nostræ, ut crederemus nos esse posse participes divinitatis ejus. *T, 8. in Psal: 66.* *Christi per adoptionē fratres sumus.*

1. Io. 3. 2. Dilectissimi Filij DEI sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Quis non exultet si subito nescio cui peregrinanti & ignoranti genus suum, patienti aliquam egestatem, & ærumnam, & in labore constituto diceretur. Filius Senatoris es: Pater tuus amplo patrimonio gaudet in re vestra, revoco te ad Patrem tuum. Quali gaudio exultaret si hoc non fallax promissor diceret? Venit ergo non fallax Apostolus Christi & ait: Quid est quod de vobis desperatis? Quid est quod vos affligitis & mærore conteritis? Quid est quod concupiscentias vestras sequendo in egestate istarum voluptatum conteri vultis? Habetis Patrem, habetis Patriam, habetis Patrimonium. *Ibid. in Psal: 84.* *Christiano nil triste evenit.*

Noli valde pro magno habere si habes filios morituros, & si non ante te certe post te. Vis habere filios nunquam morituros, & tecum semper victuros? Esto in illius corpore de quo dictum est, vos autem estis corpus Christi & membra. *Ibid. Enar: in Psal: 127.* *Filij non morituri.*

O Arriana hæresis crudelis & impia erubesce. Judicante Salomone, meretrix, ne unum vivum, ne undecunq; conceptum etiam natum proderet, non dimisit dividi filium suum: & tu dividis DEUM tuum: Jlla etsi meretrix tamen pia, quia mater. Tu hæresis impia, quia non mater. Quod paris præfocas, quod non parturis congregas. Viscera tua dura erunt, illius tremuerunt. *T, 10. serm: de Temp: serm: 200. Dnica 3. post Trinit: ser: 1.* *Deus in Trinitate unus.*

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios DEI fieri. Fieri quia non erant: ipse autem in principio erat. *T, 10. ser: de div: ser: 24. de ver: Evang: In principio erat verbum &c.* *Nihil est qui sine Deo est.*

Hic est filius meus dilectus. Ibi erat Moyses, ibi Helias. Non

est dictum. Hi sunt filij mei dilecti. Aliud enim est unicus, aliud adoptati. *T, 10. parte 2. ser: de diver: ser: 69. Sabbatho post 1. Dñicam Quadrag.*

Parentũ circa filios cura quovis pretio major.

Si times ne accepta pecunia non tibi obsequatur filius tuus, non est amabilis pietas, sed venalis. Quanto melior filius pauperis, filius aliquando servi ærumnosi & egentis, qui nihil expectans à patre suo, quia non habet quod ei dimittat, laboribus & ærumna sudoris pascit patrem suum? Aliquando & filij divitum attendentes timorem DEI, non quia expectant aliquid à parentibus suis, sed quia parentes sunt, & genuerunt & educaverunt, & DEUS præcepit dicens. Honora patrem tuum & matrem tuam, ideo obsequuntur. *T, 10. seer: nov: ser: 12. de eo Esaiæ. Qui autem dediti erunt mihi possidebunt terram &c.*

Caninum est parentes non agnoscere. Nihil tam caninum, quàm cum illi qui genuerunt non agnoscuntur: merito ergo & catuli canum cæci nascuntur. *T, 10. Ex fragmen: fragmen: serm: 2. de Decalogo ad populum.*

Filius adoptatus est minister Filij unici.

Adoptati filij Ministri sunt unici: Unicus habet potestatem adoptati ministerium. *T, 9. in Evang: Ioan: Tract: 7. de cap: 1.*

Si est DEUS major, & DEUS minor: duos Deos colimus non unum DEUM. Quare inquit? Et tu non duos DEOS dicis æquales sibi? Hoc ego non dico. Æqualitatem istam sic intelligo, ut ibi intelligam etiam individuam charitatem: & si individuam charitatem perfectam unitatem? Si enim charitas quam misit hominibus DEUS de multis hominum cordibus fecit cor unum, & multas hominum animas, fecit animam unam: sicut de credentibus seseq; invicem diligentibus scriptum est in Actibus Apostolorum: Erat illis anima una & cor unum in DEUM. Si ergo anima mea, & anima tua, cum idem sapimus, nos quæ diligimus fit anima una: quanto magis Pater DEUS, & Filius DEUS in fonte dilectionis DEUS unus est? *Ibid. Tract: 18. de cap: 5.*

Charitas unũ facit.

Act: 4. 32.

Quæcunq; ille fecerit hæc & filius similiter facit. Non cum ille fecerit, alia filius similiter facit. Sed quæcunque ille fecerit, hæc & filius similiter facit. Si hæc facit filius, quæ fecerit Pater, filium facit Pater. Si per filium facit quæ facit Pater; non alia Pater, alia filius facit: sed eadem opera sunt Patris & filij. Et quomodo eadem facit Pater & filius? Et eadem & similiter. Ne forte eadem sed dissimiliter: eadem inquit & similiter. Et quomodo posset eadem non similiter. Accipite exemplum quod puto ad vos non sit grande. Cum scribimus literas facit eas primo cor nostrum, & deinde manus nostra. *Et infra.* Manus servit imperanti cordi, easq; literas facit & cor & manus. Nunquid alias cor, alias manus? Easdem quidem facit manus, sed non similiter. Cor enim nostrum facit eas intelligibiliter, manus autem visibiliter. Ecce quomodo fiunt eadem, & dissimiliter. Unde parum fuit Domino dicere. Quæcunq; Pater fecerit, hæc & filius facit, nisi adderet & similiter. Quod si enim hoc modo intelligeres? Quomodo quæcunq; cor facit hæc & manus facit sed non similiter? Hic vero addidit, hæc & filius facit similiter. Si & hæc facit & similiter facit, expergiscere, stringatur Judæus, credat Christianus, convincatur Arrianus hæreticus, æqualis est Patri filius. *Ibidem.*

Quomodo similiter operãtur Pater & Filius similitudine ostenditur.

Patris & Filij æqualitas probatur.

Non ait quæcunq; facit Pater, facit & filius alia similia: sed quæcunq; inquit Pater facit, hæc eadem & filius facit similiter. Quæ ille, hæc & ipse. Mundum Pater, mundum filius, mundum Spiritus Sanctus. Si tres Dij, tres mundi. Si unus DEUS Pater & filius & spiritus Sanctus, unus mundus factus & à Patre per filium in

Opera ad extra sunt totiꝰ Sanctissimæ Trinitatis.

in Spiritu Sancto. Hæc ergo facit filius quæ facit & Pater, & non dissimiliter facit. *T, 9 in Evang: Ioan: Tract: 20. de cap: 5.*

Sol radium mittit, & non separat: luna splendorem mittit & non separat: lucerna lumen fundit, & non separat. Video ibi missionem, & nullam video separationem. Nam si de rebus humanis quæris exemplum, o hæretica vanitas, quanquam sicut paulo ante dixi & ipsæ res humanæ in quibusdam exemplis coarguunt, & convincunt te; tamen attende quàm sit aliud in rebus humanis unde vis ducere exempla ad res divinas. Homo qui mittit manet ipse, & pergit ille qui mittitur. Nunquid pergit homo cum eo quem mittit? Pater autem qui misit filium non recessit à filio. *Ibid. 21. de cap: 5.*

Processio Divina Filij à Patre illustratur.

Quemadmodum illi gignendo dedit ut esset, sic gignendo dedit ut nosset: quia simplici ut dictum est naturæ veritatis esse & nosse non est aliud atq; aliud sed hoc ipsum. *T, 9. in Evang: Ioan: Tract: 40. de cap: 8.*

Esse & nosse in Divinis idem.

Est Pater meus qui glorificat me. Hoc ait propter illud quod dixerunt. Quem te ipsum facis? Refert enim gloriam suam ad Patrem de quo est, quod Deus est. Aliquando Arriani, & de isto verbo calumniantur fidei nostræ, & dicunt: Ecce major est Pater, quia utiq; glorificat filium. Hæretice non legisti & ipsum dicentem quod glorificet Patrem suum? Si & ille filium glorificat, & filius Patrem glorificat: pone pervicaciam agnosce æqualitatem, corrige perversitatem. *Ibid. Tract: 43. de cap: 8.*

Quia ergo non est à semetipso, sed ab illo à quo procedit, à quo illi est essentia, ab illo scientia, ab illo igitur audientia, quod nihil est aliud quàm scientia. Nec moveat quod verbum futuri temporis positum est. Non enim dictum est, quæcunq; audivit aut quæcunq; audit, sed quæcunq; audiet loquetur: illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna est scientia. In eo autem quod sempiternum est, sine initio & sine fine cujuslibet temporis verbum ponatur, sive præteriti, sive præsentis sive futuri, non mendaciter ponitur. Quamvis enim natura illa immutabilis, & ineffabilis non recipiat fuit & erit, sed tantum est: ipsa enim veraciter est, quia mutari non potest, & ideo illi tantum convenerat dicere. Ego sum qui sum: & dices filijs Israel qui est misit me ad vos: tamen propter mutabilitatem temporum in quibus versatur nostra mortalitas, & nostra mutabilitas non mendaciter dicimus, & fuit, & erit, & est. Fuit in præteritis sæculis, est in præsentibus erit in futuris. Fuit quia nunquam defuit: erit quia nunquam deerit, est quia semper est. *Ibid. Tra: de cap: 16.*

De Deo dicitur fuit & erit, in quo sensu.

Ideo credimus & in filium ejus id est Dei Patris omnipotentis. unicum Dominum nostrum. Quando unicum audis Dei filium, agnosce Deum. Non enim filius Dei unicus posset esse non Deus. Quid est hoc genuit: etsi non est quem genuit. Si verus est autem filius, hoc est quod Pater: si hoc non est quod Pater non est verus filius. Mortales & terrenas creaturas attendite. Quod est res quæq; hoc generat. Non generat homo bovem, non generat ovis canem, nec canis ovem. Quidquid est quod generat, id quod est generat. Tenete ergo fortiter firmiter fideliter, quia hoc genuit Deus Pater, quod est ipse omnipotens. Creaturæ istæ mortales per corruptionem generant? Nunquid sic Deus generat? *T, 9. lib: 1. de symb: ad Cathechum: cap: 2.*

Quodvis generat sibi simile.

FOR-

FORTITUDO

Fortitudo charitate Dei roboratur.

AUdite ergo & intelligite fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Christianorum DEI charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, quod est à nobis, sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. *T,7. l.1. imp: con: Iulian: cap: 82.*

FRAGILITAS HUMANA.

Excommunicatorum varij exitus.

EXclusi autem (intellige ab Ecclesia) aut pænitendo redeunt, aut in nequitiam malè liberi defluunt; aut Schisma faciunt, ad exercitationem nostræ patientiæ, aut hæresim aliquam gignunt, ad examen sive occasionem nostræ intelligentiæ. Hi sunt exitus Christianorum carnalium, qui non potuerunt corrigi aut sustineri. *T, 1. lib: de vera Religione cap: 6.*

Qui malè utuntur tantò mentis bono, dabuntur ei tenebræ exteriores, horum quidem initium est Carnis prudentia ac sensuum corporeorum imbecillitas. *Ibid. cap: 54.*

Suspicio.

Omnes homines amamus nostras suspiciones, vel vocare existimare cognitiones, quando credibilibus rerum signis movemur, cùm credibilia nonnulla sint falsa, sicut incredibilia nonnulla sunt vera. *T, 2. Epist: 54.*

Infirmitas vera.

Qui veram ostendit infirmitatem, humanè tractandus est, qui autem falsam prætendit & convinci non potest, DEO dimittendus est. *T, 3. lib: de opere Monach: cap: 19.*

Tullus Hostilius victor & eversor Albæ, cum tota Domo sua fulmine concrematus est. *T, 5. lib: 3. de Civ: Dei. cap. 15.*

Membrorum amputatio vel debilitas omnis expugnat incolumitatem, deformitas pulchritudinem, imbecillitas sanitatem, vires lassitudo, mobilitatem torpor aut tarditas. *T, 5. lib: 19. de Civ: Dei: cap: 4.*

De necessitatibus salvam fecisti animam meam. Quæ sunt necessitates? Quis has numeret? Primo in genere humano dura necessitas nescire cor alterius, male sentire plerumq; de amico fideli, bene sentire plerumq; de amico infideli. O dura necessitas! Et quid facies ut cor inspicias? Non habes quid facias. Alia major necessitas. Nec tuum vides quale erit cras. Quid jam dicam de necessitatibus ipsius mortalitatis? Mori necesse est & nemo vult. Nemo vult quod necesse est. Nemo vult quod erit velit nolit. Dura necessitas nolle quod non potest evitari. Nam si fieri posset nollemus utiq; mori. Et effici quod Angeli vellemus sed commutatione quadam non morte, sicut dicit Apostolus: Ingemiscimus gravati in quo nolumus expoliari, sed supervestiri ut absorbeatur mortale à vita. Nolumus pervenire ad regnum DEI, sed per mortem nolumus: & tamen dicit necessitas hac venies. Hac venire dubitas homo, cum hac ad te venerit DEUS? Quæ sunt etiam necessitates vincendarum vetustissimarum cupiditatum, & annosarum malarum consuetudinum? Vincere consuetudinem, dura pugna, nosti. Vides quàm male facias, quàm detestabiliter, quàm infeliciter, & facis tamen. Fecisti heri, facturus es hodie. *T, 8. con: 1. in Psal: 30.*

Psal: 30. 8.

Quæ sunt hominũ graves necessitates.

Sed jam quod accepit ad mortalitatem istam radix nostra, duxit de Adam. Quid duxit? Istam fragilitatem carnis, hoc tormentum dolorum, hanc domum paupertatis, hoc vinculum mortis & laque-

laqueos tentationum. Portamus omnia ista in carne hac, & ira DEI est ista, quia vindicta DEI est. *Et infra.* Fuit prima generatio mortalis de ira tua, erit altera generatio, immortalis de misericordia DEI. *Ibid. in Psal:* 84. *Per partū fragilitatis hæredes sumus.*

Tempus cuiq; nostrum proximum est, quia mortales sumus. Inter casus ambulamus, Si vitrei essemus, minus casus timeremus. Quid fragilius vase vitreo? & tamen durat & servatur per sæcula. Etsi enim, casus vitreo vasi timentur, senectus ei & febris non timetur. Nos ergo fragiliores, & infirmiores sumus: quia & casus omnes qui non cessant in rebus humanis, fragilitate utiq; nostra quotidie formidamus: & si ipsi casus non accedant, tempus ambulat. Vitat homo ictum: nunquid vitat exitum? Vitat quæ extrinsecus eveniunt: nunquid quod intus nascitur pellitur? *T, 10. ser: de ver: Dom: ser: 1. de illo. Agite pænitentiam, appropinquavit enim regnum cælorum.* *Vita humana ærumnosa.*

FRATER

QUid prodest vel salus, vel consanguinitas temporalis, si æternam Christi hæreditatem salutemq; perpetuam in nostra cognatione contemnimus. *T, 2. Epist: 170.*

Secundum quod unigenitus est (intellige Christus) non habet fratres, secundum id autem, quod primogenitus est, fratres vocare dignatus est omnes, qui post ejus & per ejus primatum in DEI gratiam renascuntur per adoptionem Filiorum, sicut Apostolica doctrina commendat. *T, 3 lib: de Fide & Symbolo cap:* 4. *Christi fratres.*

Frater non redimet, redimet homo. Exspectas ut homo te re-
Ps:48. 8. dimat ab ira ventura? Si te frater non redimet homo te redempturus est? Quis est frater qui si non redimeret nullus homo redempturus est? qui post resurrectionem dicit: vade dic Fratribus meis: Frater noster voluit esse, & cum DEO dicitur: Pater noster, hoc manifestatur in nobis. *T, 8. Con: 1. in Psal:* 48 *Amor Dei fratres Christi fecit.*

Quotquot autem receperunt eum. Quid eis præstitit? Ma-
Io: 1. gnam benevolentiam, magnam misericordiam. Unicus natus est, & noluit manere unus. Multi homines cum filios non habuerint peracta ætate adoptant sibi, & voluntate faciunt quod natura non potuerunt. Hoc faciunt homines: Si autem aliquis habeat filium unicum, gaudet de illo magis, quia solus omnia possessurus est: & non habebit qui cum eo dividat hereditatem, ut pauperior remaneat: Non sic DEus, unicum eundem ipsum, quem genuerat, & per quem cuncta creaverat, misit in hunc mundum, ut non esset unicus, sed fratres haberet adoptatos. Non enim nos nati sumus de DEO quomodo ille unigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius. Ille enim venit unigenitus solvere peccata: quibus peccatis implicabamur ne adoptaret nos propter impedimentum eorum. Quos sibi fratres facere volebat ipse solvit, & fecit coheredes. *T, 9 in Evan: Ioan: Tra: 2 de cap:* 1. *Adoptio nostra ingens est misericordia.* *Homines uno Filio, Deus pluribus delectatur.*

Neq; fratres ejus credebant in eum. Quare in eum non credebant? Quia humanam gloriam requirebant. Nam & quod eum videntur monere fratres, gloriæ ipsius consulunt. Facis mirabilia, innotesce: id est appare omnibus, ut laudari possis ab omnibus. Loquebatur caro carni: sed caro sine DEO, carni cum DEO. Loquebatur enim prudentia carnis Verbum quod caro factum est, & habitavit in nobis. Quid ad hæc Dominus? Dicit ergo eis JESUS:
Io.7.6. Tempus meum nondum venit, tempus autem vestrum semper est paratum. Quid est hoc? Nondum venerat tempus Christi. *Ibid. Tract: 28. de cap:* 7. *Caro & sanguis non credit Deo.*

 Non

Gratitudinem Deo debemus pro adoptione.

Non sitis ingrati tantæ gratiæ illius, qui cum haberet unicum, noluit illum esse unum: sed ut fratres haberet, adoptavit illi, qui cum illo possiderent vitam æternam. *T, 9. in Epist: Ioan: Tract: 8. de cap: 4.*

G

GENTES

Beneficiorum abusus pœnam auget.

AD gentes non perrexit ipse, sed misit. Ad populum vero Israel & misit & venit ipse: ut qui contemnebant majus judicium sumerent, quia & præsentia est illis exhibita. Ipse Dominus ibi fuit, ibi Matrem elegit, ibi concipi, ibi nasci, ibi sanguinem fundere voluit, ibi sunt vestigia ejus, modo adoratur ubi novissime stetit unde ascendit ad Cælum: ad gentes autem misit. *T, 9. in Ioan: Trac: 47. de cap: 10.*

GRATIA DEI

NIhil est tam arduum atq; difficile, quod non DEO adjuvante planissimum atq; expeditissimum fiat. *T, 1. lib: 1. de lib: arb: c. 6.*

Gratia Dei peccata excludit.

Si enim mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo. Nihil potuit dici breviùs & meliùs. Quid enim nobis gratia DEI utilius confert, in hoc præsenti sæculo maligno, nisi ut moriamur peccato? ac per hoc ipsi gratiæ invenietur ingratus, qui propter illam vult vivere in peccato, per quam morimur peccato. *T, 2. Epist: 47.*

Liberum arbitrium.

Illud quod dicunt sufficere homini liberum arbitrium ad Dominica præcepta implenda, etiamsi DEI gratiâ & Spiritus Sancti dono ad opera bona non adjuvetur, omninò anathematisandum est, & omnibus execrationibus detestandum. *Ibid. Epist: 89.*

Voluptas humana.

Voluntas libera tantò erit liberior, quantò sanior, tantò autem sanior quantò Divinæ misericordiæ gratiæq; subjectior; ipsa quippe fideliter orat & dicit; Itinera mea dirige secundum verbum tuum. *Ibid. Epist: 89.*

Auxilia divina ad servanda præcepta Dei.

Jubet DEUS continentiam & dat continentiam, jubet per legem, dat per gratiam, jubet per literam, dat per Spiritum, & litera sine Spiritu occidit. *Ibidem.*

Misericordia Dei.

Quicunq; dogmatisat & affirmat humanam sibi ad vincenda peccata, & DEI mendata facienda, solam sufficere posse naturam, & eo modo gratiæ DEI, quæ Sanctorum evidentius orationibus declaratur, adversarius invenitur: & quicunq; negat parvulos per baptismum Christi à perditione liberari, & salutem percipere sempiternam, anathema sit. Non dubitatius venerationem tuam, cum gesta Episcopalia perspexerit id judicaturam, unde omnes in DEI misericordia gaudeamus. Ora pro nobis Beatissime Papa. *Concilium Carthaginen: Innocentio PP. Romano Epist: 90. T, 2.*

Providentia Dei.

Quid enim tam iniquum potest esse, tam barbarum, tam totius Religionis ignarum, tam Christianis mentibus inimicum, quam huic te negare debere quidquid in quotidiana gratia consequeris, cui te ipse confiteris debere, quod natus es? Ergo eris tibi in providendo præstantior, quam potest in te esse, qui te ut esses, effecit. *Innocentius Pontif: Concil: Carthaginense T, 2. Epist: 91.*

Necesse est enim ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur. *T, 2. Ibidem.*

Lex jubere novit, gratia juvare, nec lex juberet nisi esset voluntas, nec gratia juvaret, si sat esset voluntas. *T, 2. Epist: 95.*

Catholici Antistites nullam aliam DEI gratiam intelligere potuerunt, nisi quam in libris DEI legere & populis DEI prædicare consueverunt, eam utiq; de qua dicit Apostolus: non irritam facio gratiam DEI; nam si per legem justitia! Ergo Christus gratis mortuus est, sine dubio gratiam, quâ justificamur ab iniquitate, & quâ salvamur ab infirmitate, non quâ creati sumus cum propria voluntate. *Ibid. Epist: 95.*

Sive enim gratiam dixerit (intellige Pelagius & Cælestius Hæretici Perniciosissimi, ut inquit Augustinus hujus erroris authores) esse liberum arbitrium, sive gratiam esse remissionem peccatorum, sive gratiam esse legis præceptum, nihil eorum dicit, quod per subministrationem Spiritus Sancti pertinet ad concupiscentias tentationesq; vincendas, *T, 2. Epist: 95.*

Stipendium peccati mors. Gratia DEI vita æterna in Christo JESU Domino nostro. Audito quod stipendium peccati sit mors, ô humana non justitia, sed nomine justitiæ planè superbia, quid te disponis extollere & contrarium morti vitam æternam tanquam debitum flagitare, stipendium? Cui debetur vita æterna, vera justitia est, si vera justitia est, ex te non est. Quid enim habes quod non accepisti. Qua propter ô homo si accepturus es vitam æternam, justitiæ quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est & ipsa justitia. *Ibid Epist: 105.*

Rom: 6. 23. — *Virtutis & peccati stipendium.*

Gratia DEI per JESUM Christum. Nemo liberat à vulneribus illius trucidatoris, nisi hujus gratia Salvatoris: ac per hoc universi qui se in nequitijs & iniquitatibus excusatos volunt, ideo justissimè puniuntur, quoniam qui liberantur nisi gratiâ liberantur. Nam si excusatio illa justa esset, non inde jam gratia, sed justitia liberaret. *Ibid. Epist: 105.*

Gratia liberat à malo.

Fateatur gratiam DEI & adjutorium etiam ad singulos actus dari, eamq; non dari secundum merita nostra, ut vera sit gratia, id est gratis data, per ejus misericordiam qui dixit: Miserebor cui misertus ero. *Ibid. Epist: 106.*

Quid debet esse jucundius, vel infirmis gratiâ, quâ sanantur, vel pigris gratiâ, quâ excitantur, vel volentibus gratiâ, quâ juvantur. *Ibidem.*

Ps: 37. 23.

A Domino gressus hominum diriguntur, & viam ejus volet; non ideo quia voluit diriguntur, sed quia diriguntur, volet. *T, 2. Epist: 107*

Luc: 11. 8. — *Oratio.*

Panem quotidianum dicimus nostrum, sed tamen addimus. Da nobis, nè putetur esse ex nobis, proinde sicut scriptum est, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite: oratis ut perseveranter & proficienter habeatis; gratias agitis, quia non ex vobis habetis. Quis enim vos ab illa ex Adam massa mortis perditionisq; discernit? nonne ille qui venit quærere & salvum facere quod perierat. *Ibid. Epist: 143.*

Hac gratia DEI per JESUM Christum Dominum nostrum omnes liberantur, quicunque liberantur, quoniam nemo præter ipsam quolibet alio modo liberari potest. Quia sicut nulli, nisi per Adam filij hominis; ita nulli nisi per Christum Filij DEI. *Ibid. Epist: 252.*

Filij Dei adoptivi.

Remanentibus Angelis & hominibus reprobis in æterna pœna, tunc Sancti scient pleniùs, quid boni ejus contulerit gratia. Tunc in clarissima luce sapientiæ videbitur, quàm certa & immutabilis & efficacissima sit voluntas DEI, quàm multa possit & non velit, nihil autem velit, quod non possit: quamque sit verum, quod in Psalm: canitur: DEUS autem in Cælo noster & in terra omnia quæcunq; voluit, fecit. *T, 3. Enchirid. cap: 94.*

Cujus

Cujus vult miseretur DEUS, & quem vult obdurat. Miseretur scilicet magna bonitate, obdurat nulla iniquitate, ut nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus, nisi de suis meritis conqueratur. Sola enim gratia redemptos, discernit à perditis, quos in unam perditionis concreverat massam, ab origine ducta causa communis, ut etiamsi nullus inde liberaretur, nemo posset DEI rectè vituperare justitiam. *Ibid. cap: 99.* Rom: 9. 18.

Justitia divina.

Stipendium peccati mors. Stipendium pro opere militiæ debitum redditur non donatur: ideo dixit stipendium peccati mors, ut mortem peccati non immeritò illam, sed debitam demonstraret. Gratia verò nisi gratis sit, gratia non est, intelligendum est igitur etiam ipsa hominis bona merita esse DEI munera, quibus cum vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur? *Ibid. cap: 107.* Rom: 6. 23.

Mors peccati stipendium.

Merita hominis Dei dona.

Aurum quippe significat sapientiam, arca significat secretum DEI. In Arca jussa sunt poni lex, manna, & virga Aaron. In lege præcepta sunt, virga potestatem significat, manna gratiam, quia nisi cum gratia non est potestas præcepta faciendi. Verumtamen quia lex à quovis proficiente non ex omni parte compleatur, propitiatorium est desuper. Ad hoc enim opus est, ut propitius sit DEUS, & ideo desuper ponitur, quia superexaltat misericordia judicium. Duo verò Cherubim, duo quippe ibi testamenta figurantur. *T, 4. l. 2. quæst: in Exod: quæst:* 105. Deut: 10. 5.

Observatio legis.

Ipse simul debellabit eos vobiscum, satis ostenditur ista esse Adjutorem DEUM, ut & homines agant aliquid. *T, 4. l. 4. quæst: super Deuter: quæst: 5.*

Auxilia Divina.

In toto sæculo generis humani tertium tempus est, quod fidei Christianæ gratia data est. Primum est ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. *T, 4. l. 83. quæst: quæst: 61.*

Ubi non est gratia liberatoris, auget peccandi desiderium prohibitio peccatorum. *T, 4. l. 83. quæst: quæst: 65.*

Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit DEO credere vel interna vel externa admonitione motûs ad fidem. *T, 4. l. 1. ad simp: quæst: 2.*

Initium gratiæ.

Non enim ut ferveat calefacit ignis, sed quia fervet. Nec ideo benè currit rota, ut rotunda sit, sed quia rotunda est. Sic nemo propterea bene operatur, ut accipiat gratiam, sed quia accepit. Quomodo enim potest sanctè vivere, qui non est sanctificatus, vel omnino sanctè vivere, qui non fuerit sanctificatus, vel omninò vivere, qui non fuerit vivificatus. Prima est igitur gratia, secunda operatio bona. *T, 4. l. 1. ad simp: quæst: 2.*

Initium bonorum operum gratia.

Cum ergo ea nos delectant, quibus proficiamus ad DEUM, inspiratur hoc & præbetur gratia DEI, non nutu nostro & industriâ, aut operum meritis comparatur: quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera charitate ferventia ille tribuit, ille largitur: propterea petere jubemur ut accipiamus, & quærere ut inveniamus, & pulsare ut aperiatur nobis. *T, 4. l. 1. ad simp: quæst: 2. in fine.* Eph: 4. 8.

Si autem gratia jam non ex operibus. Hæc est electio gratiæ, id est electio quâ per DEI gratiam homines eliguntur. Hæc est inquam electio gratiæ, quâ omnia bona merita præveniuntur humana. Si enim ullis bonis meritis datur, jam non gratis donatur, sed debita redditur. Si autem vera sit gratia, id est gratuita nihil invenit in homine, cui meritò debeatur: quod bene intelligitur, & in eo quod dictum est. Pro nihilo salvos facies eos. Profectò ipsa dat merita, non meritis datur. *T, 4. lib: de patientia c. 20.*

Intel-

Intelligendum est, alia esse dona DEI filiorum illius Jerusalem, quæ sursum libera est Mater nostra Hæc sunt enim quodam modo hæreditaria, in quibus sumus hæredes DEI, cohæredes autem Christi. Alia verò quæ possunt accipere, etiam filij concubinarum, quibus Judæi carnales & Schismatici vel Hæretici comparantur, *Ibid. cap: 28.* *Varietas donorum Dei.*

Proinde arbitrium voluntatis humanæ nequaquam destruimus, quando DEI gratiam, quâ ipsum adjuvatur arbitrium, non superbia negamus ingratam, potiùs pietate prædicamus. *T, 4, lib: de bono vidu: cap: 17.* *Liberum hominis arbitrium.*

Nostrum enim est velle, sed voluntas etiam ipsa monetur, ut surgat, & sanatur, ut valeat, & dilatatur, ut capiat, & impletur ut habeat. *T, 4, lib de bono vidu: cap: 17.*

Nemo audeat dicere vitæ prioris meritis se ad Evangelium esse perductum: quando nec ipsi Apostoli, qui cæteris membris post caput corporis supereminent, accipere Apostolatum propriè potuissent, nisi prius communiter cum cæteris gratiam, quæ peccatores sanat & justificat, accepissent. *T, 4, lib: Expos: Epist: ad Rom: fol: 361.* *Merita hominis.*

Eph: 4. 8. Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. In voluntate enim cujusq; est, utrum tenebræ sit, an lux, sed cum tenebræ, in se ipso, hoc est peccatis, quæ ipsius sunt propria: cum autem lux, non in seipso, sed in Domino à quo illuminatur. *Ibid, fol: 415.*

Gratia DEI non potuit gratiùs commendari, quàm ut ipse unicus DEI Filius in se incommutabiliter manens indueret hominem, & spem delectationis suæ daret hominibus, homine medio quo ad illum ab hominibus veniretur, qui tam longè erat immortalis à mortalibus, incommutabilis à commutabilibus, justus ab impijs, beatus à miseris. *Et infra* Quid enim incredibile dicitur præsertim vobis, qui talia sapitis, quibus ad hoc credendum, vos ipsos admonere debeatis? quid inquam vobis incredibile dicitur, cùm DEus dicitur assumpsisse animam humanam & corpus? Vos certè tantùm tribuitis animæ intellectuali, quæ anima utiq; humana est, ut eam consubstantialem Paternæ illi menti, quam DEI Filium confitemini fieri posse dicatis. *Vide eodem in libro quomodo confusè agnoverint Platonici Patrem & Filium, non tamen ut personas sed ut Deos. T, 5. lib. de Civ: Dei, cap: 29.*

Sicut in hac carne vivere sine adjumentis alimentorum, in potestate non est, non autem in ea vivere, in potestate est: quod faciunt qui seipsos necant: ita bene vivere, sine adjutorio DEI, etiam in Paradiso non erat in potestate, erat autem in potestate malè vivere, sed beatitudine non permansura, & pæna justissima secutura. *Ibid. cap: 27.*

Anna gratia ejus interpretatur, à qua superbi alienantur, ut cadant; quâ humiles implentur ut surgant. *T, 5. lib: 17. de Civit: Dei, cap: 4.*

Lex semper est bona, sivè obsit inanibus gratia, sivè prosit plenis gratia, semper est bona: sicut sol semper est bonus, quia omnis creatura DEI bona est, sivè dolentibus oculis noceat, sive sanos mulceat. Proinde quod est oculis sanitas ad videndum solem, hoc est gratia mentibus ad implendam legem. *T, 6. lib: 15. con: Faust: cap: 8.* *Bonitas legis.*

Hæc gratia cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta causa esse potest, injusta non potest: Nunquid enim iniquitas apud DEUM? absit. *Et infra.* Nascuntur alij ita excordes, ut etiam

ad movendum risum exhibeant cordatis delicias fatuitatis, quorum nomen ex græco derivatum, moriones vulgus appellat; talium tamen quidam fuit Christianus, ut cum esset omnium injuriarum suarum mirâ fatuitate patientissimus, injuriam tamen Christi nominis, vel in seipso religionis, quâ imbutus erat, sic ferre non posset, ut blasphemantes videlicet cordatos, à quibus hæc ut provocaretur, audiebat insectari lapidibus non desisteret, nec in ea causa vel Dominis parceret. Tales ergo prædestinari & creari arbitror, ut qui possunt, intelligant DEI gratiam, & Spiritum, qui ubi vult spirat, ob hoc omne ingenij genus in filijs misericordiæ non præterire; itemq; omne ingenij genus in gehennæ filijs præterire, ut qui gloriatur in Domino glorietur. *T, 7. lib: 1. de peccat: mer: & remis: cap: 21, & 22.*

Gratia illuminat. Audit quippe homo dicentem vel hominem vel Angelum, sed ut sentiat & cognoscat verum esse quod dicitur, illo lumine intùs mens ejus aspergitur, quod in æternum manet, quod etiam in tenebris lucet. Sed sicut sol iste à cæcis non videtur, quamvis eos suis radijs quodammodo vestiat, sic à stultitiæ tenebris non comprehenditur. *Ibid: cap: 25.*

Ad peccandum non adjuvamur à DEO, justa autem agere, vel justitiæ præceptum omni ex parte implere, non possumus, nisi adjuvemur à DEO. Sicut enim corporis oculus non adjuvatur à luce, ut ab eadem luce clausus aversusq; discedat, ut autem videat, adjuvatur ab ea, neq; hoc omnino nisi illa adjuverit potest; ita DEUS qui lux est hominis interioris, adjuvat nostræ mentis obtutum, ut non secundùm nostram, sed secundùm ejus justitiam boni aliquid operemur. Si autem ab illo avertimur nostrum est, & tunc secundum carnem sapimus, tunc concupiscentiæ carnis ad illicita consentimus. Conversos ergo DEUS adjuvat, aversos deserit. Sed etiam ut covertamur ipse adjuvat, quod certè oculis corporis lux ista non præstat. Cum ergo nobis jubet dicens: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos; nosq; illi dicimus. Converte nos DEUS sanitatum nostrarum, & DEUS virtutum converte nos; quid aliud dicimus, quàm da quod jubes? Cum jubet dicendo: post concupiscentias tuas non eas, nosq; dicimus; scimus quia nemo potest esse continens, nisi DEUS det; quid aliud dicimus, quàm da quod jubes: Cum jubet dicendo: Facite justitiam, nosq; dicimus: Doce me justificationes tuas, quid aliud dicimus, quàm da quod jubes. Nec adjuvari potest nisi qui etiam aliud sponte conetur, quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis, in quorum natura rationem voluntatemq; non condidit salutem nostram DEUS operatur in nobis. Cur autem illum adjuvet, illum non adjuvet: illum tantùm, illum autem non tantùm, istum illo, illum isto modo: penes ipsum est & æquitatis tam secretæ ratio & excellentia potestatis. *T, 7. lib: 2, de peccat: mer: & remiss: cap: 5.*

Sicut inferiora ejus quibus ad nos descendit non omni modo coæquata sunt inferioribus: in quibus nos hîc invenit; sic & superiora nostra, quibus ad eum ascendimus, non coæquabuntur superioribus ejus, in quibus eum illic inventuri sumus. Nos enim ipsius gratiâ facti erimus filij DEI, ille semper naturâ erat Filius DEI. *Ibid. cap: 24.*

Neq; qui laudat beneficium medicinæ, prodesse morbos dicit & vulnera, à quibus illa hominem sanat: sed quanto majoribus medicina laudibus prædicatur, tantò magìs vituperantur & horrentur vulnera & morbi, à quibus liberat, quæ ita laudatur. Sic laus & prædicatio gratiæ, vituperatio & damnatio est delictorum. *T, 7. lib: de Spiritu & litera, cap: 5.*

Paulus Apostolus, qui cum antea Saulus vocaretur, non ob aliud quanto mihi videtur, hoc nomen elegit, nisi ut se ostenderet parvum tanquam minimum Apostolorum, multùm contra superbos & arrogantes, & de suis operibus præsumentes pro commendanda ista Christi gratia, fortiter atq; acriter dimicans. *Ibid. cap*: 7. *S. Paulo nomē humilitas imposuit.*

Cur illi ita svadeatur, ut persvadeatur, illi autem non ita: duo sola occurrunt interim, quæ respondere mihi placeat: ô altitudo Divitiarum! & nunquid iniquitas apud DEUM? Cui responsio ista displicet quærat doctiores, sed caveat, nè inveniat præsumptores. *T*, 7. *ibid*: *cap*: 34.

Sanat ergo DEUS, non solùm ut deleat quod peccavimus, sed præstet etiam nè peccemus. *T*, 7. *lib*: *de natura & gratia cap*: 27. *Gratia præservans.*

Adjutoriorum genera esse duo: alia quippe sunt, sine quibus illud, ad quod adjuvant, effici non potest, sicut sine navi navigat nemo, nemo sine pedibus graditur, nemo sine luce intuetur, & multa hujusmodi: unde est etiam illud, quòd nemo sine gratia DEI rectè vivit. Alia vero sunt adjutoria, quibus sic adjuvamur, ut etiamsi desint, possit alio modo fieri propter quod ea requirimus: cum videamus, v. g. & sine tribulis areas triturari, quamvis adjuvent si adsint, & multos sine medicis ab ægritudine convalescere, quamvis manifesta sint adjutoria medicorum. *Ibid. lib*: *de gestis Pelagij cap*: 1.

Sufficit sibi oculus ad non videndum, hoc est ad tenebras, ad videndum verò lumine suo non sibi sufficit, nisi illi extrinsecus adjutorium clari luminis præbeatur. Absit autem ut ij qui secundùm propositum vocati sunt Sancti, quos præscivit & prædestinavit conformes Imaginis Filij sui, suo ut pereant desiderio dimittantur. *Ibid*: *cap*: 3.

1. Cor. 15.10. Non ego sed gratia DEI mecum. O magnum gratiæ præceptorem, confessorem, prædicatorem, quid est hoc plùs laboravi: non ego? ubi sese extulit aliquantùm voluntas, ibi continuò violavit pietas; & tremuit humilitas, quia se agnovit infirmitas. *Ibid*: *c*:14.

Quomodo est gratia si non gratis datur? quomodo gratia si ex debito redditur? quomodo verum dicit Apostolus non ex nobis sed DEI donum est. *Ibidem.*

Gratia DEI magna ibi erat, ubi terrenum & animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratiâ, non habebat in nudo corpore, quod puderet, spoliatus gratiâ sensit quod operire deberet. *T*, 7. *lib*: 4. *con. Iulianum*, *cap*: 16.

Vitia non medicos ullos corporum quærunt, sed gratiâ Christi medicante curantur, prius ut reatu non teneant, deinde ut conflictu non vincant, postremò ut omni ex parte sanata nulla omninò remaneant. *T*, 7 *lib*: *con*: *Iulianum*, *cap*: 7. *Gratia medicinalis.*

Quomodolibet dicas DEUM facere quod debet, gratiam nemini debet, multisq; non reddit supplicium, quod malis eorum operibus debet, & largitur gratiam, quam nullis eorum bonis operibus debet. Quid enim debebat eidem ipsi Paulo cùm adhuc Saulus persequeretur Ecclesiam? nonnè supplicium? quod ergo eum emissa voce de Cælo prostravit, quod excæcavit, quod ad fidem percipiendam quam vastabat, tam violenter attraxit, proculdubio secundum gratiam, non secundum debitum fecit. *Ibid*: *cap*:132. *Gratia nulli debetur.*

Igitur non volentis neq; currentis, sed miserentis est DEI. Non ergo ideo misertus est DEUS, quia voluit, & cucurrit Jacob, sed ideo voluit & cucurrit Jacob quia misertus est DEUS. De massa quippe damnata facere vas in honorem manifesta est gratia, facere autem inde vas in contumeliam, justum judicium est. *Ibid. cap*: 140.

Aliter gratia certamen facit, atq; adjuvat: aliter victorem sine hoste ullo, vel externo, vel interno, in æterna pace conservat. Ista laboriosa militia est in præsenti sæculo, illa beata requies in futuro. *T, 7 lib: 2. con: Iulian: imperfec: cap: 106.*

Qui enim præcepta legis implere se putat per arbitrium propriæ voluntatis, sine Spiritu gratiæ, suam justitiam vult constituere non justitiam Dei sumere. *Ibid. cap:* 158.

O te deceptorem spiritu hæretico plenum, totum dantem hominis voluntati; contra eum qui dicit: Quid enim habes quod non accepisti. *Ibid. cap: 232.*

Quapropter multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo, nulla verò facit homo, quæ non faciat Deus, ut faciat homo. *Et infra.* Tunc enim bonum concupisci incipit, quando dulcescere cœperit. *T, 7. lib: 2. ad Bonifacium, cap:* 9.

Nec omnino incipit homo ex malo in bonum per initium fidei commutari, nisi hoc in illa agat indebita & gratuita misericordia Dei. Cùm ergo dixisset: nunc cœpi, non ait hæc mutatio arbitrii mei, sed dextera excelsi. Sic itaq; Dei gratia cogitetur, ut ab initio bonæ mutationis suæ, usq; in finem consumationis, qui gloriatur in Domino glorietur. Quia sicut nemo potest bonum inchoare sine Domino; sic nemo perficere sine Domino. *T, 7. lib: 2. ad Bonifac: cap:* 10.

Dicimus lege fieri, ut Deus quod fieri velit, audiatur, gratiâ verò fieri ut legi obediatur. *Ibid. lib:* 3. *ad Bonifac: cap:* 2.

Quia ergo non seipso homo, sed Deus bonum hominem fecit: Deus eum non seipso, ut sit bonus, reficit: dum volentem, credentem, invocantem liberat à malo, quod ipse sibi fecit. *T, 7. lib: de perfect: justitiæ cap: 4.*

Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est: quibus enim non est datum, aut nolunt, aut non implent quod volunt, quibus autem datum est sic volunt ut impleant quod volunt. Itaq; ut hoc verbum, quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur, & Dei donum est & liberum arbitrium. *T, 7. lib: de gratia & lib: arbitrio cap: 4.* *Matth. 19. 11.*

Gratia etiam indignis confertur.

Non ego autem sed gratia Dei mecum: id est non solus, sed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. *Et infra.* Testimonijs Divinis probatur gratiam Dei non secundum merita nostra dari; quandoquidem non solùm nullis bonis, verùm etiam multis meritis malis præcedentibus videmus datam, & quotidie dari videmus. *T, 7. ibid: cap: 5. & 6.* *1. Cor. 15. 10.*

Gratia gratis data.

Superest mihi corona justitiæ: Cui redderet coronam justus Judex, si non donâsset gratiam misericors Pater, & quomodo esset ista corona justitiæ nisi præcessisset gratia, quæ justificat impium? Quomodo ista debita redderetur, nisi priùs illa gratuita donaretur. *Ibid: cap: 6*

Deus dona sua præmiat non merita nostra.

Si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis? prius talia cogitanti verissimè dicitur, dona sua coronat Deus non merita tua. Hæc enim si talia sunt, mala sunt; quæ mala sunt non coronat Deus. Si autem bona sunt, dona Dei sunt; quia sicut dicit Apostolus Jacobus: Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum. *Ibidem.* *1. Cor. 4. 7.*

Deus est qui operatur in nobis & velle. Certum est, nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dicit: Faciam ut in justificationibus meis ambuletis. *Ibid: cap: 16.*

Nos diligamus quia ipse prior dilexit nos. Gratia nos facit legis dilectores, lex verò ipsa sine gratia non nisi prævaricatores facit. *T, 7. lib: de grat: & lib: arbit: cap:* 18. *Lex sine gratiâ facit prævaricatores.*

Si non est DEI gratia, quomodo salvat mundum? & si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mundum. *T, 7. Epist:* 1. *ad Valentin: post librum de Graã & libero arb.* *Liberum arbitrium.*

Et desiderare euxilium gratiæ, initium gratiæ est, de quo ait ille: Et dixi, nunc cæpi; hæc est mutatio dexteræ excelsi. *T, 7. lib: de corrept: & grat: cap:* 1.

Intelligenda est enim gratia DEI per JESUM Christum Dominum nostrum, quâ solâ homines liberantur à malo, & sine qua nullum prorsus, sive cogitando, sive volendo & amando, sive agendo faciunt bonum: non solùm ut monstrante ipsa quid faciendum sit sciant, verùm etiam ut præstante ipsa, faciant cum dilectione quod sciunt, *Ibid: cap:* 2.

Est quippe in nobis per DEI gratiam in bono recipiendo & perseveranter tenendo, non solum posse quod volumus; verum etiam velle quod possumus. Quod non fuit in primo homine, unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit. Namq; ut reciperet bonum, gratiâ non egebat, quia nondum perdiderat: ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset, & acceperat posse si vellet, sed non habuit velle quod posset, nam si habuisset perseverâsset. *Ibid: cap:* 11. *Gratia respectu primi Parentis.*

Subventum est infirmitati voluntatis humanæ ut gratiâ divinâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, & ideo quamvis in forma, non tamen deficeret, neq; adversitate aliqua vinceretur. *Et infra.* Infirmis servavit, ut ipso donante invictissime quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissime nollent. *Ibid: cap:* 12.

Quid autem habes quod non accepisti, quo præcipuè testi-
2. Cor: 4. 7. monio etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, neq; enim fidem putabam gratiâ DEI præveniri, quem meum errorem, nonnulla opuscula mea satis indicant ante Episcopatum meum scripta. *T, 7, lib: de prædestinatione Sanctorum cap: 2. & 3.*

Quid habes quod non accepisti? Proinde posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum: habere autem fidem quemadmodum habere charitatem gratiæ est fidelium, *Ibid: cap:* 5.

Ps: 24. 10. Universæ viæ Domini misericordia & veritas, investigabiles sunt autem viæ ejus. Investigabiles igitur sunt, & misericordia quâ gratis liberat & veritas qua justè judicat *Ibid: cap: 6.*

Valde remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua DEUS auditur & docet. Multos venire videmus ad Filium, quia multos credere videmus in Christum, sed ubi & quomodo à Patre audierint hoc & didicerint non videmus. Nimiùm gratia ista secreta est, gratiam verò esse quis ambigat? Hæc itaq; gratia quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur. *Et infra.* Cur autem non omnibus detur? fidelem movere non omnibus detur? fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes ijsse in condemnationem sine dubitatione justissimam, ita ut nulla DEI esset justa reprehensio, etiamsi nullus inde liberaretur. Unde constat magnam esse gratiam, quòd plurimi liberantur, & quid sibi deberetur in eis qui non liberantur agnoscunt; ut qui glorientur, non in suis meritis, quæ paria vident esse damnatis, sed in Domino glorientur. Cur autem istum potiùs quàm illum liberet, Inscrutabilia sunt Judicia ejus, & investigabiles viæ eius. *T, 7. l: de prædest: Sanct: c: 8. per totum.*

Tutiores vivimus si totum Deo damus. Non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus. *Ibid. lib. 2. de Dono perseveran: cap: 6.*

Apud Deum nõ est acceptio personarum.

Quid est quod aliquando parvulis infidelium filijs potuit, ne irent in perditionem, & filijs fidelium non potuit baptismate subveniri? ubi certè ostenditur, quod personarum apud Deum non sit acceptio; alioquin cultorum suorum potiùs filios liberaret. *T, 7 lib: 2. de dono persev: cap: 12.*

Quod ergo in sacramentis fidelium dicitur, ut sursum cor habeamus ad Dominum, minus est Domini: de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere à Sacerdote post hanc vocem quibus hoc dicitur admonentur; & dignum & justum esse respondent. *Ibid: cap: 14.*

Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. Non ait relicta sunt mihi, aut reliquerunt se mihi, sed reliqui mihi. *Ibid: cap: 18.*

Deus adjutor in bonis redẽptor in malis.

Domine adjutor meus & Redemptor meus. Adjutor in bonis, redemptor in malis. Adjutor ut habitem in charitate tua: redemptor ut liberes me ab iniquitate mea. *T, 8. in Psal: 18.* *Ps: 18. 15.*

Quoniam Pater meus & Mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Voluntatem quidem mihi liberam dedisti, sed sine te nihil est mihi conatus meus. Dereliquerunt me. Fecit se parvulum Deo: ipsum fecit Patrem, ipsum fecit Matrem. Pater est quia condidit, quia vocat, quia jubet, quia regit. Mater quia fovet, quia nutrit, quia lactat, quia continet. Dominus assumpsit me & regendum & nutriendum. Mortales parentes genuerunt, Filij successerunt, mortales mortalibus. Et ad hoc nati sunt qui succederent, ut qui genuerunt decederent. Non decedet qui me creavit. Ego ab illo non recedam. *Ibid. Enar: 2 in Psal: 26.* *Ps: 26. 10.*

Cur Deus & Pater et Mater?

Sine me inquit nihil potestis facere. Domine si sine te nihil, totum in te. Etenim quidquid ille operatur per nos, nos videmur operari. Potest ille multum & totum sine nobis, & nos nihil sine ipso. *T, 8. Con: 1. in Psal: 30.* *Io. 15. 5.*

Si vis esse alienus à gratia jacta merita tua. *T, 8. præfat: in Psal: 31.*

Astus Dæmonis est quo vincat ut obliviscamur Dei.

Maximè suggeritur humano cordi ab invisibiliter expugnantibus hostibus, quia Deus nobis non est adjutor: ut requirentes alia adjutoria inveniamur invalidi, & ab inimicis ipsis capiamur. Qui contra istas voces quid hic dicitur, dic animæ meæ Salus tua ego sum. *T, 8 Con: 2. in Psal: 34.*

Quomodo gratia Dei non vincit.

Sagittæ tuæ acutæ potentissimæ, & transfigentes, & efficientes populi sub te cadent, populos videmus subditos Christi, cadentes non videmus. Exponit ubi cadunt: In corde. Ibi se erigebant adversus Christum, ibi cadunt ante Christum. O sagittam acutam potentissimam, qua accepta cecidit Saulus ut esset Paulus, ut ille ita & populi. Gentes attendite videte subditas Christo. Ergo populi sub te cadent in corde inimicorum Regis, hoc est in corde inimicorum tuorum. Ipsum enim appellat Regem, ipsum novit Regem. Ex inimicis amici facti sunt: inimici mortui sunt, amici vivunt. *Ibid. Enar: in Psal: 44.* *Ps: 44. 7.*

De solo Deo præsumẽdum.

Debet homo de Deo præsumere, & inde sperare auxilium, non de se. Non enim terra pluit sibi, aut lucet sibi. Quomodo autem terra de Cælo expectat pluviam & lucem, sic homo de Deo debet expectare misericordiam & veritatem. *Ibid. Enar: in Psal: 46.*

Hæreditas cælestis opulẽta.

Tanta charitas est in illo hærede, ut voluerit habere cohæredes. Quis enim avarus homo velit habere cohæredes? Hæreditas autem

autem in qua cohæredes Christi sumus non minuitur copia possessorum, nec fit angustior numerositate cohæredum, sed tanta est multis quanta paucis, tanta singulis quanta omnibus. *T, 8. in Psal: 49.*

Si gratia vocatur gratis datur: si gratis datur, nulla merita tua
Rom. 4. præcesserunt ut detur. Nam si præcesserunt merita tua merces non imputatur secundum gratiam sed secundum debitum. *Ibid. in Psal: 49.*

In DEO laudabo sermones meos. Si in DEO, quare meos? Et in DEO & meos. In DEO quia ab ipso, meos quia accepi. Ipse voluit meos esse qui dedit, amando eum cujus sunt, quia ex illo mihi sunt mei facti sunt. Unde enim: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quomodo nostrum? quomodo da? ab illo petendo non eris vacuus, tu confitendo non eris ingratus. *T, 8. in Psal: 55.* *Quidquid agimus Dei gratia nostrum facit.*

Ps: 55. 8. Pro nihilo salvos facies eos id est gratis data gratia tua. Quid ille latro attulerat ad crucem? De fraude ad judicium, de judicio in lignum, de ligno in paradisum. *Ibidem.*

Ibidem Pro nihilo salvos facies eos, In ira populos deduces. Irasceris & deducis, sævis & salvas, terres & vocas. Quid est enim in ira populos deduces? Imples tribulationibus omnia ut in tribulationibus positi omnes recurrant ad te, ne delicijs & securitate perversa seducantur. A te ira videtur sed paterna. Irascitur Pater filio contemptori præceptorum suorum. Iratus ei eum colaphisat, cædit, aurem vellit, manu trahit, ad scholam ducit. In ira populos deduces. Quàm multi ingressi sunt, quàm multi impleverunt domum Domini in ira ejus deducti, id est tribulationibus territi & fide impleti: ad hoc enim exagitat tribulatio ut exinaniat vas quod plenum est nequitia, & impleatur gratia. In ira populos deduces. DEUS vitam meam annuntiavi tibi *Ibidem.* *Paterna Dei ira est.*

Ps: 58. 10 Fortitudinem meam ad te custodiam. Quia si recedo, cado. Si accedo fortior fio. Videte quid est Fratres in anima humana. Non habet ex se lumen, non habet ex se vires: totum quod pulchrum est in anima virtus & sapientia est. Sed nec sapit sibi, nec valet sibi, nec ipsa sibi lux est, nec ipsa sibi virtus est Est quidem origo fonsq; virtutis: est quidem radix sapientiæ: est quidem ut ita dicam si & hoc dicendum est, Regio incommutabilis veritatis. Ab hac anima recedens tenebratur, accedens illuminatur Accedite ad eum & illuminanimi quia recedendo tenebramini. Ecce quid est fortitudinem meam ad te custodiam? De me omnino nihil præsumam Quid enim attuli boni ut mei misereris, & me justificares? Quid in me invenisti nisi sola peccata? Tuum nihil aliud nisi natura quam creasti, cætera mala mea quæ delevisti. Non ego prior à te exurrexi, sed tu ad me excitandum venisti. Nam misericordia ejus præveniet me. Antequam aliquid, esto boni faciam misericordia ejus præveniet me Quid hic respondebit infelix Pelagius? DEUS meus demonstravit mihi in inimicis meis. Quid ait? Quantam circa me exhibuerit misericordiam in inimicis meis mihi demonstravit. Relictis comparet se collectus & repulsis electus. Comparet se vasis iræ vas misericordiæ: & videat quia ex una massa fecit DEUS aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. *Ibid. Enar: in I. partem Psal: 58.* *Deus prior excitat ad bonū.*

Est quædam liberatio Sanctorum occulta: & propter ipsos fit quod DEUS Sanctos suos quosdam occulte quosdam vero libere, publice: occulte sicut Machabæos, publice sicut tres pueros de camino ignis educens. *Ibid. Con. in Psal: 68.*

Non est opus sanis Medicus sed male habentibus. Hæc est ergo

Magna scientia scire nihil suum. go tota scientia magna, hominem scire, quia ipse per se nihil est. Et quoniam quidquid est, DEO est, & propter DEUM est. *Ibid. in Psal: 70.*

Cur Dei auxilium gratia dicitur. Jam si superbi deservimus, vel fatigati redeamus. Nec rediri nisi per gratiam potest: Gratia gratis data: nam nisi gratiæ non esset gratia. Porro autem si propterea gratia est, quia gratis est, nihil tuum præcessit ut acciperes. *Ibid. con: 2. in Psal: 70.*

Cornua peccatorum dignitates. Omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua justi. Cornua peccatorum dignitates superborum: cornua justi munera Christi. Per cornua enim sublimitates intelliguntur. Oderis in terra sublimitatem terrenam, ut possis habere cælestem. *Ibid. in Psal: 74.* *Ps: 74 11.*

Qui vere accessit ad DEUM ut in illo habitet DEUS: displicent illi omnes qui in illo ponunt spem suam. *Ibid. in Psal: 75.*

Et dixi nunc cæpi. Hæc est immutatio dexteræ excelsi. Modo me cæpit mutare excelsus, modo cæpi aliquid ubi securus sim, modo intravi aliquam aulam gaudiorum, ubi nullus timetur inimicus. Modo cæpi esse in ea regione ubi non anticipent vigilias omnes inimici mei. *Ibid: in Psal: 76.* *Ps: 76. 11.*

Gratia Dei mortuos vivificat. Nunquid mortuis facies mirabilia? Nimis enim exculta DEI gratia est, qua hominum mentes quodammodo reviviscunt, ut possint ex quibuslibet ejus ministris præcepta sanctitatis audire. *Ibid. in Psal: 87.* *Ps: 87. 11.*

Inter scapulas suas obumbrabit tibi, & sub alis ejus sperabis. *Et infra.* Attendat charitas vestra hirundines, passeres & ciconias: videmus extra nidos suos, nec agnoscimus utrum fætus habeant. At vero gallinam agnoscimus in infirmitate vocis, & in relaxatione plumarum: tota mutatur affectu pullorum. Quia illi infirmi sunt, infirmam se facit. Quia ergo & nos infirmi eramus, infirmam se fecit sapientia DEI: quia Verbum caro factum est & habitavit in nobis, ut sub alis ejus speremus. Scuto circumdabit te veritas ejus. Quæ sunt alæ hoc est scutum: quia nec alæ sunt, nec scutum. *Ibid. Exposit. 1. partis Psal: 90.*

Nocere nobis facile possumus non vero prodesse. Aridam terram manus ejus fundaverunt. Esto tu arida terra, siti gratiam DEI ut veniat super te imber dulcis, inveniat in te fructum. *Ibid. in Psal: 94.* *Ps: 94.*

Idoneus est homo ad vulnerandum se, nunquid idoneus est ad sanandum se? Quando vult ægrotat non quando vult surgit. *Ibid. in Psal: 98.*

Totum bonum quod habemus, ab artifice nostro habemus. Quod in nobis nos fecimus, inde damnamur: quod in nobis ille fecit inde coronamur. Ipse facit nos & non ipsi nos. Nos autem populus, & oves pascuæ ejus. Oves & ovis: ipsæ oves una ovis. Et quàm amantissimum nostri pastorem habemus? Dimisit nonaginta novem, descendit quærere unam, reportat in humeris suis redemptam sanguine suo. Securus mortuus est Pastor pro ove, qui resurgens possidet ovem. *Ibid Expos: Psal: 99.*

Cum occidunt peccata oritur gratia. Quantum distat Oriens ab occidente longe fecit à nobis esse peccata nostra. Noverunt qui Sacramenta sciunt: tamen quod omnes audire possunt dico. Quando peccatum remittitur, occidunt peccata tua, oritur gratia tua. Peccata tua tanquam in occasu sunt: gratia qua liberaris in ortu est. Veritas de terra orta est. Quid est veritas de terra orta est? Nata est gratia tua, occidunt peccata tua, innovaris quodammodo. Ad ortum attendere debes, ab occasu averti debes. Avertere te debes à peccatis tuis, convertere ad gratiam DEI. *Ibid. Enar: in Psal: 102.* *Ps: 102. 11.*

Man-

Is. 5. 6. Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam. Accusabatur enim quædam vinea, quod pro uvis spinas dederat, non reddiderat dignam gratiam dulci pluviæ. Qui enim bona audit, & mala operatur, dulci pluvia compluitur, & spinas generat. *Ibid. con*: 1. *de* 1. *parte Psal*: 103. *Qui bona audit mala operatur sterilis ager est.*

Ne simus jugum ducentes cum infidelibus. Sic enim quisq; Hierusalem Cælestis fit Civis idoneus cum primum huic sæculo renuntiârit. Quemadmodum ille populos in terram promissionis duci non potuit nisi prius ab Ægypto recederet. Sed sicut ille non inde discessit, nisi divino liberatus auxilio: sic nemo corde ab hoc sæculo avertitur nisi divinæ misericordiæ munere adjutus. *Ibid. con*: 1. *de* 1. *parte Psal*: 113. *Civis cælestis est qui sæculo renuntiat.*

In-debita DEI misericordia sanatur nostra debita miseria. *Ibid. con*: 5. *in Psal*: 118. *Deo debita est misericordia nobis miseria.*

Retribue servo tuo, vivam & custodiam verba tua. Quod
Ps: 118 116. quid est aliud quam dicere mortuos ea custodire non posse: infideles videlicet de quibus dicitur. Sine mortuos sepelire suos, verba DEI custodire non possunt? *Ibid. con*: 7. *in Psal*: 118. *Qui Deū non audiunt mortui dici possunt.*

In tua justitia vivifica me: quia in me unde morerer habui,
Ibidem unde autem vivam non invenio, nisi in te. Justitia tua Christus est qui factus est nobis sapientia à DEO, & justitia & sanctificatio & redemptio: ut quemadmodum scriptum est. Qui glorietur, in domino glorietur. *Ibid. con*: 12. *in Psal*: 118.

Ibidem Suavitatem fecisti cum servo tuo: nisi fecisti me delectaret bonum. Quando enim delectat bonum magnum DEI donum est. Quando autem opus quod lex imperat fit timore pœnæ non delectatione justitiæ, tum DEus metuitur non amatur: serviliter fit non liberaliter. *Ibid. Con*: 17. *in Psal*: 118. *Amor Dei liberos homines, facit timor servos.*

Quomodo solent Medici potentiam suæ artis in desperatis ostendere: sic & Dominus noster JEsus Christus Medicus Salvator noster in desperato, qui persecutor Ecclesiæ fuit ostendit magnitudinem artis suæ, ut non solum eum Christianum faceret, sed & Apostolum: nec tantum Apostolum sed sicut ipse dixit plus omnibus illis laboraret. Excellentissimæ ergo gratiæ fuit. *T*, 8. *Expos*: *Psal*: 130.

Tu in te ipso non facis quod vis: DEus autem in Cælo & in terra omnia quæcunq; voluit fecit. Ipse tibi dat gratiam ut in teipso facias quod vis: nisi enim ipso adjuvante, nec in te facis quod vis. *Ibid. Enar*: *in Psal*: 134.

Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hu-
Rom: 7. 24. jus? Gratia DEI per JESUM Christum Dominum nostrum. Gratia DEI quæ cæpit jam resculpere, gratia DEI quæ infundit suavitatem, ut jam per interiorem hominem condelecteris legi DEI: inde cætera sanabuntur, unde & ista sanata sunt. Geme adhuc vulneratus, castiga te, displice tibi. *Ibid. Expos*: *Psal*: 140. *Gratia Dei vulnerum nostrorum medicina.*

Doce me: non enim tu eris DEus meus, & ego erò Magister meus. Videte quemadmodum gratia commendetur. Hoc tenete hoc imbibite, hoc vobis de corde nullus excutiat. *Ibid. Expos*: *Psal*: 142. *Gratia Dei Magistra.*

Ps: 143 10. De gladio maligno erue me. De gladio non sufficit, addit maligno. Procul dubio est gladius benignus. Quis est gladius benignus? De quo Dominus dicit. Non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Separaturus enim erat fideles ab infidelibus, filios à parentibus, & cæteras necessitudines diremptarus gladio putredinem abscindenti, membra autem Christi sananti. *Ibid. Expos*: *Psal*: 143. *Benignus gladius.*

Ad legem bonum esse Dei miserentis est beneficium. O gratia gratis data! Quid tu juste credis, te sine DEO posse servare justitiam? Ipsius ergo totum reputa quod justus es pietati: quod autem peccator es, tuæ iniquitati adscribe. Esto accusator tuus & ille erit indultor tuus. Omne enim crimen quod facimus vel peccatum, nostræ est negligentiæ: & omnis virtus & sanctitas DEI est indulgentiæ. *T, 1r. serm: de ver: Dom: serm: 7. de illo. Confiteor tibi Pater Domine Cæli, &c.*

Et nunc majores sanitates operatur propter quas non est dedignatus tunc exhibere illas minores. Sicut enim animus melior est corpore: sic & melior salus animi, quàm salus corporis. Modo caro cæca non aperit oculos miraculo Domini, & cor cæcum aperit oculos sermoni Domini. Modo non resurgit mortale cadaver, resurgit anima, quæ mortua jacebat in vivo cadavere. *Et infra.* *Cadaver in domo integra, anima peccatrix in corpore sano.* Sicut enim etiam visibiliter plerumq; in domo integra & salva, Dominus ejusdem domus mortuus jacet: sic in corpore integro multi habent intus animam mortuam: & hos sic excitat Apostolus, surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. *Ibid. ser: 18. De duobus cæcis sedentibus juxta viam.*

Exi inquit in vias & sepes, & quos inveneris coge intrare. *Luc: 14. 41.* *Deus urget quandoq; ad virtutem non invitat.* Quos inveneris ut dignentur, noli expectare, coge intrare. Magnam cænam, magnam domum paravi: non ibi patior locum vacare. Venerunt de plateis & vicis gentes: veniant de sepibus hæretici, hic inveniunt pacem. Nam qui construunt sepes, divisiones quærunt. Trahantur à sepibus, evellantur à spinis. In sepibus hæserunt, cogi nolunt. Voluntate inquiunt nostra intremus. Non hoc Dominus imperavit, coge inquit intrare. Foris inveniatur necessitas, nascitur intus voluntas. *Ibid. ser: 33. De illo Homo quidam fecit cænam &c.*

Zachæe descende, apud te, oportet me manere. Tu pendes *Matt: 19.* *Deus præstat beneficia antequam petatur.* sed non te suspendo: hoc est non te differo. Volebas videre transeuntem, hodie me apud te invenies habitantem. *Ibid. ser: 35. de illo. Facite vobis amicos de mammona &c.*

Qui major est ætate, maior est iniquitate. Sed gratia DEI delet quod traxisti, delet & quod addidisti. *Ibid. ser: 36. De judice iniquo, &c.*

Nemo venit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. *Ioã: 6.* Non dixit, Duxerit, sed Traxerit. Ista violentia cordi fit, non carni. *Amore Dei vincini Deo officimur.* Quid ergo miraris? Crede, & venis; ama & traheris. Ne arbitreris istam asperam molestamq; violentiam: dulcis est, suavis est: ipsa suavitas te trahit. Nonne ovis trahitur, cum esurienti herba monstratur? Et puto quia non corpore impellitur, sed desiderio colligatur. Sic & tu veni ad Christum, noli longa itinera meditari. Ubi credis ibi venis. Ad illum enim qui ubique est amando venitur non navigando. *T, 10. ser: de ver. Apost: ser: 2. De corp: & sanguine Dñi.*

Adhuc te loquente dicam: ecce adsum. Sed DEUS & cum differt adest, & quod differt, adest, & differendo adest: ne præproperam cum implet voluntatem, perfectam non impleat sanitatem. *Ibid. ser: 3. de ver: Apost: Spiritu ambulate &c.*

Securus efficeris non de te, sed de Domino tuo: securus efficeris de pignore tuo. *Mors Christi pignus vitæ æternæ.* Spera cum Christo regnum Christi, jam pignus tenes sanguinem Christi. Dic, dic, quis me liberabit de corpore mortis hujus! Ut respondeatur tibi. Gratia DEI per JESUM Christum Dominum nostrum. *Ibid. ser: 5. de ver: Apost: Lex peccatum est? Absit &c.*

Virtute corroborari inquit per Spiritum ejus. Jlle spiritus *Eph: 3. 16* gra-

gratiæ videte quid petit. Hoc à DEO petit quod ab hominibus exigit: quia ut DEUS velit dare, debes & tu ad accipiendum acommodare voluntatem. Quomodo vis accipere gratiam divinæ bonitatis, qui sinum non aperis voluntatis? Det inquit vobis. Non enim habetis, nisi det vobis. *T, 10. eorun: ser: 7. de libero arbitrio.*

Conformitas voluntatis cū divina efficacia orationis.

Jlli debemus quod sumus, quod vivimus, quod intelligimus: quod homines sumus, quod bene viximus, quod rectè intelleximus, illi debemus. Nostrum nihil nisi peccatum quod habemus. Quid enim habes quod non accepisti. ***Ibid. ser: 10. de ver: Apost: Fidelis sermo, & omni acceptione dignus.***

Fuimus & nos naturâ filij iræ, sicut & cæteri: sed mortua est ovis, & fecit nos oves. Ecce agnus DEI, ecce qui tollit peccatum, non hujus aut illius, sed mundi. Nihil ergo nobis fratres mei, ex eo quod aliquid sumus, si tamen in ejus fide aliquid sumus, quantumcunq; sumus, nihil nobis arrogemus: ne & quod accepimus, perdamus. ***Ibidem.***

Dona Dei non arrogāter gestanda.

Ergo gressus meos dirige secundum verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas. Vendidi me, redime me. Vendidi me arbitrio meo, redime me sanguine tuo. In venditore erubescat superbia, in redemptore glorietur gratia. *Et infra.* Contradictor gratiæ, non est arbiter conscientiæ. *T, 10. eorun: ser: 12. de ver: Psal: 118. Gressus meos dirige &c.*

Ps: 55. 8. Pro nihilo inquit salvos facies illos. Quid est pro nihilo salvos facies illos? Nihil in eis invenis unde salves, & tamen salvas. Gratis das, gratis salvas. Omnia merita præcedis, ut dona tua consequantur merita mea. Prorsus gratis das, gratis salvas, qui nihil invenis unde salves, & multum invenis unde damnes. ***Ibid. ser. 15, de ver: Apost. Non enim sumus circumcisio.***

Non à meritis fit gratia Dei, salus.

Tolle, tolle te, inquam, te à te, impedis te: si tu te ædificas, ruinam ædificas. Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. *Et infra.* Noli putare quia Christianus vocaris, ideo te non posse offendere in lapidem offensionis. Cujus gratiæ derogas, in ipsum offendis. Minus est offendere Christum in cruce pendentem, quàm in Cælo sedentem. ***Ibidem.***

Vanus labor sine Deo.

Si DEUS pro nobis, quis contra nos? DEUS pro nobis ut prædestinaret nos, DEUS pro nobis ut vocaret nos, DEUS pro nobis ut justificaret nos, DEUS pro nobis ut glorificaret nos. Si DEUS pro nobis quis contra nos? Prædestinavit, antequam essemus, vocavit cum aversi essemus, justificavit cum peccatores essemus, glorificavit cum mortales essemus. Si DEUS pro nobis quis contra nos? Prædestinatis à DEO, vocatis, justificatis, glorificatis, qui vult adversari, paret se, si potest bellare adversus DEUM? *Et infra.* In his enim quæ jam habemus, laudemus DEUM largitorem, in his quæ nondum habemus, tenemus debitorem. Debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit, promittendo. *Et infra.* Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti: & hoc tu fecisti, quia laborantes juvisti. ***Ibid. ser: 16. de ver: Apost: Si Deus pro nobis, quis contra nos?***

Rom: 8 11.

Contra Deum qui cōtra proximum assurgit.

Nonne in oratione dominica dicimus & nostrum esse quod à DEO est? Quotidie dicimus. Panem nostrum quotidianum. Jam dixisti, nostrum, & dicis: Da nobis. Ecce nostrum: ecce da nobis. Jllo dante fit nostrum. Si illo dante fit nostrum, nobis superbientibus fit alienum. Dicis, nostrum, & dicis, da nobis. Quid ergo tibi assignas, quod non tibi ipse dedisti? Quid enim habes, quod non accepisti? Dicis, nostrum, & da nobis. Agnosce largitorem, confitere te accipere, ut libenter dignetur dare. Quid si non egeres

Luc: 11 3.

Superbia tollit beneficia Dei.

res qui mendicas, & superbus es? An non mendicas, qui panem petis? Panis noster æternus, Christus in Patris æqualitate. Panis noster quotidianus, Christus in carne, æternus sine tempore, quotidianus in tempore. Tamen ipse est panis qui de Cælo descendit. Fortes sunt Martyres, firmi sunt Martyres: sed panis confirmat cor hominis. *T, 10. 50. Homil: Hom: 14. de illo. Capillus de capite vestro non peribit.*

Fons Dei gratia futura spes certa.

Examinet se omnis homo, & quidquid in se boni invenerit, quod pertineat ad justificationem nostram, agat gratias illi qui dedit, & agendo gratias illi qui dedit, ab illo petat & quod nondum dedit. Non enim tu in accipiendo proficis, & ille in dando deficit. Quantumlibet capaces fauces, capacem ventrem afferas: fons vincit sitientem. *T, 10. ser: de ver: Apost: ser: 17. Nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi? &c.*

Vincere tentationes sine Deo non valemus.

Hoc tibi dicit Deus tuus. Regebam te mihi, servabam te mihi. Ut adulterium non committeres suasor defuit: ut suasor deesset, ego feci. Locus & tempus defuit: & ut hæc deessent, ego feci. Affuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus: ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes & quod non admisisti. Mihi debet iste quod factum est, & dimissum vidisti: mihi debes & tu quod non admisisti. Nullum est enim peccatum quod fecit homo, quod non possit, facere alter homo: si desit rector à quo factus est homo. *T, 10. 50. Homil: Hom: 23. de muliere peccatrice.*

Si divina non possunt fieri nisi à Deo, vide ne in homine lateat Deus. Attende inquam quæ vides, crede quæ non vides. *T, 10. corun: Hom: 32. de illo. Non potest filius à se facere quidquam &c.*

Ecclesiæ ex sacramentis venustas.

Audi ex persona Ecclesiæ in Canticis Canticorum ait Ecclesia: Nigra sum & formosa. Quid est, Nigra sum & formosa: nisi nigra per naturam formosa per gratiam? Nigra originali peccato, formosa baptismi sacramento. *T, 10. serm: de Temp: ser: 86. Fer: 3. post 3. Dnicā: Quadrag: ser: 1.* *Cant: 1 5.*

Si bona tua cogitas, quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Solus est ille, qui non novit nisi dare. Non habet datorem, qui non habet meliorem. Quo tu si inferior es, imò quia inferior es, gratulare quia ad ejus imaginem factus es, ut in illo inveniaris, qui in te perijsti. Non enim potuisti in te, nisi perdere te: nec scis invenire te, nisi ille qui fecit te, quærat te. *Ibid. ser: 94. Sabb: post eand: Dnicā, ser: 1.*

Tollite hinc lapidem. Qui dicimus? Nunquid lapidem Dominus à monumento præcepto removere non poterat, qui inferni claustra propria virtute removit? Sed quod ab hominibus fieri poterat, homines facere præcepit: quod autem divinæ virtutis erat, sua potentia demonstravit. Lapidem enim à monumento revocare, humanæ virtutis est animam vero ab inferno revocare, solius divinæ potentiæ est. *Ibid. ser: 104. Fer: 6. post Dnic: Quadr: ser: 1.* *Matt: 28. 2.*

Omnia vestra ossa dicent, Domine quis similis tibi? Non enim dignè cogitari potest illa dignatio Dei: deficit omnis sermo, sensusq; humanus, venisse vobis gratuitam gratiam nullis meritis præcedentibus. Ideo & gratia dicitur, quia gratis datur. Quam gratiam? Ut sitis membra Christi, filij Dei, ut sitis fratres unici. Si ille unicus, unde vos fratres, nisi quia unicus naturâ, vos gratiâ fratres facti. *Ibid. ser: 164. Dnicā in Octavis Pasc: ser: 8.* *Ps: 34. 20.*

Recedere à Deo est à lumine recedere.

Accedite ad eum & illuminamini. Ergo ille lumen, nos sine illo tenebræ. Si recesseris in tuis tenebris remanebis: si accesseris non de tuo lucebis. Fuistis enim aliquando tenebræ, ait Apostolus *Ps: 33 6.*

fide-

fidelibus & infidelibus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Si ergo lux in Domino, tenebræ sine Domino. *Ibid. 256. In anniversario Dedicationis ser: 5.*

Deus fons, nos vasa.

Omnes nos de plenitudine ejus accepimus. Nos vasa sumus,
Ioā: 1. 16. ille fons est. *T, 10. serm: de Sanct: ser: 21. In festo Nativitatis S. Ioannis Bap: ser: 2.*

Temperamentum tribulationis rectitudo conscientiæ.

Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis.
Ps: 59. 13. In Deo faciemus virtutem: tanquam si diceret. Victoria nostra gloria nostra intus est. Foris despecti, intus dilecti. Hinc est quod Ecclesia in pressuris posita infirmiora membra sua confirmat, dicens: In mundo pressuram habebitis: sed nolite timere pusillus grex, quia ego vici mundum. Sed quomodo vicit mundum? Factus est obediens Patri usq; ad mortem. Quid autem de morte? Propter quod & Deus illum exaltavit & donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Quomodo vicit Christus, vincere appetat Christianus, ut ubi est Christus, esse mereatur & Christianus: audi Christianæ militiæ persecutor, ipsum Christum pro militibus suis sic orantem, volo Pater ut ubi ego sum, illic sit & minister meus *Ibid: ser: 44. In festo unius Mart.*

Obedienta triumphat de mundo.

Pars felicitatis est Dei beneficia nosse.

Ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Ergo Spiritus Dei, spiritus est charitatis; spiritus hujus mundi, spiritus est elationis. Qui habent spiritum hujus mundi, superbi sunt, ingrati sunt Deo. Multa dona ejus habent, sed non colunt eum, à quo habent: ideo sunt infelices. *Et infra* Qui enim habet, dabitur ei. Qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo. Quomodo non habet si habet? Non habens habet, qui nescit unde habeat. Tollitur enim à Deo res sua, & remanet illi iniquitas sua. Ergo nemo est continens, nisi Deus det. Habes munus contra voluptates: quoniam hoc ipsum, inquit, erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum, nemo est continens nisi Deus det. Habes munus contra dolores: quoniam ab ipso est, inquit, patientia mea. *T, 10. eorund: ser: 42. De Natali SS. Mart: Massilitanorum.*

Abusus Dei beneficiorum perditionis occasio.

Simul pluit Dominus super segetem & spinas: sed segeti pluit ad horreum, spinis ad ignem: & tamen una est pluvia: sic verbum Dei omnes compluit. Videat quisq; qualem radicem habeat. Videat quisq; quo trahat pluviam bonam: si eam trahit ut generet spinas, nunquid ideo pluvia Dei accusanda est? Antequam veniat ad radicem, dulcis est pluvia illa, dulce est Verbum Dei, donec veniat ad cor malum, & convertat ad fraudem suam, pluviam Dei, convertat ad hypocrisim, convertat ad radices malarum concupiscentiarum, ad perversitates & depravationes suas. *Ibid: ser: 44. de Iacob & Esau.*

Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum laboravit qui
Iac: 1. 17. custodit eum. Labora, custodit: sed bonum est ut custodiaris. Nam custodire te non sufficis. Si desertus fueris, dormitabis & dormies. Non autem dormitat neq; dormit, qui custodit Israel. *Ibid. ser: 107. de festo Ss. Apost: Petri & Pauli.*

Vita bona, Gratiæ opus.

Omne inquit datum optimum, & omne donum perfectum,
Ps: 126 2. est descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec momenti obumbratio. Ad humanas mentes mutabiles, de fonte immutabili, descendit patientia, quæ & ipsas faciat immutabiles. Vnde homini placere Deo nisi à Deo. Unde homini bona vita, nisi à fonte vitæ? unde homini illuminatio, nisi ab æterno lumine? Quoniam apud te est, inquit, fons vitæ. *Et infra.* Ergo accedite ad eum, & illuminamini, fons est vitæ, accede, bibe & vive. Lumen est, accede, cape, & vide. Si non influat ille, siccus eris. *T. 10. Hom: 11. ser: 1. In Natali Mart.*

 Ju-

Promptitudo divini obsequij temperat asperitatem. Jugum meum leve est, & sarcina mea levis est, levis amanti, gravis neganti. Jugum Domini cervice sumpsisti, leve est, si bene conaris: asperum, si reluctaris. *Et infra.* Bene aliquando DEUS differt adjutorium suum, ut probet hominem, ut exerceat hominem, ut ipse sibi homo innotescat. Nam DEUM nihil latet. *Ibid. ser: 2. de Susanna.* *Matth. 11.30.*

Cumulat pericula qui suis defectibꝰ ipse medere vult. Quis nostrum est idoneus curare quod fecit? Sic & in ipsis delictis, quis cum non voluerit, vulnerat se? Sed non quis cum voluerit sanat. Sic ergo animus pius, sit fideliter Christianus, sit gratiæ non ingratus. Agnoscatur Medicus, nunquam se sanat ægrotus. *Ibid. ser: 11.*

Vt pereas satis es tibi, ut salveris non satis. Sicut ipsam carnem nostram percutere & vulnerare, cum volumus possumus: ut autem sanetur Medicum quærimus, nec ita nostra potestate salvamur; ut nostra potestate sauciamur: ita ad peccandum anima sibi ipsa sufficit: ad sanandum quod peccatum læserit, DEI medicinalem dexteram implorat. Unde dicit in alio psalmo. Ego dixi Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. Ad hoc ait: Ego dixi, ut constitueret ante oculos voluntatem arbitriumq; peccandi ex anima oriri, sibiq; sufficere ut perdat se: DEI autem esse quærere, & salvum facere, quod se vulneraverat. *T, 10. ser: nov: ser: 3.*

Argumentaris, ideo non liberaris. *Ibid. ser: 18. Fer 5. post: Pascha.*

Contine teipsum. Jussio est, præceptio est, audiendum est, faciendum est: sed nisi DEUS adjuvet, remanemus. Conamur quidem facere voluntate, & nititur aliquid voluntas, non præsumat petestas nisi adjuvetur infirmitas. Certe enim jussum est. Continè teipsum. Audi alium locum scripturæ: Et cum scirem, inquit, quia nemo esse potest continens, nisi DEUS det, & hoc ipsum erat sapientia scire, cujus esset hoc donum. *T, 10. Ex fragmen: fragm: primi serm: ad pop.* *Ibidem*

Nobis Christus necessarius, nō nos illi. Nunquid & vos vultis abire? Ostendere volens, quia ipse illis erat necessarius, non illi erant Christo necessarij. Ne quis terreat Christum quando dicitur, ut sit Christianus: quasi beatior erit Christus si tu fueris Christianus. Bonum est tibi ut sis Christianus: nam si non fueris malum Christo non erit. Audi vocem psalmi. Dixi Domino DEUS meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Ideo DEUS meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Si fueris sine DEO minor eris: si fueris cum DEO, major DEUS non erit. Non ex te ille major sed tu sine illo minor. Cresce ergo in illo noli te subtrahere, ut quasi ille deficiat. Reficieris, si accesseris: deficies si recesseris. Integer manet te accedente, integer manet te cadente. *T, 9. it Ioan: Tract: 11. de cap: 3.* *Ioā: 6. 67.* *Ps: 15. 2.*

Lucernam quisquam accendit verbi gratia, lucerna illa quantum pertinet ad flammulam quæ ibi lucet, ignis ille habet lucem in semetipso: oculi autem tui qui lucerna absente jacebant, & nihil videbant, jam & ipsi habent lucem, sed non in semetipsis. At vero ille ignis quamdiu est, lucet. Si volueris illi lucem tollere, simul & ipsum extinguis: nam sine luce non potest permanere. *Christus est inextinguibilis.* Sed lux Christus inextinguibilis & coæternus Patri, semper candens, semper lucens, semper fervens; nam si non ferveret nunquid diceretur in psalmo. Nec est qui se abscondat à calore ejus? *Peccator friget.* Tu autem in peccato tuo frigidus eras, convertaris ut fervescas: si recesseris, frigescis. In peccato tuo tenebrosus eras, convertaris ut illumineris: si averteris te, obscuraberis. Proinde qui in tenebris eras, cum illuminaris, non eris lumen, quamvis sis in lumine: ait enim Apostolus. Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux

in Domino. Cum dixisset: Nunc autem lux: addidit in Domino: In te ergo tenebræ, lux in Domino. Lux quare? Quia participatione lucis illius lux es. Si autem à luce qua illuminaris recesseris, ad ad tenebras tuas redis. Non sic Christus, non sic Verbum DEI. Sed quomodo? Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso, ut non participatione vivat, sed incommutabiliter vivat: & omnino ipse vita sit, sic dedit & filio habere vitam. *Ibid Tra: 22. de cap: 5.*

Ioã. 6. 46. Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum. Magna gratiæ commendatio Nemo venit nisi tractus. Quem trahat, & quem non trahat: quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare si non vis errare. Semel accipe & intellige. Non traheris, ora ut traharis. Quid hìc dicimus fratres? Si trahimur ad Christum ergo inviti credimus: ergo violentia adhibeatur, non voluntas excitatur. *Et infra.* Noli te cogitare invictum trahi: trahitur animus & amore. *Ibid. Tra: 26. de cap: 6.* *Gratia nos ad Deũ trahit.*

Dicimus Panem nostrum quotidianum, & tamen dicimus, da nobis hodie. *Ibid. Tra: 36. de cap: 8.*

Vocasti nos, invocabimus te: ecce audivimus vocantem, audi te invocantes. Perduc quo promisisti, perfice quod inchoasti: noli deserere munera tua, noli deserere agrum tuum, germina tua intrent in horreum tuum. Abundant tempestates in mundo, sed major est qui fecit mundum: abundant tentationes, sed non deficit qui in illo spem ponit, in quo defectus nullus est. *Ibid. Tra: 40. de cap: 8.* *Spes non confundit.*

Ibidem Ego sum inquit vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Ne quisquam putaret saltem parvum aliquem fructum posse à semetipso palmitem ferre, cum dixisset hic fert fructum multum, non ait quia sine me parum potestis facere: sed nihil potestis facere. Sive ergo parum, sive multum. Sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest; quia etsi parum attulerit palmes, eum purgat agricola ut plus afferat. *Et infra.* Quamvis autem Christus vitis non esset nisi homo esset: tamen istam gratiam palmitibus non præberet, nisi etiam DEUS esset. *Et infra.* Unum de duobus palmiti congruit: aut vitis aut ignis. Si in vite non est in igne erit: ut ergo in igne non sit, in vite sit. Si manseritis in me inquit, & verba mea manserint in vobis, quodcunq; volueritis petetis & fiet vobis. Manendo quippe in Christo, quid velle possunt, nisi quod convenit Christo? Quid velle possunt manendo in Salvatore nisi quod est alienum à salute? Aliud quippe volumus, quia sumus in Christo, & aliud volumus quia sumus adhuc in hoc sæculo. *Ibid. Tra: 81. de c: 15.* *Palmes qui in vite non est, in igne erit.*

Io. 16. 33. Confidite quia ego vici mundum. Confiderunt, & vicerunt. In quo nisi in illo? Non enim vicisset ille mundum, si ejus membra vinceret mundus. Unde ait Apostolus. Gratia DEO qui dat nobis victoriam: continuoq; subjecit, per Dominum nostrum JESUM Christum, qui dixerat suis. Confidite ego vici mundum. *T, 9. in Evan: Ioan: Tra: 103 de cap: 16.* *Victoria mundi à Christo est.*

2. Cor. 12. 9. Sufficit tibi inquit gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Rogasti, clamasti, ter clamasti: ipsum semel quod clamasti audivi, non averti aures meas à te, sed novi quid faciam. Tu vis auferri medicamentum quo uteris: ego novi infirmitatem qua gravaris. Ergo iste ad salutem, exauditus est, ad voluntatem non est exauditus. *Ibid. in Epist: Ioan: Tra: 6. de cap: 3.* *Tribulatio medicina est.*

Non sibi assignet terra fertilitatem, quoniam Dominus dat suavi-

Gratiæ æternitas. suavitatem. Si enim pluvia desuper non descendat, etiam terra bona non spicas, sed profert spinas, quæ igni tradantur, non quæ horreo recondantur. Similiter & terra nostra, hoc est caro nostra, sive hic, sive ibi non sibi assignet merita, sed agnoscat etiam illic accepturum se gratiam per gratiam. *T, 9. lib: 3. de symb: ad Cathechum: cap: 11.*

GULA

Gula etiã in vili cibo invenitur. Fieri potest, ut sine aliquo vitio cupidinis, vel voracitatis, pretiosissimo cibo sapiens utatur, insipiens autem fœdissimâ gulæ flammâ ardescat. Et sanius quisque maluerit more Domini pisce vesci, quàm lenticulâ Esau, aut hordeo, more jumentorum; non enim propterea continentiores nobis sunt pleræq; bestiæ, quia vilioribus utuntur escis. *T, 3. l: 3 de doct: Christ: cap: 12.* *Gē: 25.*

Sepulchrum patens est guttur eorum. Ad voracitatis significationem referri potest, propter quam plerumq; homines adulatione mentiuntur. Et mirabiliter dixit patens sepulchrum quoniam semper inhiat illa voracitas non ut sepulchra quæ receptis cadaveribus muniuntur. *T, 8. in Psal: 5.* *Ps: 5. 11.* *Os mendacis patens sepulchrum.*

H

HEREDITAS

Major liber noster orbis terrarum est, in eo loco completum, quod in libro DEI lego promissum, Dominus ait: Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Huic hæreditati qui non communicat quoslibet libros teneat, exhæredatum se esse cognoscat. Hanc hæreditatem quisquis impugnat, alienum se esse à familia DEI satis indicat. *T, 2. Epist: 162.* *Ps: 2. 8.*

Hæredes ejus dicimur, quia reliquit nobis pacis Ecclesiasticæ possessionem, per fidem temporalis dispensationis, quam in hac vita possidemus, quod testatus est dicens: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Cohæredes autem ejus efficiemur, cum in fine sæculi mors absorbetur in victoriam; tunc enim similes ei erimus. *T, 4 lib: 83. quæst: quæst: 75.*

Major dividit minor eligit. Hinc fortassis effecta est inter homines pacifica consvetudo (allegat exemplum Abraham dividentis cum Loth possessionem) ut quando terrenorum aliquid partiendum est, major dividat, minor eligat. *T, 5 lib. 16. de Civit: Dei, cap: 20.*

Promissus est Hæres non ille vernaculus, sed qui de ipso Abraham fuerat exiturus: rursusq; semen innumerabile, non sicut arena terræ, sed sicut stellæ Cæli, ubi mihi magis videtur promissa posteritas, cælesti felicitate sublimis *Ibid: de Civit: Dei, cap: 23.*

Et filijs concubinarum dedit Abraham dationes. Habent ergo nonnulla munera filij concubinarum, sed non pervenient ad Regnum promissarum, nec Hæretici, nec Judæi carnales, quia præter Isaac nullus est Hæres. *Ibid: cap: 34.* *Gē. 25. 6.*

Dominus pars hereditatis meæ. Possidebunt enim mecum (ait Christus) hereditatem ipsum DEUM. Eligant sibi alij partes quibus fruantur terrenas & temporales: portio Sanctorum Dominus æternus est. Et calicis mei. Bibant alij mortiferas voluptates: portio calicis mei Dominus est. *T, 8. in Psal: 15.* *Ps: 15. 5.*

Possessio Christi sumus. Domine DEUS noster possíde nos. Hanc hereditatem non moriens Pater filio reliquit; sed ipse filius eam sua morte mirabiliter acquisivit, cum resurrectione possedit. *Ibid: in Psal: 78.* Spes

Ps 141. 6. Spes mea & tu portio mea in terra viventium. Tu eris portio mea, eris tu possessio & possidebis. Possessio DEI eris & possessio tua erit DEUS, tu eris possessio ejus ut colaris ab eo, & ipse erit possessio tua ut colas eum. Nam & tu colis DEUM, & coleris à DEO, recte dicitur colo DEUM. Quomodo autem color à DEO? Invenimus apud Apostolum: DEI inquit agricultura estis, Dei ædificatio estis. Et Dominus: Ego sum inquit vitis vos estis sarmenta & Pater meus agricola. Colit te ergo DEUS ut sis fructuosus, & colis DEUM ut sis fructuosus. Tibi bonum est quod te colit DEUS: bonum est tibi quod tu colis DEUM. Cultor DEUS si recedat ab homine desertus fit ipse homo, cultor homo si recedat à DEO, desertus fit ipse homo. Ne crescit DEUS accedente te, nec decrescit discedente te. *Ibid. Enar: in Psal: 145.* *Sibi quisque bonus.*

Quæ est illa merces? Hereditas, sed non quomodo est hominis Patris hereditas. Relinquit enim filijs suis, non possidet cum filijs suis: & tamen magnum se facit, & gratias sibi agi desiderat, quia voluit dare quod non possit auferre. Moriens enim tolleret secum: puto quia si posset nihil hic filijs suis dimisisset. Heredes DEI sic sunt, ut ipse DEUS sit hereditas nostra, cui dicit Psalmus, *Præmium nostri laboris ipse Deus.*
Rom 8. 17. Dominus pars hereditatis meæ. Heredes quidem DEI: si parum vobis est audite, quo amplius gaudeatis. Heredes quidem DEI, coheredes autem Christi. *T, 10. serm: de ver: Apost: ser: 13.*

Ego DEUS vester, dicit Dominus DEUS. O beatos nos tali possessione, & tali possessore! Nam & possidet nos, & possidemus illum, possidet nos ut colat nos: possidemus illum, ut colamus illum. Sed nos tanquam DEUM colimus, ille colit tanquam agrum. Ille colit nos, ut fructum afferamus, nos eum colimus ut fructum demus. Totum ad nos recurrit, ille nostri non eget. Dabo inquit tibi hereditatem tuam, & possessionem tuam fines terræ. Ecce possessio ejus sumus. Dominus inquit pars hereditatis meæ, & calicis mei. Ecce possessio nostra est. Sed tamen qua distinctione? Vos homines estis: ego Dominus vester, dicit Dominus DEUS noster. *T, 9. lib: de ovibus in caput 34. Ezechielis cap: 16.* *Deus noster possessor et nostra possessio.*

HÆRESIS

HÆretici Marcionistæ opinantur, quod istum mundum DEUS non fecerit: nec DEUS legis, quæ data est per Moysen, & Prophetarum ad eandem legem pertinentium, verus sit DEUS, sed pessimus Dæmon. *T, 1. lib: 2 Retract: cap: 58.*

Scripsi ad Priscillianistas Hæreticos, qui hæresim suam, non solùm negando atque mentiendo, verùm etiam pejerando existimant occulendam. *Ibid. cap: 60.*

Improbatio quippe hæreticorum facit eminere, quid Ecclesia tua sentiat, & quid habeat sanæ doctrinæ. *T, 1. l: 7. confess: c: 19.*

Superbia si non esset, non essent Hæretici, nec Schismatici, nec carne circumcisi, nec creaturæ simulachrorumq; cultores. Hi autem si non essent ante perfectionem populi, quæ promittitur, multò pigriùs veritas quæreretur. *Ibid. lib: de vera Relig: cap: 25.* *Superbia origo hæresum.*

Divina Providentia multos diversi erroris hæreticos, esse permittit, ut excutiamus pigritiam, & Divinam scripturam nosse cupiamus. Propterea & Apostolus dicit. Oportet & hæreses esse, ut
1. Cor. 11. 19. probati manifesti fiant inter vos. Illi enim DEO probati sunt, qui bene possunt docere: sed manifesti hominibus esse non possunt, nisi cum docent. *Ibid lib 1 de Genesi con: Manich: cap: 1.*

Omnes hæretici generaliter scientiæ pollicitatione decipiunt,

& reprehendunt eos, quos simpliciter credentes invenerunt. *Ibid. lib: 2. cap 25.*

Origenis errores. De Origene autem quod rescribere dignatus es, jam sciebam, non tantùm in Ecclesiasticis libris ac literis, sed in omnibus recta ac vera quæ invenerimus approbare atq; laudare, falsa verò ac prava improbare atq; reprehendere. Sed illud de prudentia doctrinavè tua desiderabam & adhuc desidero, ut nota nobis facias ea ipsa ejus errata, quibus à fide veritatis ille vir tantus recessisse convincitur. *T, 2. August: Hieron: Epist: 9. cap: 5.*

Si occupationes tuæ sinunt omnium hæreticorum perversa dogmata; qui rectitudinem fidei Christianæ usq; ad hoc tempus vel impudentiâ, vel imperitiâ vel pervicaciâ depravare conati sunt, uno libello breviter digesta edas, in notitiam eorum, quibus aut non vacat propter alia negotia, aut non valent propter alienam linguam tam multa legere atque cognoscere. *Ibid cap: 5,*

Hæresis occulta. Demus operam ut perniciosissima hæresis de Ecclesia auferatur, quæ semper simulat pænitentiam, ut docendi in Ecclesijs habeat facultatem, ne si aperta se luce prodiderit, foras expulsa moriatur. *Ibid. Epist: 30.*

Correctio acerba. Si quisquam inimicum suum phreneticum factum, currere videret in præceps, nonnè tunc potiùs malum pro malo redderet, si eum sic currere permitteret, quam si corripiendum ligandumq; curaret, & tunc ei molestissimus videretur. O si possem tibi ostendere ex ipsis Circumcellionibus, quàm multos jam Catholicos manifestos habeamus, damnantes errorem, quo se arbitrabantur pro Ecclesia DEI facere, quidquid inquieta temeritate faciebant! qui tamen ad hanc sanitatem non perducerentur, nisi legum istarum quæ tibi displicent vinculis, tanquam phrenetici ligarentur. *Ibid. Epist: 48.*

Correctio hæreticorum. Quis enim nostrûm, quis vestrûm (alloquitur Hæreticos) non laudat leges ab Imperatoribus datas adversus sacrificia Paganorum? illius quippe impietatis capitale supplicium est. De vobis autem corripiendis atque coercendis habita ratio est, quâ potiùs admoneremini ab errore discedere, quàm pro scelere puniremini. Potest etiam fortasse de vobis dici quod ait Apostolus de Judæis, Zelum DEI habent, sed non secundum scientiam: pares estis omninò, exceptìs duntaxat illis, quicunq; in vobis sunt, scientes quid verum sit? & pro animositate suæ perversitatis contra veritatem etiam sibi notissimam dimicantes. Horum quippe impietas etiam Idololatriam forsitan superat. *Ibid. Epist: 48.* *Ro: 10. 2.*

Constantinus Imperator primus constituit in hac causa, ut res convictorum, & unitati pervicaciter resistentium fisco vendicarentur. *Ibidem.*

Hæretici cogendi ad Fidem. Mea primitijs sententia erat, neminem ad unitatem Christi esse cogendum &c. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primò mihi opponebatur civitas mea, quæ cùm tota esset in parte Donati, ad unitatem catholicam timore legum Imperilium conversa est. *T, 2. Epist: 48.*

Hæresis malitia occulta. Nulla bestia si neminem vulneret, propterea mansueta dicitur, quia dentes & angues non habet. Sævire vos nolle dicitis, ego non posse arbitror. Ita enim estis numero exigui, ut movere vos contra adversarias vobis multitudines non audeatis etsi cupiatis. *Loquitur de hæreticis Rogatistis. Ibid. Epist: 48.*

Quamvis res quæque terrena, non rectè à quoquam possideri possit, nisi vel jure Divino, quo cuncta justorum sunt, vel jure humano,

mano, quod in potestate Regum est terræ: ideoq; res vestras falsò appellastis, quas nec justi possidetis, & secundùm leges Regum terrenorum amittere jussi estis; frustraq; dicatis: Non eis congregandis laboravimus, cum scriptum legatis, labores impiorum justi edent: Sed tamen quisquis ipsas res pauperum vel Basilicam congregationum, quas sub nomine Ecclesiæ tenebatis, (quæ omninò non debentur, nisi ei Ecclesiæ, quæ vera Christi Ecclesia est) non per justitiam sed per avaritiam tenet, displicet nobis. *Ibidem.*

Quid igitur adhuc dubitas tenere quod sentis, nisi quia id quod nunc sentis, vel aliquando non sensisse, vel aliud defendisse confunderis, & dum erubescis corrigere errorem, non erubescis permanere in errore, quod utiq; potiùs erubescendum fuit. *Vincentio Hæretico. T. 2. Epist: 48.* *Hæreticorum pertinacia.*

Ut possint habere, qualemcunq; umbram nominis Martyrum, quidam se trucidandos armatis viatoribus ingerebant percussuros eos se, nisi ab eis perimerentur, terribiliter comminantes Jam verò per abrupta præcipitia, per aquas & flammas occidere seipsos quotidianus illis ludus fuit. Hæc enim eos tria mortis genera Diabolus docuit, qui & Salvatori nostro, ut se de pinna Templi præcipitaret, tanquam de lege suggessit. *Ibid. Epist: 50.* *Martyres Diaboli.*

Et nunc Reges intelligite &c. servite Domino in timore.
Ps. 2. 10. Quomodo ergo Reges Domino serviunt in timore, nisi ea, quæ contra jussa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo atque plectendo, aliter enim servit, quia homo est, aliter quia etiam Rex est, quia homo est, ei servit vivendo fideliter; quia Rex est, leges justa præcipientes sanciendo. Sicut servivit Esechias, Lucos & templa idolorum destruendo. Sicut servivit Josias, sicut servivit Rex Ninivitarum. *Ibid: Epist: 50.* *Principes serviunt Deo per justitiam.*

Ps. 71. 11. Et adorabunt eum omnes Reges terræ. Quis mente sobrius Regibus dicat: Nolite curare in Regno vestro, à quo teneatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri. Non ad vos pertineat in Regno vestro, quis velit esse sivè Religiosus, sivè sacrilegus. Cur enim cùm datum sit divinitus homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur? & sacrilegia permittantur? An fidem non servare, leviùs est animam Deo, quàm fæminam viro? Ubi est, quod isti clamare consveverunt, liberum est credere vel non credere. cui vim Christus intulit? quem coegit? Ecce habent Paulum Apostolum, agnoscant in eo priùs cogentem Christum, & postea docentem. Mirum est autem, quomodo ille qui pæna corporis ad Evangelium coactus intravit, plùs illis omnibus, qui solo verbo vocati sunt in Evangelio laboravit, & quem major timor impulit ad charitatem, ejus perfecta charitas foras misit timorem. Cur ergo non cogeret Ecclesia perditos filios ut redirent, si perditi filij coegerunt alios ut perirent? *Ibid Epist: 50.* *Hæretici cogēdi ad fidem.*

Exite in vias, & quoscunq; inveneritis, cogite &c. In illis ergo, qui lenius adducti sunt, completa est prior obedientia In ijs autem, qui coguntur, inobedientia coercetur. Nam quid est, cogitare intrare; cùm primùm dictum esset, adducite; & responsum est; Factum est quod jussisti. *Ibidem.*

Legem piissimæ memoriæ Theodosius generaliter in omnes hæreticos promulgavit, ut quisquis eorum vel Clericus vel Episcopus esset inventus, decem libris auri mulctaretur. *Ibidem.* *Pæna hæreticorum.*

Quis nostrûm velit, non solum aliquem illorum perire, verùm etiam aliquid perdere? sed si aliter non meruit habere pacem Domus David, nisi Absalon Filius ejus in bello, quod contra Patrem gerebat, fuisset extinctus, quid ei restitit nisi perditum flere,

ut sui Regni pace acquisita, suam mæstitiam consolari? Sic ergo Catholica Mater bellantibus adversus eam, quid aliud, quàm filijs suis, præsertim, quia isti non sicut Absalon casu bellico, sed spontaneo magìs interitu pereunt, dolorem Materni cordis lenit & sanat tantorum liberatione populorum. *Ibidem.*

Hæreticos ad fidem cogendo bene illis facimus.

Si duo aliqui in una Domo habitarent, quam sciremus certissimò esse ruituram nobisq; id prænuntiantibus nollent credere, si eos inde possemus eruere, vel invitos; puto nisi faceremus, non immeritò crudeles dijudicaremur. Quid ergo sentiendum est de quibusdam paucis perditis, & innumerabili multitudine populorum liberatorum? Non enim vel tot sunt illi homines, qui sua voluntate pereunt, quot liberantur per istas leges ab illa pestifera æternaq; pernicie, fundi, Pagi, vici, castella, municipia, civitates. *Ibid. Epist: 50.*

Quid igitur de opere misericordiæ, quod pro vita æterna adipiscenda, & pæna æterna vitanda hominibus debemus impendere, judicandum est: si pro salute ista non solùm temporali, sed etiam brevi ad ipsum tempus exiguum liberanda, sic nos hominibus subvenire ratio vera & benigna compellit? *Ibidem.*

Hæretici membra mortua.

Quemadmodum membrum, si præcidatur ab hominis vivi corpore, non potest tenere spiritum vitæ: sic homo qui præciditur de Christi corpore, nullo modo potest Spiritum tenere justitiæ, etiamsi figuram membri teneat, quam sumpsit in corpore. *Ibidem.*

Vita et Mors hæreticorum.

Vivunt ut latrones, moriuntur ut Circumcelliones, honorantur ut Martyres. *Ibid. Epist: 68.*

Manichæorū errores.

Auditores autem qui appellantur apud Manichæos, & carnibus vescuntur, & agros colunt, et si voluerint, uxores habent, quorum nihil faciunt, qui vocantur Electi. Sed ipsi Auditores ante Electos genua figunt, ut eis manus supplicibus imponantur, non à solis Episcopis vel Presbyteris aut Diaconis eorum, sed à quibuslibet Electis. Solem etiam & lunam cum eis adorant & orant; Die quoq; Dominico cum eis jejunant, & omnes blasphemias cum illis credunt, quibus Manichæorum Hæresis detestanda est: Negantes scilicet Christum natum esse de Virgine, nec ejus carnem confitentes veram fuisse sed falsam: ac per hoc & falsam ejus passionem & nullam resurrectionem fuisse contendunt, Patriarchas Prophetasq; blasphemant, legem per famulum DEI Moysen datam, non à DEO dicunt, sed à Principe tenebrarum. Animas non solùm hominum, sed etiam pecorum de DEI esse substantia, & omnino partes DEI esse arbitrantur. DEUM deniq; bonum & verum dicunt cum tenebrarum gente pugnâsse, & partem suam tenebrarum Principibus miscuisse, eamq; toto mundo inquinatam & ligatam per cibos Electorum suorum, ac per solem & lunam purgari asseverant: & quod purgari de ipsa parte DEI non potuerit in fine sæculi, æterno ac pænali vinculo colligari, ut non solum violabilis & corruptibilis & contaminabilis credatur DEUS, cujus pars potuit ad tanta mala perduci, sed non possit, saltem totus à tanta coinquinatione & immunditia & miseria, vel in fine sæculi purgari. *Ibid. Epist: 74.*

Hæreticorum correctio.

Proinde alij severiùs coercendi, alij vigilantiùs vestigandi, alij tractandi quidem leniùs, sed non segnius sunt docendi, ut si non timentur nè perdant, non tamen negligantur, nè pereant. *Ibid. Epist: 105.*

Dissensio propinquorum in fide.

Vides quanta & quàm miserabili fæditate Christianæ Domus familiæq; turbatæ sint, Mariti & uxores, de suo lecto sibi consentiunt, & de Christi altari dissentiunt. Per illum sibi jurant, ut in-

ter se pacem habeant & in illo habere non possunt. Filij cum Parentibus unam Domum habent suam, & Domum DEI non habent unam, succedere in eorum hæreditatem cupiunt, cum quibus de Christi hæreditate rixantur; servi & Domini communem DEUM dividunt, qui formam servi accepit, ut omnes serviendo liberaret. Quantumlibet capita submittant, qui nos salutant, ut eos concordes in terra faciamus, de Cælo usq; ad crucem submissum est caput nostrum, in quo concordes non sumus. *Ibid. Epist:* 147.

Qui sententiam suam, quamvis falsam atq; perversam, nullam, pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audaciâ præsumptionis suæ pepererunt, sed à seductis atq; in errorem lapsis parentibus acceperunt. Quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi. *Ibid. Epist:* 162. *Hæretici materiales.*

Qui fecerunt idolum, usitata gladij morte perempti sunt: qui verò schisma facere voluerunt, hiatu terræ Principes devorati, & turba consentiens igne consumpta est. Diversitate pænarum, diversitas agnoscitur delictorum. *Ibidem.* *Diversitas pænarũ ex delictorum diversitate.*

Nunquam nobiscum pacificè conferre voluerunt quasi fugientes cum peccatoribus loqui. Quis ferat istam superbiam, quasi Paulus Apostolus non contulerit cum peccatoribus & cum valde sacrilegis? quasi ipse Dominus non cum Judæis à quibus crucifixus est sermones de lege habuerit. Postremo Diabolus est primus omnium peccatorum, & tamen nè ipse Dominus de lege dedignatus est ei respondere: ut intelligatis istos ideo nobiscum nolle conferre, quia causam suam perditam norunt. *Ibid. Epist.* 166. *Hæreticorum superbia cum de Fide conferre nolunt.*

Si lupi cosilium fecerunt, ut Pastoribus non respondeant, quare oves consilium perdiderunt, ut ad luporum speluncas accedant (& supra alloquitur hæreticos) Evigilate ad salutem, amate pacem, redite ad unitatem. *T, 2. Epist:* 121.

Omnes hæretici qui scripturas in authoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cùm suos potiùs sectentur errores, ac per hoc non quod eas contemnunt, sed quod eas non intelligunt, hæretici sunt. *Ibid. Epist:* 222.

Fugitur unitas ut propinqui & cives, & amici, & hospites, & quicunque sibi humana necessitudine colligati, utrique Christiani in convivijs ineundis, in matrimonijs tradendis & accipiendis, in emendo ac vendendo, in pactis & placitis, in salutationibus, in consensionibus, in collocutionibus, in omnibus rebus suis negotijsque concordes sint, & ad DEI altare discordes. *Ibid: Epist:* 256. *Concordia in temporalibus, discordia in spiritualibus.*

Tantò fortiùs convincuntur hæretici, quantò plures exitus patent, ad eorum laqueos evitandos. *T, l: 1 de Trinit: circa finem.* *Hæreticorum convictio.*

Neq; enim omnes hæretici scripturas catholicas legunt: nec ob aliud sunt hæretici, nisi quod eas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones, contra earum veritatem pervicaciter asserunt. *T, 3. l: 7. de Gen: ad literam cap:* 9. *Hæretici scripturas non intelligunt.*

A regula Catholica non recedit, qui hæreticum catholica dogmata mendaciter profitentem, catholicum credit: *Et infra.* Perniciosiùs, aut, ut mitiùs loquar, periculosiùs, mentiri Catholicos, ut Hæreticos capiant, quàm mentiuntur hæretici ut Catholicos lateant. *T, 4. l: con: mend: cap:* 3. *Hæretici aliquando se Catholicos profitentur.*

Inter hæreticos & malos catholicos hoc interest, quod hæretici falsa credunt, illi autem vera credentes, non vivunt ita ut credunt: Schismaticos autem, non fides diversa facit, sed communionis disrupta societas. *T, 4. l. quæst: Evag: secundũ Matt: cap:* 11. *Hæreticorum Schismaticorũ, Malorum Catholicorum discrimen.*

 Car-

Ex carnalibus Hæreses ac Schismata oriuntur. Carnales autem qui sunt in Ecclesia, ex quibus hæreses & schismata fiunt. Nati sunt ergo tales ex occasione antiquæ veritatis, in novitio temporaliq; mendacio. *Ibid. l: Exp: Epi: ad Galat: fol: 387.*

Hæreticorum error Catholicis discendi occasio. Multa ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine agitantur, ut adversus eos defendi possint, & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & instantius prædicantur, & ab adversario mota quæstio, discendi existit occasio. *T, 5. l: 16. de Civ: Dei, cap: 2.*

Erroris et Hæresis distinctio Non omnis error hæresis est, quamvis omnis hæresis, quæ in vitio ponitur, nisi errore aliquo, hæresis esse non possit. *T, 6. de Hæresibus.*

Simoniæ Origo à Simone Mago. Simoniani à Simone mago, qui baptizatus à Philippo Diacono, sicut in actibus Apostolorum legitur, pecuniâ voluit emere à Sanctis Apostolis, ut etiam per impositionem ejus manûs, daretur Spiritus Sanctus. Hic magicis fallacijs deceperat multos. *Simonis magi errores.* Docebat autem detestandam turpitudinem indifferenter utendi fæminis. Jovem se credi volebat, Minervam verò Meretricem quandam Selenen, quam sibi sociam scelerum fecerat, imagineiq; & suam & ejusdem meretricis discipulis suis præbebat adorandas, quas & Romæ tanquam Deorum simulacra authoritate publica constituerat. *Ibid: l: de hæres: ad Quodvultdeum præfat: post Indicem Hæreseon.*

Nicolaitarũ Dux Nicolaus Diaconus. Nicolaitæ à Nicolao nominati sunt, uno, ut perhibetur, ex illis septem, quos Apostoli Diaconos ordinaverunt. Iste cùm de zelo pulcherrimæ conjugis culparetur, velut purgandi se causa permisisse fertur, ut eâ qui vellet uteretur. *Ejus errores.* quod ejus factum in sectam turpissimam conversum est, quâ placet usus indifferens fæminarum. *Ibidem.*

Carpocratianorũ Dux Carpocrates ejus errores. Carpocratiani à Carpocrate sunt, qui docebat omnem turpem operationem, omnemq; adinventionem peccati: nec aliter evadi atq; transiri potestates & principatus, quibus hæc placent, ut possit ad cælum superius perveniri. Resurrectionem corporis, simul cum lege abjiciebat. Sectæ ipsius fuisse traditur quædam Marcellina: quæ colebat imagines Jesu & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ adorando incensumq; ponendo. *Ibidem.*

Cataphryges eorum Duces & errores. Cataphryges sunt quorum Authores fuerunt; Montanus tanquam Paracletus, & duæ Prophetissæ ipsius, Prisca & Maximilla. Sacramenta perhibentur funesta habere. Nam de infantis anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farinæ panemq; inde facientes: qui puer si mortuus fuerit, habetur apud eos pro Martyre. Si autem vixerit pro magno Sacerdote. *Ibidem.*

Adamianiorum errores. Adamiani ex Adam dicti, cujus imitantur in Paradiso nuditatem, quæ fuit ante peccatum, unde & nuptias aversantur, quia credunt, quòd nuptiæ futuræ non fuissent, si nemo peccâsset. Nudi itaq; Mares fæminæq; conveniunt, lectiones audiunt, nudi orant, nudi celebrant Sacramenta, & ex hoc Paradisum, suam arbitrantur Ecclesiám. *Ibidem.*

Valesij & eorum errores. Valesij & seipsos castrant, & hospites suos, hoc modo existimantes Deo se debere servire. *Ibidem.*

Plures sectæ nominibus tãtum distinguũtur. Non plures sectæ sunt, sed unius sectæ plura nomina, ex ijs hominibus qui in ea maximè innotuerunt, sicut Donatistæ, ijdem Parmenianistæ, sicut Pelagiani, ijdem Cælestiani. *Ibidem.*

Manichæorũ Dux & eorũ errores. Manichæi à quodam Persa exstiterunt, qui vocabatur Manes, quamvis & ipsum cum ejus insana doctrina cæpisset nomen prædicari: nam ante hac Urbicus vocabatur: sed in Græcia discipuli ejus,

ejus, vitantes nomen insaniæ, quasi Doctores, & eo ipso mendaciores, geminata in litera Mannichæum, quasi manna fundentem (pro Manichæo id est insano) appellaverunt. Iste duo principia inter se diversa atq; adversa, eademq; æterna & coæterna, hoc est semper fuisse composuit. Duasq; naturas substantias boni scilicet & mali: sequens alios antiquos hæreticos, opinatus est. Execrabilis superstitionis quadam necessitate coguntur Electi eorum, velut Eucharistiam conspersam cum semine humano sumere. Nec vescuntur tamen carnibus, nec ova saltem sumunt. Vide plura. *Ibidem.*

Arrianorum Dux & errores.

Arriani ab Arrio, in eo notissimi sunt errore, quod Patrem & Filium & Spiritum Sanctum nolunt esse unius ejusdemq; naturæ, atq; substantiæ, aut ut expressiùs dicatur, essentiæ, quæ ὀυσία græcè appellatur; sed esse Filium creaturam, spiritum verò Sanctum Creaturam creaturæ, hoc est ab ipso Filio creatum volunt. *Ibidem.*

Macedonianorum Dux & errores.

Macædoniani à Macædonio Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopo sunt, Spiritum Sanctum creaturam esse dicentes. *Ibidem.*

Aquariorum errores.

Aquarij ex hoc appellati sunt, quod aquam offerunt in poculo Sacramenti, non illud, quod omnis Ecclesia. *Ibidem.*

Rhetorij Hæresis.

A Rhetorio quodam exortam hæresim dicit Philaster nimiùm mirabilis varitatis, quæ omnes hæreticos rectè ambulare, & vera dicere affirmat; quod ita est absurdum, ut mihi incredibile videatur. *Ibidem.*

Ioviani Hæresis.

A Joviano quodam Monacho, Hæresis orta est, ætate nostra, cum adhuc juvenes essemus. Hic omnia peccata, sicut Stoici Philosophi, paria esse dicebat. Virginitatem Sanctimonialium, conjugiorum fidelium meritis adæquabat: ita ut quædam Virgines sacræ provectæ jam ætatis in Urbe Romana ubi hæc docebat, eo audito nupsisse dicantur. Citò tamen ista hæresis oppressa & extincta est, nec usq; ad deceptionem aliquorum Sacerdotum potuit pervenire. *Ibidem.*

Tertulliani errores.

Tertullianus factus hæreticus, quia transiens ad Cataphryges, quos antea destruxerat, cæpit etiam secundas nuptias contra Apostolicam doctrinam, tanquam stuprà damnare, & postmodum etiam ab ipsis divisus, sua conventicula propagavit. Dicit animas hominum pessimas post mortem in Dæmones verti, statum autem animæ credit per traducem propagari. *Ibidem.*

Pelagianorũ Hæresis.

Pelagianorum hæresis hoc tempore omnium recentissima à Pelagio Monacho exorta. Quem Magistrum Cælestius sic secutus est, ut sectatores eorum Cælestiani etiam nuncupentur. Hi DEI gratiæ in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia Divina mandata, cum si hoc verum esset, frustra Dominus dixisse videretur, sine me nihil potestis facere. *Ibidem.*

Hæretici se prius comprehẽdant quam Deum.

Insane hæretice priùs redi ad te, considera te totum, si potes comprehendere te, & tunc disputa de illo, qui fecit & me & te. Jlle humilis David exclamavit DEO dicens: Mirificata & scientia tua, ex me invaluit, & non potero ad illam. Hoc fuit dicere. Quando te possum comprehendere tam magnum, qui me ipsum non valeo explicare extremum & parvum. *Concione ad Catechum. Ibid. cap: 6.*

Causæ Hæresis & Conversionis Divi Augustini.

Quid enim aliud me cogebat, annos ferè novem spreta Religione, quæ mihi puerulo à Parentibus insita erat, homines illos (intellige hæreticos) sequi ac diligenter audire, nisi quod nos superstitione terreri, & fidem nobis ante rationem imperari dicerent: se autem nullum premere ad fidem, nisi prius discussa & enodata veritate. Sed quæ rursùm ratio revocabat me, nè apud eos penitus hærerem nisi quod ipsos quoq, animadvertebam plus

Hæretici refellunt aliena, sua non probant.

in

refellendis alijs disertos & copiosos esse, quam in suis probandis, firmos & certos manere. *Ibidem.*

Odimus nõ homines sed errores eorum.

Intueamini paululum sine animositate & amaritudine. Omnes homines sumus: non vos sed errores & falsitates odimus. *Ibid. cap: 27.*

Tanta est pernicies animorum, qui cum vincere homines volunt, ab errore convincuntur. *T, 6. lib: con: Adimantum in fine.*

Hæretici sacram scripturam contra se pugnantẽ proscribunt.

Authoritas scripturæ in Ecclesia.

O vocem à veritate fugacem, in amentia pertinacem! usque adeo invicta sunt, quæ adversùs vos de Divinis codicibus proferuntur, ut non sit aliud quod dicatis nisi eos esse falsatos. *Et infra.* Quàm libri à te prolati originem, quam vetustatem, quam seriem successionis testem citabis? nam si hoc facere conatus fueris, & nihil valebis, & vides in hac re, quid Ecclesiæ catholicæ valeat authoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum, usq; ad hodiernam diem succedentium sibimet Episcoporum seriè & tot populorum consensione firmatur. *T, 6. l: 11. con: Faust: cap: 2.*

Hæretici Perdici similes, dũ contẽtiosè disputant et cũ impudentissima pertinacia.

Clamavit perdix, congregavit quæ non peperit; faciens divitias suas non cum Judicio. Perdix enim nimis contentiosum animal, notum est, quanta aviditate ipsius contentionis currat in laqueum. Non enim disputare amant Hæretici, sed quoquo modo superare impudentissimâ pertinaciâ, ut congregent, sicut hic dixit, quæ non pepererunt. *Ibid. lib: 13. cap: 12.* *Ier. 17: 11.*

Hæretici imperitos capiunt.

Imperitia nonnullorum Catholicorum venatio Manichæorum est. Tales enim solent insectari, tales suis fallacijs irretire, tales in eos cecideramus, tales hæseramus, tales non viribus nostris, sed DEI misericordia eruti sumus. *Et infra.* Felix cor acutum ad veritatem, infelix contra veritatem. *Ibid: lib: 14. cap: 8.*

Hæreticis ea in scriptura recta videntur quæ illis favent.

Videtis ergo (*alloquitur hæreticos*) id vos agere, ut omnis de medio scripturarum auferatur authoritas; & suus cuiq; animus Author sit; quid in quacunq; scriptura probet, quid improbet; id est ut non authoritati scripturarum subijciatur ad fidem, sed sibi scripturas ipse subijciat: non ut ideo placeat aliquid, quia hoc in sublimi authoritate scriptum legitur, sed ideo rectè videatur, quia hoc illi placuit. Quò te committis anima misera, infirma, carnalibus nebulis involuta? quò te committis? remove ergo authoritatem. redde rationem. *Ibid. lib: 32. cap: 19.*

Non ergo quisquis in aliqua religionis quæstione fuerit ab Imperatore punitus, Martyr efficitur. Neque enim vident qui talia faciunt in eum locum se progredi, ut ipsos etiam Dæmones Martyrum sibi gloriam vendicare posse contendant, quia istam patiuntur persecutionem per Imperatores Christianos, ut penè toto orbe terrarum eorum templa evertantur, idola comminuantur, sacrificia subtrahantur; qui eos honorant si deprehensi fuerint puniantur. Quod si dementissimum est dicere, non ergo ex passione certa justitia, sed ex justitia passio gloriosa est. Ideoq; Dominus addidit magnam differentiam, quâ vera à sacrilegio pietas secernatur: ait enim; beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Nullo modo autem propter justitiam qui Christi Ecclesiam diviserunt. *T, 7. l: 1. con: Parmen: cap: 8. & 9.*

Heretici suis schismaticis parcere nolũt, sibi parci volentes.

Cui unquam Schismatico suo pepercerunt? qui sibi ab Orbe terrarum, cujus ipsi schismatici sunt, nimis impudenter parci volunt, cum à sola ipsa vera unitate justissimè schismata puniantur, si eo modo ista punienda sunt. *Ibid. lib: 2. con: Parmen: cap: 3.*

Causæ schismatum.

Ex animali sensu, quia homo animalis non percipit quæ sunt Spiritûs DEI, omnes dissensiones & schismata generantur. *Ibid. lib: 1. de bapt: con: Donat: cap: 15.*

Simul

Simul habere volunt & sacrilegorum vitam & innocentium famam, & in sceleratis factis nullam pœnam, & in pœnis justis Martyrum gloriam: quasi non tantò sit erga illos major misericordia & patientia DEI, quantò magìs eos partibus corripiens dat locum pœnitentiæ, & in hac vita flagella ingeminare non cessat, ut considerantes quæ patiantur, & quare patiantur aliquando resipiscant. *Ibid. lib: 2. de bap: con: Donat: cap: 10.* *Sunt mali, & tamen innocẽtes volũt videri hæretici.*

1 Io. 2 19. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Non ait quod exeundo alieni facti sunt, sed quod alieni erant, propter hoc eos exisse declaravit. *Ibid. lib: 3. de bapt: cap. 19.* *Hæretici ab Ecclesia avulsi in qua erãt.*

Matt: 10.23. Fugere de Civitate in Civitatem à facie persecutionis, non hæreticis vel schismaticis præceptum sive permissum est, quod estis vos, sed prædicatoribus Evangelij, cui resistitis vos. *Ibid. lib: 2. con: lit: Petil: cap: 19.* *Fugere persecutionem, non est præceptum schismaticis.*

Si de rebus vel locis Ecclesiasticis quæ tenebatis, & non tenetis, quærimini, possunt & Judæi se justos dicere, & iniquitatem nobis obijcere, quia locum in quo impiè regnaverunt, modo Christiani possident. Quid ergo indignum si ea quæ tenebant hæretici, secundum parem Domini voluntatem Catholici tenent. Ad omnes enim similes id est ad omnes impios & iniquos, vox illa Domini valet: auferetur à vobis Regnum DEI, & dabitur genti facienti justitiam. An frustra scriptum est: labores impiorum justi edent. Quapropter magìs mirari debetis, quod adhuc tenetis aliquid, quam quod aliquid amisistis. Sed neq; hoc miremini, paulatim enim cadit paries dealbatus. *Ibid. cap: 43.* *Hæreticis non fit injustitia dũ eis templa aliaq; sacra auferuntur.* *Labores impiorum justi possident.* *Matt. 21 43.*

Ovina pellis est in Christi laudibus, lupinus fructus in maledicis dentibus. *Ibid. l: 2. con: lit: Petil: cap: 74.*

Superflua loquimini, & cum vivatis ut latrones, mori vos jactatis ut Martyres. Et quia vel ipsas leges vel invidiam formidatis, vel ad resistendum impares estis, non dico adversùs tot homines, sed adversùs tot gentes Catholicas etiam de mansuetudine gloriamini, quod ad vestram partem neminem cogitis. Isto modo & milvus cum pullos rapere territus non potuerit columbum se nominet. *Ibid. cap: 83.* *De milvo columbus.*

Sceleratiores vobis persecutionis partes transacta gentium persecutione servâstis. Qui Christi nomen persequebantur, Christo crediderunt: qui propter Christi nomen honorantur, Christo contradicunt. *Ibid: cap: 87.* *Sceleratiores gentibus, Christo quem persequebantur credentibus, cui illi cõtradicunt.*

Cædes & mortes nec facimus nec jubemus, & ista facientibus multò sceleratiùs sævitis, qui hæc in hominum mentibus contra vitam æternam committitis. *Et infra.* Si innocentes estis nolite mirari, quod ad pacem quærimini à fratribus, si autem nocentes, nolite mirari quod ad pænam quærimini à Regibus. *Ibid. cap: 93. & 96.* *Hæreticorum persecutio justa.*

Dissensio & divisio facit hæreticos, pax verò & unitas facit Catholicos. *Ibid. cap: 95.*

Si autem Reges vobis propterea damna vel damnationem minantur, quia estis hæretici, terrent vos illi, non crudeliter, sed misericorditer: vos autem non fortiter sed pertinaciter non timetis. Audite ergo Petrum dicentem, quæ autem gloria est si peccantes pœnas patimini? ut neq; hîc habeatis terrena solatia, nec in futuro sæculo vitam æternam, sed & hîc angustias infelicium, & ibi gehennas hæreticorum. *Ibid cap: 98.* *Hæreticorum pœnæ, non crudelitas, sed misericordia.*

Is. 53. Peccata eorum ipse portabit, ideo hæreditate possidebit multos. Quid est hæretici quod de paucitate gloriamini? Si propterea Dominus noster JESUS Christus traditus est ad mortem, ut hæreditate multos possideret? *Ibid. lib: de unit: Eccl: c: 7.* *Hæreticorum paucitas, Catholicorũ multitudo.*

Hæreticorum crudelitas. Videmini similes Martyrum, cum quotidie vestrorum incredibilia patiamur facta Clericorum & Circumcellionum: multò pejora quàm quorumlibet latronum, aut prædonum. Namq; horrendis armati cujusq; generis telis, terribiliter vagando, non dico Ecclesiasticam, sed ipsam humanam quietem pacemq; perturbant nocturnis aggressionibus Clericorum Catholicorum invasas Domos, nudas, atq; inanes derelinquunt. Ipsos etiam raptos, & fustibus tunsos, ferroq; concisos semivivos abijciunt. Insuper novo & ante hac inaudito sceleris genere oculis eorum calcem aceto permixto infundentes, & infercientes, quos evellere compendio poterant, excruciare amplius eligunt, quàm citiùs excæcare. Cæterùm omnia quæ ab anterioribus literis didici, vel ipse cognovi sæva facta vestrorum, qui ab initio divisionis vestræ Ecclesiam Catholicam persecuti sunt, si velim retexere quæ lingua, quis stylus, quantum tempus, otiumvè sufficiat? *Ibid. lib: 3. con. Crescon: Gram: cap: 43. usq. ad 44.*

Hæretici superbi. Non est aliud impius superbiæ tumor, apud omnes qui se à Christi unitate discindunt, quam se solos Christianos esse jactare, & damnare cæteros, non solum quibus eorum lis nota est, verùm etiam, quibus eorum nec nomen auditum est. *Ibid. lib: 4. cap: 59.*

Quam persecutionem patimini nisi à vobis? diligit vos persecutor vester (alloquitur hæreticos) & persequitur vos furor vester. Jlle ut fugiatis, cupit, iste ut pereatis, impellit. *Ibid. lib: 1. con: Gauden: cap: 21.*

Hæreticorum Martyria. Vovebant pagani juvenes idolis suis quis quot occideret. At isti gregatim hinc atq; inde confluentes tanquam in amphiteatro à venatoribus more immanium bestiarum venabulis se oppositis ingerebant, furentes moriebantur, putrescentes sepeliebantur, decipientes colebantur. Præter hæc sunt saxa immania & montium horrida prærupta voluntariorum creberrimis mortibus nobilitata vestrorum: aquis & ignibus rariùs id agebant, præcipitijs greges consumebantur ingentes. Ætatis nostræ hominibus res notissimas *Hæretici otiosi crudeles.* loquor, quis enim nescit, hoc genus hominum in horrendis facinoribus inquietum, ab utilibus operibus otiosum, crudelissimum in mortibus alienis, vilissimum in suis, maximè in agris territans, ab agris vacans, & victûs sui causa cellas circumiens rusticanas, un*Circumcellionum origo.*de & Circumcellionum nomen accepit, universo mundo penè famosissimum Africani erroris opprobrium. *Ibid. cap: 28.*

Pelagij errores. Hæc sunt quibus hæresis illius (loquitur de Pelagio) dumeta quotidie pullulare, imò jam sylvescere dolebamus. Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset. Quod peccatum Adæ ipsum solum læserit & non genus humanum. Quod infantes etsi non baptizentur habent vitam æternam. Quod divites baptizati, nisi omnibus abrenuntient, si quid boni visi fuerint facere, non eis reputetur, neq; Regnum DEI possunt habere. Quod gratia DEI & adjutorium non ad singulos actus detur, sed in libero arbitrio sit, & in lege atq; doctrina. Quòd DEI gratia secundùm merita nostra detur, & propterea & ipsa gratia in hominis sit posita voluntate, sive dignus fiat, sive indignus. Quod non sit liberum arbitrium si indigeat auxilio DEI, quoniam propriam voluntatem habeat unusquisq; aut facere aliquid aut non facere. Quòd victoria nostra non sit ex DEI adjutorio; sed ex libero arbitrio. Vide ibi plura & quomodo ibi à Concilio quatuordecim Episcoporum, qui erant græci homines, & ea quæ per Pelagium dicebantur, per interpretem audientes, & discutere non curantes fuerit approbatus, & subdolè in eodem Concilio (sive confessu rectiùs) hæresim fictè ejuraverit. *Ibid. cap: 36.* Fe-

Fefellit Pelagius judicium Palæstinum, propterea videtur ibi esse purgatus, Romanam verò Ecclesiam ubi eum notissimum esse scitis, usquequaq; non potuit, quamvis & hoc fuerit utrumq; conatus, sed ut dixi minimè valuit. Recoluit enim Beatissimus Papa Zozymus, quid imitandus prædecessor ejus de ipsius senserit gestis. *T, 7. l: 2. con: Pelag: de pecc: orig: cap: 8.*

Hæretici fallere curant.

Tantumnè apud te possunt Pelagius & Celestius, ut à solis ortu usq; ad occasum, tot ac tantos Catholicæ fidei Doctores & defensores, antiquos & nostræ ætati contiguos, dormientes & manentes, non solùm deserere; verùm etiam Manichæos audeas appellare? *Et supra c. 4.* eleganter. Cernis quàm tibi periculosum sit, tam horribile crimen objicere talibus Hæresim scilicet Manichæorum & quàm mihi gloriosum sit quodlibet crimen audire cum talibus? si cernis! cerne, & tandem tace. Pelagianam linguam tot linguis Catholicis deprime, tot venerandis oribus proterva ora submitte Hîc enim certè tantò major debet esse verecundia, quanto verior addiscitur sapientia. *T, 7. lib: 1. con: Iulian: cap: 5.*

Hominũ cæcitas dũ Hæresiarchas sequũtur.

Submisse judicium propriũ Ecclesiæ si hæreticus esse nolis.

Vos augetis ista novitate eam, quæ in omnibus est hæreticis, occidui temporis pravitatem. Vos estis ruina morum, qui ipsius fidei supra quam mores ædificandi sunt molimini fundamenta subvertere. Vos pudoris interitus, quos laudare non pudet contra quod pugnat pudor. *Ibid. l: 5. con. Iul: cap: 6.*

Hæretici, ruina & interitus bonorum.

Aut vero congregatione synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur: quasi nulla hæresis aliquando nisi synodi congregatione damnata sit: cùm potiùs rarissimè inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit: multoq; sint atq; incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnariq; meruerunt, atq; inde per cæteras devitandæ innotescere potuerunt. Verum istorum superbia, quæ tantum se extollit adversus DEUM, ut non in illo velit sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & occidentis Synodus congregetur. *Ibid: lib: 4. ad Bonifac: cap: 12.*

Hæreticorum, superbia dũ libero arbitrio adversus Deũ, se extollunt.

Didicimus singulas quasq; hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentiùs defenderetur scripturâ divina, quam si nulla talis necessitas cogeret. Quid autem coegit loca scripturarum quibus prædestinatio commendata est, copiosius & enucleatiùs isto nostro labore defendi, nisi quod Pelagiani dicunt: Gratiam DEI secundùm merita nostra dari, quod quid est aliud quàm gratiæ omninò negatio. *Ibid. 7. lib: 2. de dono persever: c: 20.*

Ps: 8. 3. Destruas inimicum & defensorem. Quem nisi hæreticum? Nam & ipse est inimicus & defensor, qui fidem Christianam cum oppugnet videtur defendere. *T, 8. in Psal: 8.*

Hæretici dum oppugnant Ecclesiam videntur defendere.

Imperatorum constitutiones frustra objicitis Catholicis cum in vestris castris faces ignesq; sic sæviunt. *Et infra.* Quisquis tem-
1. Cor. 3. plum DEI violaverit disperdet illum DEUS. Templum DEI violat qui violat unitatem. *Ibid. in Psal: 10.*

Ioã. 10. 18. Potestatem habeo ponendi animam meam. Pro quibus posuit animam suam? pro universa plebe sua, pro toto corpore suo. Venit persecutor & non fregit crura Christi. Venit Donatus & disrupit Ecclesiam Christi. Integrum corpus Christi in cruce inter manus persecutorum est, & inter manus Christianorum non est integrum corpus Ecclesiæ. *Ibid. Expos: Psal: 33.*

Plus nocent Ecclesiæ hæretici quã persecutores Ethnici.

Ps: 59. 8. Spernentur tanquam aqua decurrens. Non vos terreant fratres, quidam fluvij qui dicuntur torrentes, hyemalibus aquis implentur, nolite timere post paululum transit decurrit aqua, ad tem-

 pus

Hæretici Hyemalibꝰ aquis similes diu currere nequeunt.

pus perstrepit, mox cessabit. Diu stare non possunt. Multæ hæreses jam emortuæ sunt. Cucurrerunt in rivis suis quantum potuerunt, decurrerunt, siccati sunt rivi. Vix enim memoria reperitur vel quia fuerint. Spernentur tanquam aqua decurrens. Sed non solum ipsi: totum hoc sæculum ad tempus perstrepit & quærit quem trahat. Omnes impij omnes superbi sonantes ad saxa superbiæ suæ quasi aquis irruentibus & confluentibus non vos terreant, hyemales aquæ sunt, semper manare non possunt: necesse est, ut decurrant, necesse ut diffluant in locum suum in finem suum. *Ibid. in Psal:* 57.

Orandum pro hæreticis ut ad Ecclesiam redeant.

Fratres mei qualiscunque Episcopi vox sonuit vobis, rogamus vos ut caveatis quicunq; in Ecclesia estis: nolite insultare eis qui non sunt intus: sed orate potius ut & ipsi intus sint. Potens est enim Deus iterum inserere illos. De ipsis Judæis dixit hoc Apostolus & factum est in eis. *Ibid. in Psal:* 65.

Certamen hæretici utile Catholicis.

Ut excludantur hi qui probati sunt argento. Quid est ut excludantur? ut appareant & emineant illi qui sunt probati in eloquio Dei. Cum enim respondeatur hæreticis ex necessitate, ædificantur Catholici ex utilitate. *Ibid. in Psal:* 106. *Ps. 67. 31.*

Non putetis fratres quia potuerunt fieri hæreses per aliquas parvas animas. Non fecerunt hæreses, nisi magni homines: sed quantum magni, tantum mali montes. Non enim montes erant tales qui susciperent pacem, ut colles susciperent justitiam: sed illi dissenssionem susceperunt à Diabolo Patre suo. Montes ergo erant: ad tales montes cave ne fugias. Venturi enim sunt homines, & dicturi tibi: Magnus ille vir, & magnus ille homo. Qualis fuit ille Donatus? Qualis est Maximianus? & nescis Photinus qualis fuit? & ille Arrius qualis fuit? Omnes istos montes Nominavimus, sed Naufragosos. Videtis quia lucet de illis aliqua sermonis flamma, & aliquis de ipsis ignis accenditur. Si navigatis in ligno & noctem patimini, id est caliginem hujus vitæ, non vos fallant, nec dirigatis illuc Navim. Ubi sunt saxa ibi naufragia magna sunt. *Ibid. Expos: Psal:* 124.

Hæretici montes naufragosi.

In spiritu hæreticorū pax non est.

Pax vobiscum & cum spiritu tuo. Falsum dicunt, & falsum audiunt. Quibus dicunt Pax vobiscum? Quos separant à pace orbis terrarum. Et quibus dicitur: Et cum spiritu tuo? Qui dissensiones amplectuntur, & odiunt pacem. Si enim in spiritu eorum esset pax, nonne unitatem diligerent & relinquerent dissensionem. *Ibid. Expos: Psal:* 124.

Non se extollant hæretici. Quando forte aliquid patiuntur ex jussionibus Principum terrenorum, non se numerent inter eos qui injurias accipiunt: Et dicant: Ecce psalmus consolatur me: ego enim Deum colo qui judicium faciet injuriam accipientibus. Recte quæro utrum injuriam accipias, si jus fecisti injuria est quam pateris. Jus est exsufflare Christum? Jus est rebelli superbia erigere altare? Jus est parcentibus persecutoribus tunicæ Christi, Ecclesiam Christi conscindere? Porro si hoc jus non est quidquid pro hoc pateris jus est. Non es ergo de his qui patiuntur injuriam. Lego aliquid manifestius ex Evangelio. Beati inquit qui persecutionem patiuntur. Expecta, quid festinas? Quid dicis ego sum? expecta inquam totum legam. Audisti: Beati qui persecutionem patiuntur: jam tibi nescio quid cæperas arrogare? Si permittis, totum lego vide quid sequatur: Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Modo dic ego sum. *Et infra.* Quando Imperatores persequebantur Christianos, minando cogebant, quod tu efficis suadendo. Persuades Christiano ut neget se esse Christianum. Quod *Matt. 5. 10.*

Idem prætantꝰ Hæretici consilio, quàm minæ Tyranni.

tu suadendo facis, hoc Persecutores occidendo non fecerunt. Sub te vivit homo qui negat se esse Christianum, negat & vivit? Perdidit jam vitam, cadaver tibi loquitur. Qui percussus est gladio persecutoris cecidit & vivit: cui loqueris stat & cecidit. Hæc faciens quidquid passus fueris injuria erit. *Ibid. Enar: in Psal: 145.*

Ferendus est disputator errans in alijs quæstionibus, non diligenter digestis, nondum plena Ecclesiæ authoritate firmatis: ibi ferendus est error, non tantum progredi debet ut etiam fundamentum ipsum Ecclesiæ quatere moliatur. *T, 10. ser: de ver: Ap: ser: 14. de Baptismo parvulorum.*

Disruptis retibus hæreses & schismata facta sunt. Retia quidem omnes concludunt: sed impatientes pisces nolentes venire ad cibum Domini ubi possunt, impingunt se, & rumpunt, & exeunt. Et retia quidem illa per totum expanduntur: qui rumpunt autem per loca rumpunt. Donatistæ ruperunt in Africa, Arriani ruperunt in Ægipto, Photiani ruperunt in Pannonia, Cataphryges ruperunt in Phrygia Manichæi ruperunt in Perside. Quot locis sagena illa disrupta est? Et tamen quos includit, perducit ad littus. Perducit quidem, sed nunquid qui ruperunt retia? Omnes mali exeunt. Non quidem exeunt nisi mali: remanent autem & boni & mali. *T, 10. ser: de ver: ser: 5. de duabus piscationibus.*

Hæretici scindendo Ecclesiam, præcipitantur in inferna.

Attendite fratres, in nostro corpore, & dolete eos, qui de Ecclesia præciduntur. In membris nostris, quamdiu vivimus, cum sani sumus, implent omnia membra officia sua. Si unum membrum dolet alicunde, compatiuntur omnia membra. Tamen quia in corpore est, dolere potest, expirare non potest. Quid est enim exspirare, nisi spiritum amittere? Jam verò si membrum præcidatur de corpore, nunquid sequitur spiritus? & tamen membrum agnoscitur. Quid est? digitus est, manus est, brachium est, auris est. Præter corpus habet formam, sed non habet vitam. Sic & homo ab Ecclesia separatus. Quæris ab illo Sacramentum, invenis, quæris baptismum, invenis, quæris symbolum, invenis. Forma es, quisquis es, nisi intus spiritu vegeteris, frustra foris de forma gloriaris. Charissimi multum DEUS commendat unitatem. *T, 10. ser: nov: ser: 20. In die Pentecostes 1.*

Qui ab Ecclesia alienus est mortuus præfert speciem.

Qui vinci à veritate nolunt, ab errore vincuntur. O si eos charitas potius, quàm animositas superaret! Inde victores fierent, unde victi essent. *Et infra.* Nam non vincit nisi veritas, victoria veritatis est charitas. *Ibid. ser: 36: de pace & charitate.*

Gen. 21. 10. Sara dixit: Ejice ancillam, & filium ejus: non enim heres erit filius ancillæ, cum filio meo libero Isaac. Et Ecclesia dicit: Ejice hæreticos & filios eorum: non enim heredes erunt hæretici, cum Catholicis. Sed quare non erunt heredes? Nonne de semine Abrahæ nati? Et quomodo baptismum Eccesiæ habent? Baptismum habent: heredem faceret semen Abrahæ, nisi ab hereditate superbia excluderet. Eodem verbo nasceris, eodem sacramento; sed ad eandem hereditatem non pervenis, nisi ad Ecclesiam Catholicam reversus fueris. Ex semine Abrahæ nasceris, sed filius ancillæ foris & propter superbiam. *T, 10. Ex fragmen: fragmento serm: de Agar & Ismaele.*

Superbia hæresis excludit à cælo.

Jlli vere persequuntur Ecclesiam qui dolis persequuntur. Jlli gravius conferunt, qui linguæ gladio. Jlli acerbius sanguinem fundunt, qui Christum quantum in ipsis est, in homine occidunt. Perterriti videntur quasi judicio potestatum. Quid tibi facit potestas si bonus es? Si autem malus es time potestatem: non enim frustra gladium portat dicit Apostolus. Tuum gladium noli educere

Persecutio linguæ gravissima.

Mundana potestas non timenda.

cere quo percutis Christum. Christiane quid tu persequeris in Christiano? Quid in te persecutus est Imperator? Carnem persecutus est, tu in Christiano spiritum persequeris. Non occidis tu carnem, & tamen nec carni parcunt. Quotquot potuerunt cædendo necaverunt, nec suis nec alienis pepercerunt. *Et infra.* Ad quod aliquando persecutor proferebat flammam, ad hoc tu producis linguam. Seducendo facis quod ille occidendo non fecit. *T, 9. in Evan: Tract: 5. de cap: 1.*

Linguâ gravius ferit hæreticus quam ethnicus flamma.

Amice quid huc venisti? Et sicut ille obmutuit: sic & isti. Quid enim prodest strepitus oris muto corde? Noverunt quippe intus apud semetipsos, non se habere quod dicant. Intus obmutuerunt foris perstrepunt. *Ibid. Tract: 9. de cap: 2.* Matt. 22.12.

Hæretici intus muti, foris strepunt.

Quando vult DEUS concitare potestatem adversus hæreticos, schismaticos, adversus dissipatores Ecclesiæ, adversus exsufflatores Christi, adversus blasphematores baptismi, non mirentur: quia DEUS concitat, ut à Sara verberetur Agar. Cognoscat se Agar & supponat cervicem: quia cum humiliata discederet à domina sua, occurrit ei Angelus & dixit: Quid est Agar ancilla Saræ? cum Ge. 21. conquesta esset de Domina, quid audivit ab Angelo? Revertere ad 17. Dominam tuam. Ad hoc ergo affligitur, ut revertatur. Atq; utinam revertatur quia proles ejus sicut filij Jacob cum fratribus hereditatem tenebit. Mirantur autem, quia commoventur potestates Christianæ adversus detestandos dissipatores Ecclesiæ. Non ergo moverentur? Et quomodo redderent rationem de imperio suo DEO? Intendat charitas vestra quid dicam, quia pertinet hoc ad Reges sæculi Christianos, ut temporibus suis pacatam velint Matrem suam Ecclesiam habere, unde spiritualiter nati sunt. *Et infra.* Quicunq; dixerunt blasphemiam in DEUM Sidrac, Misac, & Abdenago, in interitum erunt & domus eorum in perditionem. Ecce quomodo sævit Rex alienigena, ne blasphemetur DEUS Israel qui potuit tres pueros de igne liberare: & nolunt ut sæviant Reges Christiani, quia Christus exsufflatur, à quo non tres pueri, sed orbis terrarum cum ipsis regibus à gehennarum igne liberatur. *Et infra.* Occidunt animas, affliguntur in corpore. Sempiternas mortes faciunt, & temporales se perpeti conqueruntur. Et tamen quas patiuntur? Proferunt nobis nescio quos in persecutione suos Martyres. *Ibid. Tract: 11. de bap: 3.*

Agar comparantur.

Hæreticorum conversio, quãtũ bonum secum trahit.

Catholici Magistratus tenẽtur hæreticos non fovere.

Hæreticorum persecutio justa.

Animarũ latrones.

Falsos jactans Martyres.

Multos adulteros video, qui sponsam tanto pretio emptam, amatam fædam, ut pulcha fieret, illo emptore illo liberatore, illo decoratore, possidere volunt: & id agunt verbis suis, ut pro sponso amentur. *Et infra.* Si contempserunt illum Judæi, in ligno pendentem, tu contemnis in Cælo sedentem. *Ibid Tra: 13. de cap: 3.*

Adulteri se veram Ecclesiam esse mentiuntur.

Neq; enim natæ sunt hæreses & quædam dogmata perversitatis, illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audaciter asseritur. *Ibid. Tra: 18. de c: 5.*

Origo ex mala scripturæ intellectione.

Vigilate hæretici, audite à Pastore testamentum pacis, venite ad pacem: irascimini Christianis Imperatoribus, quia testamenta vestra valere nolunt in domibus vestris: videte quàm digna sit pæna. *Et infra.* Recte doles non stare testamentum tuum in domo tua. Domus DEI cor tuum est. Si vis valere testamentum tuum in domo tua, quare non vis valere testamentum DEI in domo sua? *Ibid. Ezechielis cap: 13.*

Digna hæreticorum pœna.

Et scient quoniam ego sum Dominus in eo cum confregero furcas jugi eorum. Furcas quibus premitur collum eorum. Domine frange furcas eorum quibus hæretici premunt colla infirmorum.

Hæretici jugũ imponunt miseris.

rum.

sum. Quid enim tam angustum, & furca compressum, quàm, noli audire Christum, audi me? Remove furcam respirare permitte. *Et infra.* Videte quid eis persvaserint, fratres ut dicant: Illi de nobis reddent rationem: nos oves sumus, quo duxerint, sequimur. Ovis es? Pastorem audi, non lupum. Et non erunt in vastatationem gentibus. In omnibus enim gentibus non desunt alij ibi: non illi ibi qui hic: sed tamen non desunt furcis prementes corda fidelium, nec hic nec ibi. Dissentiunt inter se, contra unitatem omnes consentiunt. Unitas autem non dissentit à se: sed contra omnes dissentientes à se, pugnat, ubiq; laborat. *Ibid. cap:* 15.

Hæreticus non excusatur quod sequatur suũ Prædicantem.

O lupe male! o serpens inique! o serve nequissime! Dominam calcas, veram Matrem impugnas, Christum exsufflas, Catholicum rebaptisas: & quod est pessimum artis tuæ, alios potentia premis ut perdas, alios pecunia comparas, quò occidas. Ergone hæretice ad hoc vestis nudum, ut expolies intus Christo vestitum? Ad hoc pascis esurientem, ut animæ auferas cibum cælestem? Ad hoc das pecuniam ut sic tibi isti vendant Christum rebaptisandum, quemadmodum Judas Judæis Christum crucifigendum? Pecunia tua tecum sit in perditionem. Pejora hæretice facis, quàm quis fecit Judæus. Ecce enim Judæus etsi præmio comparavit occidendum, semel latus in cruce pendentis pupugit, sed totum ejus corpus integrum reservavit: tu vero ad hoc eum quotidie comparas pecunia, ut sedentis in Cælo diversa laceres membra. *T, 9. lib. 2. de symb: ad Cathechum: cap:* 13.

Hæreticus vestit nudum ut spolies Christum.

Hæreticus dat pecuniã & eripit Christũ.

Hæreticus Judæo pejor.

Ergone hæretice ut doces veritas mentita est, & tu verum prædicas? Et ubi hoc prædicas? In absconso, in occulto. Si veritate fulcitur prædicatio tua, publica sit doctrina tua. Demonstra mihi Ecclesiam tuam. Sed novimus quid agatis & decepti & deceptores. Apostolus Paulus vos prodidit dicens. Quæ enim occulte fiunt ab eis, turpe est etiam dicere: nobis est turpe dicere, sed vos non quiescitis agere. *Ibid. lib: de Cantico novo. Tract:* 2. *de cap:* 6.

Hæretici in abscondito latent & prædicant.

HOMICIDIUM
HOMICIDA.

SI Parricida eo sceleratior est, quàm quilibet homicida, quia non tantùm hominem, verùm & propinquum necat; & in ipsis Parricidis, quantò propinquiorem quisq; peremit, tantò judicatur immanior; sine dubio pejor est, qui se occidit, quia nemo est homini se ipso propinquior. *T, 4. lib: de Patientia c:* 13.

Occisor suimet homicida.

Si non licet privata authoritate alicui hominem occidere, vel nocentem cujus occidendi licentiam lex nulla concedit, profectò etiam qui se ipsum occidit, homicida est. *T, 5. lib:* 1. *de Civit: Dei, cap:* 17.

Occisor sui.

Si falsi testimonij non minùs reus est, qui de se ipso falsum fatetur, quandoquidem scriptum est: Diliges proximum tuum sicut te ipsum: quantò magis intelligendum est, non licere homini se ipsum occidere, cùm in eo quod scriptum est: non occides, nihilo deinde addito, nullus nec ipse utiq; cui præcipitur, intelligitur exceptus? *Ibid. cap:* 20.

Non occides, non alterum, ergo nec te. Neq; enim qui se occidit; aliud quàm hominem occidit. *Ibid. cap:* 20.

Nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est: Non occides; qui DEO authore bella gesserunt, vel personam gerentes publicæ potestatis, secundùm ejus leges, hoc est justissimæ rationis Imperium; sceleratos morte punierunt. *Ibid: cap:* 21.

Occisio in bello justo.

Hoc

Occidere semetipsũ, nunquam licet.

Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc nobis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales, nè incidat in perpetuas: neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere gravissimum proprium, quem non polluebat alienum: neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magìs hâc vita opus est, ut possint pænitendo sanari: neminem velut desiderio vitæ melioris, quæ post mortem speratur: quia reos suæ mortis melior post mortem vita non suscipit. *Ibid. cap: 26.*

Vir sanguinis qui animas interficit.

Viri sanguinum & dolositatis. Viros sanguineos propter interfectiones dicit, utinam corporales & non spirituales. Sanguis enim de carne exiens videtur & horretur. Quis videt sanguinem cordis? Jllæ mortes alios oculos quærunt. *T, 8. in Psal: 54.* *Ps. 5. 7*

HOMO

QUid sum mihi ego sine te? nisi dux in præceps? aut quid sum, cùm mihi bene est? nisi sugens lac, aut fruens te cibo, qui non corrumpitur? & quis homo est? quilibet homo, cùm sit homo? *T, 1. lib: 4. Confess: cap: 1.*

Grande profundum est ipse homo. *T, 1. lib: 4. Confess: cap: 14.*

Ætates vitæ spiritualis ætatibus vitæ temporalis cõparantur.

Dicitur homo novus, & interior, & cælestis, habens & ipse proportionem, non annis, sed profectibus distinctas quasdam spirituales ætates, Primam in uberibus utilis historiæ. Secundam jam obliviscentem humana, & tendentem ad Divina. Tertiam jam fidentiorem, & carnalem appetitum rationis robore maritantem, gaudentemq; intrinsecùs in quadam dulcedine conjugali, ut jam rectè vivere non cogatur. Sed etiamsi omnes concedant, peccare non libeat. Quartam id ipsum multò firmiùs ordinatiusq; facientem, & emicantem in virum perfectum, atque aptam & idoneam omnibus & persecutionibus, & mundi hujus tempestatibus sustinendis atq; frangendis. Quintam pacatam & ex omni parte tranquillam, viventem in opibus & abundantia incommutabilis Regni, summæ atq; ineffabilis sapientiæ. Sextam omnimodæ mutationis in æternam vitam, & usq; ad totam oblivionem vitæ temporalis transeuntem in perfectam formam, quæ facta est ad imaginem & similitudinem DEI. Septima enim jam quies æterna est, & nullis ætatibus distinguenda perpetua beatitudo. Ut enim finis veteris hominis mors est, sic finis novi hominis vita æterna. Jlle namq; homo peccati est, iste justitiæ. *T, 1. lib: de vera Relig: cap: 26.*

Maledictus qui spem ponit in homine, ergo nec in seipso quisquam debet, quia & ipse homo est. *T, 2. Epist: 52.*

Trinitas Personarũ & Vnitas Deitatis Imago.

Faciamus hominem ad imaginem nostram, nostram certè quia pluralis est, numero. Non rectè autem diceretur, si homo ad unius imaginem Personæ fieret; sivè Patris, sive Flij, sivè Spiritus Sancti. Sed quia fiebat ad imaginem Trinitatis, propterea dictum est ad imaginem nostram. Rursus autem nè in Trinitate credendos arbitraremur tres DEOS, cùm sit eadem Trinitas unus DEUS: & fecit inquit DEUS hominem ad imaginem DEI, pro eo, acsi diceret ad imaginem suam: *T, 3. lib: 12. de Trinit: cap: 6.* *Gen 1.*

Honor hominis verus, est Imago & similitudo DEI, quæ non custoditur nisi ad ipsum, à quo imprimitur. Tanto magis itaq; inhæretur DEO, quantò minùs diligitur proprium. *Ibid: cap: 11.*

Magna hominis miseria est cum illo non esse, sine quo non potest esse. Et tamen si ejus non meminit, eumq; non intelligit, nec diligit, cum illo non est. *Ibid: lib: 14. cap: 12.*

Mirifi-

Ps. 138. 6. Mirificata est scientia tua ex me. Ex me quippe intelligo, quàm sit mirabilis & incomprehensibilis scientia tua, quâ me fecisti; quando nec me ipsum comprehendere valeo, quem fecisti; & tamen in meditatione mea exardescet ignis, ut quæram faciem tuam semper. *Ibid. lib: 15. cap: 7.*

Incomprehensibilitas.

Si hominem de terra, & bestias de terra ipse formavit; quid habet homo excellentius in hac re, nisi quod ipse ad imaginem DEI creatus est? nec tamen hoc secundùm corpus, sed secundùm intellectum mentis. Quanquam & in ipso corpore habeat quandam proprietatem, quæ hoc indicet, quod erectâ staturâ factus est; ut hoc ipso admoneretur non sibi terrena esse sectanda velut pecora, quorum voluptas omnis ex terra est, unde in aluum cuncta pecora prona atq; prostrata sunt. *Ibid. lib: 6. de Gen: ad lit: cap: 12.*

Hominis creatio quâ habeat plus creatione bestiarum.

Quidquid homo fecerit, laudabilem in suis factis invenit DEUM, si rectè egerit, laudabilem invenit per justitiam præmiorum: si peccaverit, laudabilem invenit, per justitiam suppliciorum: si peccata confessus ad rectè vivendum redierit, laudabilem invenit per misericordiam indulgentiarum. Cur ergo non faceret DEUS hominem, quamvis eum peccaturum prænosceret? cur & stantem coronaret, & cadentem ordinaret, & surgentem adjuvaret? maximè quia & illud præsciebat de propagine mortalitatis ejus futuros sanctos, qui non sibi qrærerent, sed Creatori suo gloriam darent, & eum colendo ab omni corruptione liberati, cum Angelis Sanctis vivere mererentur. *T, 4. lib: de Cat: rud: cap: 18.*

Vbiq; laudabilis Deus.

Qui autem non vivit secundùm hominem, sed secundùm DEUM, profectò non vivit etiam secundum se ipsum: quia homo est & ipse. Noli ergo vivere secundùm te ipsum, ô homo, unde perieras sed quæsitus es: noli inquam vivere secundùm te ipsum. *Ibid. cap: 5.*

Quis hominum videndo æquabitur aquilis? quis odorando canibus? quis velocitate cervis? quis multùm valendo Leonibus? quis diu vivendo serpentibus? sed sicut his omnibus ratiocinando & intelligendo meliores sumus; ita etiam Dæmonibus benè atque honestè vivendo, meliores esse debemus. *T, 5. lib: 8. de Civ: Dei, cap: 15.*

Homo inferior bestiis in multis.

Cùm vivit homo secundùm hominem, non secundùm DEUM, similis est Diabolo: quia nec Angelo, secundùm Angelum, sed secundum DEUM vivendum fuit, ut staret in veritate. Nam de homine Apostolus ait: si autem veritas DEI in meo mendacio abundavit; Meum dixit mendacium, veritatem DEI. DEus est enim qui dixit: Ego sum veritas. *T, 5. l: 14 de Civ: Dei, c: 4.*

Homo non vivens secundum Deũ similis est Diabolo.

Vivebat homo secundùm DEUM in Paradiso, & corporali & spirituali. Neq; enim erat Paradisus corporalis propter corporis bona, & propter mentis non erat spiritualis. Aut verò erat spiritualis, quo per interiores, & non erat corporalis quo per exteriores sensus homo frueretur? erat planè utrumq; propter utrumq;. *Ibid. lib: 14. cap: 11.*

Quisquis uspiam nascitur homo, id est animal rationale mortale quamlibet nostris inusitatam sensibus gerat corporis formam, seu colorem, seu motum, sivè sonum, sivè qualibet vi, qualibet parte, qualibet qualitate naturæ, ex illo Protoplasto, originem ducere, nullus fidelium dubitaverit (& enumeratis diversorum monstrorum generibus concludit.) Quapropter ut istam quæstionem pedetentim cauteq; concludam, aut illa, quæ talia de quibusdam gentibus scripta sunt, omninò nulla sunt, aut si sunt homines non sunt; aut ex Adam sunt; si homines sunt. *Ibid. lib: 16. cap: 8.*

Totum genus humanum quodammodo sunt duo homines, primus & secundus homo. *T, 7. lib: 2. imperfec: con: Iul:cap: 163.*

DEus de Cælo prospicit super filios hominum si non est qui faciat bonum Filij hominum sunt quando male faciunt, quando bene, filij mei inquit Dominus. Hoc enim facit DEus ex filijs hominum filios DEI; quia ex Filio DEI fecit DEus Filium hominis. Videte quid sit illa participatio divinitatis. Filius DEI particeps nostræ mortalitatis effectus est, ut mortalis homo fiat particeps Divinitatis suæ. Qui tibi promisit communicandum tecum bonum suum, prius tecum communicavit mala tua. Qui tibi promisit divinitatem ostendit in te charitatem. Ergo tolle quod homines filij DEI sunt, remanet quod filij hominum sunt. Non est qui faciat bonum non est usq; ad unum. *T, 8. in Psal: 62.* Ps. 13. 2.

Quatuor literæ sunt A.D.A. & M. sicut autem græci loquuntur quatuor orbis partes has in capite literas habent: *anatolin* dicunt Orientem, *Disin* Occidentem, *arcton* Aquilonem, *mesembrian* Meridiem. Habes Adam. Ipse ergo Adam toto orbe terrarum sparsus est. In uno loco fuit & cecidit, & quodammodo comminutus implevit orbem terrarum. Sed misericordia Domini undiq; collegit fracturas, & conflagrat igne charitatis, & fecit unum quod factum erat. Novit illud facere artifex ille, nemo desperet. Multum quidem est: sed qui fit artifex cogitate. Jlle reficit, qui fecit, ille reformavit qui formavit. *Ibid. in Psal 95.*

Quid est homo fratres? Caro. Et quid est alter homo? Altera caro. Et tamen caro dives extendit se contra carnem pauperem: quasi aliquid illa caro attulerit quando nata est, aut aliquid auferat quando moritur. Ad hoc plus habuit ut plus tumeret. *Ibid. Enar: in Psal: 131.*

Natura divites & pauperes æqualis.

Modo mala hominum quæ? Error & infirmitas. Aut nescis quid agas & errando laberis: aut scis quid agi debeat, & infirmitate superaris. Ergo omne malum hominis error & infirmitas. Contra errorem clama, Dominus illuminatio mea: Contra infirmitatem adde. Et salus mea. *T, 10. serm: de ver: Apost. serm: 30. de verbis. Noli omni homini credere, &c.*

Error & Infirmitas lapsus humani origo.

Libera me Domine ab homine malo. Fac tibi respondisse DEUM. A quo? Dicturus es à Cajo, à Lucio, à nescio quo quem pateris. Et respondet tibi. De te mihi nihil dicis. Si ab homine malo libero te, prius es liberandus à teipso. Pateris malum, noli teipsum pati malum. Videamus si invenit in te, quid tibi faciat alter malus Tu noli esse malus. Non tibi dominetur avaritia, non te calcet concupiscentia tua, non te trituret ira tua. Isti hostes interiores tui sunt. *T, 10. Hom: 50. Hom: 29. de illo Evan: Remittite & remittetur vobis &c.*

Quivis à seipso læditur

Duo sunt charissimi quæ principaliter attendere debet humana circumspectio & dignitatem suæ conditionis, & excellentiam suæ reformationis. Dignitatem suæ conditionis, ut peccare timeat: excellentiam redemptionis, ut gratiæ redimentis ingratus non existat. *T, ser. de Temp: ser: 182. In vigil: Pentecost: ser: 2.*

Quid est homo? Et dicit quid homo? Quoniam innotuisti ei. Hoc est totus homo, si innotescat illi DEus: si autem non illi innotescat DEus, nihil est homo. Quid est homo cui non innotuit DEus? Homo vanitati assimilitatus est: dies ejus sicut umbra prætereunt. *T, 10. ser: de diver: ser: 20. De Monomachia Goliæ & David.*

Hominem probat Dei notitia.

Moneta Christi homo est. Ibi imago Christi nummus Christi, & effigies Christi. *T, 10. serm: novor: serm: 14 De Nuptiis filij Regis.*

Homo moneta Christi.

Omnes homines lucernæ, quià & accendi possunt, & extingui. Et lucernæ quidem cum sapiunt lucent & Spiritu fervent: nam & si ardebant, & extinctæ sunt latent. *T, 9. in Ev: Ioan: Tra: 23. de c: 5.* *Homo lucerna est.*

Agnoscat se omnis homo, quoniam propter hominem Deus factus est homo. Quod pro te suscepit levavit in Cælum: terrenumq; corpus fecit cæleste. Si credis & tu quod possis resurgere, & in Cælum ascendere: quia certus es de tanto pignore, securus eris de tanto munere. *T, 9. lib: 4. ad Cathec: umi: cap: 7.* *Christus hominē assumpsit, ut faceret cælestem.*

Humanus homo imò belluinus amando talia qualia belluæ. Belluas enim Deus prostratas in faciem fecit, pastum quærentes de terra: te in duos pedes erexit de terra. Tuam faciem sursùm attendere voluit. Non discordet cor tuum à facie tua. Non habeas faciem sursum, & cor deorsum: imò verum audi, & verum fac. Sursum cor: ne mentiaris in domo disciplinæ. *T, 9. lib: de discipl: Christ: cap: 5.* *Concordia cordis faciei.*

HONOR

Ipse verò qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem. Honore coram vobis prælatus sit, vobis, timore coram Deo substratus sit pedibus vestris. *T, 1. in regula August: ad finem.* *Superior charitate non potestate dominetur.*

Quando autem necessitas disciplinæ in moribus coercendis, dicere vos verba dura compellit, si etiam ipsi modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, ut à vobis subditis, veniam postuletis. Ne apud eos, quos oportet esse subditos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur authoritas, sed tamen petenda est venia ab omni Domino. *T, 1. in reg. August.* *Superiorum excessus.*

Nullus sic proditur, qualem causam habuerit, quàm ille qui per sæculares potestates, vel violentias, cum perturbatione ac querela conatur recipere honorem, quem perdidit: Non vult enim volenti Christo servire, sed Christianis nolentibus dominari. Fratres cauti estote, multùm astutus est Diabolus, sed Christus Dei sapientia est. *T, 2. Epist: 235.* *Ambitio honoris.*

Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. *T, 4. lib: 80. quæst: quæst: 3.*

Si tantummodo cultus ipse dicatur non soli Deo deberi videtur. Dicimus enim etiam colere homines, quos honorifica vel recordatione, vel præsentia frequentamus. *T, 5. lib: 10. de Civit: Dei: cap: 1.*

Contemptus est Dominus tuus, & tu te honorari vis ab eis qui longe facti sunt à Sanctis? Noli tibi arrogare velle quod in illo non præcessit, non est servus major Domino suo. *T, 8. in Ps. 55.*

HUMILITAS

Quisquis est magnus magnificet nomen tuum. Ego autem non sum, quia peccator homo sum. Sed & ego magnifico nomen tuum, & interpellat te pro peccatis meis, qui vicit sæculum, numerans me inter infirma membra corporis sui, quia & imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur. *T, 1. lib: 10. Confess: cap: 31.* *Humilis magnificat nomē Dei.*

Sic fortasse uberiorem capies fructum, cum Deum laudas in humilitate formicæ, quàm cùm transis fluvium in alicujus jumenti altitudine. *T, 1. lib: de Genesi con: Man: cap: 16.* *Deus magis elucet in humilibus.*

Quid enim habemus quod non accepimus. Apud Deum me-

Melior qui agit Deo gratias de parvo dono. lior est, qui majoribus & pluribus, quàm qui minoribus & paucioribus donis DEI dives est, quis negat? Sed rursus meliùs est vel de parvo DEI dono ipsi gratias agere, quàm sibi agi velle de magno. *Ibid. Epist: 32.*

Via ad veritatem, humilitas. Non aliam tibi ad capessendam & obtinendam veritatem, viam munias, quàm quæ munita est ab illo, qui gressuum nostrorum DEUS videt infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogares, hoc dicerem, non quod alia non sint præcepta quæ dicantur, sed nisi humilitas omnia quæcunq; benefacimus, & præcesserit, & comitetur, & consecuta fuerit, & proposita, quam intueamur, & apposita cui inhæreamus, & imposita, quâ reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia. *Ibid. Epist: 56.*

Satiùs est enim minùs quemq; habere, quod à DEO petat, quàm plùs habere, quod sibi tribuat: quoniam expedit ab imo surgere, quàm ex alto cadere. *Ibid. Epist: 89.*

Via ad cælum humilitas. Sicut Magi fecerunt divinitus moniti, quos ad humilitatem Domini adorandam stella perduxit; ita & nos non quâ venimus, sed per aliam viam in Patriam redire debemus: quam Rex humilis docuit, & quam Rex superbus humili Regi adversarius, obsidere non possit, Et nobis enim, ut adoremus humilem Christum, Cæli enarraverunt gloriam DEI. *T, 3. lib: 4. de Trin: cap: 12.* *Matth 2.*

Potentior est humilitas quàm celsitudo. Non ait: Discite à me quatriduanos mortuos suscitare: sed ait: Discite à me quoniam mitis sum & humilis corde. Potentior est enim & tutior solidissima humilitas, quàm ventosissima celsitudo, & ideo sequitur dicens: Et invenietis requiem animabus vestris. *Ibid. lib: 8. cap: 7.* *Matth 11.29.*

Humilis de diabolo triumphat. Subijciamus ergo animam DEO, si volumus servituti subijcere corpus nostrum, & de Diabolo triumphare. *T, 3. lib: de agone Christiano cap: 12.*

In eo quod Jethro consilium dat Genero suo Moysi. In quo scriptura nos admonet, per quemlibet hominem detur consilium veritatis, non debere contemni. Videndum est etiam nè fortè ibi voluerit DEUS ab alienigena admoneri Moysem, ubi & ipsum posset tentare superbia: sedebat enim judiciariâ sublimitate solus; universo populo stante. *Et infra clarius.* Insinuatur hîc humilitatis exemplum, quod Moyses, cum quo loquebatur DEUS, non fastidivit neq; contempsit alienigenæ Soceri consilium: quâquam & ipse Jethro cùm Israelita non fuisset, utrum inter viros DEUM verum colentes religioseque sapientes habendus sit, quemadmodum & Job cùm ex ipso populo non fuisset, meritò quæritur. *T, 4. lib. 2. quæst: in Exod: 68 & 69.* *Ex. 18.* *Humilis audit aliena consilia.*

Humilis magis erigitur. Mendicus autem nomine Lazarus, quod interpretatur adjutus, significat indigentem, veluti gentilem aliquem aut publicanum, qui tantò magìs adjuvatur quantò minùs de suarum copia facultatum præsumit. *T, 4 lib: 2. quæst: Evan: quæst: 38.*

Superbus miser. Magna enim miseria est superbus homo, sed major misericordia humilis DEUS. *T, 4 lib de catech: rudib: cap: 4.*

Maximè quippe humilitas revocat, undè nos dejecit superbia. Et ipsa humilitas est accommoda percipiendæ gratiæ Christi, qui singulare humilitatis exemplum est. *T, 4. lib. de exp: Epi: ad Galat: fol: 383.*

Humilitas cor attollit, superbia cor deprimit. Est aliquid igitur humilitatis miro modo, quod sursum faciat cor, & est aliquid elationis, quod deorsum faciat cor. Hoc quidem quasi contrarium videtur, ut elatio sit deorsum, & humilitas

sur

ſurſum. Sed pia humilitas facit ſubditum ſuperiori; nihil eſt autem ſuperius DEO, & ideo exaltat humilitas, quæ facit ſubditum DEO. Elatio autem cadit ab illo, quo non eſt quidquam ſuperius, & ex hoc erit inferiùs, & fit quod ſcriptum eſt: Dejeciſti eos dum extollerentur. *T, 5 lib: 14. de Civ: Dei, cap: 13.*

Superbi inferiores humilibus.

Humiles animæ in illo ſe honorari volunt, ſuperbi præ illo, ad DEUM autem humiles excelſiores fiunt injuſtis; contra DEUM verò excelſi humiliores fiunt juſtis; ea ſcilicet diſpenſatione præmiorum atq; pænarum, quia illi DEUM amaverunt ſupra ſe, illi pro DEO amaverunt ſe. *T, 6. lib: con: Secundinum, cap: 17.*

Diſce humilitatem nè cadas, imò ut aliquando ſurgas. Neq; enim iſta dixiſſes niſi cecidiſſes. *T, 7. lib: 2. con: liter: Petil: c: 105.*

Superbus non tendit ad perfectionem.

Quocirca ſi virtus in infirmitate perficitur, quiſquis ſe non fatetur infirmum non perficitur. *T, 7. lib: 1. con: Pelag: de gra: c: 12.*

Altitudo humilium Deus eſt.

Humilitas dives.

Quando humiliantur qui DEUM timent, ſi forte in aliqua dignitate hujus ſæculi refulſerant, humiliati non ceciderunt quia DEUM de corde non excluſerunt. Altitudo ipſorum DEUS eſt. Humiliatus videbatur Job. Vide ſi miſer factus eſt, vide ſi non erat in abſcondito vultus DEI: Dominus, ait, dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. Ipſæ gemmæ laudis DEI unde ſunt? Videte, foris pauperem intus divitem. Ipſæ gemmæ laudis DEI non exirent de ejus ore niſi theſaurum haberet in corde. Qui divites eſſe vultis tales divitias concupiſcite quas nec in Naufragio poteſtis amittere. *T, 8. Con: 3. in Pſal: 30.*

Tutiſſima ad Celũ via humilitas.

Ne declines in dexteram aut ſiniſtram, Ne præſumas ad re-
Pro: 4. 17. gnum de juſtitia tua: ne præſumas ad peccandum de miſericordia DEI. Ab utroq; te revocat præceptum Divinum, & ab illa altitudine & ab iſta profunditate. Jlluc ſi aſcenderis præcipitaberis: hac ſi lapſus fueris demergeris. *Ibid. Præfat: in Pſal: 31.*

Cum Chriſtum nomino Fratres mei maxime nobis humilitas commendatur. Viam enim nobis fecit per humilitatem, qui per ſuperbiam receſſeramus à DEO. Et ſi exiſteret vir aliquis humilis in ſpiritu, ſicut erant Prophetæ, Patriarchæ, dedignabatur genus humanum imitari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, DEUS factus eſt humilis: ut vel ſic ſuperbia generis humani non dedignaretur ſequi veſtigia DEI. *Ibid. Con: 2. in Pſal: 33.*

Humiles ſpiritu ſalvabit. Altus eſt DEUS humilis eſt Chriſti-
Pſ. 33. 18. anus. Si vult ut altus DEUS vicinetur illi, ille humilis ſit Magna myſteria fratres DEUS ſuper omnia eſt. Erigis te & non illum tangis. Humilias te & ipſe ad te deſcendit. *Ibid. Expoſ: Pſal. 33.*

Nolite pueri effici mentibus. Quem delectat imitari puerum,
1. Cor. 14. 20. non delectet imperitia ſed innocentia. *Ibid. in Pſal: 44.*

Superbus ſervire debet humili.

Major ſerviet minori. Per omnes gentes major, per omnes
Rom. 9. 13. gentes minor. Sed minor in bonis Chriſtianis electis, pijs, fidelibus: major in ſuperbis, indigis peccatoribus, contumacibus, ſua peccata defendentibus magis quam confitentibus. *Et infra.* Manifeſtum eſt quia pijs ſubdentur impij, & ſubdentur humilibus ſuperbi. *Ibid. in Pſal: 46.*

Gradus ad gloriam humilitas.

Pſ. 50. 8. Aſperges me hyſopo & mundabor. Hyſopum herbam novimus humilem ſed medicinalem. Saxo hærere radicibus dicitur. Apprehende & tu radicem dilectionis Petram tuam. Eſto humilis in humili DEO tuo, ut ſis excelſus in glorificato Domino DEO tuo. *Ibid. in Pſal: 50.*

Per ſuperbos homines diviſæ ſunt linguæ, per humiles Apo-

Superbus dispergit, humilis congregat. stolos congregatæ sunt linguæ: spiritus superbiæ dispersit linguas, Spiritus Sanctus congregavit linguas. Quando enim Spiritus Sanctus venit super discipulos, omnium linguis locuti sunt, ab omnibus intellecti sunt, linguæ dispersæ, in unum congregatæ sunt, & in diversitate linguarum carnis, una est lingua in fide cordis. *Ibid. in Psal: 54.*

Unde laborant nisi quia non sunt mites & humiles corde. Deus humilis factus est, erubescat homo esse superbus. *Ibid. in Psal: 54.*

Nemo insanabilis est quam qui sibi sanus videtur. Bonum est humiliari peccatorem & nemo est insanabilior eo, qui sibi sanus videtur. *Ibid. Con: 2. in Psal: 58.*

Inclinate aurem vestram in verba oris mei. Ille namq; piè attendit legem Dei & verba oris ejus, cujus aurem inclinat humilitas, non cujus erigit Cervicem superbia, quod enim infunditur, concavo humilitatis excipitur, eminentia tumoris expellitur. *Ibid. in Psal: 77.* *Ps 77. 1.*

Qui erigit à terra inopem & de stercore exaltat pauperem. Ut collocet eum cum Principibus. cum principibus populi sui. *Ps. 112. 6.* Non itaq; dedignentur esse humilia capita excelsorum, sub dextera Domini. Quamvis enim collocetur fidelis dominicæ pecuniæ dispensator: cum principibus populi Dei, quamvis sessurus sit in duodecem sedibus, & Angelos quoq; judicaturus: à terra tamen inops erigitur, & de stercore pauper exaltatur. An forte non est exaltatus de stercore qui serviebat desiderijs & voluptatibus varijs? *Ibidem.*

Origo magnitudinis, occasio esse debet humilitatis.

Perfectio nostra humilitas. Ipsa est perfectio nostra humilitas. *Ibid. Expos: Psal: 130.*

Deus superbos conterit. Prope est Dominus his qui obtriverunt cor. Erigat se ergo superbus quantum voluerit: certe in alto habitat Deus in Cælo est Deus. Vis tibi propinquet? Humilia te nam tanto à te erit altior quanto tu elatior. *Ibid. Enar: in Psal: 137.*

Humilitas sanat. Prope est Dominus his qui obtriverunt cor. Qui obtriverunt cor? Humiles. Qui non obtriverunt cor? superbi. Contritum sanabitur, elidetur elatum. Ad hoc enim forte eliditur ut contritum sanetur. *Ibid, Enar: in Psal: 146.* *Ps 33. 19.*

Miseria ortus, & occasus. Nihil attulisti nihil hinc auferes: quid te inflas contra pauperem? Quando nascuntur infantes, recedant de medio parentes, servi, clientes, recedant de medio turbæ obsequentes, & agnoscantur pueri divites flentes. Pariant simul dives & pauper: pariant simul mulier dives,& mulier pauper: non attendant quod pariunt, discedant paululum, redeant, & agnoscant. Ecce dives, nihil intulisti in hunc mundum; sed nec auferre hinc aliquid potes. Quod dixi de natis, hoc dico de mortuis. *T, 10 ser: de ver: D: ser: 5:*

Lucrum humilitatis maximum. Non sum dignus ut sub tectum meum intres: sed tantùm dic verbo, & sanabitur. Dicendo se indignum, præstitit dignum, non in cujus parietes, sed in cujus cor Christus intraret. Neq; enim hoc diceret cum tanta fide & humilitate: nisi illum quem timebat intrare in domum suam, corde gestaret. Nam non erat magna felicitas, si Dominus Jesus intraret in parietes ejus, & non esset in pectore ejus. *T, 10. corun: ser: 6. de Puero Centur: secun: eundem.* *Matt. 8. 8.*

Superbia peccati initium. Contra initium peccati, initium justitiæ necessariùm fuit. Si ergo omnis peccati superbia initium: unde sanaretur tumor superbiæ, nisi Deus dignaretur humilis fieri? Erubescat homo esse superbus, quoniam factus est humilis Deus! Nam quando dicitur homini ut humiliet se, dedignatur: & ut velint homines vindicari quando læduntur, superbia facit. Cum humiliari dedignantur, vindicari volunt, quasi pæna cuiq; prodesse possit aliena. Læsus & injuriam passus vindicari vult, de aliena pæna sibi quærit medi-

Superbus vindictæ cupidus.

medicamentum, & acquirit grande tormentum. *Ibid: ser: 41. de Conversione aquæ in vinum.*

Si est in vobis sanctitas, timete ne perdatis eam. Unde? Per superbiam. Aliter perit sanctitas casti, si adulter fuerit; aliter perit si superbus fiat. Et audeo dicere: Conjugalem agentes vitam, si tenent humilitatem, superbis castis meliores sunt. *Et infra.* Servo ergo DEI, cui surrepserit superbia, continuo ibi est & invidia. Non potest superbus esse non invidus. Invidia filia est superbiæ, sed ista mater nescit esse sterilis: ubi fuerit, continuo parit. Ut autem non sit in vobis, hoc cogitate persecutionis tempore, non solam Agnen fuisse coronatam Virginem, sed & Crispinam mulierem: & forte quod non dubitatur, aliqui tunc de continentibus defecerunt, & multæ de conjugatis, pugnaverunt, atq; vicerunt. Unde non frustra dicit Apostolus omnibus membris Christi. Alter alterum existimantes superiorem sibi, & honore mutuo prævenientes. Hæc etenim si cogitetis, non eritis apud vos magni. *T, 10. eorund: serm: 53.*

Superbia eruit dis virtutes humiliter fovet.

Rō. 12. 10.

Unde te tamen erexit Dominus tuus? Attende. Humilitate erexit, factus obediens usq; ad mortem, humiliavit semetipsum. Princeps tuus humilis, & tu superbus? Caput humile, & membrum superbum? Absit. Non vult esse de corpore capitis humilis, qui amat superbiam. Si autem non fuerit, videat ubi erit. *Ibidem.*

Phil: 2 7.

Humilis esse non potest nocens, superbus esse non potest innocens. Humilitatem illam loquor, quæ non vult perituris rebus excellere, sed æternum aliquid veraciter cogitat, quo non suis viribus, sed alienis ad vitam perveniat. Hoc malum cujusquam velle non potest, quo nequaquam bonum ejus augetur. Porro autem superbia continuo parit invidiam. *T, 10 50. Hom: Hom: 20.*

Hoc à me disce, quod propter te factus sum. Discite à me inquit, non formare creaturam, quæ per me facta est: nec illa quidem dico discatis, quæ quibusdam donavi, quibus volui, non omnibus, suscitare mortuos, illuminare cæcos, aperire aures surdorum, nec ista pro magno velitis discere à me. *Et infra.* Discite à me, quoniam mitis sum, & humilis corde. Quoniam audivimus dicentem: Mitis sum, & humilis corde. Quid prodest, si miracula facit, & sit superbus, non sit mitis & humilis corde? Nonne in illo numero deputabitur eorum qui venturi sunt in finem & dicturi. Nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Sed quid audient? Non novi vos. *Ibid. Hom: 34. de illo. Ego sum via &c.*

Humilitas miraculis præstat.

Matt: 11. 29

Non sum dignus, qui sub tectum meum intres. Tecto non recipiebat, corde recipiebat. Quanto humilior, tantò capacior, tantò plenior. Colles enim aquam repellunt, valles implebuntur. *T, 10 ser: de Temp: ser: 74. Dnica 2. in Quadr: ser: 1.*

Matt. 8. 8.

Humilitas donorum Dei capaces facit.

Primus humilitatis gradus est, veritatis sermonem humiliter audire, memoriter retinere, voluntariè perficere. *Ibid. ser: 213. Dnica 9 post Festum Trinit: ser: 1.*

Quis non velit ire ad exaltationem? Omnes delectat celsitudo: sed humilitas gradus est Quid tendis pedem ultra te? Cadere vis, non ascendere, à gradu incipe, & ascendisti. Istum gradum humilitatis, nolebant attendere illi duo discipuli, qui dicebant: Domine, jube ut unus nostrum, in regno tuo sedeat ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam. Sublimitatem quærebant, gradum non videbant. Dominus autem ostendit gradum. Quid enim respondit? Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? *T, 10. ser: de div: ser: 47. In 16. caput Matthæi.*

Quod

Quod si DEUS creator cæli ac terræ cum DEUS esset, homo factus est, & humiliavit semetipsum usq; ad mortem, mortem autem crucis: quantò autem superbire non debet terra & cinis? Videte fratres, quantum se humiliavit propter homines DEUS. Quantum se deijcere debet servus, quando ad tantam humilitatem descendit & Dominus? Quæ humilitas, charissimi, si plenissimè ab hominibus possidetur, etiam ad charitatem usq; proficiet. *T, 10. parte 2. ser: de div: ser: 52. In Nativitate Domini.*

Humilitatis tēplum Christus.

Mites sunt, quibus in omnibus factis bonis, in omnibus quæ benefaciunt, non placet nisi DEUS, in omnibus quæ malè patiuntur, no displicet DEUS. *T, 10. ser: nov: ser: 33. de eo quod commonemur à scandalis mundi cavere.*

Vera humilitatis indicia.

Ne simus alta sapientes, sed humilibus consentientes: cogitet si potest in quantum superbiæ præcipitium feratur homo si non consenserit humili DEO: & quàm sit periculosum impatienter ferre quod voluerit Dominus justus, si patienter pertulit DEUS, quod voluit inimicus injustus. *T, 10. ex fragmen: fragmento sermonis de Passione Domini.* Rō. 12. 16.

Illum oportet crescere, me autem minui. Crescat ergo in nobis gloria DEI, & minuatur gloria nostra, ut in DEO crescat & nostra. *T, 9. in Evan: Ioan: Tract: 14. de cap: 3.* Ioā: 3. 30.

Gloria nostra sit aucta Dei gloria.

De turba multi crediderunt in eum. Humiles & pauperes salvos faciebat Dominus. Principes insaniebant? & ideo Medicum non solum non agnoscebant, sed etiam occidere cupiebant. Erat quædam turba quæ suam ægritudinem cito vidit, & illius medicinam sine dilatione cognovit. Videte quid sibi dixerit turba ipsa commota miraculis. Nunquid Christus cum venerit, plura signa facturus est? *Ibid. Tra: 31. de cap: 7.*

Agnitio culpæ remedium animæ.

Humilitatis Magister est Christus, qui humiliavit semetipsum factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Non itaq; amittit divinitatem, quando nos docet humilitatem: in illa est Patriæ qualis, in hac nobis similis. *Ibid. Tra: 51. de cap: 12.*

Humilitas divinitati proxima.

Oportebat ut unus Mediator DEI & hominum, homo Christus JESUS sicut excitavit ad summa, ita nobiscum pateretur & in ima. *Ibid. Tra: 52. de cap: 12.*

I

JESUS

HOc nomen Salvatoris mei, filij tui ipso adhuc lacte Matris, tenerum cor meum piè biberat, & altè retinebat, & quidquid sinè hoc nomine fuisset, quamvis literatum & expolitum, & veridicum, non me totum rapiebat. *T, 1. lib: 3. Confes: cap: 4.*

Sine Iesu, nihil jucundum.

Subveni Domine JESU, & accingere gladium tuum super femur tuum potentissime. Egredere occide eos in se, ut vivant in te, & desinant persequi me. *T, 6. lib: de quinq; hæresibus, cap: 7.*

Et vocabunt nomen ejus JESUM. Ideo ergo JESUM, quoniam JESUS latinè Salvator est: ipse enim salvum faciet populum suum, in quo populo sunt utiq; & parvuli, salvum autem faciet à peccatis eorum. Sunt ergo & in parvulis peccata originalia propter quæ JESUS, id est Salvator possit esse ipsorum. *T, 7. lib: de nuptiis & concupis: cap: 35.* Matt 1. 23.

Parvulorum Salvator Iesus.

Dominus dormiebat in navi, & ideo fluctuabat Navis quia dormiebat JESUS. Nam si illic vigilaret JESUS non fluctuaret Navis.

Matt: 4. 38. vis. Navis tua cor tuum. Jesus in navi fides in corde. Si meministi fidei tuæ, non fluctuat cor tuum: si oblitus es fidem tuam, dormit Christus observa naufragium. Verumtamen quod restat fac, ut si dormierit excitetur, dicas illi Domine exurge perimus: ut increpet ventos & fiat tranquillitas in corde tuo. *T, 8. Con: 1. in Psal: 34.*

Christiani cor Navis est in qua Iesus & fides vigilat.

Ps: 51. 11. Expectabo nomen tuum quoniam jucundum est. Amatum est sæculum sed nomen tuum jucundum, Etsi dulcia quædam sunt in sæculo, sed cum amaritudine digeruntur. Præponitur nomen tuum non solum amaritudini, sed etiam jucunditati. Narraverunt etenim mihi injusti delectationes suas, sed non sicut lex tua Domine. Neq; enim si nihil dulce esset Martyribus tantas tribulationum amaritudines æquo animo sustinerent. Nomen ergo Dei jucundum est amantibus Deum super omnes jucunditates. Et cui probas quia jucundum est? Da mihi palatum cui jucundum est. Homo nesciens quid sit mel nisi gustaverit quid dicas nescit. Ideo
Ps: 33. 9. magis ad experimentum te invitans psalmus quid ait. Gustate & videte quoniam suavis est Dominus Gustare non vis, & dicis jucundum est? tunc videbitis si gustaveritis. Homini autem non gustanti unde probas? laudando jucunditatem nominis Dei: quantacunq; dixeris verba sunt, aliud est gustus. Verba laudis ejus audiunt & impij, non autem gustant quàm jucundum est nisi Sancti. Expectabo inquit nomen tuum quia jucundum est in conspectu Sanctorum tuorum, sed non in conspectu impiorum. *Ibid. Expos: Psal: 51.*

Quam sit jucundū nomen Domini Sanctis ejus.

Ex: 17. 9. Elige tibi viros, & pugna contra Amalech. Usq; ad hunc locum, beati hujus nominis mentio, id est, Jesus, nusquam facta est. Hic primum vocabuli hujus splendor obfulsit. Moyses vocat Jesum, lex invocat Christum. Elige inquit tibi viros potentes. Non poterat Moyses eligere viros potentes: Jesus solus est qui potest viros potentes eligere. *T, 10. ser: de Temp: ser: 93. feria 6. post 3. Dnicam Quadrag: ser: 2.*

Vocatio nostræ à solo Deo pendit.

Matt: 11. Nemo dicit Jesus nisi in Spiritu Sancto. Sed si dicit factis, non solis verbis. Nam possunt dicere Dominus Jesus, etiam de quibus ait. Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Omnes hæreses quas ubiq; etiam vos improbatis, dicunt Dominus Jesus. Nec utiq; segregaturus est de regno Cælorum eos, quos in-
Matt. 21. venerit in Spiritu Sancto, & tamen ait. Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum Cælorum. Sed nemo dicit Dominus Jesus nisi in Spiritu Sancto? Nemo planè sed eo modo dictum est, id est factis unde securus adjunxit. Sed is qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cælis est, ipse intrabit in regnum Cælorum. *T, 10. ser: nov: ser: 21. In die Pentecostes 2.*

Invocādus Deus non verbis sed bonis operibus.

Ioā: 6. 17. Tenebræ jam factæ erant, & non venerat ad eos Jesus. Merito tenebræ, quia lux non venerat. Tenebræ jam factæ erant, & non venerat ad eos Jesus. Quantum accedit finis mundi, crescunt errores, crebrescunt terrores, crescit iniquitas, crescit infidelitas. Lux deniq; quæ charitas apud Joannem ipsum Evangelistam satis aperteq; demonstratur, ita ut diceret: Qui odit fratrem suum in tenebris est: creberrime extinguitur. Crescunt istæ tenebræ odiorum fraternorum, quotidie crescunt: & nondum venit Jesus. *T, 9. in Ioan: Tract: 25. de cap: 6.*

Mundus in deterius vergit quotidie.

Vix quæritur Jesus propter Jesum. Quæritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus meis. Operamini non cibum qui perit, sed permanet in vitam æternam. Quæritis me propter aliud, quærite me propter me. Seipsum charissimi Domi-

nus insinuat istum cibum, quod in sequentibus illucescit. Quem filius hominis dabit vobis. Expectabas credo iterum panes manducare, iterum discumbere, iterum saginari. Sed dixerat, cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam: quomodo dictum fuerat mulieri illi Samaritanæ: si scires quis est qui petit à te bibere, tu forsitan postulasses ab eo, ut daret tibi aquam vivam. *Ibidem*.

Quærebant ergo JESUM: sed male. Beati enim qui quærunt JESUM, sed bene. Jlli quærebant JESUM, ut nec ipsi haberent eum nec nos: sed ab ipsis abscedentem suscepimus nos. Reprehenduntur qui quærunt, laudantur qui quærunt: animus enim quærentis aut laudem invenit, aut damnationem. *Ibid. Tra: 50. de cap: 12.*

Deus solus vult amari. Duo amores alter bonus, alter malus, alter amarus, non se simul capiunt in uno pectore. Et ideo si quis præter te aliud diligit, non est charitas tua DEUS in eo: amor dulcedinis, & dulcedo amoris, amor non crucians, sed delectans, amor sincerê & castê permanens in sæculum sæculi, amor qui semper ardes, & nunquam extingueris. Dulcis Christe, bone JESU charitas, DEUS meus accende me totum igne tuo, amore tuo, suavitate, & dulcedine tua, jucunditate & exultatione tua, voluptate & concupiscentia tua, quæ sancta est & bona, casta est & munda, tranquilla & secura: ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flamma charitatis tuæ succensus diligam te DEUM meum, ex toto corde meo, totisq; medullis præcordiorum meorum, habens te in corde, in ore, & præ oculis meis, semper & ubiq;, ita ut nullus pateat in me locus adulterinis amoribus. Audi DEUS meus, audi lumen oculorum meorum: audi quæ peto, & da quæ petam, ut audias me. Pie & misericordissime Domine ne efficiaris mihi inexorabilis, propter peccata mea, sed propter bonitatem tuam suscipe preces servi tui. *T, 9. lib: Meditationum, cap: 35.*

Quid dicam vel quid faciam miserrimus? Ego tanto destitutus solatio projectus sum à facie oculorum tuorum. Heu me de quanto bono in quantum malum cecidi? Quo tendebam, & quo deveni! Ubi sum, & ubi non sum, ad quem aspiravi & nunc in quibus suspiro? Quæsivi bona, & ecce turbatio. Ecce jam morior & JESUS non est mecum. Et certe melius est mihi non esse quàm sine JESU esse: melius est non vivere quàm vivere sine vita. *Ibid: cap: 39.*

Obliviscere superbum provocantem, & respice miserum invocantem. Quid enim est JESUS nisi Salvator? Ergo JESU per temetipsum exurge, in adjutorium mihi, & dic animæ meæ salus tua ego sum. *Ibidem.*

JEJUNIUM

Jejunium die Sabbathi. QUod ergo me consulis utrum liceat Sabbatho jejunare? Respondetur. Si nullo modo liceret, profecto quadraginta continuos dies, nec Moyses nec Helias, nec ipse Dominus jejunasset: Verum ista ratione concluditur etiam Dominico die non illicitum esse jejunium. *Jejunium die Dominico.* Quisquis tamen hunc diem jejunio decernendum putaverit, sicut quidam jejunantes Sabbathum observant, non parvo scandalo erit Ecclesiæ. *T, 2. Epist: 86.*

Non vituperandi qui die Sabbathi non jejunant. Quis ferat per omnes Orientales & multos etiam occidentales populos Christianos de tot tantisq; famulis famulabusq; Christi Sabbatho sobriè modesteq; prandentibus, ab isto dici quod in carne sint, & DEO placere non possint, quæ si de uno quopiam DEI famu-

famulo diceret, quis eum audire, quis devitare non deberet? Cùm ergo his opprobrijs atq; maledictis insectatur, Ecclesiam per totum mundum fructificantem, atq; crescentem & die Sabbathi pene ubique prandentem, admoneo quisquis est, ut sese cohibeat. Si ergo malè facimus quando prandemus, nullo die Dominico bene vivimus. *Ibid. Epist: 86.*

Est quidem opinio plurimorum, quamvis eam perhibeant esse falsam pleriq; Romani. Quod Apostolus Petrus cum Simone Mago die dominico certaturus propter ipsum magnæ tentationis periculum, pridie cum ejusdem Urbis Ecclesia jejunaverit, & consecuto tam prospero gloriosoq; successu eundem morem retinuerit, eumq; imitatæ sunt nonnullæ occidentis Ecclesiæ. *Ibidem.*

Ego in Evangelicis & Apostolicis literis totoq; instrumento quod appellatur testamentum novum, animo id revolvens video præceptum esse jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non video definitum. *T, 2. Epist: 86.*

Die autem Dominico jejunare scandalum est magnum, maximè posteaquam innotuit detestabilis hæresis Manichæorum, qui suis auditoribus ad jejunandum istum constituerunt, tanquam legitimum diem, per quod factum est, ut jejunium diei dominici horribilius haberetur. *Ibid Epist: 86.* *Iejunium Die Dominico scādalosum.*

Sequitur Sabbathum: hinc exorta est ista in Reginæ illius veste varietas, ut alij sicut maximè populi orientis, propter requiem significandam mallent relaxare jejunium, alij propter humilitatem mortis Domini jejunare; sicut Romana, & nonnullæ occidentis Ecclesiæ. *Ibidem.* *Iejunij ratio.*

Indicabo tibi quid mihi de hoc requirenti responderit venerandus Ambrosius, Mediolanensis Episcopus. Nam cùm in eadem Civitate Mater mea mecum esset, & nobis adhuc catechumenis parum ista curantibus, illa *solicitudinem* gereret, utrum secundum morem nostræ Civitatis sibi esset Sabbatho jejunandum, an Ecclesiæ Mediolanensis more prandendum, interrogavi supradictum hominem DEI. Quid possum hinc docere amplius, quàm ipse facio? sed secutus adjecit. Quando hîc sum, non jejuno Sabbatho, quando Romæ sum, jajuno Sabbatho: & ad quamcunq; Ecclesiam veneritis, inquit ejus morem servate, si pati scandalum non vultis aut facere. *Ibid. Epist: 86.*

Jejunium aut in tribulatione est, aut in gaudio. In tribulatione, ad propitiandum DEUM pro peccatis: In gaudio verò, cum tantò minùs delectant carnalia, quantò spiritualium major sagina est. *T, 4. lib: 2. quæst: Evang: quæst: 18.* *Iejunium aut est in tribulatione aut gaudio.*

Quam multos pauperes saginare potest intermissum hodie prandium nostrum. Ita jejuna, ut alio manducante prandisse te gaudeas propter orationes ut exaudiaris. *T, 8. in Psal: 42.* *Iejunium cum eleemosyna efficax ad impetrandum oratio.*

Is: 22. 13. Manducemus & bibamus cras enim enim moriemur. Audi contra à me. Imo jejunemus & oremus cras enim moriemur. Hanc viam tenens arctam & angustam, tanquam prodigium factus sum multis. *Ibid. Enar: 1. partis in Psal: 70.* *Iejunium & oratio prodigiosos facit homines:*

Nihil prodest tota die longum duxisse jejunium, si postea ciborum suavitate, vel nimietate anima obruatur. Jllico mens repleta torpescit, & irrigata corporis nostri terra, spinas libidinum germinabit. Sit ergo temperatus cibus, & nunquam nimium venter repletus; & plus semper de cibo cordis, quàm de cibo corporis cogitemus: quia intus in homine interiore facti sumus ad imaginem DEI; in carne autem de limo terræ sumus formati. Et vide- *Iejnnium animam corroborat.*

Plus cibi spiritualis animæ tribuendum. te fratres si justum est, ut caro nostra de terra facta, interdum bis in die capiat cibum, & anima quæ imago DEI est, vix post plures dies accipiat verbum, cum tamen expediat nobis, ut amplius DEI imaginem in nobis, quàm nostram carnem honorare debeamus. *Et infra.* Nam si sola caro reficitur, & anima DEI verbo non pascitur, ancilla satiatur, & Domina fame torquetur. *T, 10. serm: de Temp: serm: 56. Fer: 4. in cap: jejunij serm: 2.*

Est legitimus numerus iste jejunij, & qui in sanctis celebratur exemplis. Moyses legem accepturus à DEO, quadraginta dies ac noctes absq; cibo potuq; transegit, & ad suscipiendam Domini voluntatem jejunus præparatus est. *Jejunium ad cœlestia evehit.* Helias post quadraginta dierum jejunia, curru igneo ad superna cælorum de hoc mundo translatus est. Ipse quoq; Dominus ac Salvator noster quadraginta diebus jejunans de diaboli tentationibus triumphavit, ut ad prædicationem Evangelij jam victor accederet. Merito verò etiam nos, hunc dierum numerum custodire debemus jejunijs, quem per talia exempla legimus consecratum. Celebremus ergo hos dies cum omni alacritate mentis, & gaudio, & eos omnibus epulis, & corporalibus delicijs præferamus. In his enim præcipue diebus ad implendam Domini voluntatem accendimur, quando maximè per abstinentiam voluptas carnis extinguitur. *Et infra.* Tunc grata sunt DEO nostro jejunia, si illi qui necessitate premuntur, reficiantur à nobis. *Tempore jejunij maxime reficiendi sunt pauperes.* Tunc illam Domini sententiam audire merebimur. Amen dico vobis: Quamdiu fecistis uni ex minimis meis mihi fecistis. O benignissimum Dominum ad edomandam hominum avaritiam, qui sibi dari dicit, quod vel minimo pauperi donatum fuerit? *Ibid. ser: 64. Dnica 1. in Quadr: ser: 1.*

Princeps ille humani generis Adam, quamdiu jejunavit servans mandatum, in paradyso fuit. *Jejunio mortificantur in nobis peccata.* Ubi vero comedit, ejectus est de paradyso. Et qui in paradyso DEI Virgo fuerat, ejectus de paradyso cognovit uxorem. Semper enim juncta est santietati lascivia. *T, 10. in eadem Dnica ser: 2.*

Quadraginta dierum jejunijs quævis iniquitas peccatoris exorari potest, & quantavis severitas judicis mitigari. *Discrimen inter bonos & malos.* Jlli longum & fastidiosum forte sit tempus, qui nec orat de culpa, nec sperat de venia. *Et infra.* Sanctum ergo & sacratum Quadragesimæ tempus est, quod statim ab initio cæpit inter justos & injustos discernere, bonos à malis separare. Quod quidem similiter fieri etiam in hac nostra Quadragesimæ observatione perspicimus. Nam per hos quadraginta dies, separantur mali à bonis; hoc est, luxuriosus à casto, à jejuno intemperans, à Christiano gentilis. Separatur inquam malus à bono: hoc est peccator à justo, diabolus à sancto, hæreticus à fideli. *Ibid ser: 69. Fer: 6. post eandem Dnicam.*

Tunc erunt DEO accepta jejunia, si operibus sanctis fuerit expiata conscientia. *Magis à peccato quã à cibo jejunandum.* Cur enim corpus fame discrucias, cui turpiter peccando blandiris? Principaliter ergo animus jejunet à malis, & sic corpus subeat exercendo jejunia? Nam cum sit jejunium animæ humiliatio, quale est humiliari cibo, & augeri peccato? Qui igitur corpori suo jejunia devotus indicit, principaliter renuntiet vitijs, cupiditatum fomites comprimat, frangat impetus mentis, libidines vincat, faces avaritiæ ardentes extinguat, latiusque factis vim dilectionis extendat, atq; in alimenta pauperum abrupti apparatus stipendia largiatur. *Et infra.* Imple ergo miserationis officia, & sanctificasti jejunia. Sagina pauperum viscera, & anima tua muneribus sanctitatis pinguescit. Vesti nudum, & tua peccata contecta sunt. Peregrinum hospitio tuo contende suscipere, ut & te

DEUS

Deus in cælorum regno suscipiat. *Ibid: ser: 162. Fer: 3. in Rogationibus.*

Non humanorum alimentorum genera detestanda: sed carnalis est delectatio refrænanda. Esau non pingui vitulo, vel volatilibus saginatis, sed immoderatè concupita lenticula reprobatus est *T, 10. parte 2. ser: de diver: ser: 71. Fer: 4. post 2. Dnicam Quad.* *Iejunium violatur non qualitate cibi sed appetitu inordinate.*

Fidelium corpora cum servituti subijciuntur: proficit spirituali saluti, quidquid corporali minuitur voluptati. Ideoq; cavendum est ne pretiosas escas, vel pro alijs alias, vel etiam pretiosiores sine carnibus animalium requiratis. Cum enim corpus castigatur, & servituti subijcitur: restringendæ sunt deliciæ, non mutandæ. Quid enim interest in quali cibo concupiscentia immoderata culpetur? Non utiq; de solis carnibus, sed etiam de quibusdam pomis, & agricolis alimentis, Israelitarum concupiscentia divina voce damnata est. *Ibid ser: 72. Fer: 5. post eandem Dnicam.*

Hi sunt quadraginta dies sacratissimi, toto orbe terrarum: quos propinquante Pascha universus mundus, quem Deus in Christo reconciliat sibi, prædicanda devotione concelebrat. *Ibid. ser: 73. Fer: 6. post eandem Dnicam.*

Jejuno bis in Sabbatho, decimas do omnium quæcunq; possideo, & nondum fusus erat sanguis Domini. Tantum pro nobis pretium accepimus, & saltem nec tantum erogamus, quantum Pharisæus. *T, 9. lib: de 10. chordis cap: 12.* *Lucæ 18. 12.* *Liberalitas in Deū sanguinis Christi pretium.*

INFERNUS

IN eadem mensura quamvis non æternorum malefactorum, æterna supplicia remetiuntur, ut quia æternam voluit haberi perfruitionem, æternam vindictæ inveniat severitatem. *T. 2. Epist: 49.*

Piè credamus animam Christi fuisse in inferno: sed ideo descendisse, ut quibus oportuit, subveniret. Unde Beatus Petrus cum dicit soluisse dolores inferni, ubi si fuit, ipse est intelligendus Paradysus, quem latronis animæ illo die dignatus est polliceri. *Ibid. Epist: 57.* *Christus descēdit ad inferos ad subveniendum.*

Quis nisi infidelis negaverit fuisse apud inferos Christum? Quodsi movet aliquem quomodo accipiendum sit inferni ab illo solutos dolores: facilè est intelligere, sic eos solutos, quemadmodum solvi possunt laquei venantium, ne teneant, non quia tenuerunt. Potest & sic ut eum solvisse eos dolores credamus, quibus teneri ipse non poterat, sed quibus alij tenebantur, quos ille noverat liberandos. Et de illo quidem primo homine Patre generis humani, quod eum ibidem solverit, Ecclesia ferrè tota consentit: quod eam non inaniter credidisse credendum est, undecunq; hoc traditum sit, etiamsi canonicarum scripturarum hinc expressa non proferatur authoritas. Addunt quidam hoc beneficium antiquis etiam sanctis fuisse concessum, Abel, Seth, Noe, & Domui ejus, Abraham, Isaac, & Jacob, alijsq; Patriarchis & Prophetis ut cùm Dominus in infernum venisset, illis doloribus solverentur. *Ibid. Epist: 99.* *Act: 2. 24.*

Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo & Angelis ejus. His malignis spiritibus & conjungendos simulq; damnandos dicet ituros in tenebras exteriores, id est in societatem pænalem Diaboli & Angelorum ejus. Huic pœnæ contrarium est, quod bono servo dicitur: ut quanto sunt istæ tenebræ exteriores, tantò sit lumen illud interiùs. *Ibid Epist: 120. cap: 23.* *Matt: 8. 12.* *In inferno tenebræ exteriores, in cælo lumen interius.*

Ibi erit fletus & stridor dentium: quia enim volentes injustè

Volentes peccant, nolentes cruciabũtur. stè utuntur bonis, justè nolentes cruciabuntur malis. *T, 2. Epist:* 140. *Ibidem.* *Matt. 8. 12.*

Exteriores tenebræ. Possunt tenebræ exteriores intelligi pœnæ corporales, quas solas timent, qui servili adhuc timore detinentur. Nam si eis liceret in illis exteris, quæ sunt in peccatis impunè semper volui & involui, profectò nunquam vellent accedere ad DEUM & illuminari & inhærere illi per charitatem; ubi est timor castus permanens in sæculum sæculi, qui timor non cruciat, sed tenaciorem facit animam boni illius, quod si dimiserit, cadet, *Ibidem.*

Molestiæ terrenæ excitent nos ad cælum, ubi sine labore vivitur. Si vos aliqua molestia temporalis exagitat: ipsa vos magis admonere debet quemadmodum de illa vita cogitare debeatis, ubi sine aliquo labore vivatis, evadentes non molestas angustias temporis parvi, sed horrendas pœnas ignis æterni. Nam si modo tantâ curâ, tantâ intentione, tanto labore agitis, nè in aliquos cruciatùs transitorios incidatis, quantum vos oportet esse sollicitos, ut sempiternas miserias fugiatis. Et si mors sic timetur, quæ finit temporalium laborem, quomodo timenda est, quæ mittit in æternum dolorem. *T, 2. Epist:* 138. *Matt. 18. 8.*

Nec movet (nos scilicet) quomodo in eis erit corpus incorruptibile, si dolere poterit? aut quomodo corruptibile si mori non poterit? Non enim est vera vita, nisi ubi feliciter vivitur; nec vera incorruptio, nisi ubi salus nullo dolore corrumpitur. Ubi autem infelix mori non finitur, ut ita dicam mors ipsa non moritur: & ubi dolor perpetuus non interimit, sed affligit, ipsa corruptio non finitur. Hæc in sanctis scripturis secunda mors dicitur. *T, 3. Enchirid. cap: 92.*

Pœnæ inferni proportionatæ peccatis. Mitissima sanè omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum quod originale traxerunt nullum insuper addiderunt: & in cæteris qui addiderunt, tantò quisq; tolerabiliorem ibi habebit damnationem, quantò hîc minorem habuit iniquitatem. *Ibid. cap: 93.*

Fasciculi damnatorum. Alligate fasciculos ad comburendum. Cur non unum fascem, aut unum acervum zyzaniorum fieri dixit? Nisi fortè propter varietatem hæreticorum, & non solùm à se ipsis discrepantium ipsa unius cujusq; hæreseos propria conventicula, in quibus singilatim sua communione devincti sunt, nomine fasciculorum designavit. *T, 4. lib: quæst: Evang: secundum Matth: quæst: 12.* *Matt. 3. 30.*

Sicut nullum gaudium rerum temporalium ex aliqua parte simile potest inveniri gaudio æternæ vitæ, quam sancti accepturi sunt, ita nullus cruciatus pænarum temporalium potest sempiternis iniquorum cruciatibus comparari. *T, 4. lib. de Catechisan: rud: cap: 24.*

Incessabiles inferni pœnæ. Fuge ergo per immobilem fidem ad bonos mores, fuge frater illa tormenta, ubi nec tortores deficiunt, nec torti moriuntur. *T, 4. lib: de Catechisan: rud. cap: 25.*

Deus in puniendo justus. DEUS puniendo non est malevolus tortor, sed justissimus ordinator. *T, 4. lib. 1 de serm: in mont: cap: 22.*

Sicut lætitia deserti boni in peccato testis est voluntatis malæ; ita dolor amissi boni in supplicio testis est, naturæ bonæ. Hoc autem in extremo supplicio rectè fit, ut iniqui & impii naturalium bonorum damna in cruciatibus defleant, sentientes eorum ablatorum justissimum DEUM, quem contempserunt benignissimum largitorem. *Ibid. lib: 19. cap: 13.* *Matt. 10. 28.*

Damnatio, mors secunda. Eorum qui non pertinent ad Civitatem DEI erit miseria sempiterna, quæ etiam secunda mors dicitur. Quia nec anima ibi vivere dicenda est, quæ à vita DEI alienata erit, nec corpus quod

æternis doloribus subjacebit. Ac per hoc ideo durior ista secunda mors erit, quia finiri morte non poterit. *Ibid. lib: 19. cap: ult.*

Cur facere DEUS non possit, ut resurgant corpora mortuorum, & igne æterno crucientur corpora domnatorum, qui fecit mundum in cælo, in terra, in àëre, in aquis, innumerabilibus miraculis plenum: cum sit omnibus, quibus plenus est, proculdubio majus & excellentiùs etiam ipse mundus miraculum. *Ibid. lib: 21. cap: 7.*

Pœnæ infernì infallibiles.

Quod de sempiterno supplicio damnatorum per suum Prophetam DEUS dixit fiet, omnino fiet; vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Ad hoc enim vehementiùs commendandum, etiam Dominus JESUS, cum membra quæ hominem scandalizant, pro his omnibus poneret, quos ut sua membra dextra quisquis diligit, eaq; præciperet amputari: bonum est in-

Matt. 18. 8. quit tibi debilem introire in vitam: quam duas manus habentem, ire in gehennam, in ignem inextinguibilem: ubi vermis eorum non moritur. & Non eum piguit uno loco eadem verba ter dicere: quem nunc terreat ipsa repetitio, & illius pœnæ comminatio, tam vehemens ore divino? vide ibi plura. *Ibid. lib: 21. cap: 9.*

Æternitas pœnæ præponenda peccato.

Injustum putant ut pro peccatis quamlibet magnis parvo scilicet tempore perpetratis, pœna quisq; damnetur æterna, quasi ullius, id unquam justitia legis attendat, ut tantâ morâ temporis quisq; puniatur, quantâ morâ temporis, unde puniretur, admisit. *Ibid. lib: 21. cap: 12.*

Quantò magis homo fruebatur DEO tanto majore impietate dereliquit DEUM, & factus est malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse potest æternum. *Ibid. lib: 21. cap: 12.*

Si omnes remanerent in pænis justæ damnatiónis in nullo appareret misericors gratia redimentis: rursum, si omnes à tenebris transferentur in lucem, in nullo appareret severitas ultionis. In qua propterea multò plures, quam in illa sunt, ut sic ostendatur quid omnibus deberetur. Quod si omnibus redderetur, justitiam vindicantis justè nemo reprehenderet. Quia verò tam multi exinde liberantur est unde agantur maximæ gratiæ gratuito muneri liberantis. *Ibid. lib: 21. cap: 12.*

Nequaquam negandum est, etiam ipsum ignem æternum, pro diversitate meritorum, quamvis malorum, alijs leviorem, alijs futurum esse graviorem; sive ipsius vis atq; ardor pro pœna cujusq; varietur, sive ipse æqualiter ardeat, sed non æquali molestia sentiatur. *Ibid. lib: 21. cap: 16.*

Hoc libro 21 de Civit: Dei, a cap: 17. impugnat Sanctus Doctor nonnullorum hominum figmenta, qui putabant nullorum hominum pœnas in æternum. vide T, 5. lib: 21. de Civ: Dei. has variorũ opiniones prolixe enumeratas & respondentem S. Augustinum ad singulos non minus docte quam pie cap: 11. 18. 19. 20. 21. 22. &c.

Nulla pæna peccato excepto mala.

Nec ipse ignis æternus qui cruciaturus est impios mala natura est, habens modum & speciem & ordinem suum, nulla iniquitate depravatum, sed cruciatus est damnatis malum, quorum peccatis est debitus. Neq; enim & lux ista, quia lippos cruciat oculos, mala natura est. *T, 6. lib: 1. de natura boni cap: 37.*

Pejor est corporis morte mors animæ.

Eum timete qui potest animam & corpus perdere in gehen-

Matt. 10. 28. nam: Hujus generis mortes, per quas animæ mittuntur in gehennam, si quis fideli mente, ut dignum est cogitaverit, valde vili æstimabit quamlibet ingentissimam stragem, & sanguinis fluxus mortalium corporum, & quomodocunq; quandocunq; moriturorum. *Et infra.* Quis utriuslibet sexûs homo non mallet gladio trucidari,

cidari, quis non igne consumi, vel ferinis morsibus per ista pudenda laniri, quàm mitti in gehennam ignis æterni? *Ibid. lib: 1. con. Adversar: legis & Prophe: cap- 16.*

Parvis magna apud Deum acquirimus. Ite in ignem æternum, hujus tanti supplicij quæris causam? esurivi inquit & non dedisti mihi manducare, ecce pro esca temporali non ablata sed non data æternum & horrendum supplicium comminatur, & rectè si consulas veritatem. Perparvum est enim, quod in eleemosynis datur, sed cùm piè datur, æternum inde meritum comparatur. Et ideo potiùs quia parvum est, quod datur, magna impietate non dátur. Si autem consulas hominem, ut de suo respondeat tibi, omnis homo mendax, contemnit culpam, & exaggerat pœnam. Jllam quippe non videt mente carnali, hanc exhorret carne mortali. *Ibid. cap: 16.* *Matth 25.41.*

Major impietas est minus Deo negare.

Discedite à me maledicti in ignem æternum. Ibi non sanguine inebriabuntur ipsæ sagittæ, sed non satiabuntur membris omnibus flammæ. Nec carnes gladius manducabit, sensum doloris, citiùs auferens mortuis quàm inferens vulneratis: sed nemo cruciatibus saltem moriendo subtrahitur, nè in moriente simul etiam ipsa pœna moriatur. *Ibidem.* *Ibidem*

Improborum pœnâ est non posse mori, seu nunquam improborum pœna moritur.

Nolite errare, neq; fornicatores, neq; idolis servientes &c. Regnum DEI possidebunt. Non ait qui omnia vitia simul habuerint, regnum DEI non possidebunt, sed neq; illi ut in singulis hoc subaudias, quod nulli eorum Regnum DEI possidebunt. Nec dubitandum est quidem ipsas pœnas, quibus cruciabuntur, qui Regnum DEI non possidebunt, pro diversitate criminum esse diversas, & alijs alias acriores, ut in ipso igne æterno pro disparibus ponderibus peccatorum sint disparia tormenta pœnarum. *T, 7. lib: 4. de baptismo con: Donatistas. cap: 19.* *1. Cor: 6.*

Semel etiam graviter errasse, ad supplicium æternum satis est.

Criminum gravitati pœnæ respondet gravitas.

Ignis & sulfur & spiritus procedet pars Calicis eorum. Hæc pœna eorum est atq; exitus per quos blasphematur nomen DEI, ut primò cupiditatum suarum igne vastenter, deinde malorum operum fætore à cætu beatorum abijciantur, postremo abrepti atq; submersi ineffabiles pœnas luant. *T, 8. in Psal: 10.* *Ps:10. 7.*

Impij infernum in terris inchoant.

Ibidem. Abyssus abyssum invocat, quia de pœna in pœnam transeunt, & de tenebris ad tenebras, & de profunditate ad profunditatem, & de supplicio ad supplicium, & de ardore cupiditatis in flammas gehennarum. *Ibid. in Psal: 41.* *Ps:41. 8.*

Finietur vita, labor non finietur. Laborabit in æternum & vivet in finem. Quomodo vivet in finem? Quomodo vivebat ille qui induebatur purpurâ & bysso, & epulabatur quotidiè splendide, & jacentem ulcerosum ante januam, cujus ulcera canes lingebant, & desiderantem micas quæ de mensa ejus cadebant, superbus & tumidus contemnebat. Quid illi profuerunt illæ divitiæ? Mutaverunt vices ambo. Jlle à janua divitis sublevatus est in sinum Abrahæ; ille ab epulis splendidis missus est in ignem. Jlle requiescebat, ille ardebat: satiabatur ille, ille sitiebat. Jlle laboraverat in finem vivet in æternum; ille vixerat in finem laborabit in æternum. Et quid profuit diviti, qui quæsivit apud inferos in tormentis positus stillari ibi guttam aquæ in linguam suam de digito Lazari? dicens: Quoniam ardeo hic in hac flamma: & non illi concessum est? Sic desideravit ille guttam de digito, quomodo ille micas de mensa divitis. Sed illius labor finitus est, illius vita finita est. Labor hujus in æternum, vita illius in æternum. Non hic habemus vitam qui forte hic laboramus in terra, & non sic erimus postea: erit enim vita nostra Christus in æternum. Jlli autem qui hic volunt habere vitam laborabunt in æternum & vivent in finem. *Ibid. in Psal: 48.* *Lu:16. 20.*

Labor impiorum æternus sanctorum vita et quies æterna.

Dives

Dives ille quando quotidie epulabatur splendidè, bene secum facere putabatur cum autem cæpit ardere apud inferos tunc inventum est male quod putabatur bene. Quod enim manducaverat apud superbos, hoc digerebat apud inferos. *Ibid. Con*: 2. *in Psal*: 48. *Impij tormenta sibi incita parant quibo in inferno torqueantur.*

Sicut ignis qui comburit sylvam, sicut flamma comburens montes: ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira tua conturbabis eos sylvam dixit propter sterilitatem, montes propter elationem: tales enim sunt inimici populi DEI, inanes justitiæ pleni superbia. Ignem vero & flammam dicens hoc ignem alio nomine repetivit quod intelligi voluit judicantem atq; punientem. *Ibid. in Psal*: 82. *Damnati Sylvæ montibus comparantur.*

Duæ habitationes sunt: una in igne æterno, alia in regno æterno. Puta quia in igne æterno, aliter ille, aliter ille torquebũtur; ibi erunt, tamen ibi omens cruciabuntur; minus ille, plus ille. *Et infra.* Quæcunq; ibi mitiora sunt tormenta, pejora sunt quàm quæ formidas in istò sæculo. Cogita quomodo tremas si tibi aliquis calumnietur, ne mittaris in carcerem: & tu ipse contra te malè vivis, ut mittaris in ignem? *Et infra.* Ex his ergo quæ in hoc tempore homines timent, conijciant quæ timere debeant. Timet enim carcerem, & non timet gehennam? timet quæstionarios tortores, & non infernales Angelos? timet cruciatum temporalium, & non timet pœnas ignis æterni? Postremo timet ad modicum mori, & non timet in æternum mori. *T*, 10. *serm*: *de ver*: *Ap*: *ser*: 18. *Nescitis quia corpora vestra membra sunt &c.* *Proportio pænarũ æternarũ ex temporalibus sumenda.*

Si Sacerdotibus grande periculum est aliena peccata non arguere, quantò periculosiùs erit, propria noluisse corrigere? atq; ea non solum non emendasse, verum etiam defendisse, & defendendo cumulasse. Et ideo expiatura erit illic inextinguibilis concrematio, quidquid hic medicabilis satisfactio, quidquid hic salutifera dissimulaverit sanare conversio. Ardens enim inferni puteus aperietur, descensus, erit, reditus non erit. Jllic fidei veste nudati, & capitaliter mortui, in perpetuum demergentur, eijciendi in tenebras exteriores, ubi non visitabit æternus. In tenebras ex tenebris infeliciter exclusi infelicius includendi. De hoc puteo Propheta orat, atq; commemorat. Neq; absorbeat me profundum, neq; urgeat super me puteus os suum. Ideo autem dixit: Neq; urgeat super me puteus os suum, quia cum sine pœnitentiæ remedio infelices peccatores exceperit, claudetur sursum, aperietur deorsum, ac dilatabitur in profundum. Nullum spiramen, nullus liber anhelitus, claustris desuper angentibus relinquetur. Detrudentur illuc valedicentes rerum naturæ, ultra nescientur à DEO, qui DEUM scire noluerunt, morituri vitæ, & morti sine fine victuri. Felices qui nunc bene viventes, facultatibus vel corpori suo suo necessarijs contenti, & de suo largi, in se casti, in alios non cruenti, ab hujus putei profundi flammea nocte se redimunt. Hæc pœna illos manebit, qui amisso & non reparato per pœnitentiam baptismo, in æternum peribunt. Ad quos dicitur. Paleas autem comburet igni inextinguibili. *T*, 10. 50. *Hom*: *Hom*: 16. *de Resurrectione Domini.* *Æternitas pænarum.* *P*: 68 16.

Mortuus est dives & sepultus est. Nam pauper forte nec sepultus. Et quid postea? Cum apud inferos dives ille in tormentis esset. levavit oculos suos, vidit pauperem, quem contempserat, in Abrahæ gremio quiescentem. Desideravit guttam à quo ille micam. Et quoniam dilexit opulentiam, non invenit misericordiam. Voluit subveniri fratribus suis, semper vecors, serò misericors. *Sæpe correctiõ sera misericordiã excludit.*

Nihil omnino quod postulavit, accepit. *T, 10. ser: de Tem: ser: 110. Fer: 4. post Dnicam Passionis.*

Pauper beatitudinem emit mendicitate, & dives supplicium facultate. Jlle in Abrahæ gremio ab Angelis elevatur, dives vero ad inferni profunda perducetur. *Et infra.* O mundi bona, apud inferos mala. Accesserunt ad servitium divitis ignes, & ad obsequium sævi tortores. Patitur duros tartarorum ministros. Torquetur & clamat. *T, 10. eorund: ser: 227. Dnica 15. post Fest: S. Trinitatis.*

Æternæ non merētur bonis temporib9 satiari.

Nemo se decipiat fratres: duo enim loca sunt, & tertius non-est ullus. Qui cum Christo regnare non meruerit, cum diabolo absque dubitatione ulla peribit. *Ibid. 232. Dnica 17. post idem festum ser: 2.*

Discedite à me maledicti in ignem æternum irrevocabilis enim sententia erit, quæ à pijssimo DEO ideo multò ante prædicitur, ut à nobis totis visceribus caveatur. Si enim nos DEus noster vellet punire, non nos ante tot sæcula commoneret. Invitus quodammodo vindicat, qui quomodo evadere possimus, multo ante demõstrat. *Et infra.* Esurivi, & non dedistis mihi manducare. Rogo vos fratres, nolite hæc transitoriè cogitare, nec credatis, quod hoc de Judæis tãtum, aut Paganis, vel hæreticis fuerit dictum: sed definitissime credite, quia hoc Christiani & Catholici, qui in malo opere perseverare voluerint, audituri sunt. Ad judicium enim non veniunt, nec Pagani, nec hæretici, nec Judæi: quia de ipsis scriptum est Qui non credit, jam judicatus est. Et ideo inter illos qui ad sinistram mittendi sunt, non solum laici erunt, sed & multi Episcopi, quod pejus est, clerici mali, vel Monachi cupidi, & superbi, simul & sanctimoniales, & viduæ iracundæ, superbæ vel cupidæ, & si eis fructuosa pænitentia non subvenerit, audituri sunt illam metuendam, & irrevocabilem vocem. Discedite à me male dicti in ignem æternum. Sententia ista si eam fideliter cum ingen ti timore voluerimus audire, ab omni opere malo nos poterit re vocare.

Matt 25. *Ib: 15.*

Deus prædixit nobis inferni pœnas ut subtrahat illas.

Et infra. Discedite à me maledicti in ignem æternum: quia esurivi & non dedistis mihi manducare. Si in ignem mittetur, qui esurienti non dedit panem suum, putas ubi mittendus est, qui tulit alienum? Si in ignem mittetur, qui nudum non vestit, ubi mittendus est, qui vestitum expoliavit? Si cum diabolo damnatur, qui hospitibus non præbuit domum suam, putas ubi mittendus est, qui tollit alienam? Si periturus est qui carcerem non visitavit, quid de illo fiet, qui forte in carcerem misit? Rogo vos fratres charissimi, hinc attendite, quam spem habere possunt, qui mala faciunt, quando illi perituri sunt, qui bona non faciunt Deniq; & alio loco Dominus terribiliter nos admonet, dicens: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Non dixit, quæ facit fructum malum: sed quæ non facit fructum bonum Hinc ergo possumus evidenter agnoscere, quas pœnas arbor spinosa in die judicij patietur, quando illa quæ fructum non dederit, excidetur, & in ignem mittetur. Nemo se decipiat fratres charissimi: nemo se falsa spe circumveniat: quia Christiani nominis non facit sola dignitas Christianum, nihilq; prodest, quod aliquis Christianus vocatur in nomine, si hoc non ostendit in opere. Scriptum est enim Fides sine operibus mortua est. *T, 10. serm: de San: ser: 38 In die commemorationis fidelium defunct: ser: 1.*

Mat: 8 5. 15. *Mat: 7 19.*

Cõmittere malũ omittere bonum æque pœnam merentur.

Christianum nomen non facere.

Inimicus homo diabolus, qui superseminavit peccata. Messores sunt Angeli qui eligunt iustos, à peccatoribus. Ligate fasciculos, hoc est rapaces cum rapacibus, adulteros cum adulteris, fornicã-

Matt 13. 30

Complices scelerum pariter cum authoribus torquebuntur.

nicatores, cum fornicatoribus, homicidas, cum homicidis, avaros cum avaris, iracundos cum iracundis, falsos testes cum falsis testibus, fures cum furibus, derisores cum derisoribus, similes cum similibus. Hi sunt fasciculi ad comburendum. Triticum autem congregatum in horreum meum, id est, mitte justos in paradisum. Fratres expavescere & timere debemus, de tam brevi satietate, de tam longa fame, de tam longis tenebris, de tam brevi luce. Dum tempus habemus convertamur ad Dominum, qui fecit nos, ut non mereamur introire in illas tenebras, sed in lucem: quia omnis homo cujus opera facit ejus filius est. Si opera DEI facimus, filij DEI sumus. *Ibid. ser: 39. In eodem die ser: 2.*

Ne contemneres tenebras, o quisquis es, flagitiosus qui soles propter tua mala facta; & propter lasciva adulteria, non solum tenebras non horrere, sed quærere, qui soles plus gaudere, quando lucerna extinguitur, non tales tenebras habebis, ubi gaudeas, ubi læteris, ubi te voluptatibus carnis oblectes, non sic erunt ipsæ tenebræ. Quomodo erunt? Ibi erit fletus & stridor dentium. Tortor sine defectu, tortus sine defectu. Nec qui torquet fatigatur, nec qui torquetur moritur. Erunt ergo æternæ lachrymæ illis qui sic vixerunt, æterna gaudia Sanctorum, quando venientes in exultatione portantes manipulos suos: dicent enim tempore messis Domino suo, Domine adjuvante te fecimus quod jussisti, redde quod promisisti. *T, 10. ser: 45. In festis plurium Mart: ser: 1.*

Peccata in tenebris tenebras cooperient.

Si curari destiteris, & esse idoneus ad perfruendum hac luce neglexeris, valetudine oculorum tuorum tenebras amabis: & amando tenebras, in tenebris remanebis: & remanendo in tenebris, etiam in tenebras exteriores proijcieris: ibi erit fletus & stridor dentium. Si nihil in te faciebat amor lucis, faciat timor doloris. *T, 9. in Evang: Ioan: Tract: 18. de cap: 5.*

Timor pœnarū inferni efficax ad virtutem.

Tanta est suppliciorum, quanta est diversitas peccatorum: quæ quomodo se habeat altius indicat sapientia divina, quam conjectura scrutatur, aut effatur humana. *Ibid. Tract: 89. de cap: 15.*

Cogita quoslibet cruciatus, extende animum in quaslibet in hac vita pænas humanas: compara ad gehennam, & leve est omne quod cogitas. Hic temporalis, ille æternus est, & qui torquet, & qui torquetur. Nunquid adhuc patiuntur qui illo tempore passi sunt, quo Roma vastata est? Dives autem ille adhuc apud inferos patitur. Arsit ardet, & ardebit. Vivet usq; ad judicium: recipiet carnem non ad beneficium sed ad supplicium. Illas pænas timeamus si DEUM timemus. Quidquid hic passus fuerit homo, si corrigatur emendatio est: si nec sic corrigatur duplex damnatio est. Et hic enim luit pœnas temporales, & ibi experietur æternas. *T, 9. lib: de urbis excidio Tract: 11. cap: 4.*

Gravitas pœnarum inferni.

Bis punitur qui se non emendat.

INGRATITUDO

Scipio ille Romæ Italiæq; liberator, ejusdemq; belli Punici secundi, tam horrendi, tam exitiosi, tam periculosi præclarus mirabilisq; confector, victor Annibalis, domitorq; Carthaginis, inimicorum accusationibus cessit, carensq; Patriâ, quam sua virtute salvam & liberam reddidit, in Oppido Lintermensi egit, reliquam complevitq; vitam, post insignem suum triumphum, nullo illius urbis captus desiderio, ita ut jussisse perhibeatur, nè saltem mortuo in ingrata Patria funus fieret *T, 5. l. 3 de Civit: Dei cap: 21.*

Nihil boni certò tibi sperandum ab iis in quos beneficus fueris.

Et Israel non intendit mihi. Quis cui? Israel mihi. O ingrata anima: per me anima, à me in spem reducta, à me à peccatis abluta. Et Israel non intendit mihi. *T, 8. in Ps: 80.*

S. JOANNES
BAPTISTA.

Ioannes in Matris utero Doctor ac Magister.

INtelligens Joannes Matrem Domini sui, venisse ad suam Matrem, inter ipsas angustias uteri, motu salutavit, quem voce non poterat. *Et infra.* Non sum ego dignus solvere corrigiam calceamenti ejus! O fidelis testis & amice veri sponsi, quantum te humiliâsses, si ad corrigiam calceamenti ejus solvendam dignum te esse dixisses. *Et infra.* Ego à te debeo baptizari, agnovit servus Dominum, agnovit peccati originalis vinculis obligatus, ab omni nexu peccati liberum, agnovit præco Judicem, agnovit creatura Creatorem, agnovit Paranymphus sponsum. Concione ad Catechum. *T. 6. cap: 14.*

Io: 1. 17.

Ioannes inter natos mulierũ maior quia humilis.

Quam bene Deum nouerit Ioannes

Nullius Sancti nisi Ioannis celebratur natiuitas.

Date mihi alium servum præter Joannem inter Patriarchas, inter Prophetas, cujus natalem diem celebret Ecclesia Christi, Passionũ diem servis plurimis celebramus, nativitatis diem nemini nisi Ioanni *T. 10 50 Homil: 44 De testimonio Christi de Ioanne Baptista.*

Mat: 11, 11

S. Ioannes cur non est major omnibus natis mulierum.

Non surrexit inter natos mulierum major Ioanne Baptista. Precellit cæteros, eminet universis. Antecellit Prophetas, supergreditur Patriarchas, est quisquis de muliere natus est, inferior est Ioanne. Dicet fortasse aliquis si inter natos mulierum, Ioannes major est Salvatore. Absit Ioannes enim natus mulieris, Christus autem virginis natus est. *T. 10 sermonum de Sanctis sermone 21 In festo nativitatis S. Ioannis Baptistæ 2.*

S Ioannes primus lumẽ mũdo intulit.

Quia universum mundum peccatorum tenebra & nox infidelitatis oppresserant, & solem justitiæ aspicere non valebant, beatus Ioannes quasi lucerna promittitur, ut cordis oculi qui lippitudine iniquitatis oppressi fuerant, magnum & verum lumen videre non poterant ad lumen lucernæ primum quasi tenuem splendorem videre consuescerent ut paulatim nubilo remoto, & infidelitatis humore digesto, adveniente in Christo ab illo cælesti lumine lætificari possent potius quàm retorqueri. *Ibidem*

Idem ordo natiuitatis S. Ioannis ut Christi.

Natalis dies carnis nulli Patriarcharum nemini Apostolorum celebravit Ecclesia: solos dies natalis celebrat huius & Christi *Et infra* Natus est Ioannes; natus est & Christus Annuntiatus Ioannes ab Angelo, annuntiatus Christus ab Angelo utrumq; magnum miraculum. Servum præcursorem parit sterilis de sene viro, Dominum possessorem parit virgo sine viro. Magnus homo Ioannes sed plus quàm homo Christus quia & homo, & Deus, Magnus homo sed humiliandus erat homo, ut exaltaretur Deus, *T. 10 de dixer: ser: 40 de nativitate S. Ioannis Bap:*

Sublimitas S Ioannis.

Inter ipsos Evangeliorum scriptores, Ioannes eminet in divinorum mysteriorum profunditate qui à tempore dominicæ ascensionis per annos sexaginta quinq; verbum Dei absq; adminiculo scribendi, usq; ad ultima prædicavit tempora Domitiani, sed occiso Domitiano, cum permittente Nerva de exilio redijsset Ephesum, compulsus ab Episcopis Asiæ de coæterna Patri divinitate Christi, scripsit adversus hæreticos, qui eo absente irruperant in Ecclesias, qui Christum ante Mariam fuisse negabant. Vnde merito in figura quatuor animalium aquilæ volanti comparatur: quæ volat altius cæteris avibus, & solis radios irreverberatis aspicit luminibus *Et infra* Legerat siquidem Evangelia trium Evangelistarum, & approbaverat fidem eorum, & veritatem: in quibus deesse vidit aliqua gestarum rerum historiæ, & ea maximè quæ Dominus gessit primo prædicationis suæ tempore, scilicet antequam Ioannes Baptista

ptista clauderetur in carcere. Hæc ergo quasi dimissa ab illis scribit Ioannes quæ fecit IESUS ante quàm Ioannes clauderetur: Sed maximè divinitatem Christi, & Trinitatis mysterium commendare curavit. *T. 9. Præfatione incerti authoris*

Ioan. 1. Dicere ut est, quis potest. Audeo dicere fratres mei, forsitan nec ipse Ioannes dixit ut est: sed & ipse ut potuit, quia de Deo ut homo dixit. Et quidem inspiratus à DEO, sed tamen homo. Quia inspiratus dixit aliquid: si non inspiratus esset, dixisset nihil. *T. 9. In Ioan: Tract: 1. de cap. 1.* *Concionatoribus dicēda inspirat Deus.*

Non est dignus Ioannes solvere corrigiam calceamenti eius. Quod si dignum se diceret, quàm humilis esset! Et si dignum se diceret & sic diceret: Ille venit post me, qui ante me factus est, cuius tantummodo corrigiam calceamenti dignus sum solvere: multum se humiliasset. Quando autem nec ad hoc dignum se dicit, vere plenus Spiritu Sancto erat. *Tr: 4. de cap. 1.* *Major humilitas, magis Spiritum Sanctum accipit.*

INIMICVS

Mat. c. 10. DIligamus inimicos lucrandos Regno DEI, & oderimus in propinquis, si præpediunt à Regno DEI: *Tom. 1. lib. 1: Retract: c. 19* *Dilectione inimicos Deo lucramur.*

Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Hoc orate ut fiat voluntas DEI sicut in eis qui iam fideles sunt, & portant imaginem cælestis hominis, & propterea cæli nomine digni sunt: ita & in eis qui per infidelitatem non nisi imaginem terreni hominis portant & ob hoc terra merito nuncupantur. *Tomo. 2 epist. 107.* *Homo fidelis cælum est infidelis terra.*

Dicuntur in scripturis inimici DEI, qui non natura sed vitijs adversantur eius Imperio, nihil ei valentes nocere, sed sibi Inimici enim sunt resistendi voluntate, non potestate lædendi. DEUS namq; immutabilis est & omni modo incorruptibilis. *Tom: 5 de Civit: Dei. c. 3.* *Inimicus Deo, sibi inimicus est.*

Iniuriæ, suspiciones, inimicitiæ, bellum, pax rursus: nonne res humanas ubiq; impleverunt? nonne hæc & in amicorum honestis amoribus contingunt. Qui porro inter se amiciores solent esse vel debent, quàm qui una etiam continentur domo? & tamen quis inde securus est cùm tanta sæpe mala ex eorum occultis insidiis extiterint; tanto amariora, quanto pax dulcior fuit, quæ vera putata est, cùm astutissimè fingeretur. Propter quod omnium pectora sic attingit ut cogat in gemitum, quod ait Tullius Nullæ sunt occultiores insidiæ, quam hæ, quæ latent, in simulatione Officij, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eum qui palam est adversarius facile cavendo vitare possis. *Et infra* Propter quod etiā divina vox illa & inimici hominis domestici eius, cùm magno dolore cordis auditur. *Et infra* Si ergo Domus commune perfugium in his malis humani generis tuta non est quid Civitas, quæ quanto maior est, tantò forum eius litibus & ciuilibus & criminalibus plenius etiamsi quiescant non solum turbulentæ, verum etiam si sæpius & cruentæ seditiones ac bella civilia: à quorum euentibus sunt aliquando liberæ Civitates à periculis nunquā. *Ic: lib: 19 c. 5.* *Inconstans pax & amicitia humana.* *Gravior est ab amico afflictio* *Simulata amicitia aperto hoste pejor est.* *Maximæ in in civitatibus discordiæ.*

Notissima illa & quarundam literarum memoriæ commendata furiosa sententia, pereant amici dum inimici una intercidant. *Cicero pro Deiot: 6. Lib. 21. con: Faust: c. 78.* *Caveas amicis ne illos habeas inimicos.*

Qui sunt inimici Ecclesiæ? Pagani Iudæi. Omnibus peius vivunt mali Christiani. Attendens multitudinem malè viventium in Ecclesia. Super omnes inquit inimicos meos factus sum opprobrium. Peius inquit vivunt mali in Sacramentis meis quàm qui ad illa nunquam accesserunt De talibus dicit Apostolus Petrus, melius *Majores inimici Ecclesiæ christiani mali quam pagani Iudæi.*

erat illis non cognoscere viam justitiæ. Cùm dicit melius nonne judicavit meliores esse inimicos foris positos, quàm intus male viventes quibus premitur & grauatur Ecclesia Deniq; vide quàm horribili rei eos comparauerit- Contingit illis res veri proverbij, Canis reuersus ad suum vomitum. Et vicinis meis valde, & timor notis meis idest qui mihi iam propinquabant ut crederent: hoc est vicinì mei nimium deterriti sunt mala vita malorum & falsorũ Christianorum. *Con: 2 in psal: 20.*

Descendant in infernum viuentes. Studio contentionis accensi à dulcibus suis malis recedere noluerunt. Venit super ignem ignis, super ardorem dissensionis ardor consumptionis. *in psal: 54.*

JNIQVITAS

Iustitia aliena iniustitia iniquis est.

ET sensi & expertus sum, non esse mirum, quod palato non sano pæna est panis, qui sano svavis est: & oculis ægris odiosa lux quæ puris amabilis est. Et iustitia tua displicet iniquis. *Tom: 1. Lib. 7. Confess: c: 16.*

Solum peccatũ malum est.

Ordinis inter res observatio justitia est ejus perturbatio injustitia.

Nos & proximum bene diligimus si propter Deum diligimus.

In omnibus quæ humana infirmitas horret aut timet, sola iniquitas iure damnarur: Cætera sunt vel tributa naturarum, vel merita culparum. Fit autem homo iniquus cùm propter seipsas diligit res, propter aliud assumendas, & propter aliud appetit res propter se ipsas diligendas. Sic enim quantum in ipso est, perturbat in se ordinem naturalem, quem lex æterna conservari jubet. Fit autem homo justus cum ob aliud non appetit rebus uti, nisi propter quod divinitùs institutæ sunt: ipso autem DEO frui propter ipsum, seq; & amico in ipso DEO propter eundem ipsum DEUM. Propter DEUM enim amat amicum, qui DEI amorem amat in amico. *Tom; 6. lib: 22. con: Faust: cap: 78.*

Iniquitas difficilis labor est ad perniciem.

Sub lingua ejus labor & dolor. Nihil est laboriosus iniquitate *Ps. 10, 7.*
& impietate: quem laborem sequitur dolor, quia non solum sine fructu sed etiam ad pernitiem laboratur; qui labor & dolor ad illud refertur quod dixit. In corde suo non movebor. Et propterea: sub lingua ejus, non in lingua. Quoniam tacite ista cogitaturus est: omnibus autem alia locuturus, ut bonus & justus, & DEI filius videatur. *In psal. 9.*

Consuetudo peccanti verecundiam eripit justo corripiendi libertatem.

Prodeant in medium qui male vivunt, Inspiciamus facta flagitiosorũ, sceleratorumq; hominum quorum magna turba est, qui fovent quotidie peccata sua, qui factis in consuetudinem versis etiam uerecundiam perdiderunt. Hæc tanta hominum multitudo est, ut inter eos positum Corpus Christi vix audeat reprehendere quod non cogitur admittere, & pro magno sibi putet, servari integritatem innocentiæ, ne faciat quod culpare jam per consuetudinem, aut non audeat, aut si ausus fuerit, facilius erumpat reprehensio & reclamatio eorum qui male vivunt, quàm vox libera eorum qui bene vivunt. Et isti tales sunt ut dicant in corde suo. Non est DEUS. *Et infra.* Cæpit corruptio à mala fide, inde itur in turpes mores, inde in acerrimas iniquitates gradus isti sunt. Quid enim dixerunt. Coronemus nos rosis antequam marcescant. Ubique relinquamus signa lætitiæ nostræ. Post illam descriptam latius luxuriam quid sequitur. Occidamus pauperem justum. Hoc est ergo dicere. Non est DEUS. Lenia videbantur loqui. Coronemus nos rosis. Quid delicatius, quid lenius? sperares de hac lenitate cruces & gladios? Noli mirari, lenes sunt & radices spinarum. Si quis eas contrectet non pungitur: sed quo pungeris, inde nascitur. Si filius DEI est descendat de cruce. Ecce aperte dixerunt. Non est DEUS. *In psal: 52.*

Iniquitas per gradus crescit

Si

Si Martyr fueris ibis & tu in aliam vitam. Nunquid quia tu transisti hinc propterea jam transijt iniquitas? Nascuntur alij iniqui sicut moriuntur alij iniqui. Quomodo ergo alij iniqui moriuntur, & alij nascuntur: sic alij, justi eunt & alij nascuntur usque in finem sæculi: nec iniquitas deerit premens, nec justitia patiens. *In psal 58.*

Nunquam moritur iniquitas nascitur cum posteris.

Ps. 58. 6. Non miserearis omnium qui operantur iniquitatem. Hoc duobus modis intelligi potest. Sive quia omnino nulla peccata impunita relinquit DEUS: sive quod est quædam iniquitas, quam qui operantur, omnino eorum Deus non miseretur. Iniquitas omnis parva magnave sit puniatur necesse est, aut ab ipso homine pænitente, aut à Deo vindicante. Non potest Deus misereri omnium operantium iniquitatem, quasi blandiens peccatis aut non eradicans peccata. Prorsus aut punis aut punit. Vis non puniat? puni tu. Sed videamus jam alium modum quo hæc sententia possit intelligi. Est quædam iniquitas quam qui operatur non potest fieri ut misereatur ei Deus. Quæritis forte quænam illa sit? Ipsa est defensio peccatorum. Enar in primam partem. *Psal: 58.*

Quid nam peccatum irremissibile Deo.

Nolite sperare super iniquitatem. Vana est iniquitas. Nihil est iniquitas; potens non est nisi justitia. Occultari potest ad tempus veritas, vinci non potest. Florere potest ad tempus iniquitas, permanere non potest. *In psal. 61.*

Iniquitas florere potest permanere non potest

Nostra tempora magis abundant illo væ quod clamavit Dominus væ mundo à scandalis. Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum. *Et infra.* Videmus in fronte portantes signum ejus: simul in ipsa fronte portare impudentiam luxuriarum, diebusq; & solennitatibus Martyrum non exultare, sed insultare. *In psal. 69.*

Impij signa peccatorum in fronte gerunt.

INVIDIA.

SI non possum dicere, quid mihi emendandum videatur, in scriptis tuis, tu in meis, nisi cum suspicione invidiæ aut læsione amicitiæ, quiescamus ab his & nostræ vitæ, salutique parcamus. Minus certè assequatur illa scientia quæ inflat, dum non offendatur illa quæ ædificat. *Tom: 2. Augustinus Hieronymo epist. 15 cap. 3.*

Invidus vitæ suæ salutique hostis est.

Sapientis est propter Deum desipere.

Nullius invidus, ut alterum lædat, non sibi prior tormento est. Nocent autem infirmioribus fortiores. *Tom. 6. lib. con. secundi num. cap: 10.*

Invidus, sibi ipsi tortor est.

Invidia sequitur superbiam, non præcedit, non enim causa superbiendi, est invidentia, sed causa invidendi, superbia. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coæquantur, vel inferioribus, nè sibi coæquentur. vel superioribus
Eccl. 10. 15 quod eis non coæquetur; Meritò initium omnis peccati superbiam scriptura definivit dicens: Initium omnis peccati superbia. Cui testimonio non inconvenienter aptatur illud, quod Apostolus ait:
1. Tim. 5. 10. Radix omnium malorum est avaritia. Si avaritiam generalem intelligamus, quâ quisque appetit aliquid ampliùs, quàm oportet propter excellentiam suam: cui sapienter nomen latina lingua indidit, cum appellavit privatum quod potiùs à detrimento quàm ab incremento dictum elucet: Omnis enim privatio minuit. Unde itaque vult eminere superbia, inde in angustias egestatemque contruditur, cum ex communi ad proprium damnoso sui amore redigitur. *Tom 3. lib. 11: de Gen. ad lit. cap. 14. & 15:*

Superbia mater invidiæ est.

Odit omnes qui excellentiam suam diligit.

Neminem extulit superbia oppressit omnes.

Superbiæ comes est invidia. Fieri enim non potest ut superbus non invideat. Ex hoc vitio necessario sequitur. *Tom: 8. con: 2. in psal. 58.*

Superbiæ comes invidia.

Si

Si jam non facis furtum vide. Si enim jam non facis vide si aliquando fecisti. Si jam dies es recole noctem tuam. Si in cælo fixus es recole noctem tuam. Si in cælo fixus es recole terram tuam. Invenis te furem fortasse aliquando: & aliquem alium forte stomachatum quia & tu furtum faciens vixisti & non es mortuus. Quomodo autem tu quando faciebas ideo vixisti ut postea non faceres: noli quia tu transisti velle misericordiæ Dei pontem subvertere. *In psal: 93.*

Contra invidiam remedium meminisse quod tales sicut & alii fuerimus.

Sicut ærugo ferrum, ita invidia illam ipsam animam in qua est, interimit & consumit. Et sicut ajunt viperas dilacerato & dirupto illo ipso materno utero in quo conceptæ sunt, nasci: ita & invidiæ natura illam ipsam animam à qua concepta est, & consumit & perdit. Qualis hæc animæ tinea est? quæ cogitationum tabes pectoris? Quanta rubigo zelare in homine donum Dei, & in malo opprobrio bona aliena convertere gloriam facere pænam suam, velut quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus, & sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, non cibis talibus lætus, non potus potest esse jucundus. Suspiratur semper & ingemiscitur ac doletur; diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur. Et quantum ille, cui invidet, successu meliore profecerit, tantum invidus in majus incendium livoris ignibus exardescit: pallor in facie, tremor in labiis, stridor in dentibus. *Tom. 10. Serm. de Temp. Ser, 83 Dnica 3 in Quadrag. Serm. 1.*

Plus invido quam cæteris invidia nova.

Invidentia diabolicum vitium est: sed habet matrem suam superbia vocatur mater invidiæ superbia invidos facit. Suffoca Matrem & non erit filia. Ideo humilitatem docuit Christus. *Tom. 9. lib. meditat. cap. 7.*

Initiis obstãdum.

I R A

Facilius est simpliciter nõ irasci quam iram comprimere.

IN recipiendis hospitibus ignotis solemus dicere, multò esse melius malum hominem perpeti, quàm forsitan per ignorantiam excludi bonum, dum cavemus nè recipiatur malus. Sed in affectibus animi contra est nam incomparabiliter salubrius est, etiam iræ justæ pulsanti non aperire penetrale cordis, quàm admittere non facilè recessuram, & perventuram de surculo ad trabem. Audet quippe impudenter crescere citiùs quàm putatur. Non enim erubescit in tenebris, cum super eam sol occiderit. *Tom. 2. Epist. 149.*

Iræ scintilla facilè erumpit in incendium.

Polita semper incedit ira.

Nulli irascenti ira sua videtur injusta, ira inveterascens ita fit odium, dum quasi justi doloris admista dulcedo, diutiùs eam in vase detinet, donec totum acescat; vasq; corrumpat. *Ibidem.*

Irrogare pænam pro culpa cum judicio divino more irasci est.

Ira Dei non perturbatio animi ejus est, sed judicium quo irrogatur pæna peccato, cogitatio verò ejus, & recogitatio mutandarum rerum est immutabilis ratio; Non enim sicut hominem, ita Deum cujusquam facti sui pænitet, cujus est de omnibus rebus tam fixa sententia, quam certa præscientia. *Tom: 5. lib: 15. de Civit: Dei. cap. 25.*

Ira Dei est felicitas impiorum.

Præ magnitudine iræ suæ non exquiret. A paucis eruditis major ejus ira intelligitur. Vana & seductoria felicitas impiorum. *Tom. 8. in psal. 89.*

Nemo repente malus.

Festuca initium trabis est. Nam trabes quando nascitur, prius festuca est. Rigando festucam, Perducis ad trabem: alendo iram, malis suspicionibus perducis ad odium. Multum autem interest, inter peccatum irascentis, & crudelitatem odio habentis. Nam & filiis nostris, quando irascamur: odisse verò filios quis invenitur. *Mat. 7. 4.*

Et infra.

Et infra. Nam si malum animum, gerens adversus fratrem tuum
Mat.5. 23. adveneris cum munere ad Deum tuum, respondet tibi: Tu periisti, mihi quid attulisti? Offers munus tuum, & tu non es munus Dei! Plus quærit Christus, quem redemit sanguine suo, quàm quod tu invenisti in horreo tuo. *Et infra.* Si peccaverit inquit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum. Quare? Quia peccavit in te. Quid est, In te peccavit? Tu scis quia peccavit. Quia enim secretum fuit, quando in te peccavit, secretum quære, cum corrigis quod peccavit. Nam si solus nosti, quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor. *Tom. 10. Sermonum de ver.. Dni. ser. 16. de festuca & trabe.*

Multa cōcordiâ Deus placatur.

Palam peccantem corrigens proditor est.

Ps. 6. 8. Turbatus est, inquit propheta præ ira oculus meus. Utique cui turbatur oculus solem vìdere non potest: & si conatus fuerit videre, pæna illi est, non voluptas. Quid est ira? Libido vindictæ Et libet hominem vindicari? Et nondum est Christus vindicatus, nondum sunt Sancti Martyres vindicati, adhuc expectat patientia Dei, ut convertantur inimici Christi, convertantur Martyrum inimici. Nos qui sumus, ut vindictam quæramus. Si quæreret illam Deus de nobis, ubi remaneremus? Ille qui nihil nos læsit, non vult se vindicare de nobis, & nos quærimus vindicari, qui pæne quotidie Deum offendimus. Ergo dimitte: Dimittite ex corde. *Et infra.* Expavesce vel quando dicitur; Qui odit fratrem suum homicida est. Gladium non eduxisti, non vulnus in carne fecisti,
I. Io. 3. 15. non corpus plaga aliqua trucidasti, cogitatio sola odij in corde tuo est, & teneris homicida. Reus es ante oculos Dei: ille vivit, & tu occidisti. Quantum ad te pertinet, occidisti quem odisti. Emenda te, corrige te. Si in domibus vestris scorpiones essent, aut aspides, quantum laboraretis, ut domos vestras purgaretis, & securi habitare possetis? Irascimini, inveterantur iræ in cordibus vestris, fiunt tot odia, tot trabes, tot scorpij tot serpentes, & domum Dei, cor vestrum, purgare non vultis. *T: 10. 50. Hom. 42. de orat. Dnica.*

Dei veniam non meretur suæ vindex injuriæ.

Homicida est qui odia fovet in proximum.

Ps. 4. 5. Irascimini & nolite peccare. *Si propterea irasceris servo tuo,* quia peccavit, ne tu ipse pecces, irascere tibi. *Tom. 10: serm. de Temp. ser. 221. Dnica 12. post S. Trinitatis serm 1.*

Ira salutaris peccatis proprijs irasci.

JUDÆUS

PEccatum eorum non hoc solum fuit, quia in Christum non crediderunt, verùm etia quia Christum occiderunt, quorum unum pertinet ad crimen incredulitatis, alterum ad crimen crudelitatis. *Tom, 4. lib. de fide & operibus. c. 21.* *Proferte codices.*

Duplex in Xum Iudæorū malitia.

O Judæi Christi inimici! ut ex ipsis alij Pagani convincantur inimici. Prophetas longè antequam nasceretur ante se præmisit, qui omnia prædixerunt. Nunquid si magicis artibus facit, ut coleretur mortuus, Magos miserat antequam natus. *Concione ad Catechum. Tom 6. c. 18.*

Si intelligerent de quo prædixerit propheta, quem legunt.
Es. 49. Dedi te in lucem gentium, ita ut sis salus mea, usque in fines terræ, non sic cæci essent, non sic ægroti, ut in Domino Christo nec lucem agnoscerent nec salutem. Oratione adversus Iudæos. *Ibid. c. 1.*

Occidistis Christum in parentibus vestris. Et nunc domus Jacob venite ambulemus in lucem Domini. Tamdiu non credidistis & contradixistis: sed nondum periistis, quia nondum de corpore exiistis, & nunc habetis spatium pænitendi, & nunc venite. Olim quidem debuistis, sed & nunc venite: nondum finiti sunt dies, cui non venit ultimus dies. *Tom. 6. orat. adversus Iudæos. c. 8:*

Nunquam de misericordia Dei desperandum.

Non est mihi voluntas in vobis. Dicit Dominus omnipotens; & sacrificium non accipiam de manibus vestris. Quia ab oriente sole usque in occidentem nomen meum, clarum factum est in gentibus: & in omni loco sacrificium offertur nomini meo, sacrificium offertur nomini meo, sacrificium mundum; quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens. Quâ tandem voce tantæ rerum evidentiæ reclamatis; certè hîc negare non potestis, non solum illum non accipere sacrificium de manibus vestris, sed nec vos illi offerre manibus vestris. Locus enim unus est, lege Domini cōstitutus, ubi manibus vestris, sacrificia iussit offerri, præter quem locum omninò prohibuit. Hunc ergo locum, quoniam vestris meritis amisistis, etiam sacrificium, quod ibi tantum licebat offerri, in locis offerre aliis non audetis. *Ibidem.* *Mal 1.*

Iudæi quomodo Christianis necessarii.

Dedisti in opprobrium conculcantes me. Iudæi post passionem Domini eradicati sunt, & perdiderunt Regnum in quo Regem Christum agnoscere noluerunt. Quemadmodum dati sunt in opprobrium videte. Dispersi sunt per omnes gentes nusquam habentes stabilitatem, nusquam certam sedem. Propterea autem adhuc Judæi sunt ut libros nostros portent, ad confusionem suam. *Et infra.* Codicem portat Judæus unde credat Christianus. Librarij nostri facti sunt, quomodo solent servi post Dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant. *In psal. 56.* *Ps. 56. 4.*

Voluerunt Christum occidere ne terram perderent: & ideo terram perdiderunt, quia Christum occiderunt. Exclusi sunt de loco ipso, ubi crucifixerunt Christum. Et modo locus ille plenus est laudatoribus Christianis, nullum Judæum habet. Caruit inimicus Christi, impletus est laudatoribus Christi. *In psal. 62.*

Acceleraverunt sibi Iudæi pœnā per mortē Christi quā in vita timebant.

Ubi occiderunt Christum ibi occisi sunt. Et cum terram nolentes perdere datorem vitæ occiderunt, eandem terram occisi perdiderunt. Et eo tempore quo illum occiderunt eo ipso tempore admonentur quare ista perpessi sunt. Quando enim eversa est Civitas Judæorum pascha celebrant, & in multis millibus hominum tota ipsa mens convenerat ad illius festivitatis celebrationem. Ibi Deus per malos quidem, sed tamen ille bonus, per injustos sed justus, & juste ita in eos vindicavit, ut perimerentur multa millia hominum, & ipsa Civitas everteretur. Et post multa. Congregati sævierunt, congregati perjerunt. Facti sunt instrumentum irati: non regnum placati. *In psal. 73.*

Unde Iudæi vocantur.

Judæi propterea maxime appellati sunt, quia Judas unus erat de Filiis duodecim Jacob. Patriarcha inter duodecim filios Jacob, & de stirpe ejus regnum veniebat Judæis. Nam omnis ille populus secundum numerum duodecim filiorum Jacob, duodecim tribus habebat. Tribus dicuntur tanquam curiæ & congregationes distinctæ populorum. *In psal. 75.*

Pharisæus quid significat?

Secundum legem Pharisæus. Primarii quidem erant & quasi à nobilitate Judaica segregati, non contemptibili plebi commixti, qui dicebantur Pharisæi, Nam dicitur hoc verbum quasi segregationem interpretari, quomodo in latina lingua dicetur egregius, quasi à grege separatus. *Tom. 10. Ser. de ver. 15: de illo Aplt. nos enim sumus circumcisio, &c.*

Iudæorum dispersio per terrā fidei testimonium.

Propter hoc illa gens regno suo pulsa est, & dispersa per terras: ut ejus fidei cujus inimici sunt, ubique testes fieri cogerentur, perdito quippe templo, sacerdotio, sacrificio, ipsoque regno, in paucis veteribus sacramentis nomen, genus custodiunt: ne permixti gentibus, sine discretione dispereant, & testimonium veritatis amittant: Velut Cain accipiente signum, ut eum nullus occidat,

qui fratrem justum invidus, & superbus occidit. *Tom: 10. serm. de Temp. serm. 31. in Epiphania Dni: ser. 3.*

Aliis demonstrato vitæ fonte, ipsi sunt mortui siccitate. facti que sunt eis tanquam lapides à miliario, qui viatoribus ambulantibus aliquid ostenderunt, sed ipsi solidi atque immobiles remanserunt. Magi quærebant ut invenirent, Herodes quærebat ut perderet. Judæi civitatem nascentis legebant, tempus venientis non intelligebant. Inter magorum pium amorem, & Herodis crudelem timorem, ubi enarraverunt Bethleem demonstrantes: Christum autem qui ibi natus est, non quæsitum, sed visum; nec tunc infantem sed loquentem postea negari. Felix potiùs infantum ignorantia, quos herodes persecutus est territus, quam istorum scientia, quos consuluit perturbatus *Ibidem in eodem festo ser. 6.* *Pœnam cumulant qui aliis instruendo se negligunt.*

Quid dicam de infelicitate Judæorum, qui Christum quærentibus Magis, etiam Prophetiam indicem pertulerunt Bethleem Civitatem designaverunt, quam ipsi non invenerunt Similes facti fabris Arcæ Nòé; aliis ubi evaderent præstiterunt, & ipsi diluvio perierunt. *Tom: 10. parte 2. ser. de diver. 66. de Epiphan. Dom.*

Rubus qui non cremabatur, significat populum qui Domino *Ex. 3. 3* reluctabatur. Spinosum igitur populum Judæorum, significabat rubus, qvo Moyses mittebatur, & ideo rubus non cremabatur, quia duritia Judæorum sicut dixi legi Dei reluctabatur. Nam si ille popùlus spinosus non significaretur, non ab eo spinis Christus coronaretur. *T. 10. Homil. 11. de diversis serm. 6. de lectione Exod. de rubo in quo flamma erat &c.*

Qui vident cæci fiant. Legis defensores, legis tractatores, legis doctores authorem legis crucifixerunt O cæcitas! Ipsa est, quæ ex parte in Israel facta est, ut crucifigeretur Christus, & plenitudo gentium intraret, cæcitas ex parte Israel facta est. Totus orbis cæcus jacebat, sed *venit ille*, ut qui non videant, & qui vident, cæci fiant. *Ignoratus* est à Judæis. crucifixus est à Judæis. De sanguine suo *collyrium* fecit cæcis. Duriores facti, cæciores facti; *quia* se jactabant uidere lucem, crucifixerunt lucem. Quanta cæcitas; lumen crucifixerunt, sed crucifixa lux illuminabat. Audi videntem, qui cæcus erat. Ecce inquam crucem male offenderunt, qui cæcitatem suam medico confiteri noluerunt. Remanserat illlis lex sine gratia. O miseri. Quid fecit lex sine gratia, nisi magis reos? Quare? Quia legis auditores, & non factores: ac per hoc peccatores, prævaricatores. *Tom. 10 ex fragmen. serm. fragment 7.* *Scientes bonū neque facientes graviùs puniunt.*

JUDEX.

MAlis parce vir bone, quantò melior, tantò estò mitior, quantò sis celsior potestate, tantò humilior fias pietate.. *Tom. 2. Epist: 54.* *Mansuetudo judicis pietatis est argumētū.*

Plurimum interest, quo animo quis parcat? sicut enim est aliquando misericordia puniens, ita & crudelitas parcens. *Ibidem 54.* *Misericordia crudelis est, nō punire cum opus.*

Qui pro iniquo judicio dedit, vellet quidē repetere, nisi puderet, vel timeret emisse. Sunt aliæ personæ inferioris loci, quæ ab utraque parte non insolenter accipiunr, Sicut Officialis, & à quo amovetur, & cui admovetur officium: ab his extorta per immoderatam improbitatem, repeti solent, data, per tolerabilem consuetudinem non solent: quoniam multæ necessariæ personæ rebus humanis, vel invitantur hujusmodi commodis, vel tenentur. *Ibid.*

Quæsumus igitur ut cum Ecclesiæ causas audis, quamlibet nefariis injuriis appetitam vel afflictam esse cognoveris, potestatem

Ecclesia in Hæreticos quanta mãsuetudo, occidendi te habere obliviscaris, & petitionem nostram non obliviscaris. Illud quoq; prudentia tua cogitet, quod causas Ecclesiasticas insinuare vobis, nemo præter Ecclesiasticos curat; Proinde si occidendos in his sceleribus homines putaveritis, deterrebitis nos, ne per operam nostram, ad vestrum judicium aliquid tale *Quanta patientia Ecclesiæ militantis.* perveniat, quo comperto illi (intellige Hæretici) in nostram perniciem licentiosiore audacia grassabuntur, necessitate nobis impacta & indicta, ut etiam occidi ab eis eligamus, quàm eos occidendos vestris judiciis ingeramus. *Ibid.* 127.

Pii judicis munus est patrem esse. Imple Christiane Judex pij patris officium, sic succense iniquitati, ut consulere humanitati memineris, unde plerumque necesse est exerceatur acriùs inquisitio, ut manifestato scelere, sit ubi appareat mansuetudo. *Ibid.* 159.

Dei Bonitas etiam pro malis, retribuit. Reddet omninò Deus, & mala pro malis, quoniam justus est, & bona pro malis quoniam bonus est, & bona pro bonis, quoniam bonus & justus est, tantummodò mala pro bonis non reddet, quoniam injustus non est. Reddet ergo mala pro malis; pœnam pro injustitia; & reddet bona pro malis, gratiam pro injustitia; & reddet bona pro malis, gratiam pro injustitia, & reddet bona pro bonis, gratiam pro gratia. *Tom. 7. lib. de Grat. & lib. arb- c.* 26.

Non vultis rectè judicare, rectè judicabimini. *T. 8. in psal* 57.

Erudimini qui judicastis terram. Diligite & judicate. Non enim sic quæritur innocentia, ut pereat disciplina. *T. 10. sermonum de Tempore sermone 94. Sabbatho post 3. Dnicam Quad. serm:* 1. *Ps. 2 10.*

JUDICIUM.

Latet omnes extremi judicii dies, Tempora computare hoc est ut sciamus, quando sit finis hujus sæculi, vel adventus Domini, nihil mihi aliud videtur, quàm scire velle quod ipse ait Christus, scire neminem posse. *Tom : 2. Epist :* 78.

In quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc illum comprehendet mundi novissimus dies, quoniam qualis quisque in die isto moritur, talis in die illo judicabitur. *Tom. 2. Epist.* 80.

Qui adventũ Domini non cognoverit primũ, præparare se non poterit ad secundum, non credendo in eum, fideliterque vigilando, nè illum tanquam fur, in tenebris comprehendat, sive tardius venerit, sive citius quàm speratur *Ibidem.*

Longum tempus modica hora est. Novissima hora est: si tunc essemus hoc audito, quando crederemus tot annos postea transituros, ac non potiùs ipso adhuc Joanne in corpore constituto, Dominum speraremus esse venturum? & ecce ista hora quàm longa est? nec tamen ille mentitus est, sed utique intelligendus est horam pro tempore posuisse. *Ibidem.* *1. Jo 1. 18.*

Si Apostolis dictum est, non est vestrum scire: quantò magis quilibet homo, qualis ego sum, modum suum debet agnoscere, nè plùs sapiat, quàm debet sapere. *Ibidem.* *Act. 1. 1.*

Sanctorũ virtus, Dei speculum. Videbunt filium hominis venientem in nube. Quod video duobus modis accipi potest, sive in Ecclesia, tanquam in nube venientem, cum potestate magna & majestate, quia major potestas & majestas illius apparebit Sanctis, quibus magnam virtutem dabit. Sive in corpore suo in nube uenturus; quoniam sic veniet, sicut abiit, & nubes suscepit eum abeuntem. Sed horum duorum, quid hîc potius eligendum sit judicare difficile est. *Ibidem:* *Matt. 26. 30.*

Latet Dies Iudicii. Congregabit electos suos à quatuor ventis, id est ab universo orbe terrarum. In quibus ergo gentibus non est Ecclesia, oportet ut sit, non ut omnes qui ibi fuerint, credant, omnes enim *Ibidem*

gentes

gentes promissæ sunt, non omnes homines omnium gentium. *Ibid.*

Si ergo latet quando Ecclesia fructificante atque crescente universus omnino à mari usque ad mare orbis Evangelio implebitur, procul dubio latet quando finis erit, ante quippe non erit. *Ibidem 80.*

In judicio conscientia accusatur. Transit honor hujus sæculi, transit & ambitio. In futuro Christi judicio, nec absidæ gradatæ, nec Cathedræ velatæ, nec sanctimonialium occursantium atque cantantium greges adhibebuntur ad defensionem, ubi cœperit accusare conscientia, & conscientiarum arbiter judicare. Quæ hîc honorant, ibi onerant, quæ hîc revelant, ibi gravant. Ista quæ pro tempore honori nostro exhibentur, defendentur fortè bona conscientia, defendere autem non poterunt malam. *Ibid: Ep: 203.*

Area Dominica nondum ventilata est, sine paleis esse non potest. Nos oremus atque agamus, quantùm possumus, ut frumentum simus. *Ibidem.*

Mortis judicii memoria revocatur à voluptate. Non me revocabat à profundo voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis, & severi judicij tui, qui per varias quidem opiniones nunquam tamen recessit de pectore meo. *Tom: I. lib 6. Confess: cap: 16.*

Post resurrectionem facto universo completoque judicio suos fines habebunt Civitates duæ, una Christi, altera Diaboli, una bonorum, altera malorum, utraque tamen Angelorum & hominum: Istis voluntas, illis facultas non poterit ulla esse peccandi, vel ulla conditio moriendi, istis in æterna vita, verè feliciterque viventibus, illis infeliciter in æterna morte sine moriendi potestate durantibus, quoniam utrique sine fine *T. 3. Enchirid. c: 111:*

Longè secretiore justitia judicat Deus, qui potens est etiam post mortem, qvod homo non potest vel liberare vel perdere. Visibiles igitur affectiones hominum, sive mortes, quoniam his, quibus ingeruntur, & obesse & prodesse possunt, novit Dominus in occulto providentiæ suæ quemadmodum juste quibus dispenset, etiam cum aliorum peccata, in aliis videtur ulcisci. Pœnas verò invisibiles, quâ non nisi nocent, & prodesse non possunt, ita nullus pro alienis peccatis Deo judice luit; sicut homine Judice luere nullus nisi pro sua culpa istas visibiles debet. *Tom: 4. lib: 6. quæstionum in Iosue Quæstione 8.*

Matt. 24 42. *Iustitiæ mensura misericordia.* Magna est severitas ejus post Iudicium: cujus ante Judicium ineffabilis misericordia prærogata est; Itaque respondens ait nescio vos. Ex illa quippe regula, quâ non habet ars Dei, hoc est sapientia Dei, ut intrent in gaudium ejus, qui non coram Deo, sed ut placerent hominibus, visi sunt aliquid secundum præceptum ejus operari. Atque ita concludit. Vigilate ergo, quia nescitis diem neque horam. Non modo illius ultimi temporis, quo venturus est sponsus, sed suæ quisque diem dormitionis & horam nescit. Quisquis autem paratus est ad somnum, idest usque ad mortem, quæ omnibus debetur, paratus etiam invenietur, cùm illa vox media nocte sonuerit, qua omnes evigilaturi sunt. *Tom: 4: lib: 83: quæst: Quæst 59:* *Mors somnus.*

Ps. 9. *A momento pendet æternitas.* Ipse judicabit extrema terra: ac si diceretur etiam extrema hominis. Quoniam non judicabuntur, quæ in melius vel deterius medio tempore non commutantur, sed in quibus extremis inventus fuerit qui judicabitur propter quod dictum est: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. *T: 5. lib: 17. de civit: Dei cap: 4.*

Ubi hoc quoque manifestabitur, quam justo judicio fiat, ut nunc tam multa ac penè omnia justa judicia Dei sensus mentesque

mortalium judicant, cum tamen in hac re piorum fidem, non lateat justum esse, quod latet. Uide ibi plura præclara in hac materia. *Ibid: lib:* 20. *cap.* 1. *&*. 2.

Ultima dies judicii, abyssum judiciorū Dei aperiet.

Quanto tempore legi poterit liber, in quo scripturæ sunt universæ vitæ universorum. An tantus Angelorum numerus aderit, quantus hominum erit? ut vitam suam quisque ab Angelo sibi adhibito audeat recitari? Non ergo unus liber erit omnium, sed singuli singulorum. Scriptura verò ista unum volens intelligi: Et alius inquit, liber apertus est. Quædam igitur vis est intelligenda Divina, quâ fiet, ut cuique opera sua vel bona vel mala, cuncta in memoriam revocentur, & mentis intuitu, mira celeritate cernantur: ut accuset vel excuset scientia conscientiam: atque ita simul & omnes, & singuli judicentur. Quæ nimirum vis divina libri nomen accepit. *Ibid: lib:* 20. *c.* 15.

Liber vitæ in ultimo iudicio Deus est. *Apoc. 20. 12.*

Ipsa ejus præscientia de illis quæ falli non potest, liber est vitæ: in quo sunt scripti, idest ante præcogniti. *Ibid: lib:* 20. *c.*15.

Quid est non novi vos: nisi, tales vos ego non feci; quemadmodum illud quod dictum est de ipso Jesu Christo, quia non noverat peccatum, quid est non noverat peccatum? nisi quia non fecerat *T:* 7. *epist:* 2*da: ad Valentinianum de gratia & lib: arbitrio.*

Novissimus dies terribiliter venturus auditur eis, qui securi esse bene vivendo nolunt, & male vivere diu volunt. Utiliter autem Deus latere illum voluit diem, ut semper sit paratum cor ad expectandum, quod esse venturum scit, & quando venturum sit, nescit. Quia vero Dominus noster Jesus Christus magister nobis missus est, etiam filium hominis nescire dixit illum diem quia in magisterio ejus non erat, ut per eum sciretur à nobis. *Tom.* 8. *in psal.* 36.

Quibus dies Iudicij terribilis. *Psal. 40. 4.*

Non solum non timeamus venturum illum diem, sed & amemus. Dies quippe ille sicut infidelibus laborem auget, sic fidelibus finit. Quid autem duorum esse velis, antequam veniat nunc est in potestate: cum venerit non erit. Elige ergo cum tempus est: quia Deus quod misericorditer occultat, misericorditer differt. Jam vero quia in quocunque genere vitæ quod habet aliquam professionem non omnes inveniuntur probi, non omnes inveniuntur reprobi, sic includitur. Vnus assumetur & unus relinquetur, Assumetur bonus, relinquetur malus videntur duo in agro eadem professio est, sed non idem cor. Professionem vident homines, cor novit Deus. *Con:* 2. *in psal:* 36.

Quomodo Deus Judex erit, alius testis quam conscientia tua non erit. Inter Judicem justum & conscientiam tuam noli timere nisi causam tuam. *Tit: in psal.* 37.

Non iustificabitur in conspectu omnis vivens: quia quicunque hic vivit quantumlibet iuste vivat, væ illi si cum illo in iudicium intraverit Deus. *In psal.* 42.

Deus Christianorum verus Deus ipse veniet. Sed manifestus. Non adhuc illudendus, non adhuc alapandus non adhuc flagellandus. Veniet sed manifestus. Non adhuc calamo in capite percutiendus, non adhuc crucifigendus, occidendus, sepeliendus: quia hæc omnia occultus Deus pati voluit. Veniet manifestus & non silebit. Quia vero ad iudicium veniet sequentia docent. Ignis ante eum præibit: timeamus. Mutemur & non timebamus. Ignem palea timet: auro quid facit? Est autem nunc in potestate quid facias: ne illud quod & te nolente venturum est non correctus experiaris. Si enim possemus facere fratres ut dies judicij non veniret, puto quia nec sic erat male vivendum.

Ps. 49. 3

Si non

Si non veniret ignis diei judicij & sola peccatoribus immineret separatio à facie Dei in qualibet essent affluentia deliciarum, non videntes à quo creati sunt, & separati ab illa dulcedine ineffabili vultus ejus in qualibet æternitate & impunitate peccati plangere se deberent. Sed quid loquar aut pluribus loquar? Hæc amantibus pœna est non contemnentibus. Qui dulcedinem sapientiæ & veritatis utcunque sentire cœperant, noverunt quod dico Quanta pœna est tantum modo à facie Dei separari. Qui autem illam dulcedinem non gustaverunt si nondum desiderant Dei faciem timeant vel ignem, supplicia terreant, quem præmia non invitant. Vile tibi est quod Deus pollicetur, contremisce quod minatur. Veniet dulcedo præsentiæ: non mutaris, non excitaris, non sospitas, non desideras? Amplexaris peccata tua, & delicias carnis tuæ, stipulas ad te congeris. Veniet ignis Ignis in conspectu exardescet. Non erit iste ignis sicut focus tuus, quo tamen si manum mittere cogaris facies quidquid volueris, qui hoc minatur *Et infra.* Minatur ergo inimicus tam leve malum & facis malum: minatur Deus æternum malum, & non facis bonum. Ad malum faciendũ nec minæ te compellere deberent, à bono faciendo nec minæ te terrere deberent. Minis enim Dei, minis æterni ignis prohiberis à malo invitaris ad bonum. Unde fugiet nisi quia non credis. *In psal*: 49.

Memoria Iudicii Dei malos corrigere debet.

In circuitu ejus tempestas valida. Valida tempestas venti latura tam magnam aream. Hac tempestate erit illa ventilatio quâ separabitur à Sanctis omne immundum à fidelibus omnis simulatio à piis verbum Dei, omnis contemptor & superbus. Modo enim mixtura quædam jacet à solis ortu usque ad occasum. *In ps.* 49.

Ps. 40. 4.

Iudicium Dei tempestas ventilatu a aream Domini.

Cum venerit judicij tempus, correctionis locus non erit, sed tantum damnationis, Et erit illi pænitentia, sed infructuosa quia sera. Vis ut fiat fructuosa? non sit sera. Considera, hodie te corrige. Reus es ille Judex est. Corrige reatum tuum & gaudebis ad judicem: Habes diem hortatur tene judicet te. Et qui Judex tuus futurus est ipse est hodie advocatus tuus. *Expos psal.* 51.

Pænitentia sera.

Dedisti, metuentibus te significationem ut fugiant à facie arcus. Per tribulationes inquit temporales significasti tuis fugere ab ira ignis sempiterni. Dicit enim Apostolus Petrus. Tempus est ut judicium incipiat à domo Dei. Et exhortans Martyres ad tolerantiam cum sæviret mundus, cum strages à persecutoribus fierent, cum longe lateque sanguis fidelium fundaretur, cum in catenis, in carceribus in tormentis, multa dura Christiani paterentur, ne deficerent, eos alloquitur Petrus. Tempus est ut judicium incipiat à domo Dei. Et videte quid sit in arcu. Nonne sagitta in priora mittenda est nervus tamen retro retenditur in contrarium quà illa mittenda est & quantò plus erit ejus extensio retrorsum, tanto majore impetu illa currit in priora. Quid est quod dixi; quantò majus differtur judicium, tanto majore impetu venturum est. *In psal*: 59.

Tribulationes hujus mundi nunciant futurum judicium.

Pæna Dei gravior quo magis differtur.

Totum hoc quod vocatur humanum genus, omnis ista massa mortalitatis, ventura est ad examen, ventura est ad libram, appendentur tibi opera hominum cuncta. Modo nubes involuit, sed Deo cognita sunt merita singulorum. *Ibidem.*

Quia Deus ultionum est. Ideo non parcebat in verbo, ut essent postea quibus parceret in judicio: quia si nollent accipere verbi medicinam, incursuri erant utique, & inventuri Judicis sententiam. *In psal* 93.

Deus non parcit ut pareat in judicio.

In potestate tua est quomodo expectes venturum Christum.

Ideo

Ideo differt venire ut cum venerit, non te damnet. Ecce nondum venit. Ille in cælo est tu in terra: ille differt adventum, tu noli, differre consilium. Adventus ipsius durus est duris, mitis est piis. Vide ergo modo tu qui sis, si durus licet tibi mitescere, si mitis jam gaude venturum. Christianus enim es. *In psal.* 97.

Iudicium in potestate nostra est.

Arguam te & statuam te ante faciem tuam. Tu te ponis post te, ego te ponam ante te. Omnis enim qui non vult videre peccata sua, post dorsum se ponit, & aliorum peccata acute attendit: non per diligentiam sed per invidentiam; non volens sanare sed accusare: se autem obliviscitur: *Enar. in psal.* 100. Ps. 49. 21.

Censuræ aliorum pænæ.

Nescis quâ horâ veniet, semper vigila: ut quod nescis quãdo veniat, paratum te inveniat cum venerit. Et adhuc forte nescis quando venturus est, ut semper paratus sis *Enar: in psal.* 120. Matt. 24. 24

Iudicium brevitate vitæ acceleratur.

Longe est quidem dies judicij: sed unius cujusque hominis dies ultimus, longe esse non potest, quia brevis est vita. Et quia ipsa brevitas semper incerta est, quando sit dies tuus ultimus, nescis. Corrige te hodie: Propter cras. *Tom.* 10: *serm. de verbis Dni: serm.* 16 *de Festuca & trabe.*

Dies iudicii quo minime speratur certissimus.

Non times, arguam te? non times, constituam te ante faciem tuam? non times? sed longe est iniquis judicium. Primo quis tibi dixit, quia longe est dies judicij? Nunquid si longe est dies judicij, longe est dies tuus? Unde scis quando est? Nonne multi sani dormierunt, & obduruerunt? Nonne casus nostros nobiscum in hac carne portamus? Nonne fragiliores sumus, quam si vitrei essemus? Vitrum enim & si fragile est, tamen servatum diu durat: & invenis calices ab avis & pro avis, in quibus bibunt nepotes, & pronepotes. Tanta fragilitas custodita est, per annos. Nos autem homines & sub tantis casibus quotidianis fragiles ambulamus: & si casus ipsi repentini non occiderent, diu tamen vivere non valeremus. Vita humana tota brevis est, ab infantia usque ad decrepitam senectutem, tota brevis est Adam si adhuc viveret & hodie moreretur, quid illi vitæ longitudo profuisset? *Tom.* 10. 56. *Homil.* 28 *de illo Deus manifestus veniet &c.* Ps. 49. 21.

Deus non merita sed sua dona coronat.

Novissimus dies est, cujusque dies mortis. Etenim cum hinc exieris, recipies pro meritis, & resurges ad recipienda quæ egisti. Tunc Deus coronabit non tam merita tua, quàm dona sua. *Tom. serm. de Temp. serm.* 49. *Dnica* 5 *post Epiphan serm.* 2.

Sol obscurabitur. quando & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo. Ubi se tunc impii videbunt? ubi adulteri, ubi ebriosi, ubi maledici se recognoscent? ubi amatores luxuriæ, ubi raptores, ubi superbi & invidi apparebunt? Quid infelices pro sua defensione dicturi sunt, quos toties admonitos & tamen imparatos dies ille repererit? cum ad illam Archangeli tubam omni buccina clariorem. totus simul cæperit mugire mundus. *Ibid. serm.* 54. *Dnica in Septuag. serm:* 2. Matt. 21.

Manifestabit cogitationes cordis, & tunc laus erit unicuique à Deo. Quomodo te reprehendent tenebræ, quando à luce laudaberis? tunc patebunt corda, modo latent. Suspectus est nescio quis quasi inimicus, & forte est amicus. Videtur alter quasi amicus, & est forsitan occultus inimicus. O tenebræ, sævit, & amat, blanditur & odit. *Ibidem serm.* 237. *Dnica* 19. *post festum S: Trinitatis serm.* 2. 1. Cor: 4. 5.

Non est vestrum scire tempora, quæ pater posuit in sua potestate. Curiositas abscedat, pietas succedat. Quid ad te quando veniet: sic vive, quasi hodie venturum sit: & non timebis cum venerit. *Tom.* 10. *serm: decem & septem serm.* 6. *ipso die Ascensionis.* Act. 1. 7.

Illuminabit abscondita tenebrarum. Modo cogitationes no-

1 Cor 4. 5. stræ, nobis ipsis, singulis quibus illucescunt, quia novimus eas: sed proximis nostris in tenebris sunt, quia non vident eas. Ibi quod nosti te cogitare, & alter futurus est. Quid times? Modo vis abscondere, modo times publicari cogitationes tuas: forte enim aliquid mali aliquando cogitas, forte aliquid turpe, forte aliquid vanum. Nihil ibi nisi bonum, nihil nisi honestum, nihil nisi verum, nihil nisi purum, nihil nisi sincerum, quando ibi fueris cogitabis. Quomodo vis videri modo faciem tuam, sic tunc voles videri conscientiam tuam. *Ibid. serm. 6. Feria 5. Paschæ.*

Solent videri per annos singulos messes: generis autem humani, una, ultima in fine seculi messis assurget. *Tom. 10. parte 2. serm: de diver. serm. 120. de Resur. mort.* *Iudicii dies hominum messis.*

Veniet dies, si sæculo longe est, quo cuncta adducuntur in judicium. Et ille dies si sæculo longe est unicuique homini vitæ suæ ultimus prope est. Tum utrumque Deus latere voluit, & quando veniat finis sæculi, & quando sit in unoquoque homine hujus vitæ finis Vis non timere diem occultum? Quando venerit inveniat te paratum. *T. 9. lib. de pastoribus in caput 34 Ezech. c. 1.* *Præparatio levem faciet diem judicii.*

Et addit sic: Et pascam eas in judicio. Vide quia solus sic Ezech. 34 16. pascit cum judicio. Quis enim homo judicat de homine? Temerariis judiciis plena sunt omnia. De quo desperavimus subito convertitur, & fit optimus: de quo multum præsumpsimus subito deficit, & fit pessimus. Nec timor noster certus est, nec amor noster certus est. Quid sit hodie quisque homo vix novit ipse homo: tum utcunque ipse quid hodie, quid autem cras nec ipse. Pascit ergo ille cum judicio dispertiens propria propriis: hæc istis illa illis, debita eis quibus debetur hoc aut illud. *Ibid. cap. 12.* *Temeritas in iudicando.*

Magnus timor eorum, qui in causa sunt, quid ille cogitet, & quid scribat ignoratur: & homo est, & illi de quibus ille judicat utique homines sunt. Ille autem Deus noster est, & nos populus pascuæ ejus, & oves manuum ejus. Et cum sit ille creator, nos mortales: ille invisibilis, nos visibiles: noluit vos latere in hac vita, quam ultimam sententiam in fine dicturus sit. Nemo ante dicit, damno, qui vult damnare: nemo antecedit, ferio, qui vult ferire. *Tom. 9. lib: de ovibus in caput 34. Ezechielis cap: 3.* *Iudicium Dei diversum ab humano.*

Ecce ego judico inter oves & oves, inter hircos & arietes. Ecce ego judico, magna securitas, ipse judicat, securi sunt boni. Iudicem ipsorum nullus adversarius corrumpit, nullus advocatus circumvenit, nullus testis illudit, sed quantum securi sunt boni, tantum timeant mali. Non talis judicat cui aliquid abscondetur. Nunquid enim Deus judicans quæsiturus est testes, per quos discat quis sis? Unde potest falli quis sis qui noveras quid esses futurus? Te interrogat non alium, de te Dominus inquit, interrogat autem non ut discat à te, sed ut confundat te. *Ibidem cap. 7.* *Deus absque teste judex.*

Præveniamus faciem ejus in confessione. Præveniamus eum Ps 94. ne ipse nos præveniat. Post confessionem non offeret ultionem, si & tu post confessionem non repetas iniquitatem. *Et infra.* Sicut noverat horam qua judicari debuit, sic novit & horam qua debeat judicare. Veniet ille, tu vide qualis futurus sis. Hodie inest scrupulus, hodie fit confessio, hodie renuntietur scrupulo, hodie dimittatur, hodie laxetur. Non est ut dicas. Differt Deus veniam: tu noli differre medicinam. *Ibidem.* *Pænitentia placat Deum.*

JURAMENTUM

Pſ. 14. 4.

Qui jurat proximo ſuo & non decipit: illud ſanè rectiſſimum dici non ambigo, non ſecundum verbum jurantis, ſed ſecundum illius cui juratur, quam novit ille, qui jurat, fidem jurationis impleri. Unde perjuri ſunt, qui ſervatis verbis expectationem eorum, quibus juratum eſt deceperunt, & perjuri non ſunt, qui etiam verbis non ſervatis, illud quod ab eis cùm jurarent, expectatum eſt, impleverunt. *Tom: 2. Epiſt: 224.*

Quam varò jurandum ſit? — *Gal. 1. 20.*

Ecce coram Deo, quia non mentior. Jurat utique & quid ſanctius hac juratione? ſed eſt contra præceptum juratio, quæ à malo eſt, non jurantis ſed incredulitatis ejus, cui jurare cogitur, Nam intelligitur ita Dominum prohibuiſſe à jurando, ut quantum in ipſo eſt quiſque non juret, quod multi faciunt in ore habentes jurationem, tanquam magnum & ſuave aliquid *Tom: 4 lib: exp: epiſt: ad Galat: fol: 378.*

Promiſſio Dei, nos ſub Chriſto capite mēbra conſtituit. — *Pſ. 88. 4.*

Dei juratio promiſſionis eſt confirmatio. Deus ſolus ſecurus jurat, quia falli non poteſt. Videamus ergo quid juraverit Deus Juravi inquit David ſervo meo uſque in æternum præparato ſemen tuum. Non tantum illam carnem Chriſti hic accipiamus fratres natam ex Maria Virgine, ſed etiam nos omnes credentes in Chriſto. Illius enim capitis membra ſumus. Non poteſt hoc corpus decollari Si in æternum caput, in æternum gloriantur & membra, ut ſit ille Chriſtus integer in æternum. *T. 8. in pſal: 88.*

Pſ. 94. 11.

Quibus juravi in ira mea ſi introibunt in requiem meam. Loqui Dominum magnum eſt: quantò magis jurare Deum? Jurantem hominem debes timere ne propter jurationem faciat quod contra voluntatem ejus eſt: quanto magis Deum qui nihil temere jurare poteſt. *Tom: 8. in pſal: 94*

Iuramenti periculum.

Falſa juratio exitioſa eſt, vera juratio periculoſa eſt, nulla juratio ſecura eſt. *Tom: 10. ſerm: de verbis Iacobi, nolite jurare.*

Vitandum etiam verum periculum.

Non eſt peccatum verum jurare. Sed quia grande peccatum eſt falſum jurare, longè eſt à peccato falſum jurandi, qui omnino non jurat. Propinquat falſæ jurationi, qui vel verum jurat. *Tom: 10. ſerm: decem & ſeptem ſerm: 10 in decollatione B Ioannis Baptiſtæ.*

Ille qui hominem provocavit ad jurationem, & ſcit eam falſam eſſe jurationem, vincit homicidam: quia homicida corpus occiſurus eſt, ille animam imo duas animas, & ejus quem jurare provocavit, & ſuam. *Ibid: ſerm: 11. in eodem feſto.*

JUSTITIA.

Animæ humanæ immortalitas.

SI igitur nihil horum juſtitia (intellige nec lata, nec longa, nec corpus) & tamen ipſa non nihil eſt, cur tibi anima nihil videtur, niſi ejus aliqua longitudo ſit. *T. 1. lib. de animæ quantitate c. 4.*

Ordo juſtitiæ perverſus.

Juſtitiæ ordo ſic ſe habet, ut debitum prius reddamus, tum deinde cui reddimus, ſi hoc placet aliquid & donemus. *Tom: 2. Epiſt: 135*

Sicut exhibuiſtis membra veſtra deſervire immunditiæ, Quemadmodum ad peccandum nullus vos cogebat timor, ſed ipſius libido voluptaſque peccati: ſic ad juſtè vivendum non vos ſupplicii metus urgeat, ſed ducat delectatio charitaſque juſtitiæ *T 2. ep. 144*

Pulchritudo animæ virtus.

Eſt quædam pulchritudo animi juſtitia, quâ pulchri ſunt homines, pleriſque etiam, qui corpore diſtorti atque deformes ſunt, ſicut autem animus non videtur oculis, ita nec pulchritudo ejus. *Tom: 3. lib: 8. de Trinit: cap: 6.*

Sicut

Sicut àër præsente lumine non factus est lucidus, sed fit, quia si factus esset, non fieret, sed etiam absente lumine lucidus maneret, sic homo Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuò tenebratur, à quo non locorum intervallis, sed voluntatis aversione discceditur. *T. 3. l. 8. de Gen: ad lit: c: 12.* *Peccatum excæcat.*

Quia non diligebant gloriam propter justitiam (loquitur de Romanis) sed justitiam propter gloriam diligere videbantur, pacem factam fædusque ruperunt. *T:5:l:de Civit: Dei c: 22.*

Quisque operatur in Christi Ecclesia, abundet justitia ejus super scribarum & Pharisæorum, ut cum illi decimas darent, isti dimidias dent: sicut non de fructibus sed de bonis suis fecit Zachæus. Aut certè si displicet decimam aut duas decimas dando impendia Iudæorum. *T 4: lib: 2. quæst: Evang: quæst: 34.*

Ea demum est humanæ justitiæ disciplina, non in se amare nisi quod Dei est, & odisse quod proprium est: nec approbare peccata sua, nec in eis alium improbare, sed se ipsum, nec putare satis sibi esse, ut sua peccata displiceant: nisi & vigilantissima deinceps intentione vitentur, nec in eis vitandis vires suas existimare sufficere, nisi divinitùs adjuvetur. *Tom: 4. lib: exposit: epist: ad Roman: inchoato. fol: 362.*

Porrò justitiæ Divinæ tanta constantia est, ut cum pæna spiritualis & sempiterna pænitenti fuerit relaxata, pressuræ tamen cruciatusque corporales quibus etiam Martyres exercitatos novimus, postremò mors ipsa (quam peccando meruit nostra natura) nulli relaxetur. Quod enim & justi homines & pij tamen exsolvant justa supplicia, de justo Dei judicio venire credendum est. *Ibidem fol: 362.*

Justitiâ plena est dextera tua: id est· Multi sunt & illi qui sta- *Multitudo justorum ad Dei dexteram.*
Ps. 47. 11. bunt ad dexteram. Non solum illi multi erunt qui stabunt ad sinistram, sed & ille erit plenitudo massæ ad dexteram constitutæ. *Tom: 8. Enar: in psal: 47.*

Omnibus tanquam in concione generis humani veritas clamat. Si utique vere justitiam loquimini recta judicate filij hominum. Quandoquidem manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit. Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri: hoc & antequam lex daretur nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur, & quibus lex non esset data. *Et infra.* Sed quia homines appetentes ea quæ foris sunt, etiam à seipsis exules facti sunt, data est etiam conscripta lex: non quibus in cordibus scripta non erat, sed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illo qui ubiq; est comprehenderis, & ad teipsum intro revocaris, Propterea scripta lex quod clamat eis qui deserverunt legem scriptam in cordibus suis. Redite prævaricatores ad cor. *In psal: 57.* *Veritas magistra.* *Qui terrena appetunt à seipsis exules.* *Quare lex scripta est.*

Et infra. Judicis tribunal est in mente tua, sedet ibi Deus, adest accusatrix conscientia, tortor timor. Cogita quid velles præstari filio tuo ab amico. Juridica vox erit, vox veritatis non tacet. Non labiis clamat sed uociferatur ex corde. Adhibe aurem. Sed aliud jubet Deus contra avaritiam, aliud avaritia jubet contra Deum. *In psal: 57.* *Tribunal iudicis in mente nostra circumferimus.*

Matt. 22.21. Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt & Deo, quæ Dei sunt. Quærit Cæsar imaginem suam, reddite. Non perdat ex vobis Cæsar nummum suum: non perdat Deus in vobis nummũ suũ. *In ps. 57.*

Ps. 70. 16. Domine memorabor justitiæ tuæ solius. O solius. Quid addidit solius rogo vos? sufficeret: memorabor justitiæ tuæ solius inquit prorsus ubi meam non cogito. Quid enim habet quod non accepisti? Si autem accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis?

ris? Justitia tua sola liberat me. Mea sola non sunt nisi peccata. *Enar*; 1. *partis psal*: 70.

Iustus petit vindictam ad correctionem. Nulli malum pro malo reddentes. Cum & homo justus, & homo malus de inimicis suis velint à Domino vindicari unde discernentur nisi quia justus & magis cupit inimicum suum corrigi quàm puniri, & cum in eum videt à Domino vindicari, non ejus delectatur pæna, quia non eum odit sed divina justitia qua Deum diligit? Denique si in hoc sæculo in eum vindicatur vel pro illo etiam lætatur si corrigitur vel certe pro aliis, ut eum timeant imitari. Ipse quoque fit melior: non supplicio illius odia sua pascendo, sed errata emendando. Ac per hoc de benevolentia est non de malitia quod lætatur justus, cum videt vindictam, & manus suas lavat, id est opera sua mundiora efficit in sanguine: hoc est in exitio peccatorum: sumens inde non mali alieni gaudium sed divinæ admonitionis exemplum. Si autem in futuro sæculo ultimo Dei judicio vindicatur, hoc ei placet quod Deo: ne bene sit malis, ne piorum præmiis etiam impii perfruantur. Quod utique injustum est, & à regula veritatis quam justus diligit, alienum. Cum enim nos ad diligendos inimicos Dominus hortaretur, exemplum proposuit Patris nostri qui in cælis est: qui facit solem oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Nunquid tamen ideo vel temporalibus correptionibus non emendat, vel pertinaciter duros in fine non damnat? Sic ergo inimicus diligatur ut non displiceat Domini justitia quâ punitur: & sic placeat justitia qua punitur ut non de malo ejus sed de bono judice gaudeatur. Malevolus enim animus contristatur, si ejus inimicus correctus evaserit pænam. Et cum puniri eum videt: Vindicari ita se gaudet ut non justitia Dei quam diligit sed illius quem odit miseria delectetur. Et cum Deo dimittat judicium: ut plus noceat Deus quàm ipse nocere possit. *Exoptat. In psal.* 78. Rom. 12. 17.

Quantacunque justitia nostra in nobis fuerit, ros est nescio quis ad illum fontem ad saginam illam tantam stillicidia quædam sunt quæ vitam nostram molliant, & duram iniquitatem solvant. Modo desideremus de pleno fonte justitiæ saginari, desideremus ubertate illa saginari, desideremus ubertate illa satiari de qua dicitur in psalmo. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Hic autem cum sumus inopes nos esse intelligamus, & egentes: non solum harum divitiarum quia non sunt veræ divitiæ, sed & ipsius salutis. Et quando sani sumus intelligamus quia infirmamur. *Enar. in psal.* 122.

Deus benignus & serenus. Custodit Dominus omnes diligentes se, & omnes peccatores disperdet, Videtis quia est apud eum severitas, apud quem tanta suavitas. Salus faciet omnes sperantes in se, omnes fideles omnes timentes se, omnes invocantes se in veritate, & omnes peccatores nisi perseverantes in peccatis, Deum non se reprehendere audentes, contra Deum quotidie disputantes, veniam delictorum desperantes, & ipsa desperatione delicta cumulantes, aut veniam sibi perverse promittentes & ex ipsa promissione à peccatis & impietate non recedentes. *Exposit*: *psal*: 144. Ps 44. 20.

Gravius vindicat Deus quo diutius expectat. Fratres charissimi, non transitoriè vel negligenter; sed cum ingenti tremore considerandum est, quia de sexcentis millibus, duo tantum terram promissionis ingressi sunt. Hoc ergo audiant qui ita Dominum misericordem esse volunt, ut justum esse credant. Si enim diligenter attendimus, fratres, & erga illa sexcenta millia, quæ in eremo mortua fuerant, Deus noster misericors fuit, & circa illos duos, qui terram promissionis intraverunt, justus apparuit: quomo-

quomodo non fuit misericors, qui eos per quadraginta annos servavit, & expectavit ad pænitentiam, & non solum converti noluerunt, sed etiam frequenti rebellione contra Dominum murmurantes ad peccatorum suorum cumulum graviorem semper sarcinam addiderunt? Quomodo non est misericors, qui nos tanto tempore expectat, ut corrigamur? Nunquid tam prolixa misericordia potest Deo auferre justitiam? Quanto enim diutius expectat, tantò gravius vindicat. Quando enim prolixis temporibus peccamus, & nihil mali à Domino sustinemus, patientia est, non negligentia. Non ille potentiam perdidit, sed nos ad pænitentiam reservavit. *T. 10. serm: de Temp: serm: 102. Feria 4. post 4. Dnicam Quadrag.*

Fac judicium, fac justitiam. Esto & tu bonus inter bona tua. Erubesce bonis tuis. Esto bonus, mansurus inter bona peritura. Erubesce bonis tuis. Noli esse malus in eis, ne pereas cum eis. *Ibid. 236. Dnica 19 post festum S. Trinitatis ser: 1.*

Matt. 20. Opus in illa vinea, ipsa & justitia. Putate ergo vos esse conductos. qui pueri venerunt, prima hora se adductos putent; qui adolescentuli, tertia; qui juvenes sexta; qui graviores, nona; qui decrepiti undecimi: De tempore nolite causari. *Ibid: ser. 237. in eadem Dnica ser. 2.* *Omnis ætas attendere debet vocationi Dei.*

Pecuniam posset tibi ipse barbarus ante tollere, & postea te captivum ducere, ut non esset unde te redimeres. Eo tua omnia possidente, qui possedit & te, justitiam non amittis invitus. In thesauro cordis intimo manet. Ipsam tene, ipsam posside, inde redimeris à secunda morte. Quæ si nolis, ideo non erit, quia illud unde te ab ista morte redimes, si volueris erit. Justitiam voluntas impetrat à Domino, & bibit illam tanquam de fonte suo. Ad quem fontem nullus prohibetur accedere, si dignus accedit. *Tom: 10: serm: nov: serm: 31. de amore Dei, & amore sæculi.*

Ipsa est via nostra juste vivere. Quomodo autem non offendit in via cui non lucet lumen? Ac per hoc in tali via videre opus est, in tali via videre magnum est. Nam Tobias in facie oculos clausos habebat, & filius Patri manum dabat, Pater filio viam præcipiendo monstrabat. *T. 9. In Ioan. Tract: 35. de cap: 8.* *Manuductione opus est in via Iustitiæ.*

Justi sumus sicut & ipse justus est: sed ipse in ipsa perpetuitate incommutabili, nos justi credendo in quem non videmus, ut videamus. Et cum perfecta fuerit justitia nostra, cum facti æquales Angelis fuerimus: nec tunc illa æquabitur. Quanto ergo modo ab illo longe est, quando nec tunc par erit. *Tom: 9. in Epistolam Ioannis, Tract: 4 de cap: 3.*

LABOR.

JUgum enim meum suave. Laboriosior est hujus mundi amor. Quod enim in illo anima quærit, constantiam scilicet æternitatemque non inveni, quoniam rerum transitu completur, infima pulchritudo. *Tom: 1. lib: Music: cap: 14.* *Gravius est mundo servire quàm Deo.*

Matt. 11.28. Audiamus Dominum velut in totius mundi concione clamantem: venite ad me omnes qui laboratis &c. Hæc de disciplina piæ humilitatis ventosam & turbidam cupiditatem, avidam rerum extra nostram potestatem constitutarum pellit ex animo & quodammodo exspirat. Ibi enim labor, ubi multa quæruntur & diliguntur, quibus adipiscendis, atque retinendis voluntas non satis est: quia consequentem non habet facultatem. Iusta verò vita cum volumus adest, quia ipsam plenè velle iustitia est. Nec plus aliquid perficienda iustitia, quàm perfectam voluntatem requirit. *Grandis labor est divitias quærere.*

Vide si labor est, ubi velle satis est. Vnde divinitùs dictum est: Pax in terra hominibus bonæ voluntatis, ubi pax, ibi requies, ibi finis appetendi & nulla causa laborandi. Sed hæc voluntas ut plena sit, oportet ut sana sit, erit autem sana, si medicum non refugiat, cujus solius gratiâ sanari potest à morbo desideriorum noxiorum. Ipse est ergo medicus, qui clamat: Venite ad me omnes qui laboratis. Et hæc est una sarcina, quâ ejus bajulus non premitur, sed levatur. Divitiæ si diliguntur, ibi serventur ubi perire non possunt. Honor si diligitur, ibi habeatur, ubi nemo indignus honoratur. Salus si diligitur, ibi adipiscenda desideretur, ubi adepta nihil timetur. Vita si diligitur, ibi acquiratur, ubi nulla morte finitur. Reddite ergo quod vovistis, quia vos ipsi estis, & ei vos redditis à quo estis, reddite obsecro. *Tom: 2. epist: 45.*

Luc. 2. 14.

Leve onus.

Quid adhorret à vero, si credamus hominem ita in Paradiso constitutum, ut operaretur agriculturam, non labore servili, sed honesta animi voluptate? quid enim hoc opere innocentiùs vacantibus? ut custodiret autem: quid? an ipsum Paradisum: contra quos? nullus certè vicinus metuebatur invasor, nullus limitis perturbator, nullus fur, nullus agressor; *Et respondet infra.* Ut quod operaretur in terra per agriculturam, in se ipso custodiret per disciplinam, id est ut sicut ei ager obtemperaret colenti se, ita & ipse præcipienti Domino suo, ut sumpto præcepto obedientiæ fructum non spinas inobedientiæ redderet. Denique quoniam similitudinem à se culti Paradisi, in se ipso custodire subditus noluit, similem sibi agrum damnatus accepit: spinas inquit & tribulos pariet tibi. *Et infra.* Custodiret eundem Paradisum ipse sibi, nè aliquid admitteret; quare inde mereretur expelli. *Tom: 3. lib: de Gen: ad lit: c: 10.*

Gen 2.

Labor servorū Dei voluptas.

Creaturæ docens Dei obsequium.

Neque honestas ipsa reprehendit; quod reprehendit superbia eorum, qui vocari honesti amant, sed esse non amant. Non dedignaretur Apostolus sive rusticanum aliquod opus aggredi, sive in opificum labore versari; qui enim ait: sine offensione estote. Judæis & Græcis, & Ecclesiæ Dei: quos in hac causa revereri posset ignoro: si Judæos dixerint? Patriarchæ pecora paverunt: Si Græcos? quos etiam Paganos dicimus, etiam Philosophos multùm sibi honorabiles sutores habuerunt. Si Ecclesiam Dei? Homo ille justus & ad testimonium conjugalis semper mensuræ virginitatis electus, cui desponsata erat Virgo MARIA quæ peperit Christum, faber fuit. Quidquid ergo horum cum Innocentia, & sine fraude homines operantur? bonum est. *Tom: 3 lib: de opere Mon: c. 13.*

Inobedientiæ pæna inobedientia.

1. Cor. 10.

Innocentia omnia facit ac reddit bona.

Quid agant, qui operari corporaliter nolunt? cui rei vacent? Scire desidero: Orationi inquiunt, & psalmis, & lectioni, & verbo Dei. Sancta planè vita, & in Christi suavitate laudabilis. Sed si ab his avocandi non sumus, nec manducandum est, nec ipsæ escæ quotidie præparandæ, ut possunt apponi & sumi *Et infra.* Cantica Divina cantare etiam manibus operantes facilè possunt, & ipsum laborem tanquam Divino Celeusmate consolari. *Ibid: c. 17.*

Labor corporalis necessarius.

Propterea se dicunt operari non debere, quia nec volucres cæli seminant, neque metunt: Cur ergo isti manus otiosas & plena repositoria volunt habere? cur ea quæ sumunt, ex laboribus aliorum recondunt, & servant, unde quotidie proferatur? cur deniq; molunt & coquunt? hoc enim aves non faciunt? *Et infra.* Cur ipse Dominus loculos habuit, ubi collectam pecuniam reponeret? Cur tanta ante, fame imminente frumenta sanctis Patribus missa sunt? cur Apostoli indigentiæ sanctorum necessaria procurârunt? nè deesset in posterum? ut beatissimus Apostolus scriberet. De collectis autem in sanctos sicut ordinavi in Ecclesiis Galatiæ, ita & vos

1 Cor. 16. 6.

& vos facite. Videtis ergo quamvis dominus dixerit! Nolite cogitare in crastinum: non vos tamen istis verbis cogit, ut nihil in crastinum reservetis: Cur ergo iisdem verbis vos cogi dicitis, ut vacetis; Cur volatilia cæli non vobis sunt exemplo ad nihil reservandum, & vultis ut sint exemplo ad nihil operandum. *Tom: 3. ibid: cap: 23 & 24.*

Mar. 10. 14. Excutite pulverem de pedibus vestris, aut ad contestationem laboris terreni, quem pro illis inaniter suscepissent: aut ut ostenderent, usque adeo se ab ipsis nihil terrenum quærere, ut & pulverem de terra eorum sibi non paterentur cohærere. *Tom: 4 lib. 9. quæst: Evang: Secund: Mathæum. quæst: 6.* *Gratis circa proximorum salutem laborandum*

Gen. 4 6. Propter hoc de Paradiso ejectus Adam, contra Eden habitavit, id est contra sedem deliciarum, ut significaret quod in laboribus, qui sunt deliciis contrarii erudienda esset caro peccati, quæ in deliciis obedientiam non servavit, antequam esset caro peccati. *Tom: 7. lib: 7: de peccatorum meritis & remissione. c: 34.*

Ps. 33. 16. Oculi Domini super justos. Noli ergo timere. Labora, oculi Domini super te sunt & aures ejus ad preces eorum. Quid vis amplius. Si murmurantem servum in domo magna non audiret paterfamilias: quæreretur & diceret: Quanta nos hic patimur & nemo nos audit. Nunquid dicis illud de Deo quanta patior & nemo me audit. Si audiret me forte dicis tolleret mihi tribulationem: Clamo & tribulor. Tantum tu tene vias ejus, & quando tribularis audi te. Sed medicus est adhuc putri habes nescio quid. Clamas. Sed adhuc secat & non tollit manum nisi secuerit quantum videtur. Etenim medicus crudelis est qui exaudit hominem, & parcit vulneri & putredini. Matres quomodo fricant in balneis ad salutem filios? Nonne parvuli clamant inter manus earum? Illæ ergo crudeles sunt ut non pareant, non exaudiant lachrymas? Nonne plenæ sunt pietate? Et tamen clamant pueri, & non eis parcitur. Sic & Deus noster plenus est charitate, sed ideo videtur non exaudire, ut sanet & parcat in sempiternum. *Expos. psal: 33.* *Laborantibus Deus presto.*

Quando patiuntur labores sancti noli putare quia non judicat Deus aut perverse judicat; quia te monet ut juste judices ipse perverse judicaturus est? amat ille judicium & non derelinquet sanctos suos. *Con: 3. in psal: 36.*

Matt. 11. 30. Jugum meum leve est, & sarcina mea levis. Alia sarcina premit & aggravat te, Christi autem sarcina sublevat te. Alia sarcina pondus habet Christi sarcina pennas habet, nam & avi si pennas detrahis quasi onus tollis, & quo magis onus abstulisti eo magis in terra remanebit Quam exonerare voluisti non volat quia tulisti onus: redeat onus: & volat. Talis est Christi sarcina. Portent illam homines non sunt pigri, non attendantur illi qui eam ferre nolunt. Ferant illam qui volunt, & invenient quam sit levis quam suavis, quàm jucunda quàm rapiens in cælum & à terra eripiens. *In psal: 59.* *Christi sarcina*

Ps. 71. 16. Hoc labor est ante me. Verum dicis labor est ante me, sed ante Deum non est labor. Fac te ante Deum, ubi non est labor, & nec tibi erit labor. Et facit hoc: Nam dicit quamdiu labor ante se. Donec introeam in sanctuarium Dei, & intelligam in novissima. *In psal 72.* *Vita labor.*

Gen. 3. 18. Terra spinas & tribulos pariet tibi. Ab authore nostro dictum est. Aut si est aliud vita nostra, si poteris, convertere ad aliquam voluptatem, ubi spinas non sentias. Elige quod volueris, esto avarus, luxuriosus, ut duo ista sola non dicamus adde & tertium ambitiosus, In honorum cupiditate quantæ spinæ? In luxuria libidinum *Improbus ipse sibi gehenna.*

num quantæ spinæ? In ardore avaritiæ quantæ spinæ? Amores turpes quantas molestias habent: Quantæ solicitudines hic in ista vita? Omitto gehennam. Vide ne jam ipse tibi sis gehenna. Hoc enim totum fratres mei de ira ipsius est, cum te converteris ut juste agas, non poteris nisi laborare in terra & non finitur labor nisi cum fuerit finita via. Oportet in via laborare ut in patria gaudeamns. *Enar: in psal*: 102.

Virtutis exercitium cum discrimine differtur.

Laborare non vis, qui utrum vivas ad senectutem, nescis? sexta hora vocaris, ueni. Paterfamilias tibi quidem etiam undecima venienti, denarium promisit: sed utrum vivas usque ad septimam, nemo tibi promisit. Non dico usque ad undecimam, sed usque ad septimam. Quare ergo differs, vocantem te, certus de mercede, incertus de die? vide ne forte quod tibi ille daturus est promittendo, tu tibi auferas differendo. Si hoc certè dicitur, de infantibus, tanquam ad horam primam pertinentibus, si certè dicitur de pueris, tanquam ad horam tertiam pertinentibus, si rectè de juvenibus, tanquam in horæ sextæ flagrantia constitutis, quãto magis recte dicetur de decrepitis, ecce jam hora undecima est, & adhuc stas, venire piger es. *Tom*: 10. *serm: de verb*: *Dom: ser*: *59 de operariis vineæ.* *Matt.* 20.

Æqualem laborem à terna ac temporalia poscunt.

Durum videtur, defecisti, nonne illud quod non deficit, perdidisti? Multi multa patiuntur propter pecuniam perituram, & tu non vis pati, propter vitam mansuram? Sic recusas laborare pro Dei promissis. quasi non laborares pro cupiditatibus tuis. Quanta patiuntur pro sua iniquitate latrones, quanta patiuntur, pro suis sceleribus perditi, pro sua nequitia luxuriosi, pro sua avaritia negotiatores mare transmeantes, ventis tempestatibusque corpus & animam committentes, sua relinquentes? Judex si pronuntiet exilium, tremor est: Deus mortem minatur, & lætitia est? Quid ergo magnum tibi imperat sapientia, quod non posset imperare & avaritia? Tamen cum imperat avaritia, facis. Et cum feceris, quod imperaverit avaritia, quid habebis? Plenam Domum auro & argento. Non legisti, quanquám in imagine Dei ambulet homo, tamen vanæ conturbabitur? Thesaurizat, & nescit cui ea colligat. *Tom*: 10. *serm: de Temp serm*: 245 *post festum Trinitatis* 23. *serm*. 2.

Labor ex amore.

Non recusetur labor si adest amor; nostis enim quoniam qui amat non laborat. Omnis enim labor non amantibus gravis est, si tantos labores cum avaris portat cupiditas, nobiscum non portat charitas. *Tom*: 9, *in Ioan*: *Tract*: 48. *de cap*: 10.

LACRYMÆ.

Salutares lacrymæ.

Fleri non potest, ut filius istarum lacrymarũ pereat. Sanctæ Monicæ Matri Sancti Augustini dicebat quidam Episcopus, non tamen sanctus Ambrosius. *Tom*: 1: *lib*: 3 *conf*: *cap*: 12.

Cantus Ecclesiæ elicit lacrymas.

Quantum flevi in hymnis & canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ, vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene erat mihi cum eis. *Ibidem*. *lib*: 9. *cap*: 6

Legat qui volet & interpretetur ut volet, & si peccatum invenerit flevisse me Matrem mortuam, quæ me multis annis fleverat, ut oculis tuis viverem *Ibidem Cap*: 12.

In oratione nõ sunt verba sed affectibus.

Plerumque hoc negotium (intellige orationis) plùs gemitibus quàm sermonibus agitur, plùs fletu, quàm affatu. Ponit autem lacrymas nostras in conspectu suo, & gemitus noster non est absconditus ab eo, qui omnia per verbum condidit, & humana verba non quærit. *Tom*: 2. *Epla*. 121.

Quantò

Quantò quis est sanctior & desiderij sancti plenior, tantò ejus in orando fletus uberior, an non est vox civitatis supernæ Jerusalem, quæ dicit. Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. *Tom: 5. lib: 20. de Civit. Dei. cap. 17.* *Lacrymæ cibus.*

Christiani sumus & tamen plerumque si filius cujusquam moriatur, plangit illum. Si peccet non illum plangit. Tunc plangeret tunc doleret, cum peccantem videret, tunc quando ista faciebat in domo tua non solum mortuus erat, sed & putabat. Hæc dolenda sunt illa sustinenda: illa ferenda ista plangenda. *Tit: in psal: 37.*

Matt. 10.

Ps. 94. Ploremus coram Domino qui fecit nos. Ardes forte conscientiâ delicti: lacrymis extingue flammam peccati. Plora ante Dominum securus plora ante Deum qui te fecit: Non enim opus manuum suarum contemnet in te. Noli putare quia potes à te refici. A te deficere potes, tu te ipsum reficere non potes: ille reficit qui te fecit. *In psal: 94.* *Lacrymæ flammam peccati extinguunt.*

Ps. 125 7. Euntes inquit ibant & flebant mittentes semina sua. Valde miseri si semper flebant valde miseri si nunquam de lacrymis liberandi sunt. Sed vide quid sequitur. Venientes autem venient in exultatione portantes germina sua. Nihil aliud istis canticis docemur fratres quàm ascendere, sed ascendere in corde, in affectu bono, in fide spe & charitate, in desiderio perpetuitatis & vitæ æternæ. Sic ascenditur. *Enar: in psal: 120.* *Lacrymæ dux ad calum.*

Ps. 116 2. Cum quãta suavitate plorat in gemitu qui orat? Dulciores sunt lacrymæ plorantium quàm gaudia theatrorum. Et audi flammam desiderij qua manducatur ipse panis de quibus dicit: qui manducatis panem doloris Alio loco dicit amans iste cujus vocem in psalmo plerumque agnoscimus. Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte. *Expos: psal: 127.* *Orantium lacrymæ panes.*

Ps. 136 1. Super flumina vero Babylonis sedimus & flevimus cum recordaremur Sion Multi enim flent fletu Babylonico, quia & gaudent gaudio Babylonico. Quia gaudent lucris & flent damnis utrumque de Babylonia est. Flere debes sed recordando Sion Si recordando Sion fles & quando tibi secundum Babyloniam bene est oportet ut fleas. *Enar: in psal: 136.* *Lacrymarum materia.*

Plangunt plerique creditores vendentes villas suas. Quomodo debent plangere peccatores perdentes animas suas. *Expos: psal: 147.*

Io. 11. Propter Discipulos gaudebat, quia per resurrectionem Lazari, confirmari habebat fides ipsorum in Christo. Propter Judæorum flebat incredulitatem, quia nec resurgente Lazaro Christo Domino fuerant credituri. Aut forte idcircò flevit Dominus, ut lacrymis suis mundi peccata deleret. Si Petrus potuit lacrymarum suarum fusione propria peccata abstergere: cur non credimus lacrymis Domini, mundi peccata deleta fuisse? Denique post lacrymas Domini multi ex populo Judæorum crediderunt. Vicit ex parte incredulitatem Judæorum Dominicæ pietatis affectus, & discordes mentes eorum mollivit prima fusio lacrymarum. Et idcirco forte utrumque de Domino in præsenti lectione refertur, quod & gavisus sit, & flevit, quia qui seminat in lacrymis, ut scriptum est, in gaudio metet. Lacrymæ ergo Domini gaudia mundi sunt: quia idcirco ille lacrymas fudit, ut nos gaudia meremur. *T: 10: serm: de temp: serm:* 104 *Feria 6. post* 4 *Dnicam in Quadrag: serm:* 1. *Fletus Christi & gaudium simul in resurrectione Lazari.*

Ps. 125 7. Euntes ibant & flebant. Ex quo nascimur, imus. Quis enim stat? Quis non ex quo viam intravit cogitur ambulare? Infans natus est, crescendo ambulat. Mors finis est. In die jam veniendum est, sed cum exultatione *Et infra.* Plorat alius, quod amiserit mortuum aliquem amicorum suorum: ille hunc, iste hunc. Justus unde? Pri- *Iter vitæ nostræ ad mortem.*

de ? Primò de his omnibus: justus enim plorat veraciter, non plorat steriliter. Plorat plorantes, plorat ridentes: quia & qui plorant de rebus vanis, inaniter plorant, & qui rident de rebus vanis, malo suo rident. Ille ubique plorat, plus ergo ipse plorat. *Et infra.* Etenim fratres mei, quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Non desiderat patriam peregrinatio sine lacryma. Si desideras, quod non habes, funde lacrymas: nam unde dicturus es Deo, Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo ? Vnde dicturus es Deo. Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte ? Panis mihi factæ sunt; consolatæ sunt esurientem, paverunt gementem. Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte. Unde? Dum dicitur mihi quotidie. Ubi est Deus tuus ? Quis justus non habuit istas lacrymas ? qui non habuit, peregrinum se esse non doluit. Qua forte ad patriam venit, qui non absens suspiravit. *Tom: 10. serm: san: serm: 45. in festo plurium Mart.*

Iustis lacrymarum materia. *Per tribulationes obtinentur æterna præmia* *Ps 41. 4.* *Tribulationes temperantur Dei memoria*

Crebræ sunt lacrymæ justorum, sed in ista via. Nunquid in patria ? Quare non in patria ? Quia venientes venient in exultatione portantes manipulos suos, Felicitas venit, nunquid lacryma redit ? *Ibidem.*

Finis damnorum humanorum cælum.

Flevit Christus, fleat se homo. Quare enim flevit Christus nisi quia flere hominem docuit. *Tom: 9. in Ioan: Tract: 49. de cap. 11.*

Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Viris enim redeuntibus infirmiorem sexum in eodem loco fortior figebat affectus. Et oculi qui Dominum quæsierunt non invenerunt, lacrymis jam vocabant, amplius dolentes quod fuerat de monumento ablatus, quàm quod fuerat in ligno occisus: quoniam magistri tanti cujus eis vita subtracta fuerat, nec memoria remanebat. *Ibidem Tr: 121. de cap: 20.*

Luc. 19 41.

Confige quæso timore tuo carnes meas: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Utinam sic te timeret peccatrix anima quomodo ille vir sanctus, qui dixit. Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum. Dator enim omnium bonorum Deus da mihi inter laudes tuas fontes lacrymarum simul cum cordis puritate, & mentis jubilatione: ut perfecte te diligens & digne te laudans ipso cordis palato sentiam, gustem, & sapiam, quam dulcis & suavis es Domine, sicut scriptum est, gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. *Tom: 9. lib. Medit. cap: 34.*

LÆTITIA

SÆCULI.

Digna lacrymis.

Contendunt lætitiæ meæ flendæ, cum lætandis mæroribus, & ex quâ parte stet victoria, nescio. Hei mihi Domine miserere mei. Contendunt mærores mei mali, cum gaudiis bonis, & ex qua parte stet victoria, nescio. hei mihi Domine miserere mei. Ecce vulnera mea non abscondo. Medicus es, æger sum. misericors es, miser sum. *Tom: 1. lib: 10. conf: ff: cap: 28.*

Ps. 10. 4.

Animus cum adipiscitur concupita, quamvis perniciosa vel inania, quamvis id errore non sentit, vel delectatione morbida vincitur, vel vana etiam lætitia ventilatur, ex his morborum non ubertatis, sed indigentiæ tanquam fontibus omnis miseria naturæ rationalis emanat: quæ tamen natura in malis suis non potuit omittere beatitudinis appetitum. *Tom: 3. Enchirid. c. 25.*

Infirmitas humana.

Et mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Quicunque mali sunt, sic ordinati sunt, quia & unusquisque sibi & omnes invicem sibi nocent. Hoc enim appetunt, quod perniciosè diligitur,

Malus sibi & aliis malus *1. Cor: 15.*

ligitur, & quod eis auferri facilè potest, & hoc sibi auferunt invicem, quando se persequuntur. Et ideo cruciantur, quibus auferuntur temporalia, quia diligunt ea: illi autem, qui auferunt, gaudent. Sed talis lætitia cæcitas est, & summa miseria, ipsa enim magis implicat animam, & ad majora tormenta perducit. Nam gaudet & piscis, quando hamum non videns, escam devorat, sed cum piscator eum adducere cœperit, viscera ejus torquentur primò, deinde ab omni lætitia sua per ipsam escam, de qua lætatus est, ad consumptionem trahitur. Sic sunt omnes qui de bonis temporalibus beatos se esse putant: hamum enim acceperunt, & cum illo sibi vagantur. Veniet tempus, ut sentiant quanta tormenta cum aviditate devoraverunt. Et ideo bonis nihil nocent, quia hoc eis auferunt, quod non diligunt. Nam quod diligunt, & unde beati sunt, auferre illis nemo potest. Cruciatus verò corporis malas animas miserabiliter affligit bonas autem fortiter purgat. *Tom: 3. lib: de agone Christiano. cap: 7.*

Ps 41. 4

Quæ in hac vita delectant, tormenta in sunt in futura

Quid enim detestabilius, & quid magis thezaurizat iram in die iræ, & justi judicii Dei, quam de malo alterius mera Diaboli similitudine atque imitatione, lætari. *Tom: 4 lib: de cathechisan: rud. c* 11

De malis aliorum operibus lætitia.

Postremò quamvis insana gaudia, non sint gaudia, tamen qualiacunque sint, & quantumlibet delectet jactantia divitiarum, & tumor honorum, & vorago popinarum, & bella theatrorum, & immundicia fornicationum, & prurigo thermarum, aufert omnia ista una febricula, & adhuc viventibus totam falsam beatitudinem subtrahit: remanet inanis & saucia conscientia Dominum sensura judicem, quem noluit habere custodem, & inventura asperum Dominum, quem dulcem Patrem quærere & amare contempsit. *Ibidem cap: 16.*

Luc. 19 41.

Nolite seduci gaudio rerum humanarum, flenda in rebus humanis advertite. Poterat ridere prius puer qui nascitur. Quare à fletu incipit vivere? Ridere nondum novit quare plorare jam novit, quia cœpit ire in istam viam.

Vita nostra lacrymarum materia.

Volo vos sine *solicitudine* esse. Qui gaudium totum suum totamque felicitatem suam constituet in manducando, bibendo uxorem ducendo, emendo, vendendo, utendo mundo isto sine solicitudine est talis: sed præter arcam væ illi à diluvio. Quisquis autem sive manducat, sive bibit, sive aliud quid agit omnia in gloriam Dei facit. Et si aliqua tristitia est de rebus sæcularibus, sic flet ut intus in spe gaudeat: & si aliqua est lætitia in rebus sæcularibus sic gaudet ut intus spiritualiter timeat, nec donet se corrumpendum felicititati nec se det adversitati frangendum, Hoc est enim flere, tanquam non gaudentem. *Enar: In psal. 147.*

Lætitia sæculi est impunita nequitia. Luxurientur homines, fornicentur, in spectaculis nugentur, ebriositate ingurgitentur, turpitudine fædentur, nihil mali patiantur, & videte sæculi gaudium. Ista mala quæ commemoravi, non castiget fames, non belli timor, non aliquis morbus, non aliquæ adversitates: sed sint omnia in rerum abundantia, in pace carnis, in securitate malæ mentis: & videte sæculi gaudium, sed non cogitat Deus, sicut homo. Alia est Dei cogitatio, alia hominis. Magnæ misericordiæ est nequitiæ impunitatem non relinquere: & ne cogatur, in extremo gehennæ damnare, modo flagello dignetur castigare. *Et infra.* Vis ergo nosse, nulla pæna quanta sit pæna? Psalmum interroga: Irritavit Dominum peccator. Exclamavit vehementer, attendit, consideravit, exclamavit: Irritavit Dominum peccator: Quare obsecro? Quid vidisti? Qui autem hoc exclamavit, vidit peccatorem impune

Maxima pæna nequitiæ impunitas

Ps. 10. 4.

1. Cor 15.

impune luxuriantem, malè facientem, bonis abundantem, & exclamavit, irritavit Dominum peccator. Quare hoc dixisti? Quid enim vidisti? Præ magnitudine iræ suæ non requirit. Intelligite fratres christiani misericordiam Dei. Quando castigat mundum, non vult damnare mundum. Præ magnitudine iræ suæ non exquirit. Ideo non exquirit, quia multum irascitur. Magna est ira ejus. Parcendo sævit, sed justè sævit. Est enim severitas, quasi sæva veritas. Si ergo aliquando sævit parcendo, bonum est nobis, ut subveniat castigando. *Tom: 10. Serm: de verb: Dom: serm: 37. de illo homo quidam descendit ab Hierusalem in Hiericho. &c.*

Quem Deus castigat non vult damnare.

Deus parcendo sævit.

Ubi sunt deliciæ vestræ præter quas ambulatis per vias pravas. Non dicimus ubi erunt, cum hæc vita transierit, sed modo ubi sunt? Cum hesternum diem hodiernus abstulerit, & hodiernum crastinus ablaturus sit, quid enim quæ diligitis, non transcurrit, & transvolat? Quid non fugit pæne antequam capitur, cum ex ipso hodierno die nulla possit vel hora retineri? ita enim secunda excluditur à tertia, sicut prima exclusa est à secunda: Ipsius horæ unius quæ præsens videtur, nihil est præsens: omnes enim partes ejus, & omnia momenta fugitiva sunt. Propter quid peccati homo, si non cæcatur? cum peccat, vel cum peccaret, attendat, poterat videre quia voluptas transitura sine prudentia desideratur: vel cum transierit cum pænitentia cogitatur. Nos irridetis quia speramus æterna, quæ non videmus: cum vos eis quæ videntur, temporalibus subditi, nesciatis qualis vobis dies crastinus illucescat. Quem sæpe bonum sperantes, malum invenitis, nec si bonus fuerit, eum ne fugiat tenere poteritis. *Tom: 10. serm: de verb: Apli: serm: 23. de illo Apostoli, spe salvi facti sumus. &c.*

Fugaces sæculi voluptates.

Manducemus & bibamus: cras enim moriemur. Illi se adhuc cras dicunt morituros, veritas autem illos jam, cum ista dicunt, invenit mortuos. Vos autem fratres filij resurrectionis, cives Sanctorum Angelorum, Dei heredes, & Christi coheredes, cavete imitari eos, qui cras exspirando moriuntur, & hodie bibendo sepeliuntur. *Tom: 10. eorundem Ibidem.* *Is. 22. 14.*

Cadaver est qui in privato vivit.

Pecunia delectet, ista non times? Bona res est pecunia, pecunia magna bona res est. Incidunt homines in tentationes, non times? In desideria multa incidunt stulta & nociva, non times? Desideria quo ducunt, time. Quid est, quo ducunt? Quæ mergunt inquit homines in interitum & perditionem. Et adhuc surdus es? Interitum & perditionem non times? Sic Deus tonat, & stertis? *Tom: 10. 50 Homil: Homil: 13. de illo ne tardes converti ad Deum &c.*

Mala desideria in interitum præcipitant.

Quale gaudium illa conscientia potest habere in cujus anima multis vitiis occupata magis diabolus probatur habitare quàm Christus. Quale gaudium potest habere anima, quæ iracundiæ furore succenditur, cupiditatis nigredine obscuratur, superbiæ amarissimo felle repletur, invidiæ veneno percutitur, luxuriæ sordibus inquinatur. *Ibid: serm: 255. in anniversario dedicationis serm. 4.*

Peccata non sinunt quietã habere conscientiam.

Cui bene est in hoc sæculo, imo qui putat quod ei bene sit, qui lætitia rerum carnalium, & abundantia temporalium, & vana felicitate exultat, habet vocem corvi: Vox enim corvi clamosa est, non gemebunda. *Et infra.* Multi enim gemunt in felicitate terrena vel quassati damnis, vel ægritudine corporis prægravati, vel carceribus inclusi, vel catenis colligati, vel fluctibus maris mersi ac jactati, vel aliquibus inimicorum insidiis circumsepri gemunt. Sed non columbæ gemitu gemunt, non amore Dei gemunt, non spiritu gemunt. Ideo tales cum ab ipsis pressuris fuerint liberati, exultant in grandibus vocibus: ubi apparet quia corvi sunt non columbæ.

Felicitas terrena infelix.

lumbæ. Ideo meritò de arca missus est corvus, & non est reversus: missa est columba & reversa est. Illas duas aves misit Noe. Habebat ibi corvum habebat & columbam: utrumque hoc genus arca illa continebat. Et si arca figurabat Ecclesiam, videtis utique quàm necesse est, ut in isto diluvio sæculi utrumque genus contineat Ecclesia, & corvum & columbam. *Tom: 9. in Ioan Tract: 6. de cap: 1.*

Gen: 8. 11.

Lætitia *sæculi* vanitas. Cum magna expectatione speratur ut veniat & non potest teneri cum venerit. Ipsæ enim dies qui lætus est perditis hodie in ista Civitate, cras utique non erit: nec ijdem ipsi cras hoc erunt, quod hodie sunt. Et transeunt omnia, & elevant omnia, & sicut fumus vanescunt. Et væ qui amant talia. *Et infra.* Gaudium enim ipsorum quasi phreneticorum est. Quomodo autem phreneticus gaudet in insania, plerumque & ridet & plangit illum qui sanus est; sic & nos fratres charissimi, si receperimus medicinam de cælo venientem, quia & nos omnes phrenetici eramus, tanquam salvi facti, qui ea quæ diligebamus, non diligimus, gemamus ad Deum de ijs qui adhuc insaniunt. Potens est enim ut & ipsos salvos faciat: & opus est ut respiciant se & displiceant sibi. *Ibidem Tract: 7. de cap: 1.*

Brevitas bonorum temporalium.

Gaudium sæculi gaudium phreneticorũ.

Luc. 10 20. Nolite in hoc gaudere sed gaudete quoniam nomina vestra scripta sunt in cælis. Inde voluit gaudere Apostolos, unde & tu gaudebis. Væ tibi enim si nomen tuum non est scriptum in cælo. Nunquid væ tibi si non suscitaveris mortuos? Nunquid væ tibi si non ambulaveris in mari? Nunquid væ tibi si non excluseris dæmonia? si accepisti hoc unde facias, utere humiliter, non superbe. *Tom: 9. in epist: Ioan: 2. de cap: 2.*

Dolor unde maximus.

LÆTITIA SANCTORUM.

O Tardum gaudium meum, tacebas tunc, & ego ibam, porro longe à te, i plurima & plura sterilia semina, superba dejectione & inquieta lassitudine. *Tom: 1. lib: 2 confess: cap: 2.*

Mundi lætitia.

Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Eijciebas enim eas à me, vera tu & summa suavitas, eijciebas & intrabas, pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini: omni luce clarior, sed omni secreto interior, omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. *Ibid. lib: 9. cap: 1.*

Eph. 5. 19. Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. Intus est enim hoc gaudium, ubi vox laudis & canitur, & auditur, quâ voce laudatur, qui gratis amandus est toto corde, tota anima, tota mente, amatoremque suum accendit in se gratia Spiritus sui Sancti. *Ibidem epist: 120. cap: 17.*

Amor Dei, laus ejus est.

Quanquam non defuerint, qui justitiæ suavitatem, & internum ejus gaudium cum corporalibus omnibus laboribus & molestiis, quas genus humanum pro conditione suæ mortalitatis patitur, cum omnibus etiam quæ propter ipsam justitiam, in eos qui justè vivunt, injuriosissimè cogitantur, ita compensarent, ut sequestratâ spe vitæ futuræ, jucundius & lætius præ amore veritatis torquentur, quàm luxuriosi præ cupiditate ebrietatis, epulentur. *Tom: 4. lib: 83. quæst: quæst: 82.*

Ps. 4 7. Dedisti lætitiam in corde meo. Non ergo foris quærenda est lætitia, ab iis qui adhuc graves corde diligunt vanitatem & quærunt mendacium, sed intus ubi signatum est lumen vultus Dei. In interiore

Non est foris quærenda lætitia.

teriore enim homine habitat Christus ut ait Apostolus ad Ephes. 3. ad ipsum enim pertinet videre veritatem, cum ipse dixerit ego sum veritas. *Tom*: 8. *In ps*. 4.

Dominus illuminatio mea & salus quem timebo. Ille me illuminat, recedant tenebræ: ille me salvat recedat infirmitas. Si ille illuminans nos illuminati, & ille salvans nos salvati: præter ipsum nos tenebræ & infirmitas. Inveni potentiorem, & timeo potentissimum omnium, qui tribulant me inimici mei ipsi infirmati sunt, & ceciderunt. Sæviant persequendo nihil in me moritur nisi mortale. Erit in me aliquid quo persecutor pervenire non possit ubi habitat Deus meus. Manducent carnes meas: finitis carnibus spiritus ero & spiritualis. Quanta fiducia debet esse in eo, qui novit dicere: Dominus illuminatio mea. Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo? Protegitur Imperator scutatis & non timet: protegitur à mortalibus mortalis, & securus est? Protegitur mortalis ab immortali & timebit & trepidabit? Quanta fiducia debeat esse in eo qui ista dicit, audite: Si consistant adversum me castra non timebit cor meum. Castra munita sunt, sed quid munitius Deo? Et post multa præclara concludit. Ergo quia nobis nemo potest auferre quod dat Deus, non timeamus nisi Deum. *Enar*: 2 *In ps*. 26.

Ps. 26. 1.

Sine Deo nos tenebræ

Securus est quem Deus protegit.

Benedicam Dominum in omni tempore. Quando benedicam Dominum? quando tibi benefacit, quando abundant sæcularia? quando multum abundant frumenti, olei, vini, auri, argenti, mancipiorum pecorum, salusque ista mortalis invulnerata & incorrupta persistitur, ea quæ nascuntur crescunt omnia, nihil immaturâ morte subtrahitur, felicitas tota abundat in domo, circumfluunt omnia tunc benedices Dominum? Non, sed in omni tempore. Ergo & tunc & quando ista secundum tempus & secundum flagella Domini Dei nostri, turbantur, auferuntur minus nascuntur, jam nata dilabuntur. Semper laus ejus in ore meo. Et quando ista dat benedic, & quando ista tollit benedic. Quia ille dat ille tollit: sed seipsum à benedicente non tollit. *Expos*: *psal*: 33.

Ps. 33. 1.

Inter prospera & aspera Deus laudandus.

Anima mea exultabit in Domino. Quid melius Deo dabitur mihi? Amat me Deus, amat te Deus. Ecce proposuit pete quod vis. Si tibi Imperator diceret, pete quod vis, quos tribunatus comitatusque ructares? quanta tibi proponeres & accipienda, & aliis largienda. Deo tibi dicente pete quod vis quid petiturus es: Excute mentem tuam, exerce avaritiam tuam, protende quantum potes & dilata cupiditatem tuam: non quicunque sed omnipotens Deus dixit, pete quod vis. Et post multa præclarissima intulit. Transcende hæc, ipsum pete quid fecit, & in illo & ab illo habebis omnia quæ fecit. Omnia cara sunt quia omnia pulchra sunt. Sed quid illo pulchrius est? fortia sunt sed quid illo fortius? Et nihil magis vult dare quàm se. Si aliquid inveneris melius pete. Si aliud petieris injuriam facies illi & damnum tibi: præponendo illi quod fecit cum velit seipsum tibi dare qui fecit. In hoc amore dixit illi anima quædam. Dominus pars hæreditatis meæ. Possideat te ut possideas illum: eris prædium ipsius, eris domus ipsius. Possidet ut prosit possidetur ut prosit. Nunquid ut aliquid ei tu prosis? Nam dixi Domino Deus meus es tu quoniam bonorum meorum non eges. Anima autem mea exultabit in Domino: delectabitur super salutare ejus. Salutare Dei Christus est. Omnia ossa mea dicent quis similis tibi? Quis dignè de tuis verbis aliquid dicat? Ego puto tantum pronuntianda esse non exponenda. Quid quæris illud aut illud? quid simile Domino Deo? Ipsum habes ante te.

Ps. 34. 9.

Tota felicitas nostra Deus est.

Lætabitur justus in Domino. Ipse est bonum nostrum ad læti-
Ps. 63. 11. ficandos nos. Nemo lætetur in se, nemo præsumat, nemo desperet de se, nemo de quoquam homine, quem debet adducere ut socius sit spei ipsius non dator spei. *In psal. 63.*

Ps. 80. 1. Exultate Deo Adjutori nostro. Exultant alij circo, vos Deo: exultant alij deceptori suo, exultate vos adjutori vestro. Exultant alij Deo suo ventri suo, exultate vos Deo vestro adjutori nostro: Jubilate Deo Jacob. Quia & vos pertinetis ad Jacob, imo vos estis Jacob minor populus cui servit major: Jubilate Deo Jacob. Quidquid verbis explicare non poteritis, non ideo tamen ab exultatione cessetis; quod poteritis explicare clamate: quod non potestis jubilate. Etenim abundantia gaudiorum cui verba sufficere non possunt in jubilationem solet erumpere. *In psal. 80.*

Ps. 84. 6. Et plebs tua lætabitur in te. Malo suo lætabitur in se, bono suo lætabitur in te. Quãdo enim voluit habere gaudia de se invenit plãctum in se. Nunc vero quia totum gaudium nostrum Deus est qui vult securus gaudere in illo gaudeat qui non potest perire. *Ibidem In psal: 84.* *Ubi secura lætitia inveniri solet.*

Ps. 48. Utique videbat Esaias homines in potation, in luxuria, in theatris & in spectaculis totum mundum luxuriari variis nugis: & tamen clamabat. Non est gaudere impiis dicit Dominus. Si hoc non est gaudere quale gaudium videbat in cujus comparatione hoc non erat gaudium? tanquam si tu nosses solem & alicui laudanti lucernam diceres. Non est ista lux. *ibid. in psal: 96.*

Ps. 99. 1. Jubilate Deo omnis terra: Quid est jubilate? Deferte vocem ineffabilem gaudiorum vestrorum, & ructate in eum lætitias vestras. Et quæ erit illa ructatio post saginam si modo post modicas istas refectiones tantum afficitur anima nostra? quid erit quando fiet post redemptionẽ ab omni corruptione quod dictum est in illo psalmo. Qui satiat in bonis desiderium tuum. Et quasi quæreres quando satiat modo enim non satior. Ad quodcunq; me convertam. Vilescit mihi adeptum, quamvis accenderit desideratum: cum omnia quædam non habeo amo, cum habuero contemno, quod bonum me satiabit? Laus Dei. *Enar: In psal. 102.* *Bona temporalia docere possunt qualia sint æterna.*

Secura gaudeant membra, quia à capite suo non sunt dispertita. Dixit enim membris laborantibus Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Ita factum est ut converteremur ad Deum. Spem enim non habemus nisi ad sæculum, & inde servi miseri & bis miseri, quia & in hac vita spem posueramus & faciem habentes ad sæculum, dorsum ad Deum. Cum vero converterit nos Dominus ut cum jam incipiamus faciem habere ad Deum & dorsum ad sæculum, quia adhuc in via sumus, & tamen Patriam attendimus: & quando forte aliquam tribulationem patimur, sed tamen tenemus viam, & ligno portamur: asper quidem ventus noster est: cum labore quidem sed cito perducit. *Tom: 8. In psal: 125.* *Tribulatio ventus est impellens ad patriã.*

Ipse Christus factus est via. Vis non pati latrones? ait tibi viam tibi stravi ad patriam noli de via recedere. Talem viam munivi ut latro non audeat accedere. Tu ab illa noli recedere, & latro ad te non audebit accedere. *Ibidem.*

Non est gaudere impiis dicit Dominus. Gaudet iniquus in popina, gaudet martyr in catena. *Enar: In psal: 137.*

Gaudet in spe æternitatis, non in flore vanitatis. Ita gaudete & ubique, & quamdiucunque hic fueritis. *Tom: 10. serm: de verb: Dni, serm: 37. de illo Homo quidam descendit ab Hierusalem in Hiericho &c.*

Narraverunt mihi injusti delectationes suas, sed non sicut lex

tua

Ex virtute solatia superans peccatorum delectationem.

tua Domine. Felix anima quæ hujusmodi delectationibus oblectatur, ubi turpitudine nulla inquinatur, & veritatis serenitate purgatur. Quem audet delectat lex Dei, & sic delectat ut omnes delectationes lasciviæ vincat, non sibi arroget istam delectationem: Dominus dabit suavitatem. *Et infra.* In tua suavitate doce me: ut suavis sit veritas; dulcedine tua contemnatur iniquitas. Multo melior est & suavior veritas, sed sanis suavis est panis. Quid melius & præclarius pane cælesti? Sed si non obstupefacit dentes iniquitas. Scriptura enim dicit, Sicut vera acerba noxia est, & fumus oculis: sic iniquitas utentibus ea. Quid prodest quia panem laudatis, si male vivitis? Quod laudatis, non manducatis. Cum ergo audis verbum, justitiæ & veritatis, & laudas, multo laudabilius est, si facias. Fac ergo quod laudas. An dicturus es: Volo, sed non valeo? Quare non vales? Quia sanitas non est. Unde sanitatem perdidisti, nisi quia peccando creatorem offendisti? Ergo ut ejus panem quem laudas cum suavitate, id est cum sanitate manduces, dic illi: Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. *Tom: 10. serm: de verbis Apostoli serm: 4. Cum essemus in carne &c.* Ps. 1 85.

In peccatis delectari imprudentis est.

Quid tu de carne tua tumultuaris? Quid delectationes stultas temporales, fluxas, vanas, noxias, tumultuosè suggeris, & eas quasi garrula avis mihi narras? Narraverũt mihi injusti delectationes inde est & ipsa concupiscentia. Narrat mihi delectationes, sed non sicut lex tua Domine. Condelector enim legi Dei, non de me, sed de gratia Dei. *Ibidem serm: 5. de illo, lex peccatum est? &c.*

Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Confirmat quod supra dixerat, Deum se amare, non sæculum. Exultavit, sed in Deum vivum, hoc est non exultavit in hoc mundo, nec nec exultavit in aliqua oblectamenta quæ mundi sunt, id est in divitiis, non in honore, non in luxuria, non in ebrietate, non in vanitatibus mortuis, & cito cum omni suo amore morituris, sed in Deum vivum. Quare non dixit, in Deum tantum: sed addidit in Deum vivum? ut ostenderet scilicet, quia totum quod non pertineret ap Dei cultum, deberemus habere quasi mortuum. *Tom: 10. Homil: Homil: 33. de illo Prophetiæ Cor meum & caro mea exultaverunt.* Ps. 83. 3.

Onerosa seculi felicitas.

Scienti lætari in Domino, & intelligenti in novissima: felicitas mundi non est honor, sed onus, felix homo secundum seculum periclitatur, ne ipsa felicitate non in corpore, sed anima corrumpatur. Nam ista felicitas falsa est. *Tom: 10. Parte 2. serm: de diver. serm: 110. de Machabæis.*

Perennes virtutum divitiæ.

Jucundare in iis quæ jussit Dominus, ut jucunderis in Domino. Jucundare in fide, jucundare in spe, jucundare in charitate, jucũdare in misericordia, jucundare in hospilitatate, jucundare in castitate. Hæc omnia bona sunt thesauri interioris hominis, gemmæ non arcæ tuæ, sed conscientiæ tuæ. His ama dives esse, quas divitias nec naufragio possis amittere: unde si dives exieris, plenus eris. *Tom: 10. serm: nov: serm: 5. de illo psalmi 63. Iucundabitur justus in Domino.* Ps. 36. 4.

Qui Deũ possidet, possidetur à Deo.

In Domino jucũdabitur ille, qui cum perdidisset totam jucunditatem seculi, remansit ei Dominus, in quo jucundaretur, remansit ei in ira simplex, perfecta & immutabilis jucunditas cordis ejus. Quæ habebat. possidebat, à Domino autem possidebatur, illa calcabat, ex illo pendebat. Ille illis subtractis quæ calcabat hæsit in illo in quo pendebat. *Et infra.* Dominus dedit, vide jucunditatem, Dominus abstulit. Nunquid se abstulit? Quod dedit abstulit,

lit, qui dedit se, obtulit, jucundatur in Domino. Ergo Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Quare displiceat servo id quod placuit Domino? Aurum inquit perdidi, familiam perdidi, pecora perdidi, quidquid habui perdidi: à quo habeor non perdidi. Perdidi. quod dederat, eum non perdidi, cujus ipse sum. Delectatio mea ipse, divitiæ meæ ipse. *Ibidem.*

Matt. 5. 5. Beati lugentes quoniam ipsi consolabuntur. Deus homo factus est. Quid facturus est homo, propter quem Deus factus est homo? Hæc spes consoletur nos in omni tribulatione, & tentatione hujus vitæ. *Tom: 9. in Ioan: Tract: 10 de cap: 2.* *Solatium in adversis.*

Qui vult gaudere de se tristis erit, qui autem de Deo vult gaudere, semper gaudebit, quia Deus sempiternus est. Vis habere gaudium sempiternum? Adhære illi qui sempiternus est. Talem se dixit Joannes. Propter vocem sponsi. gaudet amicus sponsi ait, non propter vocem suam: & stat & audit eum. *Tom: 9. in Ioan: Tract: 14. de cap: 3.*

Quod ait gaudium vestrum nemo tollet à vobis, quia gaudiorum eorum est ipse Jesus: significatum est quod ait Apostolus. Christus resurgens à mortuis jam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur. *Ibid. Tract: 101 de cap: 16.*

Tædeat me gaudere sine te, & delectet contristari pro te. Sit mihi nomen tuum refocillatio, & memoria tua consolatio. *Tom, 9. lib: meditat: cap: 7.*

L A U S.

ET quod multùm tribui liberalibus disciplinis, quas multi sancti, multùm nesciunt, quidam autem, qui sciunt eas, sancti non sunt. *Tom: 1. Ibidem.* *Vanitas scientia.*

Quis laudes tuas [Deus] enumerat unus, in se uno quas expertus est. *Tom: 1. lib: 4. confess: cap: 4.*

Qui laudari vult ab hominibus vituperante te, non defenditur ab hominibus judicante te, nec eripitur damnante te. *Tom: 1. lib: 10. confess: cap: 36.*

Cum peccator laudatur in desideriis animæ suæ, etiam iste te vituperante laudatur. Et melior jam ille, qui laudavit, quàm iste qui laudatus est: Illi autem placuit in homine donum Dei, huic ampliùs placuit donum hominis quàm Dei. *Ibidem.*

Magis laudanda est bonitas ejus in magnis, quàm in mediis. & magis in mediis, quàm in minimis bonis, sed magis in omnibus, quàm si non omnia tribuisset. *Tom: 1. lib: 2. de lib: arb: cap: 19.*

Quantùm ergo bonum & quàm ineffabiliter linguis omnium prædicandus & honorandus est Creator omnium Deus sine cujus laude nec laudari possumus, nec vituperari. Non enim vituperari possumus, quia in eo non manemus, nisi quia magnum, summum, & primum bonum est manere in illo. Quid ergo inveniri potest in nostris peccatis ut ille vituperetur, quando vituperatio peccatorum nostrorum nulla est, nisi ille laudetur. *Ibid. lib: 3. cap: 13.* *Vituperatio peccatorum laus Dei.*

Quid melius & animo geramus & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias. hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest. *Tom: 2. epist: 77.*

Ut appetenda est veritas, quæ proculdubio est, etiamsi non laudetur sola laudabilis, sic ea quæ facilè subrepit vanitas in hominum laude fugienda est. Etenim cum laudantur boni, non lau- *Vana gloria fugienda.*

datis sed laudantibus prodest. Nam illis quantùm ad ipsos attinet, quod boni sunt, sufficit. *T. 2. ep. 265.*

Vana gloria intenta, non est servus Dei. Si hominibus placerem, Christi servus non essem, sic itaque accipiendum est quasi dixerit: si bona quæ facio, sine laudibus humanis facerem, laudis amore tumescerem. *Ibid: ep: 265.* *Gal. 1. 10.*

Non rectè vivere perniciosum est; rectè autem vivere & nolle laudari, quid est aliud quàm esse inimicum rebus humanis? quæ utique tantò sunt miseriores, quantò minùs placet recta vita hominum. Si ergo inter quos vivis, te rectè viventem non laudaverint, *Laus humana periculosa.* illi in errore sunt: si autem laudaverint, tu in periculo. Nisi tam simplex cor habueris, & mundum, ut ea quæ rectè facis, non propter laudes hominum facias: magisque illis recta laudantibus gratuleris, quibus id quod bonum est, placet, quàm tibi: Nisi quia rectè vivis, etiamsi nemo laudaret: ipsamque laudem tuam tunc intelligas utilem esse laudantibus, si non te ipsum in tua bona vita, sed Deum honorent, cujus Sanctissimum Templum est, quisquis benè vivit: ut impleatur, quod ait David: In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti & lætentur. *Tom: 4. lib: 2. de serm: in mont: cap: 1.* *Ps. 33. 3.*

Sicut non absurdè loqueretur, qui diceret: In hac opera, quâ navem quæro, non navem quæro sed Patriam; sic Apostolus convenienter diceret. In hac opera quâ hominibus placeo, non hominibus sed Deo placeo, quia non hoc appeto, sed ad id refero, ut me imitentur, quos salvos fieri volo. Sicut dicit de oblatione quæ fit in sanctos. Non quia quæro datum, sed requiro fructum. *Tom: 4. lib: 2. de serm: Dni. in mont: cap: 1.*

Falsis laudibus sol & luna non gaudent. Diabolus novit falsa laude gaudere, prævaricatrix creatura. *T: 6. lib: 14. con: Faust: c. 11.*

Tam in prosperis quam adversis laudandus Deus. Benedicam Dominum in omni tempore. Sive in prosperis sive in adversis. Nam si in prosperis & non in adversis, quomodo omni tempore? *Et infra.* Rectos decet laudatio, non primo laudaturos & postea vituperaturos. *Con: 1. In psal: 32.* *Ps. 33. 1.*

Rectos decet collaudatio. Discite gratias agere Deo & in prosperitatibus & in tribulationibus. Discite habere in corde quod habet omnis homo in lingua, quod vult Deus. Ipsa lingua popularis pleraque est doctrina salutaris. Quis non quotidie dicit, quod vult Deus hoc agat. *T. 8. Con. 1. in psal: 32.* *Ps. 32. 1.*

Et lingua mea meditabitur justitiam tuam tota die laudem tuam. Et cujus lingua daret tota die meditari laudem Dei? Suggero remedium unde tota die laudes Deum si vis. Quidquid egeris bene age, & laudasti Deum. Quando cantas hymnum laudas Deum. Lingua tua quid agit nisi laudet conscientia tua? Et quoties tu cessasti ab hymno cantando discedis ut reficiaris: noli inebriari & laudasti Deum. Discedis ut dormias: noli surgere ad malefaciendum & laudasti Deum. Negotia agis: noli fraudem facere, & laudasti Deum. Agrum colis noli litem movere, & laudasti Deum. Innocentia operum tuorum præpara te ad laudandum Deum tota die. *Con: 2. in psal. 34.*

Deum continuo laudandum.

In Dei laude manus & lingua concordāt. Omnes gentes plaudite manibus jubilate Deo in voce exultationis. Et voce & manibus. Si tantum voce non bene: quia pigræ sunt manus. Si tantum manibus nec hoc bene: quia muta est lingua. Concordent manus & lingua: illa confiteatur, illæ operentur. *Tom: 8. in psal. 49.* *Ps. 46. 1.*

Sit nomen Domini benedictum. O divitiæ interiores, quo fur non accedit. Ipse dederat Deus unde accipiebat, ipse ditaverat unde illi offerebat quod amabat. Laudem à te quærit Deus, confessionem *Ps. 112. 2.*

fessionem tuam quærit Deus sed de agro tuo aliquid daturus es? ipse pluit ut haberes. De arca daturus es aliquid? ipse instituit quod daturus es. Quid daturus es quod ab illo non accepisti? Quid enim habes quod non accepisti? De corde dare vis: Ipse dedit fidem, spem, & charitatem: hoc prolaturus hoc sacrificaturus es. Sed planè omnia illa cætera potest auferre inimicus invito, hoc auferre non potest nisi volenti. *In psal. 55.*

Semper magnificetur Dominus qui diligunt salutare tuum.
Ps. 34. 27. Non tantum magnificetur Dominus, sed etiam Dominus semper. Ecce errabas & aversus ab eo eras: Vocavit te magnificetur Dominus. Ecce inspiravit tibi confessionem peccatorum, confessus es dedit veniam magnificetur Dominus. Jam cæpisti justè vivere: jam puto quasi justum est ut & tu magnificeris. Etenim cum te vocaret errantem magnificandus erat Dominus. Modo jam audiens verbum ejus cæpisti proficere, justificatus es, pervenisti ad quandam virtutis excellentiam: dignum est ut & tu aliquando magnificeris, dicant semper magnificetur Dominus. Peccator es, magnificetur ut vocet: confiteris magnificetur ut agnoscat: jam juste vivis magnificetur ut regat: perseveras usque in finem, magnificetur ut glorificet. Semper ergo magnificetur Dominus. Hoc dicunt justi, hoc dicunt qui quærunt eum. Quisqui hoc non dicit non quærit eum. *In psal. 69.*

Oportet ut si sit hymnus, habeat hæc tria & laudem, & Dei & Canticum. Quid est ergo defecerunt hymni? Defecerunt laudes quæ cantantur in Deum. *In psal: 72.* *Quid sit hymnus.*

Nullum alium canticum nos docet Deus nisi fidei, & charitatis. *In psal: 91.*

Securitas laudis in laude Dei est, ibi laudatur. Securus est ubi non timet ne de laudato erubescat. Et laudemus ergo & cantemus: hoc est cum hilaritate & cum lætitia laudemus. *Et infra.* Venite exultemus Debes Domino exultare si vis servus mundo insultare. Quid est autem venite? Unde vocat ut veniant nisi quia longe sunt, ut veniendo propinquent. *Et infra.* Non loco quisque longe est à Deo, sed dissimilitudine. Quid est dissimilitudine? Mala vita, malis moribus. Pedes nostri in hoc itinere, affectus nostri sunt. Prout quisq; affectum habuerit, prout quisque amorem habuerit, ita accedit vel recedit à Deo. Nonne plerumq; dicimus quando invenimus aliqua dissimilia: hoc longe est ab illo. *In psal: 94.* *Affectus nostri pedes sunt.*

Ps. 49. 14. Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Laudari se vult Deus: & hoc ut tu proficias non ut ille sublimetur. Non est omnino quod illi retribuas: & quod exigit: tibi proderit, tibi servatur. Non hoc à te amat quod illum augeat, sed quod te ad illum perducat. Propterea quæ quærebant Martyres, deficiebant quodammodo non inveniendo & dicebant: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Et non invenerunt nisi Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. *Enar: In psal: 102.* *Laus Dei nostrum bonum*

Quid prodest quia hymnum cantat lingua tua, si sacrilegium exhalat vita tua? Male vivendo multas linguas misisti in blasphemiam. Lingua mea vacat hymno, & cæteræ te intuentium vacant blasphemiis. *In psal: 102.*

Sit gloria Domini in æternum. Non tua, non mea, non illius, aut illius: gloria Domini sis: non ad tempus sed in æternum. *Tom 8. Con: 4. de tertia parte psal. 103.*

Est enim alleluia & bis alleluia quod nobis cantare certo tem- *Alleluia.*

pore solenniter moris est secundum Ecclesiæ antiquam traditionem. Neq; enim & hoc sine Sacramento certis quidem diebus cantamus alleluia, sed omni die cogitamus. Sic enim hoc verbo significatur laus Dei, & si non in ore carnis, certe in ore cordis. Semper laus ejus in ore meo. *Et infra.* Confitemini Domino quoniam in sæculum misericordia ejus. Hoc confitemini quoniam suavis est. Si gustatis confitemini. Non potest autem confiteri qui gustare noluit. Unde enim dicturus est suave esse quod nescit? *In psal.* 106.

Undique Deus laudatur ab operibus suis. Quomodo illum laudant opera sua? Per os trium puerorum in Camino ignis quid prætermissum est? Laudat cælum, laudant Angeli, laudant sidera, laudant sol & luna, laudant dies & noctes, laudat quidquid germinat de terra, laudat quidquid nutat in mari, laudat quidquid volitat in àëre, laudant omnes montes & colles, laudant frigora & æstus, & cætera omnia quæ Deus fecit. Audistis quia laudant Deum, nunquid audistis ibi quia laudat Deum avaritia, quia laudat Deum luxuria? Non laudant ista quia non ipse illa fecit. Laudant ibi homines Deum, quia hominis creator est Deus. Avaritia opus mali hominis: homo ipse opus est Dei. Et quod vult Deus? Occidere in te quod ipse fecisti, & salvare te quem ipse fecit. *Enar: In psal.* 128

Deum blasphemat qui laudando Deum male vivit.

Noli gloriari quia lingua benedicis, si vita maledicis. Quomodo inquis vita maledico, Quia attenditur vita tua & dicitur: Ecce Christianus. Ecce quales sunt Christiani. Blasphematur propter te Christus. Ecce cùm vita tua maledicat, quid prodest quod lingua tua benedicit. *Enar. In ps.* 133

Laudate servi Dominum. Quid justius? Quid dignius? quid gratius? Etenim si non laudaverint servi Dominum; superbi ingrati, irreligiosi erunt. Et quid faciunt non laudando Dominum nisi ut severum sentiant Dominum? *Et infra.* Et si semper tantummodo servi essetis deberetis laudare Dominum, quantò magis debetis laudare Dominum servi, ut esse mereamini & filij *Enar: ps:* 134. *Ps. 134 1.*

Nunquid potes de laude dicere volui & non habui? Ipsum voluisse laudasse est. Non enim verba à te quærit Deus, sed cor. *Tom.* 8. *Enar: in psal:* 134.

Et quia dignatus est laudare se, ideo invenit homo quemadmodum laudet eum. Neque enim hoc potest dici Deo quod dictum est homini. Non te laudet os tuum ut enim se homo laudet arrogantia est: ut Deus se laudet misericordia est. *Præfat: In ps.* 144

Et benedicam inquit nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi, fortè in sæculum hic, in sæculum autem sæculi, in æternum laudaturus es. Qui laudare non vult in transitu hujus sæculi, obmutescet cum venerit sæculum sæculi. Proinde sequentibus versibus prope hoc dixit. Ne quis etiam alter intelligeret quod ait. Laudabo nomen tuum in sæculum: & quæreret aliud sæculum quando laudaret: per singulos inquit dies benedicam te. Lauda ergo & benedic Dominum Deum tuum per singulos dies: ut cum finiti fuerint singuli dies, & venerit sine fine unus dies, eas ex laudibus in laudem, sicut ex virtutibus in virtutem. *Et infra.* Benedicam Dominum in omni tempore semper laus ejus in ore meo. Breve magisterium est, scilicet ut noveris eum dare misericorditer, cum dat: misericorditer auferre cum tollit: nec te credas à misericordia ejus derelinqui, qui tibi aut blanditur dando ne deficias, aut corripit exultantem ne pereas. Sive ergo in ejus donis sive in ejus flagellis lauda eum. Laus flagellantis medicina est vulneris. Per singulos *Ps. 144*

In æternum laudaturus Deum non inchoat.

Ps. 33. 1.

ſingulos inquit dies benedicam te. Prorſus per ſingulos dies fratres benedicite: omnino quidquid acciderit benedicite Deum. Etenim ne accidat aliquid quod ferre non poteſtis ipſe facit. *Et infra.* Nonne melius eſt tentari & probari, quàm non tentatum reprobari? *Et infra.* Magnus Dominus & laudabilis valde. Quantum dicturus erat? quæ verba quæſiturus? quantũ acceptionem conclusit in uno valde? cogita quantum vis. Quando autem poteſt cogitari qui capi non poteſt? *Et infra.* Nonne ergo melius eſt ut quomodo ipſe non finitur, nec laus ipſius finiatur? Illius magnitudo ſine fine eſt: & tua laudatio ſine fine ſit. *Tom: 8. Expoſ: pſal: 144.*

Ps. 47. 1.

Laus flagellantis Dei medicina eſt vulneris.

Ps. 144 4. Ergo generatio & generatio laudabit opera tua. Laudamus nunc opera Domini, cum in hac mortalitate vivimus. Et ſi laudamus compediti, quomodo laudabimus coronati? *Et infra.* Laudas quidquid fecit, taces de illo qui fecit? Quaſi verò niſi ille tantus eſſet invenires quod laudares? In eo quod vides quid tibi laudatur? ſpecies, utilitas, aliqua virtus, aliqua potentia rerum iſtarum? Si pulchritudo te delectat: quid pulchrius faciente? ſi utilitas laudatur, quid eo utilius qui fecit omnia? ſi virtus laudatur quid eo potentius à quo facta ſunt omnia? quo etiam facta non dimittuntur ſed reguntur & gubernantur omnia. *Et infra.* Proinde ſi laudas opera Dei & te laudaturus es? quia & tu opus Dei es. Ubi eſt ergo non te laudet os tuum? Ecce inventum eſt quomodo & te laudare poſſis, & arrogans non ſis. Deum in te lauda, non te: non quia tu es talis, ſed quia ille fecit te: non quia tu aliquid potes, ſed quia ille in te & per te: ac per hoc laudabunt te, & virtutem tuam annuntiabunt, non ſuam ſed tuam. Diſcite ergo laudare. Intuentes opera, miramini artificem: gratias agendo, non arrogando. Laudate quia ipſe fecit, quia ſic conſtituit, quia talia donavit. *Tom: 8. ibidem.*

Bona hujus mundi ad Dei laudem nos alliciunt.

Lingua tua ad horam laudat, vita tua ſemper laudet. Inde ergo bonus pſalmus. Pſalmus quippe cantus eſt non quilibet, ſed ad pſalterium. Pſalterium autem quoddam organum eſt cantilenæ, ſicut lyra, ſicut cythara, & hujuſmodi organa quæ inventa ſunt ad cantandũ. Qui ergo pſallit, non ſola voce pſallit, ſed aſſumpto quodam organo quod vocatur pſalterium, accedentibus manibus voci concordat. Vis ergo pſallere? Non ſolum vox tua ſonet laudes Dei, ſed opera tua concordent cum voce tua. Cum ergo voce cantaveris ſilebis aliquando: vitâ ſic canta ut nunquam ſileas. *Ibidem.*

Opera cum voce concordent.

Ps. 147 1. Collauda Hieruſalem Dominum. Quid enim futura es o Hieruſalem? tranſibit certe & labor & gemitus. Quid factura es? Aratura, ſeminatura, novellatura, navigatura, negotiatura es? Quid factura es? *Et infra* Collauda Hieruſalem Dominum. Ecce hoc eſt negotium tuum, ſicut ſolet in titulis ſcribi, utere felix collauda Hieruſalem Dominum. *Expoſ: pſal: 147.*

In cælo totum negotium in laudando Deo.

Nunc fratres exhortamur vos ut laudetis Deum. Et hoc eſt quod vobis omnes dicimus quando dicimus alleluia. Laudate Dominum dicis alteri, dicit ille tibi: cum ſe omnes exhortantur omnes faciunt quod hortantur. *Et infra.* Cum quiſq; diſcedit ad propria quaſi ceſſat laudare Deum. Non ceſſat bene vivere & ſemper laudat Deum. Tunc deſinis laudare Deum, quando à juſtititia & ab eo quod illi placet declinas. Nam ſi à vita bona nunquam declines: lingua tua tacet vita tua clamat, & aures Dei ad cor tuum. *Enar: in pſal: 148.*

Alleluia.

Quid eſt confeſſio? quia ipſe confitetur? Non. Sed quia illum confitentur omnia: omnia clamant; omnium pulchritudo quo-

dammodo vox eorum est confitentium Deum. Clamat cælum Deo. Tu me fecisti, non ego. Clamat terra Tu me condidisti non ego. Quomodo ergo clamant ista? Quando considerantur & hoc invenitur: ex tua consideratione clamant, ex voce tua clamant. Confessio ejus in cælo & in terra. Attende cælum pulchrum est: attende terram pulchra est: utrumque simul valde pulchrum est. Ipse fecit, ipse regit, ipsius nutu gubernantur, ipse trajicit tempora, momenta ipse instaurat, per seipsum instaurat, Omnia ergo ista laudant illum sive in statu sive in motu, sive in terra deorsum sive de cælo sursum, sive in vetustate, sive in renovatione. Cum vides hæc & gaudes attolleris in artificem, & invisibilia ejus per ea quæ facta sunt intellectu contueris, confessio ejus in cælo & in terra: id est confiteris ei de rebus terrenis, confiteris ei de rebus cælestibus. Et quia ipse fecit omnia, & melius illo non est aliquid quidquid fecit intra illum est: & quidquid in his tibi placet minùs est quàm ipse Non ergo ita tibi placeat quod fecit ut recedas ab eo qui fecit: sed si amas quod fecit, multo magis eum qui fecit. Si pulchra sunt quæ fecit, quantò magis pulchrior est qui fecit *Expos. ps: 148.*

Nunc fratres charissimi, hortamur vos, ut laudetis Deum: & hoc est quod nos omnes dicimus, quando dicimus alleluia, laudate Deum *Et infra.* Non cesset bene vivere. & semper laudat Deum. Tunc desinis laudare Deum, quando à justitia & ab eo, quod illi placet, declinas Nam si à vita bona nunquam declinas, lingua tua tacet, vita tua clamat, & aures Dei ad cor tuum. *Tom: 10. 50. Homil: Homil: 16: de resurrectione Dom.*

Alleluia latinè dicitur: Laudate Deum: & in hoc verbo consonantes ore, & consentientes corde, exhortamur nos invicem ad laudandum Deum. Eum tantum homo securus laudat, qui non habet unde displiceat. *Tom: 10. serm: de diver: ser: 1. in festo Paschæ.*

Et immisit in os meum canticum novum: hymnum Deo nostro. Hoc est canticum novum, quod psallit in psalterio decem chordarum. Nemo enim laudat Deum, id est dicit hymnum, nisi ori suo factis consentiat, Deum & proximum diligendo. *Ibid: ser: 18. de illo Deus, canticum novum cantabo tibi. &c.* *Ps 10. 4.*

Amor proximi ad laudādum Deum juvat.

Laudate Dominum; laudemus Dominum fratres, vita & lingua, corde & ore, vocibus & moribus. Sic enim tibi dici uult Deus, alleluia ut non sit in laudante discordia *Tom: 10 serm: 18. Feria 5. post Pascha.*

Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit benedicitur. Quid tam iniquum, quàm velle ditescere alterius paupertate? Et tamen abundat hoc. Qui iniqua gerit benedicitur: & forte prævaluit, & forte pressit, torsit & extorsit, non quemcunque consortem, sed forsitan fratrem melius est, ut ego emam quàm extraneus. Et ille facile oppressus si est justus habet consolationem. *Ibid: serm: 37. de illo Ecclesiastici, concordia fratrum & amor proximorum.* *Ps 10. 3.*

Sola vitia laudem Dei diminuunt.

Laudant opera Domini Dominum: laudant cæli terra, mare laudent omnia quæ in cælo sunt. Laudant Angeli, laudant stellæ, laudant luminaria, laudat quidquid natat, quidquid volat, quidquid ambulat, quidquid repit: laudant ista omnia Dominum. Nunquid audistis quia laudat Dominum, avaritia? Nunquid audistis quia laudat Dominum ebriositas? quia laudat luxuria, laudat nugacitas: Quidquid ibi non audis, laudem dare Domino non fecit Dominus Corrige quod tu fecisti, ut salvetur quod in te Deus fecit. Si autem non vis & amas, & amplecteris peccata tua, contrarius es Christo. Intus sis, fons sis, Antichristus es: intus sis fons palea es. *T. 9. in epist: Ioan: Tr: 3 de cap: 2.* *Ps 148*

Est

Est autem alleluia sicut jam nostis laudare Dominum. Qui Deum laudat linguâ non semper potest: qui moribus Deum laudat semper potest. Opera misericordiæ, affectus charitatis, sanctitas pietatis, incorruptio castitatis, modestia sobrietatis, semper hæc tenenda sunt: sive cum in publico sumus, sive cum in domo, sive ante homines, sive in cubiculo, sive loquentes, sive tacentes, sive aliquid agentes, sive vacantes, semper hæc tenenda sunt: quia intus sunt omnes istæ virtutes, quas nominavi. Quis autem sufficit omnes nominare? Quasi exercitus est Imperatoris, qui sedet intus in mente sua. Quomodo enim Imperator per exercitum suum agit quod ei placet: sic Dominus JESUS Christus, incipiens habitare in interiore homine nostro id est in mente per fidem utitur istis virtutibus, quasi ministris suis. *Ibid. Tr: 8. de cap: 4.* *Alleluia.*

LEX.

LEx minoribus malefactis, nè majora committantur, dedit licentiam. Multò enim mitius eum, qui alienæ vitæ insidiatur, quàm eum qui suam tuetur occidit. *T 1. l. 1. de lib: arb: c. 5.* *Ex duobus malis minus eligendum.*

Ut igitur breviter legis æternæ notionem, quæ impressa nobis est, vobis explicem, ea est quæ justum est, ut omnia sunt ordinatissima. Cum ergo hæc una sit lex, ex qua omnes temporales ad regendos homines variantur, num ideo ipsa variari potest; intelligo omnino non posse, neq; enim ulla vis, ullus casus, ulla rerum labes, unquam effecerit ut justum non sit omnia esse ordinatissima. *Ibidem cap: 6.* *Quid lex æterna.*

Inconcussum teneas eos, qui temporali legi serviunt, non esse posse ab æterna liberos. *Ibid: cap: 15.*

Mutata quippe temporis causa quod rectè antefactum fuerat, ita mutari vera ratio plerumque flagitat, ut cum ipsi dicant rectè non fieri, si mutetur, contrà veritas clamat, rectè non fieri, nisi mutetur: qui utrumque tunc erit rectum, si erit pro temporum varietate diversum. *T. 2. ep: 5.* *Lex mutari debet pro exigentia.*

Serviant Reges Christo etiam leges ferendo pro Christo. *Tom: 2 48.*

Quod peccator fecit legi, hoc ei lex faciat: id est quia legem talia prohibentem de sua vita abstulit, auferat eum etiam ipsa lex de hominum vita quam regit. *Ibid: 2. epist: 49.* *Iisdem punimur quibus peccamus.*

Quicunque legibus Imperatorum, quæ contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium. Quicunque autem legibus Imperatorum, quæ pro Dei voluntate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium. *Ib: l: 2 ep 50.*

In his rebus, in quibus nihil recti statuit Divina scriptura, mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt. *T. 2 epl. 86.* *Cõsuetudo lex.*

Quod lex imperat, fides impetrat. *Ibid epi. 89.*

Lex adducit ad fidem, fides impetrat spiritum largiorem, diffundit spiritus charitatem, implet charitas legem: Ideo lex Pædagogus vocatur, sub cujus minacissima severitate, qui invocaverit nomen Domini salvus erit. *Ibid. Epist: 144.* *Legum custos charitas.*

Hæc est utilitas legis, quia ostendit hominem sibi ipsi, ut sciat infirmitatem suam, & videat quemadmodum per prohibitionem augeatur potius carnalis concupiscentia, quàm sanetur; appetuntur enim ardentiùs quæ vetantur. Ut autem sit spiritualis, qui legem impleat spiritualem, non sit ipsa lege, sed gratia, hoc est non Imperio sed beneficio, non jubente literâ sed adjuvante spiritu. *Ibid Epist: 200.* *Lex speculum.* *Nitimur in vetitum.*

Fractæ Moysis tabulæ, novi testamenti figura. Iratus quidem Moyses videtur tabulas testimonii digito Dei scriptas collisisse atque fregisse, magno tamen mysterio figurata est iteratio testamenti novi, quoniam vetus fuerat, abolendum, & constituendum novum. *T.4.l.2.quæst super Exod.quæst.144.*

Legi Dei non est subjecta, nec enim potest. Ergo facere contra legem, hoc est inimicum esse in Deum, non quia Deo aliquid nocere potest, sed sibi nocet, quisquis resistit voluntati Dei, hoc est enim adversus stimulum calces mittere, ut paulo dictum est. *Tom: 4. lib: 83. quæst: quæst: 66.*

Quod operum lex minando imperat [vetus testamentum vocat legem operum] hoc fidei lex credendo impetrat. Ac per hoc lege operum dicit Deus: Fac quod jubeo: lege fidei dicitur Deo: da quod jubes. *T.7.l.de spiritu & litera. c.13.*

Hoc vitium quo prohibita plùs delectant, & fit virtus peccati, lex non sanat, nisi vivificans spiritus, non litera occidens: quæ tamen ad hoc utilis fuit, quia cùm ipsa occideret per prævaricationem, crescente per prohibitionem cupiditate peccandi vivificantem spiritum fecit inquiri, & hominem de sua virtute lethaliter confidentem, Dei adjutorium compulit poscere. *Tom: 7. lib: 2: imperf. ct. con: Iul: c: 220.*

Lex regit non regitur. Lex in latina lingua fæminini generis est: in græca masculini est. lex enim magis masculinam vim habet, quia regit non regitur. *Tom: 8. In psal: 59.*

Doce me justificationes tuas. Doce dixit quomodo eas dicunt qui faciunt, non quomodo hi qui ut habeant quod loquun- *Ps.118 12.*
tur tantummodo meminerunt. *Con: 5. In psal. 118.*

Misericordissima humilibus, justissima superbis lex. Ego vero inquit legem tuam meditatus sum. Quam legem? utique justissimam & misericordissimam: unde dicitur. Et de lege *Ps.118 70.*
tua miserere mei. Superbis resistit ut obdurentur: humilibus autem dat gratiam, ut diligant obedientiam, & ne recipiant excellentiam. *Con: 17. in psal: 118.*

Propterea inquit dilexi testimonia tua. Tanquam diceret: quoniam lex sive in paradyso data sive naturaliter insita, sive in literis promulgata prævaricatores fecit omnes peccatores terræ: *Ps 118 119.*
propterea dilexi testimonia tua quæ sunt in lege tua de gratia tua, ut non sit in me justitia mea sed tua. *Con: 25. In psal. 118.*

Contra Paganos placuit, ut leges ferrentur, imo pro Paganis si sapiant. Sicut enim pueris insensatis ad lutum ludentibus, & manus inquinantibus, pædagogus cum venit severus, lutum de manu excutit, codicem porrigit: ita voluit Deus per Principes subditos sibi tenere, corda insensata puerilia, ut abjiciant lutum de manibus, & aliquid utile faciant. Quid est utile de manibus? Frange esurienti panem tuum. *Tom: 10. serm: de verb: Dom: serm: 6. de puero centurionis.*

Lex inquit pædagogus noster erat in Christo Jesu. Ex ista similitudine rem, de qua loquor, attendite pædagogus puerum non ducit ad seipsum, sed ad magistrum: sed cum puer institutus jam creverit, sub pædagogo non erit. *Tom: 10 serm: de verb: Apli: serm: 13. de illo Apli: si enim data lex esset, quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia &c.*

Nos dicimus eundem esse Evangelij misericordissimum largitorem, qui extitit etiam legislator terribilis. Lege enim terruit, Evangelio conversus sanavit; quos ut converteret, lege terruerat, *Tom: 10. serm: de Temp: serm 72. feria 6. post Dnicam 1 Quadr. ser. 2.*

Lex ait Apostolus spiritualis est, ego autem carnalis sum. Cum sit ergo spiritualis, tamen sæpe carnalibus quasi carnaliter ambulat.

Sed

Sed non eos vult remanere carnales : quia & mater parvulum amat nutrire, sed eum non amat parvulum remanere. In sinu tenet, manibus fovet, blanditiis consolatur, lacte nutrit. Omnia parvulo facit : sed optat ut crescat, ne semper talia faciat. Videte Apostolum ; melius enim ipsum intuemur, qui se etiam matrem non dedignatus est dicere, ubi aìt : Factus sum parvulus in medio vestrum, tanquam nutrix fovens filios suos, Apostolus verò germano & pio charitatis affectu, & nutricis personam suscepit, dicendo fovet : & matris, addendo, filios suos. *Tom : 10. parte 2. serm : de div : serm : 122. de versu psalmi 72. Tenuisti manum dextram meam. &c.*

Ubi non est lex, nec prævaricatio. Peccator homo potest dici ante legem, pravaricator non potest. Cum autem accepta lege peccaverit, non solum peccator, sed etiam prævaricator invenitur. *Tom : 10. serm : nov : serm : 15. de 5. porticibus.*

Digito Dei lex scripta est, sed propter duros in lapide scripta est. Nunc jam, Dominus in terra scribebat, quia fructum quærebat. *Tom : 9. In Ioan : Tract : 33. de cap : 8.*

LIBERUM ARBITRIUM.

Hæretici Pelagiani, qui liberum sic asserunt voluntatis arbitrium, ut gratiæ Dei non relinquant locum, quandoquidem eam secundùm merita nostra dari asserunt. *Tom : 1. lib. 1. Retract. c. 9.* *Prima Gratia non cadit sub meritum*

Motus quo huc atque illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius, atq; in nostra positus potestate, neque laudandus, cùm ad superiora neq; culpandus homo esset, cum ad inferiora detorquet, quasi quendam cardinem voluntatis, neq; monendus esset : Hoc autem monendum non esse hominem, quisquis existimat de hominum numero exterminandus. *Tom : 1 l. 3, de lib. arb : cap : 1.*

Quoniam peccaturum esse præsciverat, necesse erat id fieri quod futurum esse præsciebat Deus, quomodo igitur voluntas libera, ubi tam inevitabitis apparet necessitas. Pulsāti vehementer, misericordia Dei adsit, aperiatq; pulsantibus. Maximam partem hominum ista quæstione torqueri, non ob aliud crediderim, nisi quia non piè quærunt, velocioresq; sunt ad excusationem, quàm ad confessionem peccatorum suorum. Aut enim nullam Divinam prudentiam præesse rebus humanis, libenter opinantur, dumq; fortuitis casibus committunt, & animos & corpora sua, tradunt se feriendos & dilaniandos libidinibus, divina judicia negantes, humana fallentes. Alij verò quanquam negare non audeant præsidere vitæ humanæ providentiam Dei, malunt tamen eam esse vel infimam, vel injustam, vel malam, nefariò credere, quàm sua peccata pietate supplicij confiteri. *Ibid. cap : 2.* *Præscientia Dei, non necessitat*

Respondet ad idem 2dò Idem Sanctus Doctor. Si persuaderi sibi paterentur, ut de optimo & Justissimo & Potentissimo cogitent, bonitatem & justitiam, & potentiā Dei, longè majorem superioremque crederent, quam quidquid cogitatione concipiunt, considerantes semetipsos, gratias Deo se debere intelligerent, etiamsi aliquid inferiùs eos voluisset esse, quàm sunt. *Ibidem.*

Respondet tertio. Si meorum operum præscium Deum dico, multò fidentiùs eum dixero præscire opera sua, & quid sit facturus, certissimè prævidere. Nonne igitur caves, nè tibi dicatur etiam ipsum quæcunq; facturus est non voluntate sed necessitate facturum, si omnia, quorum Deus præscius est, necessitate fiunt non voluntate. *Ibid : c. 3.*

Respondet 4tò. Absurdissimum est longè à veritate seclusum, non te volentem beatum futurum. Sicut autem voluntatē beatitudinis, cùm esse cœperis beatus, non tibi aufert præscientia Dei, quæ hodie de tua futura beatitudine certa est; sic etiam voluntas culpabilis, si quæ in te futura est, non propterea voluntas non erit, quia Deus eam futuram præscivit. *Ibid. c. 3.*

Præscientia Dei nos non necessitat.

Respondet 5tò. Quomodo non potest aliud fieri, quàm præscivit Deus, si voluntas non erit, quam voluntatem futuram ille præsciverit. Ita fit ut Deum non negemus esse præscium omnium futurorum, & nos tamen velimus, quod volumus. Cum enim sit præscius voluntatis nostræ, cujus est præscius, ipsa erit, voluntas ergo erit quia voluntatis est præscius, nec voluntas erit, si in potestate non erit. Ergo & potestatis est præscius. *Ibidem.*

Respondet 6tò. Unde tibi videtur adversum esse liberum arbitrium nostrum præscientiæ Dei? Quia præscientia est, an quia Dei præscientia est. Quid igitur si tu præscieris peccaturum esse aliquem non continuò tu peccaturum cogeres, quamvis sine dubio peccaturus esset. Cur ergo & Deus non vindicet justus, quæ fieri non cogit præscius. *Ibid. c. 4.*

Respondet 7mò. Sicut tu memoriâ tuâ non cogis facta esse, quæ præterierunt; sic Deus præscientiâ suâ non cogit facienda, Quæ futura sunt. Et sicut tu quædam quæ fecisti, meministi, nec tamen quæ meministi omnia fecisti. Ita Deus omnia quorum ipse Creator est præscit, nec tamen omnium quæ præscit, ipse Author est. *Ibidem cap. 4.*

Peccati non est Deus Author.

Caveas nè fortè non dicas, meliùs fuisse ut non essent. Non est vera ratio, sed invidiæ infirmitas, cum aliquid melius faciendum fuisse cogitaveris, jam nihil aliud inferius velle fieri, tanquam si perspecto cælo nolles terram factam esse, iniquè omninò. *Tom: 1. Ibidem cap: 5.*

Animæ etiam peccatis sordidatæ, nullo modo lucis corporalis dignitate superantur. *Ibid. c. 5.*

Dignitas libertatis humanæ.

Sicut melior est vel aberrans equus, quam lapis, propterea non aberrans quia proprio motu & sensu caret: Ita est excellentior creatura, quæ libera voluntate peccat, quàm quæ propterea non peccat, quia non habet liberam voluntatem *Ibid. c. 5.*

Non est peccatum, quod non liberum.

Sed quæ tandem esse poterit ante voluntatem causa voluntatis? aut enim & ipsa voluntas est, & à radice ista voluntatis non recedit: aut non est voluntas, & peccatum nullum est. *Tom: 1. lib: 3. de liber: arbit: cap: 17.*

Si laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc brevissimum tene. Quæcunq; ista causa voluntatis est, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur, si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest. peccatur autem, caveri igitur potest *Ibidem c. 18.*

Tota Ecclesia in symbolo profitetur judicare vivos & mortuos, si igitur non est Dei gratia, quomodo salvat mundum? & si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mundum *Et infra.* Eo ipso quippe quo præceptum & imperatum est: stulti aliquando sapite. Obedientiam nostram requirit, quæ nulla potest esse sine libero arbitrio, sed si potest hoc ipsum sine adjutorio Dei gratiæ fieri, per liberum arbitrium, ut intelligeremus atque saperemus, non diceretur Deo: da mihi intellectum, ut discam mandata tua *T. 2: ep: 46:*

Dei Gratiæ necessitas.

Neque enim habēt congruum libertati, nisi quod habent congruum veritati, unde ille ipse filius: Et veritas inquit liberabit vos. *Ibidem epistola 131.*

Quid

Quid boni potest operari perditus, nisi quantum fuerit à perditione liberatus? nunquid libero voluntatis arbitrio? & hoc absit. Nam libero arbitrio malè utens homo, & se perdidit, & ipsum. Sicut enim qui se occidit, utiq; vivendo se occidit, sed occidendo non vivit, nec seipsum potest resuscitare cùm occiderit: ita cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato, amissum est liberum arbitrium, à quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est. Petri certè Apostoli est ista sententia. *T:3 Enchirid: c.30.*

Peccator non est liber sed servus.

2. Pet. 2 19.

Sic oportebat prius hominem fieri, ut & bene velle posset, & malè, nec gratis si benè, nec impunè si malè. Postea verò sic erit, ut malè velle non possit, nec ideo libero carebit arbitrio. Multò quippe liberius arbitrium erit, quod omninò non poterit servire peccato neq; enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, quâ beati esse sic volumus, ut esse miseri, non solùm nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus *Ib.c.105*

Sic ergo factus est homo rectus, ut & manere in ea rectitudine posset, non sine adjutorio divino, & suo perversus fieri arbitrio, & utrumlibet horum elegisset, Dei voluntas fieret, aut etiam ab illo, aut certè de illo. *Ibidem cap.* 107.

Cum timore & tremore salutem vestram operamini. Operatur ergo ille, cooperamur nos, non enim aufert, sed adjuvat, bonæ voluntatis arbitrium· *Tom: 4. lib: 5. quæst: in Deuter: c.* 15.

Gratia non necessitas.

Neq; ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præscivit: imò Deo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccatum esse præscivit, qui si nolit, utiq; non peccat: Sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit. *Ibidem c.* 10.

Præscientia non necessitat

Item scio in quo fit mala voluntas, id in eo fieri, quod si nollet non fieret: & ideo non necessarios sed voluntarios defectus justa pæna consequitur. Neque enim auri vitium est avaritia, sed hominis perversè amantis aurum justitia derelicta quæ incomparabiliter auro debuit anteponi. *Et infra.* Ac per hoc qui perversè amat cujuslibet naturæ bonum, etiamsi adipiscatur, ipse fit in bono malus, & miser meliore privatus *Ib: l: 12. c: 8.*

Quis audeat credere aut dicere, ut neq; angelus, neq; homo caderet, in Dei potestate non fuisse? sed hoc eorum potestati maluit non auferre: atq; ita & quantum mali, eorum superbia, & quantum boni sua gratia valeret ostendere *Ib: lib: 14. c: 27.*

Gratie mensura malitia peccati.

Quisquis sciens peccat, si potest cogenti ad peccatum, sine peccato resistere, nec tamen facit, utiq; volens peccat; quoniam qui potest resistere, non cogitur cedere. Qui vero cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, & ideò facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pæna peccati. Quapropter peccatum sine voluntate esse non posse verissimum est. Itemq; definitio peccati, quâ diximus peccatum est, voluntas retinendi, vel consequendi, quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere, propterea vera est, quia id definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod est etiam pæna peccati: nam quando tale est, ut idem sit & pæna peccati, quantum est quod valet voluntas sub dominant cupiditate, nisi fortè, si pia est, ut oret auxilium: in tantum enim libera est, & in tantum appellatur voluntas. alioquin tutius cupiditas, quàm voluntas propriè nuncupanda est: quæ non est, sicut Manichæi desipiunt, alienæ naturæ additamentum, sed nostræ vitium, à quo non sanamur; nisi gratiâ Salvatoris. *T.6.l. de duabus animabus ex frag: retractat: posito ante eundem librum.*

Obduratio in peccato, pæna peccati.

Pænitendi affectio illa, quæ prodit malè fecisse pænitentem, & bene facere potuisse testatur. Quomodo igitur nihil ex me mali est, si ergo perperam feci? aut quomodo me rectè pænitet, si ego non feci. *Ibidem cap*: 14.

Qui cogitur necessitate aliquid facere, non peccat, qui autem peccat, libero arbitrio peccat. *Ibidem.*

Nemo coactus peccat. Quis non clamet stultum esse præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur facere: & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere? & has injustitias & iniquitates miseri non intelligunt, Deo se adscribere *T. 6. lib: de Fid: con: Manich: c: 1*.

Cum voluntate humana gratiâ adjuvante divina, sine peccato in hac vita possit homo esse, cur non fit? possem facillimè & veracissimè respondere, quia homines nolunt, sed si ex me quæritur quare homines nolint, imus in longum. Verùm etiam hoc sine præjudicio diligentioris inquisitionis breviter dicam. Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat. Ut autem innotescat, quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates: quâ ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo. *Et infra.* Ideo quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non suæ facultatis, sed divini muneris esse, vel quod scit, vel quod delectatur: ac sic ab elationis vanitate sanetur: ac sciat quam vere non de terra ista sed spiritualiter dictum sit: Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum. *Tom: 7. lib: 2. de peccatorum meritis & remiss: cap*: 17. *Ps. 84. 13.*

Quid habes quod non accepisti. Si nobis libera quædam voluntas, ex Deo est, quæ adhuc potest esse vel bona vel mala: bona verò voluntas ex nobis est, melius est id, quod à nobis, quàm quod ab illo est. *Et infra.* Quocirca quod à Deo nos avertimus nostrum est, & hæc est voluntas mala: quod verò ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante, atq; adjuvante non possumus, & hæc est voluntas bona. *Ibidem cap*: 18. *1 Cor. 4. 7.*

Narraverunt mihi injusti delectationes suas, sed non sicut lex tua Domine. Ut quid ergo miseri homines, aut de libero arbitrio audent superbire, antequam liberentur, aut de suis viribus si jam liberati sunt? Nec attendunt in ipso nomine liberi arbitrij utrinq; libertatem sonare: ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Si autem servi sunt peccati, quid se jactant de libero arbitrio, à quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est. An ita sunt liberi, ut nec illum velint habere Dominum, qui eis dicit: sine me nihil potestis facere? & si vos filius liberavit; tunc verè liberi eritis. *Ibidem lib: de Spiritu & litera cap*: 30.

Peccator mancipium.

Deus nos sine nobis non salvat. Uult omnes homines salvos fieri, non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel malè utentes justissimè judicentur. *Tom 7. ibid: cap*: 33.

Ex quo homo incipit uti libero voluntatis arbitrio, & peccare & non peccare potest: sed alterum horum non facit, nisi adjutus ab eo, qui dixit: sine me nihil potestis facere, alterum verò propria voluntate, sive à seipso, sive ab alio deceptore seductus, vel peccato, sicut servus addictus: Adjutos autem homines novimus Dei Spiritu, ut ea vellent, quæ Dei sunt, & ante baptismum sicut Cornelium: quosdam verò nec post baptismum, sicut Simonem Magum. *Ibid: lib: 1. imperfec: con: Iulian: c.* 96.

Ergo nec in Deo est arbitrij libertas quia malum facere non potest, sicut negare se ipsum non potest, quia & nobis summo illo præ-

mio largiturus est, ut non quidem ipsi Deo, sed tamen Angelis ejus æquales, nec nos peccare possimus, hoc enim eis post lapsum Diaboli, pro merito bonæ voluntatis, quâ in veritate steterunt donâsse credendus est ut postea nullus per liberum arbitrium novus diabolus fieret. *Ibidem cap: 101.* [*Præmium est peccare non posse.*] [*Peccatum facit diabolum.*]

Dicturus es ut video Deum necessitate premi, ut peccare non possit, qui utiq; nec potest velle, nec vult posse peccare: imò verò si necessitas dicenda est, quâ necesse est aliquid vel esse vel fieri, beatissima ista omninò necessitas, quâ necesse est feliciter vivere, & in eadem vita necesse est non mori, necesse est in deteriùs non mutari, hac necessitate, si necessitas etiam ipsa dicenda est, non premuntur Sancti Angeli, sed fruuntur, nobis autem futura non præsens. *Ibidem cap 102.* [*Magna libertas est non posse peccare.*]

[Jo. 6. 44.] Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Non enim ait duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur si jam volebat: & tamen nemo venit nisi velit. Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo qui intus novit in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines quod fieri non potest nolentes credant, sed ut nolentes ex nolentibus fiant. *Ibidem. cap: 19.* [*Dei ut nos salvet labor.*]

Deus est enim qui operatur in vobis & velle. Nunquid homines Dei qui hæc scripserunt, imò ipse Spiritus Dei, quo authore per eos ista conscripta sunt oppugnavit liberum hominis arbitrium? absit sed omnipotentis in omnibus & judicium justissimum, & auxilium Dei misericordissimum commendavit. *Ibid: cap: 20.*

Ipsa divina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perveniret, ideo enim data sunt, ut homo excusationem de ignorantia non haberet, sicut Dominus dicit in Evangelio de Judæis: si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. *Tom: 7. lib: de graa: & lib: arb: cap: 1.* [*Præceptum inexcusabiles facit.*]

Qui dicit inclinavi cor meum, ipse jam dixerat inclina cor meum in testimonia tua: ut intelligamus simul hoc esse & divini muneris & propriæ voluntatis. *Con: 23. in psal. 118.* [*Gratia Dei salva libertate.*]

Hoc libera voluntate facis quando amas quod laudas: non enim ex necessitate, sed quia placet. Unde justis & sanctis Dei placuit Deus, etiam flagellans eos. Quando iniquis omnibus displicet placuit illis: & sub flagello ejus in ærumnis in laboribus, in vulneribus, in egestate constituti laudaverunt Deum. Non eis displicuit nec torquens. Hoc est gratis amare non quasi proposita acceptione mercedis quia ipsa merces tua summa Deus ipse erit, quem gratis diligis: & si amare debes, & ipsum pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet sicut Philippus desiderabat cum diceret. Ostende nobis Patrem & sufficit nobis. *Enar: in psal: 134.* [*Amanti etiam flagella placēt.*]

Liberum sic confitemur arbitrium, ut dicamus nos Dei semper indigere auxilio, & tam illos errare, qui cum manichæo dicunt, hominem peccatum vitare non posse, quàm illos qui cum Joviniano asserunt hominem non posse peccare. *T: 10 serm: de temp. serm: 191. In festo S. Trinitatis serm: 3.*

LIBERTAS.

Libertas nulla vera est, nisi beatorum & legi æternæ adhærentium. *Tom: 1. lib: 1. de lib: arb: cap: 15.*

Nulla re fruitur anima cum libertate, nisi quæ fruitur securitate. Nullus autem securus est in iis bonis, quæ potest amittere invitus,

tus, veritatem autem atque sapientiam, nemo amittit invitus. *Ibid: lib: 2. cap: 13. & 14.*

Quæ est pejor mors animæ quàm libertas erroris. *T. 2 ep: 166.*

Tunc efficimur verè liberi, cum Deus nos fingit, id est format & creat, non ut homines, quod jam fecit, sed ut boni homines simus, quod nunc gratiâ suâ facit, ut simus in Christo JESU nova creatura. *Tom: 3 Ench: cap: 30.*

In turpitudine nimium liberi, in superstitione nimium servi. *T. 6. lib: 12. contra Faustum cap: 40.*

Intret in conspectum tuum gemitus compeditorum: non tamen evitandæ sunt tales compedes ut appetatur pernitiosa libertas, & temporalis vitæ brevisque dulcedo, quam sequatur amaritudo perpetua. *Tom: 8 con: 2. de 2. parte psal: 101.* *Psal 78. 11.*

Libertas Dei servis. Servus tuus ego sum. Neq; enim bene mihi cessit quando esse volui liber meus, non servus tuus. Da mihi intellectum ut sciam testimonia tua Nunquam intermittenda est ista petitio. Non enim sufficit accepisse intellectum & Dei testimonia didicisse: nisi semper accipiatur & quodammodo semper bibatur de fonte lucis æternæ. *Con: 26. in psal: 118* *Ps 118. 6.*

Libertas humana in peccato amittitur. Omnis Judæus & Græcus, dives & pauper, honoratus & privatus, Imperator & mendicus, omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Omnis inquit qui facit peccatum, servus est peccati. Si agnoscant homines servitutem, videbunt unde incipiunt libertatem. *Tom: 10. serm: de verb: serm: 48 de illo si manseritis in verbo meo, vere discipuli mei estis.*

Inimici Dei servi charitatis. Nemo reconciliatur nisi ex inimicitiis: inimicos autem nos non natura, sed peccata fecerunt. Unde inimici illius, inde servi peccati. Non habet Deus liberos inimicos, necesse est servi sint: & servi remanebunt nisi ab illo liberentur, cui peccando inimici esse voluerunt. Obsecramus ergo inquit pro Christo reconciliari Deo. *Et infra.* Si ergo vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis. Hæc spes nostra est fratres, ut à libero liberemur, & liberando servos nos faciat: servi enim eramus cupiditatis, liberi servi efficimur charitatis. *T. 9. In Ioan: Tract: 41. de cap: 8.*

LIBIDO.

Non nocet sensus ubi non est consensus. Quod violenter non præcedente libidine patitur corpus, vexatio potius quàm corruptio nominanda est Quantò autem præstantior est animus corpore, tanto sceleratius corrumpitur, ibi ergo servari potest pudicitia, ubi nulla nisi voluntaria potest esse corruptio. Certè enim si stuprator corpus invaserit, qui nec vi contraria possit, nec ullo consilio, vel mendacio devitari necesse est fateamur, aliena libidine pudicitiam non posse violari. *Tomo 4. lib: de mend: cap: 7.*

Libido ipsa rectè definitur, Appetitus animi quo æternis bonis quælibet temporalia præponuntur. *Ibid: cap: 7.*

Mulier longè libido prope. De longe vidit David illam in qua captus est. Mulier longè, libido propè. Alibi erat quod videret in illo unde caderet. Attendenda est ergo hæc infirmitas carnis, recordanda sunt verba Apostoli, Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore. Non dixit non sit, sed non regnet. Inest peccatum cum delectaris, regnat si consenseris. Carnalis delectatio præsertim usque ad illicita & aliena progrediens frænanda est non relaxandra, imperio domanda non imperio collocanda. *In psal: 50.* *2. Reg. 11.*

Quandoq; castitatem fratres charissimi, secundum quod decet expe-

expedit, commendamur, forte adolescentes, & adhuc in viridi ætate positi dicunt, juvenes homines sumus, continere non valemus. Quibus nos respondere & possumus & debemus, ne forte ideo castitatem custodire non possint, quia amplius manducant, quàm expedit, & vinum amplius accipiunt, quàm oportet, familiaritatem mulierum vitare nolunt, atq; earum suspectam societatem habere nec metuunt, nec erubescunt. Qui tales sunt, audiant Apostolum dicentem, fugite fornicationem. *T. 10. serm: de Temp: serm. 243. Dnica 22. post Festum Trinitatis serm: 2.*

Castitas temperanda vini & potu & scandalosæ familiaritatis fugâ continetur.

Quod libidinem fugiendam esse suggerimus, Apostolus Paulus evidenter ostendit: qui cum omnibus vitiis prædicaverit resistendum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit, resistite: sed fugite fornicationem. Ac sic contra reliqua vitia Deo auxiliante, debemus in præsenti resistere, libidinem verò fugiendo superare. *Et infra.* Sed forte negligens quisq;, & minus de animæ suæ salute solicitus, respondet & dicit: Ecce ego & familiaritatem habeo mulierum extranearum, & tamen castitatis ornamenta custodio. Infelix est, & nimium periculosa ista præsumptio. Multi enim dum se putabant vincere, victi sunt. Sed dicit aliquis, inter mulieres extraneas habitans, continentiam teneo, & volo habere quod vincam. Quid est dicere, volo habere, quod vincam, nisi vivere desidero sub ruina? *Et infra.* Inter omnia Christianorum certamina sola duriora sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, & rara victoria. Gravem castitas sortita est inimicum, qui quotidie vincitur, & timetur. Et ideo sicut jam dictum est nemo se falsa securitate decipiat, nemo de suis viribus periculosè præsumat, sed audiat Apostolum dicentem, fugite fornicationem. *Ibidem serm: 250. Dominica 25. post festum Trinitatis serm: 2.*

1. Cor. 6. 13.

Cæteris resistendum vitiis sola libido fugienda.

Ut hæc obtinere cum Dei adjutorio mereamur, non solum ab extranearum mulierum familiaritate, sed etiam ancillarum nostrarum, vel quarumcunq; vicinarum, aut filiæ, aut alumnæ, aut ancillæ unusquisq; familiaritatem, vel secretam collocutionem vitare contendat: quia quantò earum vilior conditio, tanto facilior ruina est. *Et infra.* Et quanta iniquitas, & quam lugenda perversitas, ut animam quam Christus sanguine suo redemit luxuriosus quisque propter unius momenti delectationem libidinis, diabolo vendat. Vere enim nimium plangenda O miseranda conditio est, ubi citò præterit quod delectat, & per diabolum in cruce manet sine fine quod cruciat. Sub momento enim libidinis impetus transit, & opprobrium infelicis animæ permanet. Sed dicit aliquis: Homo juvenis sum, facio quod me delectat, & postea pænitentiam ago. Hoc est dicere, percutio me gladio crudeli, & postea ad medicum vado: & nescit quod in unius horæ puncto vulnus accipitur, & vix longo tempore ad sanitatem pristinam revocatur. *Et infra.* Quomodo infractus est malleus universæ terræ? Quamvis autem post adventum Domini per innumerabilia monasteria, & per cleros vel laicos castitatem servantes, quasi confractus esse malleus ille videatur: adhuc tamen quid pejus est, multo plures sunt, qui ab ipso malleo confringuntur, quam illi qui de ruina vel collisione ipsius liberantur. *Ibidem.*

Stulta dilatio pænitentiæ

Jer. 50. 23.

Turpitudinibus cantionum animi humani illecti enervantur, & decidunt à virtute, defluentes in turpitudinem, & propter ipsas turpitudines postea sentiunt dolores, & cum magna amaritudine digerunt quod cum dulcedine temporali biberunt. Melius ergo, nos amara vobis, cantamus ad tempus, quæ postea dulcescant in vobis, nec mercedem aliquam exigimus, nisi ut faciatis quæ dicimus, imo non faciatis si non dicimus. *T. 9. l. de 10. chordis c: 4.*

Cantilenarum turpium effectus.

LIN-

LINGVA.

HOmines ſumus quâ tandem vigilantiâ efficere poſſumus, nè vel putando vel loquendo in aliquo labamur, ſed contra medicinam correctionis obſurdeſcere non debemus. *Tomo 7. lib: 4. con: Creſcon: Gram: cap: 42.*

Labi humanum eſt.

Linguam nullus domare poteſt, ſed nullus hominum, ſed cum domatur, Dei miſericordiâ, Dei adjutorio, Dei gratia fieri fatemur. *1. Iac. 8* *Tom: 7. lib: de nat & gratia cap. 15.*

MAGISTER.

MAgiſtros autem plures tunc fieri exiſtimo, cùm diverſa & inter ſe adverſa ſentiunt, cùm verò id ipſum dicunt omnes, ab unius veri Magiſtri Magiſterio non recedunt. *T:1:l: Retract: in Prologo.*

Homerus humana ad Deos transferebat, divina mallem ad nos. *Et infra.* Vide quemadmodum ſe concitat ad libidinem, quaſi cæleſti magiſterio *T:1. lib:1. confeſſion: cap: 16,*

Quod mirabatur Dominus noſter, nobis mirandum eſſe ſignificat, quibus adhuc opus eſt ſic moveri. Omnes ergo tales motus ejus, non ſunt perturbati animi ſigna, ſed docentis magiſtri. *Tom: 1. lib: 1. de Gen. con: Man: cap. 8.*

Oneroſior eſt quam utilior diligentia, cogi tantùm homines non doceri. *Tom: 2. Epiſt: 127.*

Auditui meo dabis exultationem & lætitiã: continuoque ſubjecit: & exultabunt oſſa humiliata. Vidit enim in audiendo faciliìmè ſervari humilitatem, quæ difficilis eſt in docendo, quoniam neceſſe eſt, ut Doctor habeat ſuperiorem locum. Vbi laborioſum eſt obtinere nè ſubrepat elatio. Videſnè quemadmodum periclitemur, à quibus hoc expetatur, ut non ſolum Doctores ſimus, verùm etiam cùm ſimus homines, divina doceamus. *T. 2. ep: 132.* *Pſ. 50. 9.*

Rarus doctor ſine ſuperbia.

Omnis res quæ dando non deficit dum habetur & non datur, nondum habetur, quomodo habenda eſt. Ille enim ait: qui habet dabitur ei &c. Illi quinque & illi ſeptem erant panes, antequam inciperent dari eſurientibus. Sicut ergo ille panis, dum frangetur, accrevit, ſic ea quæ ad hoc opus [intellige doctrinam] jam aggrediendum Dominus præbuit, cùm diſpenſari cæperint, eo ipſo ſuggerenti multiplicabuntur. *Tomo 3, lib: primo de doctrina Chriſtiana cap: 1.* *Matt. 14.20.*

Doctrina communicando creſcit.

Neque debemus eſſe indocibiles Doctores, & certè meliùs corrigitur homo pravus, quàm frangitur durus. *Et infra.* Ego quod confitendum eſt charitati tuæ, plus amo diſcere quàm docere. Vt ergo diſcamus, invitare nos, debet ſuavitas veritatis, ut autem doceamus cogere, neceſſitas charitatis: quia neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Cum itaque ſi Deus incrementum non daret, non eſſent Apoſtoli plantatores, & rigatores: quantò magis ego vel tu, vel quilibet hujus temporis homines, quando nobis videmur eſſe Doctores. *Tom: 4. lib: de Dulcitij quæſtibus. Quæſt. 3.*

Securius eſt, diſcere quam docere.

Sicut multa erant quæ doctus Cyprianus doceret: ſic erat & aliquid quod Cyprianus docibilis diſceret. *Tomo 7: lib: 5: de bapt: con: Donat: cap: 26.*

Ne velitis dici magiſtri, unus eſt Magiſter veſter. Periculoſũ ergo Magiſteriũ diſcipulatus ſecutus eſt. Ideo Pſalmus, Auditui meo dabis inquit gaudium & exultationem. Securior eſt enim verbi auditor, quàm verbi prolator. Deo ille ſecurus ſtat, & audit eum, & gaudio *Matt. 23. 10.*

gaudio gaudet propter vocem sponsi. *Tomo* 10. *Parte* 2. *serm: de di- ver: serm:* 122. *de illo tenuisti manum dextram meam.*

Magisteria forinsecus adjutoria quædam sunt, & admonitiones. Cathedram in cælo habet, qui corda docet: de Domino dico. Propterea ait & ipse in Evangelio. Nolite vobis dicere magistrum in terra : unus est Magister vester Christus. Ipse vobis ergo intus loquatur, quando nemo hominum illic est: quia & si aliquis est à latere tuo, nullus est in corde tuo, Christus sit in corde. Unctio ipsius sit in corde, ne sit in solitudine cor sitiens & non habens fontes quibus irrigetur. Interior ergo magister est qui docet, Christus docet, inspiratio ipsius docet. *T.* 9. *in epist: Ioan: Tr:* 3. *de cap:* 2.

Io. 13. 13.

Inspiratio Magistra cordis.

MALITIA.

NOn propter malos boni deserendi, sed propter bonos mali tolerandi sunt, sicut toleraverunt Prophetæ, sicut ipse Dominus nocentem Judam, usq; ad condignum ejus exitum toleravit, & eum sacram cænam cum innocentibus communicare permisit. *Tomo* 2. *Epist :* 48.

Omne quod dicitur malum, aut peccatum esse aut pænam peccati, Nec esse peccatum nisi pravum liberæ voluntatis assensu ; pæna verò peccati est, cum ipsis creaturis non sibi servientibus, cruciatur anima, cùm Deo ipsa non servit, quę creatura illi obtēperabat, cum ipsa creatura obtēperabat Deo. *T:*3. *l: de Gen ad lit: imperf: c:* 1.

Peccator mancipium.

In hoc errant homines, quod subdunt pretiosa vilioribus, cum enim concesseris admittendum esse aliquod malum, nè aliud graviùs admittatur, non ex regula veritatis, sed ex sua quisque cupiditate atque consuetudine metitur malum, & id putat gravius, quod ipse amplius exhorrescit, non quod amplius revera fugiendum est, hoc totum ab amoris perversitate gignitur vitium. *Tomo* 4. *lib : de mendac : cap :* 18.

Decrescunt magna scelera dum amantur.

Quid malignius his verbis, quibus malus malum se esse negat, etiam de opere malo convictus, quod negare non valeat. Sunt qui excusationem suam extendunt in accusationem Dei, divino judicio miseri, suo autem furore blasphemi. *Ibid. lib: de continen: cap:* 5.

Maximum malum se malum non nosse.

Hæc sola mali deputant mala, quæ non faciunt malos, nec erubescunt inter bona quæ laudant, magisq; hi stomachantur, si villam malam habeant, quam si vitam, quasi hoc sit hominis maximum bonum habere bona omnia præter se ipsum. *Tomo* 5. *lib:* 3. *de Civit: Dei cap:* 1.

Quærunt à nobis [intellige hæretici] unde sit malum ? Respondemus ex bono, sed non summo & incommutabili bono. *Et infra.* Quia nihil aliud est malum, quàm privatio boni. *Tomo* 7. *lib:* 1 *con: Iulian: cap:* 8.

Pr. 5

Criniculis peccatorum suorum unusquisque constringitur. Inde decipiuntur unde decipere voluerunt, inde illis nocebitur, unde nocere conati sunt, sequitur enim. Et captio quam occultaverunt comprehendat illos. Tanquam si quisquam veneni calicem præparet alicui & oblitus bibat. Prorsus fratres mei ita credite, ita certi estote : nemo malus qui non sibi prius noceat. Sic enim esse putate malitiam quomodo ignem. Incendere vis aliquid aliud : illud quod admoves prius ardet, nisi ardeat non incendit. Nunquid non ipsa facula quam apponis prius ardet, ut aliquid possit incendere. Malitia procedit ex te : & quem prius vastat nisi te? quo profundit ramum lædit, ubi radicem habet non lædit? Malitia tua ut alteri non noceat fieri potest ; ut autem tibi non noceat fieri non

Ps. 9. 16.

Peccatum crinis.

Malus prius sibi nocet.

potest. Quomodo in alio psalmo dicitur. Sicut novacula acuta fecisti dolum. Quid fit de acuta novacula? Capilli res superfluæ deciduntur, non malitia tua ei nocitura est sed sua. Si autem intus ipse malitia careat, & cor mundum subdat illi voci dicenti, salus tua ego sum, forinsecus oppugnās interiorem hominem, non expugnās. Tu putris es, unde iste vermis processit, intus nihil integrum dereliquit. *Con: 1. in psal: 34.* Ps. 51. 4

Qui male vivunt non eum [id est Deum] laudant, sed etsi prædicant linguâ, blasphemant vitâ. *In psal: 47.*

Tota die injustitiam cogitavit lingua tua. Id est toto tempore sine lassitudine, sine intervallo, sine pausatione sine intermissione. Expectamus huic homini pœnam. Parva sibi pœna est? Minaris ei? Tu cum ei minaris quo eum vis mittere in malum? dimitte illum in se. Ut multum sævias subjecturus es bestiis, in seipsum pejor est bestiis, Bestia enim lacerare corpus ejus potest, ipse cor suum sanum relinquere non potest. Interius in seipsum sævit. Et tu exterius plagas inquiris? Imo ora Deum pro illo ut liberetur à se. *Expos: psal: 51.* Ps. 51. 4.

Malus maxima sibi pœna

Dilexisti malitiam super benignitatem. Inique inordinate, & perverse vis levare aquam super oleum. Oleum? demergetur aqua, oleum supereminebit. Ponere vis sub tenebris lucem, fugabuntur tenebræ lux manebit. Super cælum terram vis collocare? Pondere suo cadet terra in locum suum. Tu ergo mergeris diligendo malitiam super benignitatem. Nam nunquam benignitatem malitia superabit. *Ibidem.* Ps. 44. 8.

Omnis malus aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideo vivit ut per illum bonus exerceatur. Utinam ergo qui nos modo exercent, convertantur & nobiscum exerceantur: tamen quamdiu ita sunt ut exerceant, non eos oderimus: quia in eo quo malus est quis eorum utrum usque in finem perseveraturus sit, ignoramus: & plerumque cum tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti & nescis. Diabolus & Angeli ejus in scripturis sacris manifestati sunt nobis, quod ad ignem æternum sunt destinati. Ipsorum tantum desperanda est correctio. *In psal: 54.*

Nullus etiam pessimus odio habendus.

Qui sic suscipiunt testamentum Dei, ut veteri vanitate non se exuant, similes sunt hostibus populi ejus qui arcam testamenti captivatam juxta sua idola posuerunt. *In psal: 77.*

Multi sibi videntur innocentes qui non faciunt mala cum timent ne patiantur si fecerint. Vellent autem facere, si impune potuissent. Tales videri possent habere innocentiam manuum, non tamen cordis Et quæ tandem aut qualis est ista innocentia, si cordis non est? ubi homo factus est ad imaginem Dei. *Ibidem.*

Innocentia cordis.

Christi bonus odor sumus inquit, in omni loco & in his qui salvi fiunt, & in his qui pereunt. Quibus enim placet bonum salvi fiunt: qui detrahunt bono pereunt Quod suum erat ille odorem habebat bonum, imo bonus odor erat. Sed væ miseris qui & bono odore moriuntur. *In psal: 92.* 2. Cor. 2. 15.

Mali etiam bono odore moriuntur.

Duobus modis non te maculat malus: si ei non consentias, & si redarguas: hoc est non communicare, non consentire. *Tomo 10. sermonum de verb: Dom: serm: 18. de duobus cæcis sedentibus secus viam.*

Quibus modis scandalum vitatur.

Omnes mali persequuntur bonos, si non ferro & lapidibus: sed vita & moribus. *Tomo 10. serm: de verb: Ap: serm: 24. de illo Apli. videte, quomodo caute ambuletis.*

Non illi quos monemus agere pænitentiam, quærant sibi comites ad supplicium; nec gaudeant, quia plures inveniant. Non enim propterea minus ardebunt, quia cum multis ardebunt. Non est

Multitudo damnatorū supplicium non temperat.

est enim hoc sanitatis certum consilium, sed malevolentiæ vanum solatium. An forte attendunt multos etiam in ipsis honoribus Ecclesiasticis præpositorum & ministrorum, non congruenter vivere sermonibus & sacramentis, quæ per eos populis ministrantur? O miseros homines, qui hos intuendo, Christum obliviscuntur, qui & tanto ante prædixit, ut legi Dei potius obtemperaretur, quam imitandi videantur illi, qui ea quæ dicunt non faciunt: & traditorem suum tolerans usque in finem etiam ad evangelizandum cum cæteris misit. Tam sunt autem isti absurdi, & præposteri, & miseri, qui præpositorum suorū malos mores imitari eligunt, quàm per eos prædicta Domini præcepta servare: quàm si quisquam viator remeandum sibi esse existimet in itinere, cum milliaria lapidea literis plena viam docere, & non ambulare. *Tomo 10. 50. Homil: Hom: 50. de utilitate & necessitate pænitentiæ.*

Noli falli, noli falli: non potest fieri ut tibi male sit, qui pateris malum: & illi bene sit, qui est malus. Cum enim est malus, putas quia non patitur malum, cum patitur seipsum? Tibi male est, quia malum alienum pateris, in corpore tuo: & illi bene qui malum seipsum patitur in corde suo? Tibi male est quia malam habes villam, & bene est illi qui malam habet animam. Esto bonus, qui habes bona. Bonæ sunt divitiæ, bonum est aurum, bonum argentum, bonæ familiæ, bonæ familiæ, bonæ possessiones. Omnia ista bona sunt, sed unde facias bene, non quæ te faciant bonum. *Tomo. 10, serm: de Temp: serm: 236. Dnica 19. post festum S. Trinitatis serm: 1*

Libera me Domine ab homine malo, & sic oras, quando oras ut liberet te Deus ab homine malo: illo vel illo inimico tuo. Tu noli tibi esse malus. Audi me, liberet te Deus à te. Quando enim Deus gratia sua & misericordia de malo facit te bonum: unde te facit bonum, unde te liberat, nisi à teipso homine malo: Omnino fratres mei hoc verum est, hoc certum est, hoc fixum: Si Deus te liberaverit à teipso, homine malo, nihil tibi nocebit, quisquis fuerit alius homo malus. *Et infra* Apostoli Petri verba sunt: Et quis vobis nocebit, si boni amatores fueritis? Persecutus est homo malus, lapidavit homo malus, virgis cecidit homo malus: ad extremum tenuit, vinxit, traxit, occidit homo malus. Quanta ille addidit mala, tanta præparavit bona. Quidquid passus est, non fuit tormentum pænæ, sed occasio coronæ. Videte quid sit liberari ab homine malo, hoc est à seipso. Quis inquit vobis nocebit, si boni amatores fueritis? Sed ecce nocent homines mali. Tanta tibi fecerunt o Paule. Respondet tibi Paulus: Opus esset ut liberatus essem ab homine malo, hoc est à meipso. Cæterum quid isti homines mali mihi faciunt: Non sunt condignè passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. *Tomo 10. parte 2. serm: de diver: serm: 107. de festo SS. Apostolorum Petri & Pauli.*

Ps 17. 49.

Interna hominis malitia plus nocet quam externa

Vexari est cælo præparari.

Fratres, dico vobis expresse, & quantum Dominus donat, libere. Non sæviunt in malos nisi mali. Alia est potestatis necessitas. Nam judex cogitur plerumq; eximere gladium, & ferire nolens. Quantum enim ad ipsum pertinet volebat servare sententiam incruentam, sed perire noluit forte publicam disciplinam. *Et infra.* O qui dixisti, libera nos à malo: liberet te Deus de teipso. *Tomo 10. eorundem sermone 3. de S. Laurentio.*

Matt. 6. 13.

Si malus es, non malus es malo alieno, sed tuo. Eodem quoque tuo malo non diligis proximum tanquam teipsum. Neq; enim diligis vel teipsum. Diligis quippe iniquitatem, acerrimam inimicam, non tibi extrinsecus admotam, sed abs te tibi intrinsecus factam. Quæ ut facilius vincat te, faves ei contra te. Ita quod te

Peccata fovere est odisse animam.

 oderis,

oderis, à parte convinceris, cum eam diligis, à qua turpiter vinceris. Neque enim divinum eloquium falsetur, quo dictum est, qui autem diligit iniquitatem odit animam suam. *Tomo 10. serm: nov: serm: 10. de illo proverb: si sapiens fueris, tibi & proximis tuis eris. &c.*

Odor mali. Felices qui bono odore vivunt. Quid autem infelicius illis qui bono odore moriuntur? Et quis est ait aliquis quem bonus odor occidit? Hoc est quod ait Apostolus. Et ad hæc quis idoneus? *T.9. In Evan: Ioan: Tract: 50. de cap: 12.*

Peccator similem sibi cupit facere Deum. Quia iniquus est, iniquum vult esse Deum. Vult te Deus facere similem sui. & tu conaris Deum facere similem tui. Placeat ergo tibi Deus qualis est non qualem illum esse vis. Perversus enim es, & talem vis esse Deum qualis es, non qualis est. Si autem placeat tibi qualis est, corrigeris: & diriges in eam regulam cor tuum à qua nunc alienus distortus es. Placeat tibi Deus qualis est, ama qualis est: non te amat qualis es, sed odit te qualis es. Ideo tui miseretur, quia odit te qualis es, ut faciat te qualis nondum es. Faciat te dixi qualis nondum es, nam illud tibi non permittit quia faciet te qualis est. Nam eris qualis est, sed ad quendam modum id est imitator Dei velut imago; sed non qualis imago est filius, nam etiam imagines in hominibus diversæ sunt. Filius hominis habet imaginem Patris sui, & hoc est quod pater ejus, quia homo est sicut Pater ejus. In speculo autem imago tua non hoc est quod tu: alter est enim imago tua in filio alter in speculo. In filio est imago tua secundum æqualitatem substantiæ, in speculo autem quàm longè est à substantia, & tamen est quædam imago tua, quamvis non talis qualis in filio tuo secundum substantiam: si in creatura non est imago Dei quod est in filio, qui hoc est quod Pater, id est verbum Dei per quod facta sunt omnia. *Tomo 9. lib. de 10. chordis cap: 8.*

MARIA.

Omnium hominum amator Deus. NE quis fortè sexus se à Creatore contemptum putaret, virum suscepit, natus est ex fæmina *T: 1. l. de vera relig: c.16.*

Factus est ex semine David secundum carnem, sicut Apostolus dicit, id est de limo terræ, cum homo non esset, qui operaretur in terra, quia nullus homo operatus est in virgine, de qua natus est Christus. *Tom: primo lib: 2. de Gen: con: Manich cap: 24.* *Rom. 1. 3.*

Maria terræ facies. Fons autem ascendebat de terra, & irrigabat omnem faciem terræ. Facies terræ, id est dignitas terræ, Mater Domini, Virgo Maria rectissimè dicitur, quam irrigavit Spiritus Sanctus, qui fontis & aquæ nomine in Evangelio significatur. *Tomo 1. lib: 2. de Gen: con: Manich: cap: 8.* *Gen. 2. 6.*

Ipsa virtus per inviolata Matris Virgineæ viscera, membra Infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia, membra iuvenis introduxit: &c. in talibus rebus tota ratio facti, est potentia facientis. *Tomo 2. epist: 3.*

In Maria cum maternitate, virginitas. Nasci de Virgine, à mortuis resurregere, in cælum ascendere, hoc Deo qui parum putat, quid plus expectet? ignoro. Arbitror enim talia flagitari, qualia gerens hominem facere non debuit. Nam in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. *Ibid.*

Virgo Mater. De Virginitate Sanctæ Mariæ, si hoc quod scripsi non persuadet fieri potuisse, neganda sunt omnia, quæ mirabiliter in corporibus acciderunt. Quod si propterea non creditur, quia semel factum est, quære ab amico quem hoc adhuc movet, utrum nihil inveniatur in literis sæcularibus, quod & semel factum sit, & creditur. Si enim tale aliquid negaverit, admonendus est: si autem falsus fuerit, soluta quæstio est. *Ib. ep 7.*

Quæ

Quæ mihi Mater, aut qui fratres: & extendens manus in Discipulos dixit: non pertinere ad cognationem suam, nisi qui faceret voluntatem Patris ejus, in quo numero profectò, etiam Sanctam Mariam inclusit: faciebat enim & illa voluntatem Patris ejus &c. Alio loco discipulos monuit. ut quomodo illos manifestum est habuisse Patres, sic se habuisse Matrem manifestaret, cujus tamen terrena cognatione contempta, contemnendarum talium necessitudinum præberet exemplum discipulis. *Ibid. ep*: 38,

Mar. 3 33

Maria voluntati Dei conformis.

Matt. 1.

Virgo autem Maria, cui dictum est: Et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Sanctam incipiendo prolem, sub tali umbraculo nullo ardore concupiscentiæ hujus æstuavit. *Ibid: epist*: 57.

Io. 2.

Nec nos moveat ad negandum Christi Matrem, quod ab eo dictum est: quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora, sed potius admonet ut intelligamus secundum Deum, non eum habuisse Matrem, cujus Majestatis personam parabat ostendere, aquam in vinum vertendo. Quod autem crucifixus est, secundum hominē crucifixus est, & illa hora erat, quæ nondum venerat, quando dictum est, quid mihi & tibi? nondum venit hora mea, id est quâ te cognoscam: tunc enim ut homo crucifixus cognovit hominem Matrem, & dilectissimo discipulo humanissime commendavit Nec istud nos moveat, quod cum ei nuntiaretur Mater ejus & Fratres; Respondit: quæ mihi Mater aut Fratres? &c. Sed potius doceat ministerium nostrum, quo Verbum Dei Fratribus ministramus, cum Parentes impediunt, non eos debere cognosci. Nam si propterea quisq; putaverit, non eum habuisse Matrem in terris; quia dixit, quæ mihi Mater, cogatur necesse est, & Apostolos negare habuisse Patres in terris; quoniam præcepit eis dicens: Nolite vobis Patrē dicere in terris. Nec nobis fidem istam minuat cogitatio muliebrium viscerum, quod eam sordidi sordidam putant: debent enim intueri, qui hoc putant, solis hujus radios per Cloacarum fætores, & quæq; horribilia usquequaq; diffundi, nec tamen aliqua inde contaminatione sordescere: cum visibilis lux, visibibilibus sordibus sit naturâ conjunctior, quantò minùs igitur poterat pollui verbum Dei, non corporeum, neq; visibile· Unde manifestum est, nullo modo potuisse verbum Dei maculari humano corpore, quo nec ipsa anima maculata est? *Ibid: cap*: 4.

Christus verus Deus.

Mar. 3 33.

Io. 19. 41.

Sicut in illo monumento, nullus alius mortuus sepultus est, nec ante nec postea; sic in illo utero nec ante, nec postea quidquam mortale conceptum est. *Ibid. cap*: 5.

Maria immaculata.

Nihil naturæ humanæ in illa susceptione fas est dicere defuisse; sed naturæ ab omni peccati nexu omnimodo liberæ: non qualis de utroq; sexu nascitur per concupiscentiam carnis; sed qualem de Virgine nasci oportebat, quam fides Matris non libido conceperat. Quodsi vel per nascentem corrumperetur ejus integritas, Non jam ille de Virgine nasceretur, eumq; falsò [quod absit] de Virgine Maria natum tota confiteretur Ecclesia, quæ imitans ejus Matrem, quotidie parit membra ejus & Virgo est. *T*. 3. *Ench*: *c*. 34.

Virgo in partu

Luc. 1.

Invenisti gratiam apud Deum. Et hæc quidem gratia plena & invenisse gratiam apud Deum dicitur, ut Domini sui, imò Domini omnium Mater esse. Veritas quippe ipsa Vnigenitus Dei Filius, non gratiâ sed naturâ: gratiâ suscepit hominem tanta unitate personæ, ut idem ipse etiam hominis Filius. Idem namq; Jesus Christus Filius Dei Vnigenitus, idem unicus Dominus noster, natus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine. *Tom*: 3. *Ench*: *c*. 36.

Plenitudo gratiæ.

Dominus Jesus Christus, qui venerat ad homines liberandos, in quibus & Mares & Fæminæ pertinent ad salutem, nec mares fastidivit,

divit, quia marem suscepit, nec fœminas, quia de fœmina natus est. Huc accedit magnum Sacramentum, ut quoniam per fœminam nobis mors acciderit, vita nobis per fœminam nasceretur: ut de utraq; natura id est fœminina & masculina, victus Diabolus cruciaretur, quoniam de ambarum subversione lætabatur; cui parum fuerat ad pœnam, si ambæ naturæ in nobis liberarentur, nisi etiam per ambas liberaremur. *T. 3. lib: de agone Christ: cap: 22.*

Vivimus per Mariam.

Fides Mariæ. *Luc. 1.*

Poterat & Mariæ dicenti: Quomodo fiet istud? à calumniantibus abjici, quod minus crediderit, cum illa modum quæsierit, non de virtute Dei dubitaverit. Quod autem responsum est illi: Spiritus Sanctus superveniet in te: poterat & sic responderi: Nunquid Spiritui Sancto impossibile est, qui superveniet in te, & sic idem sensus conservaretur. Porro autem talia quædam dicens Zacharias incredulitatis arguitur, & vocis oppressæ pœna plectitur. Quare? nisi quia Deus non de verbis, sed de cordibus judicat. Alioquin & ad illam Petram, unde aqua profluxit, poterant excusari verba Moysi, nisi in eum clara esset sententia divina, quod diffitendo talia dixerit. *T. 4. lib: 4 super Num: quæst: 19.*

Luc. 2.

Christus Ioseph Filius.

Et erant Pater ejus & Mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Cum igitur ipse narret (intellige Lucas) non ex concubitu Joseph, sed ex Maria Virgine natum Christum Unde eum Patrem ejus appellat, nisi quia & Virum Mariæ rectè intelligimus, sine commixtione carnis, ipsa copulatione conjugij: & ob hoc etiam Christi Patrem multò conjunctiùs, qui ex ejus conjuge natus sit, quam si ei esset aliunde adoptatus. *Tomo 4. lib. 2. de consen: Evang: cap: 1.*

Hominis liberatio in utroq; sexu debuit apparere. Ergo quia virum optabat suscipere, qui sexus honorabilior est, consequens erat ut fœminei sexus liberatio, hinc appareret, quod ille vir de Fœmina natus est. *Ib: lib: 83. quæst: quæst: 11.*

Peractis autem Maria cum Elisabeth tribus mensibus discessit: quo numero mihi videtur significari fides Trinitatis & baptismi. In Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, quo per humilem Domini adventum genus humanum imbuitur, & futuro adventu claritatis ejus extollitur. *Ibid: quæst. 58.*

Homo factus, & de fœmina natus est, à carne quippe contaminari non poterat ipse carnem potius mundaturus. Ipsum etiam antiqui Sancti venturum in revelatione Spiritus cognoverunt & prophetaverunt: & sic salvi facti sunt, credendo quia inveniet, sicut nos salvi efficimur, credendo quia venit. *T. 4. l. de catech: rud: c: 17.*

Christus natus humilitatis Magister.

Natos de Matre, quæ quamvis intacta à Viro, conceperit semperq; intacta permanserit, Virgo concipiens, Virgo pariens, Virgo moriens, tamen Fabro despōsata erat; omnem typum carnalis nobilitatis extinxit. Natus etiam in civitate Bethleem, quæ inter civitates Judææ, ita erat exigua, ut & hodie villa appellatur, noluit quenquam de cujusquam terrenæ civitatis sublimitate gloriari. *Ibid: cap: 22*

Humilitas non minuit.

Verbum erat, Caro factus est, Deus erat, homo factus est: suscepit humanitatem, non amisit Divinitatem, factus humilis, mansit sublimis, natus est homo, non destitit esse Deus: Natus est parvulus, latens magnus. Qui libenter amplectitur Deum natum, non horreat Virginis partum: Dicit tibi Deus Creator hominis, Filius hominis. Hanc quam despicis Manichæe, Mater est mea, sed manu fabricata est meâ. Si solis radius Cloacarum sordes deficcare novit: quanto magis splendor lucis æternæ, in quo nihil inquinamenti incurrit, quocunq; radiaverit, mundare potest, ipse pollui

non

non potest; Stulte unde sordes in Virgine Matre, ubi non est concubitus cum homine Patre? Unde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo est perpessa dolorem? unde sordes in domo, ad quam nullus habitator accessit? solus ad eam Dominus & Fabricator ejus venit, vestem quam non habebat, induit, eamque sicut invenit, clausam reliquit. Sicut ille solus natus est inter mortuos liber: sic justus, ex qua natus est, matris pudor, solus est integer. Eva inobediens meruit pœnam, Maria obediendo consecuta est gratiam. Illa gustando prohibitum, maledicta: hæc credens Angelo, est benedicta. Illa nobis mortem contulit, hæc Virgo vitam nobis peperit. *Tom: 6. lib: de quinque Hæres: cap: 5.*

Virgo.

Obedientia salutis exordium.

Et hic Dei Filius & Hominis, Filius Dei, Filius de corde Patris: Filius Hominis ex utero Matris. Idem ipse unus Christus, qui processit ex utero Virginali, tanquam sponsus de thalamo suo, in quo utero spirituales nuptiæ celebratæ. Deus conjunctus est carni, & Caro adhæsit Deo, ut esset unus Christus Deus, & totus homo. Hinc ergo procedens, tanquam sponsus de thalamo suo, ad cujus nuptias commota universa exultare visa est creatura. *Tom: 6. concione ad Catech: cap: 10.*

Christus Dei Filius.

Incarnatio Filii Dei nuptiæ.

Mariam non fuisse extraneam à cognatione David, & eam Joseph conjugem non frustra appellatam, propter ordinem sexûs, & animorum confederationem, quamvis ei non fuerit carne commixtus: *Et infra.* Et nè homines fideles Christi, id quod sibi conjuges carne miscentur, tam magnum in conjugio deputarent, ut sine hoc conjuges esse posse non crederent, sed potius discerent; fidelia conjugia multò familiarius se adhærere membris Christi, quantò potuissent imitari Parentes Christi. *Ib: l. 23. con: Faust: c. 8.*

Conjugalis continentia laus.

Credimus ergo ex Maria Virgine natum Christum: quia sic scriptum est in Evangelio: credimus crucifixum & mortuum: quia sic scriptum est in Evangelio: Et verè natum & verè mortuũ; quia veritas est Evangelium. Cur autem illa omnia in carne, ex utero fœminæ assumpta, pati voluerit, summa consilij penes ipsum est. Sive quod utrumque sexum, quem creaverat, etiam hoc modo commendandum honorandumq; judicavit, assumendo formam viri, & nascendo de fœmina. *Ibidem.*

Christus Mariæ Filius

Illicitus & temperantiæ legibus non subjectus membrorum illorum usus est turpis: non ipsa membra, quæ non solum in excellenti integritate cælibes & Virgines servant, sed ipsi conjugati Sancti Patres & Matres, sic eis utebantur, ut ille naturalis motus nullo modo turpis esset, qui non libidini sed rationi conserviret, quantò magìs ergo in Sancta Virgine, quæ Christi carnem fide concepit, nihil habuerunt turpitudinis membra, quæ nec humano licitoque conceptui, sed divino tantùm partui servierunt: meritò planè sic honestata, ut nobis Christum, quem cordibus integris credendo conciperemus, & confitendo quodammodo pareremus, etiam corporaliter servata integritate transfunderet. Nullo modo enim Christus Matrem nascendo faceret deteriorem, ut cui munus fæcunditatis adtulerat, decus Virginitatis auferret. Hæc veraciter non fallaciter facta sunt - sed nova sunt, sed insolita sunt, sed contra naturæ cursum notissimum sunt - quia magna, quia mira, quia divina, & eo magis vera, certa, firmata. *Ibid: lib: 27 cap: 4.*

In Deipara passionum Dominium.

Dicunt, quare ergo negavit Matrem suam, quando ei dixit: quid mihi est & tibi Mulier? Quia exemplo suo jam docebat, negandos esse terrenos Parentes propter Deum. Opera enim divina facienti terrenus affectus obstrepere non debebat. *Ibidem cap: 22 usque ad 25.*

Jo. 2.

Exuendus inordinatus in parentes affectus

Idem

Idem Dei Filius & ſine initio proceſſit ex Patre, & ſecundum tempus naſci dignatus eſt ex Virgine. Impoſſibilis in ſuo, paſſus in noſtro. *Et infra.* Conjunxit propriis aliena, dum idem atq; inſeparabilis Chriſtus, & proprio carnis occiditur, & proprio Deitatis perpetuam reddidit carnem. Itaq; glorificata eſt, caro Majeſtate, dum majeſtas humiliata docetur in carne. Sed utrumque non de duobus Chriſtis, ſed de uno atque eodem ipſo, quem poſt partum Virginis Deum & Hominem novimus, nos certum eſt prædicare. *Ibidem cap*: 10.

Quam gloriosa humilitas.

Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco. Quod profecto non diceret, niſi Deo Virginem ſe ante voviſſet. Sed quia hoc Iſraelitarum mores, adhuc recuſabant, deſponſata eſt viro juſto, non violenter ablaturo, ſed potius contra violentos cuſtoditu-ro, quod illa voviſſet. *T. 6. lib: de Sancta Virginitate cap*: 1. *Luc. 1.*

Maria castitatem vovit.

Illa una fæmina non ſolùm Spiritu, verùm etiam corpore & Mater eſt & Virgo. Et Mater quidem ſpiritu non capitis noſtri, quod eſt ipſe Salvator, ex quo illa magis ſpiritualiter nata eſt, quia omnes qui in eum crediderint, in quibus & ipſa eſt, rectè Filij ſponſi appellantur. Sed planè Mater mẽbrorũ ejus quod nos ſumus, quia cooperata eſt charitate, ut fideles in Eccleſia naſcerentur, qui illius capitis membra ſunt: Corpore verò Mater ipſius capitis. Oportebat enim caput noſtrum propter inſigne miraculum ſecundum carnem naſci de Virgine, quo ſignificaret membra ſua de Virgine Eccleſia ſecundum ſpiritum naſcitura. *Ibidem cap*: 6.

Maria Mater nostra.

Sola noſtro vulneri medicinam parere potuit, quæ non ex peccati vulnere germen piæ prolis emiſit. *Tomo 7. lib*: 1. *de peccat: merit: & rem: cap*: 29.

Exceptâ Sancta Virgine Mariâ, de qua propter honorem Domini nullam prorſus cum de peccatis agitur habere volo quæſtionem: Vnde enim ſcimus, quid ei plùs gratiæ collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum. Hac ergo Virgine excepta, ſi omnes illos Sanctos & Sanctas, cùm hîc viverent, concregare poſſemus, & interrogare utrum eſſent ſine peccato? nonnè unâ voce clamâſſent, ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. *Tomo 7. lib: de naa: & graa: & cap*: 37.

Ab Angelo dictum eſt ad Joſeph: Noli timere accipere in uxorem Mariam conjugem tuam. Conjunx vocatur ex prima fide deſponſationis, quam concubitu non cognoverat, nec fuerat cogniturus: nec perierat, nec mendax manſerat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat ulla carnis commixtio. Erat quippe illa Virgo, & ideò ſanctiùs & mirabiliùs jucunda viro ſuo, quia etiam fæcunda ſine viro, prole diſpar, fide compar. Propter hoc fidele conjugium Parentes Chriſti vocari ambo meruerunt, & non ſolùm illa Mater, verum etiam ille Pater ejus, ſicut conjunx Matris ejus, utrumq; mente & carne, ſive tamen ille Pater ſola mente; ſive illa Mater & carne, Parentes tamen ambo humilitatis ejus non ſublimitatis, infirmitatis non divinitatis. *Et infra* Cur ergo non conjuges manent? qui ex conſenſu concumbere deſinunt, ſi manſerunt Joſeph & Maria qui concumbere non cæperunt. *Tomo 7. lib: de Nupt: & concup: cap*: 11. *Matt. 20.*

Maria quomodo Iosephi conjunx.

Ioseph quomodo Christi Pater.

Quæ mihi Mater aut qui fratres - volunt quidam pernicioſiſſimi Heretici aſſerere non eum habuiſſe Matrem: nec videnteſſe conſequens ſi hæc verba attendant ut nec diſcipuli ejus Patres habuerint, quia ſicut ipſe dixit quæ mihi Mater eſt, ſic illos docuit, cum ait: Nolite vobis dicere Patrem in terris. *In pſ*: 9. *Mar. 3. 33.*

Tan;

Tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Ipse procedens de utero Virginali ubi Deus naturæ humanæ tanquam sponsus sponsæ copulatus est. *In psal*: 18 *Vterus Virginis thalamus.*

In sole posuit tabernaculum suum. Hoc est: Ille tanquam
Ps. 18. 5. sponsus cum Verbum Caro factum est in utero Virginali thalamum invenit: atq; inde naturæ conjunctus humanæ, tanquam de castissimo procedens cubili humilis misericordiâ infra omnes, fortis majestate supra omnes: hoc est enim Gygas exultavit ad currendam viam. Natus est, crevit, docuit passus est, resurrexit, ascendit. Cucurrit viam non hæsit in via. *Exposit*: 2. *in psal*: 18.

Ego sum vermis & non homo. Unde non homo? quia Deus. *Christus vermis.*
Ps. 21. 7. Quare ergo sic se abjecit ut diceret vermis? An quia vermis de carne sine concubitu nascitur sicut Christus de Maria Virgine? Quare vermis? quia mortalis, quia de carne natus, quia sine concubitu natus. Quare non homo? Quia Deus erat verbum. Opprobrium hominum & abjectio plebis videte quanta passus est. *Expos*: 2. *In psal*: 21.

Fuit quidam lapis angularis contemptibilis in quem Judæi offenderunt, præcisus de quodam monte sine manibus, hoc est de Regno Judæorum veniens sine manibus quia humanum opus non accessit ad Mariam de qua natus est Christus *Enar*: *in psal*: 47

Luc. 1. Virtus Altissimi obumbrabit tibi, hoc est umbram faciet tibi, umbra ista defensiculum intelligitur ab æstu concupiscentiarum carnalium. Unde illa Virgo Christum non carnaliter concupiscendo sed spiritualiter credendo concepit. constat autem umbra lumine & corpore: proinde illud quod in principio erat verbum, lumen illud verum ut umbraculum meridianum fieret nobis, Verbum Caro factum est & habitavit in nobis *In psal*: 67. *Vmbraculum Verbum caro factum.*

Memento quæ substantia mea. Non enim quia Judæi defecerunt defecit substantia mea. Etenim de illo populo Virgo Maria, de Virgine Maria Caro Christi: & caro illa non peccatrix, sed peccatorum mundatrix. *Con*: 2. *in psal*: 88.

Ps. 115. 6. Ego servus tuus & filius Ancillæ tuæ Attende ancillam illam castam & Virginem & Matrem: ibi enim accepit paupertatem nostram, ubi servi formam indutus est, semetipsum exinaniens: ne divitias ejus expavesceres, & ad eum accedere cum tua mendicitate non auderes Ibi accepit inquam formam servi, ibi nostram indutus est paupertatem, ibi se pauperavit, ibi nos ditavit, *Tomo* 8. *sermone* 1. *de prima parte psal*: 101. *Ex Maria paupertas Christi, audaciam facit ad illum.*

Pelicanus in solitudine. Puto enim ego hic intelligi Chri-
Ps. 101. 8 stum de Virgine. Solus enim sic, ideo solitudo. In solitudine natus est quia solus natus est. *Ibidem.* *Christus Pelicanus.*

Ps. 109. 4. Ex utero ante luciferum genui te. Et hoc ipsum ante luciferum signate dictum & propriè dictum, & sic impletum. Noctu enim natus est Dominus ex utero Virginis Mariæ indicant testimonia pastorum, qui vigilias exercebant super gregem suum. *Expos*: *psal*: 109.

Ps. 86. 5. Homo factus est in ea & ipse fundavit eam Altissimus. Ipse est enim & apud Patrem Altissimus & propter nos in ista Matre factus humillimus: quoniam qui Deus erat super eam homo factus est in eo *Con*: 21 *in psal*: 118.i

Nihil mundum invenit in hominibus, quod offerret pro hominibus: seipsum obtulit mundum victimam hostiam immaculatam. Felix victima, vera victima, munda victima, hostia immaculata. Non ergo hoc obtulit quod nos illi dedimus: imo hoc obtulit quod à nobis accepit & mundum obtulit. Carnem enim à

nobis accepit, hanc obtulit. Sed unde illam accepit? De utero Virginis Mariæ, ut mundum offerret pro immundinis. Ipse Rex, ipse Sacerdos. *Exposit: psal: 149.*

Venit in Virginem, qui erat ante Virginem. Quam creavit, elegit, quam eligeret, creavit. Adtulit Virgini fæcunditatem, non abstulit integritatem. *T. 10. serm: de verb: Dom: serm: 10.*

Quomodo facta est prima mulier per quam venit peccatum de viro sine fæmina; sic vir per quem deletum est peccatum de fæmina sine viro. Per illam ruimus, per hunc surgimus. Et quid in ipsis nuptiis fecit? De aqua vinum. Quid potentius? Qui poterat talia facere, dignatus est indigere. Qui fecit de aqua vinum, potuit facere & de lapidibus panem. Eadem potentia erat, sed tunc diabolus tentavit, ideo Christus non fecit. Scit enim quia quando tentatus est Dominus Christus, hoc ei suggessit diabolus. *Ibidem serm: 41.*

Cur Christus vinum ex aqua non panē ex lapidibus fecerit.

Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Non timeas æstum libidinis, sub tantæ umbracula sanctitatis. *Et infra.* Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco. Inquirendo dixit, non desperando. Deum interrogavit, non de promissione dubitavit. O verè gratia plena: sic est enim ab Angelo salutata, Aue gratia plena? O verè gratia plena, quis hanc gratiam explicet? Quis huic gratiæ gratias agendo sufficiat? Fit homo, & per liberum arbitrium perit homo, & invenitur homo factus qui fecit, ne periret quem fecit. In principio Verbum Deus apud Deum, per quod omnia facta sunt, fit caro: Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis. Caro fit Verbum, sed caro accedit ad verbum, non perit in carne verbum. O gratia ut hoc haberemus, quo digni non eramus. *Tomo 10. 50. Homil: Homil: 44. de testimonio Christi de Ioan: Bap.* *Luc. 1.*

Christi nativitas maxima Dei gratia.

Quod homo fuit, nobis profuit, sibi nihil minuit. Exinanivit plenitudinem deitatis, formam suscepit humilitatis, & patri manens æqualis. Talis eligitur virgo de toto, scilicet mundo, quæ tantum haberet meritum, ut Dei filium in semetipsum susciperet, & post partum omnimodo Virgo permaneret. *Ibidem serm: 14. in eodem festo serm: 16.*

Beata Virgo prius mereba tur antequā conciperet.

Miramur Virginis partem, & novum ipsum nascendi modum incredulis persuadere conamur, quod in utero non seminato germen prolis exortum est: & amplexu carnis viscera immunia filium hominis pertulerunt, cujus Patrem hominem non tulerunt: quod Virginitatis integritas, & in conceptu clausa, & in partu incorrupta permansit. Mira est ista potentia, sed plus est miranda misericordia: quod ille qui sic nasci potuit, sic nasci voluit. Erat enim jam unicus Patri, qui unicus natus est Matri: & ipse factus est in Matre, qui sibi fecerat Matrem, sempiternus cum Patre, hodiernus ex Matre. Post Matrem de morte factus est, ante omnia de Patre natus est. sine quo Pater nunquam fuit, sine quo Mater nunquam fuisset. Exultate Virgines Christi, consors vestra & Mater Christi. Christum parere non potuistis, sed propter Christum parere noluistis. Qui non ex vobis natus est, vobis natus est. Verumtamen si verbi ejus memineritis, sicut meminisse debetis, estis etiam matres ejus, quia voluntatem facitis Patris ejus. Ipse enim dixit, quicunque facit voluntatem Patris mei, ipse mihi frater, & soror, & mater est. *Ibid: ser: 16. in cod: fest: ser: 2.*

Ideo Dominus inter virgineum sibi requisivit hospitium habitandi, ut nobis ostenderet in casto corpore Deum portari debere. Ad hoc enim Deus hominem suscepit in se, ut & nos Deum suscipiamus.

Cur Christus ex Virgine natus.

piamus in nobis, sicut ipse dicit, manete in me, & ego in vobis. O sacrum & cæleste mysterium. In Nativitate Domini concepit Virgo antequam sponsum haberet, parit antequam nubat, & quod ad laudem pertinet nominis Domini, & Mater & Virgo cæpit esse post partum. Virgo enim concepit, Virgo peperit. Virgo post partum illibata permansit. Quem cum portaret, timuit, cum pareret, adoravit; quem cum peperisset, minor erat mater, quam filius. *Et infra.* Mulier enim quia prior gustaverat, prior etiam resurrectionem vidisse monstratur, ut ne perpetui reatus apud viros opprobrium sustineret, quia quæ culpam nobis transfuderat, transfudit ei gratiam. Deniq; Dominus noster ideo per casta Virginis membra, venit ad terras, ut ostenderet Deum castitatis esse authorem. Ergo sicuti Deus noster nos suscepit in se, ita Deum nos suscipiamus in nobis. Portemus ergo & nos Deum in casto corpore, quem Virginis casta membra portaverunt. Christus enim Magister est castitatis: & ideo qui castitatem non habet, portare Christum non potest. *Ibid: serm: 17. in eodem festo serm: 13.*

Cur primis, mulieribus Christi resurrectio revelata.

Intellige natum Deum, & non mireris Virginis partum *Ibid serm: 20. in eodem festo serm: 16.*

Ave inquit gratia plena Dominus tecum. A salutatione incipit, qui salutem in lingua portavit. Sileat nunc à fæminis, sileat tortuosi serpentis malè suadibilis sybillis, ad Matrem Domini nostri Angelus est locutus: Ave inquit, gratia plena, Dominus tecum. Gratia refertur pro culpa, plena dicitur, non vacua. Impleta est ergo gratiâ, & evacuata est culpa. Hoc modo & ipsa venerabilis Virgo nostra in suo cantico plausit: Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes. Ave inquit gratia plena Dominus tecum. Tecum in corde, tecum in ventre, tecum in auxilio, gratulare Virgo, Christus Rex è Cælo suo venit in utero tuo. Ex sinu Patris, in uterum dignatur descendere matris: sed nec regionem suam majestas infinita deservit, nec eum virginalis aula dum accepit, inclusit. Fides à terra in cælum erecta est. Huic Christus insedit, & per ipsam in templum pudoris intravit. Benedicta tu in mulieribus, quæ vitam viris & mulieribus peperisti: Ede inculpabilis fæmina inviolabilem virum, ac sic & fæminam salvabis, & virum. Eva mater generis nostri pænam intulit mundo, genitrix Domini nostri salutem & fæminæ gessit in viro. Auctrix peccati maledicta, auctrix meriti benedicta. Ita enim ad eam cælestis Nuntius infit. Benedicta tu in mulieribus. Genere sexuali omnes appellantur equidem communiter mulieres: sed sunt etiam incorrupta virginitate pudoris proprietate distantes. Illa occidendo obfuit, ista vivificando profuit. Percussit illa, at ista sanavit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur. Et fides pro perfidia recompensatur. *Et infra.* Responde jam virgo sacra. Vitam quid tricas mundo? Assensum tuum præstolatur Angelus, inde est quod nuntius iste moratur. Jam audisti, Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ut prolem gignas, & virginitatem non perdas. Janua cæli quondam per Adam clausa jam sonuit, per ipsam nuntius iste processit. Deus in porta est, Angelum quem moraris, expectat. O beata Maria, seculum omne captivum, tuum deprecatur assensum, te Deo mundus suæ fidei obsidem facit, per te Parentum suorum injurias abstergi deprecatur. *Et infra.* O & tu Angele tanti Regis nuntie, & secreti divini legate, qui ex palatio imperatoriæ Majestatis indulgentiam reddis criminosis, vitam mortuis, & pacem sacram attulisti captivis, urge Virginem non de Dei munere diffidentem, sed de muneris magnitudine cogitantem. Fave partibus

Plena gratia quia vacuat culpâ.

Virgo compensavit Evæ peccatum.

ſeculi, conſcius ſecretorum cæli lætabuntur ſocii tui, ſi negotium juveris mundi. Nos à veſtro conſortio impietatis mucro diviſit, per vos de reditu noſtro tractatur. *Et infra.* Pande ſinus roſeos Virgo perpetua; fides tua modo aut aperit cælum, aut claudit. Ecce inquit Ancilla Domini, Introeat Rex in cubiculum ſuum, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Nec mora, revertitur nuntius & nuptialem thorum ingreditur Chriſtus. Accepit ſtolam carnis in thalamo Virginis, intra theſaurum majeſtatis ſacculum carnis ceſſit. Divinitati ſponſatur homo, præmium accipit caro. *Et infra.* Gaudemus ergo fratres in commercio Dei & hominis, ſponſi & ſponſæ, Chriſti & Eccleſiæ, Salvatoris, & Virginis, quæ dum deſponſaretur fabro, cæli nupſit architecto, veneremur Chriſtum in præſepio, qui quadrifarium mundum replevit in fide. Adoremus pannos infantiæ, ex quibus facta ſunt emplaſtra naturæ. Honorate paſtores, qui primi myſterium ab Angelis didicerunt. *Ibid: ſerm: 21. in eodem feſto. ſerm: 17.*

Nativitas Chriſti.

Videte miraculum Matris Dominicæ. Virgo concipit, Virgo parturit, Virgo poſt partum permanſit. Glorioſa virginitas, & præclara fæcunditas. Virtus mundi naſcitur: & nullus gemitus parturientis ſentitur. Vacuatur uterus, infans excipitur, nec tamen Virginitas violatur. Dignum enim erat, ut Deo naſcente meritum creſceret caſtitatis, nec per ejus adventum violarentur integra, qui venerat ſanare corrupta: nec per eum pudicitia corporalis læderetur, per quem donatur caſtitas ſpiritualis. Natus ergo puer ponitur in præſepe. Et hæc ſunt Dei prima cunabula, nec regnator cæli has dedignatur anguſtias, cui habitaculum virgineus venter idoneus fuit. *Ibid: ſerm: 23. in eodem feſto ſerm: 21.*

Videtur Chriſti cumulata caſtitas in Virgine.

Virginitatem, Chriſtus, Eccleſiæ facturus in corde, prius Mariæ ſervit in corpore. *Ibid. ſerm: 25. in eodem ſerm. 21.*

Nobilitas fuit naſcentis, in virginitate parientis: & nobilitas parientis, in divinitate naſcentis. *Ibid: ſer: 30. in Epiphan Dni ſer. 2.*

Et dicit Maria miniſtris: Quæcunq; dixerit vobis, facite quam *Io 2.* bene Mater Domini credulitatem ſuadet miniſtris, ut non deſint vina prandentibus. Quæcunq; dixerit facite. Intelligimus jam eſſe myſterium, cum Dei mandata ſe noſſe, ſolicitè mater hortatur. *Ibid ſerm: 41. Dnica 2. poſt Oct: Epiph: ſerm: 1.*

Per Mariam fides in hominibus augetur.

Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Virgine Maria. Ecce qua venit, quis, ad quos. Per Virginem Mariam, in qua operatus Spiritus Sanctus, non homo maritus, qui fæcundavit caſtam, & ſervavit intactam. Sic ergo carne indutus eſt Dominus Chriſtus, ſic factus eſt homo, qui fecit hominem, aſſumendo quod non erat, non perdendo quod erat. *Ibid: ſer: 19. Feria 6. in Paraſceve ſerm: 2.*

Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto. Non poterat aliunde quam de Deo concipere, quæ Deum meruit procreare. Natus ex Maria Virgine. Non potuit non talem habere conceptum, quæ Virgo erat permanſura poſt partum. *Ib. ſer. 131 Feria 6 in Paraſceve ſer. 2.*

Accepit illud Joſeph ab Arimathia, vir juſtus. Beatum planè *Mar. 15. 43.* corpus quod Virginitas peperit, & juſtitia cuſtodivit. Cuſtodivit enim illud Joſeph tumulo incorruptum, ſicut ſervavit illud Mariæ uterus illibatum: ſicut enim pollutione ibi non tangitur, ſic mortis corruptione non læditur. Ubiq; beato corpori defertur ſanctitas, ubiq; virginitas. Novus illud venter concepit, novus tumulus concluſit. Dominica ergo eſt virgo vulva, & virgo eſt ſepultura. Quin potius iſtam ſepulturam vulvam dixerim: eſt enim ſimilitudo non parva: ſicut enim Dominus de Matris vulva vivus exivit, ita & de Joſeph ſepultura vivus ſurrexit. Et ſicut de utero tunc ad prædicandum

Chriſti ſepultura conformis nativitati.

candum natus est, ita & nunc ad Evangelizandum renatus est de sepulchro, nisi quod gloriosior est ista, quam illa nativitas Illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immortale. Post illam nativitatem ad inferos descenditur, post hanc remeatur ad cælos religiosior est planè ista quam illa nativitas. *Ibidem serm: 133. Sabbatho in Vigilia Paschæ serm: 2.*

Rom. 1. 4. Qui factus est ei ex semine David secundum carnem. Nam etsi non intercessit semen hominis in conceptione Virginis, tamen quia ex carne Christus formatus est, quæ constat ex semine, dicitur factus ex semine. Quemadmodum ergo secundum divinitatem una est Patris & Filij natura, ita etiam juxta humanitatem eadem est Matris & Filij id est, Mariæ Christiq; natura: ex utraq; substantia & divinitatis & humanitatis unus atq; idem est Dei Filius Dominus noster Jesus Christus, & Deus verus, ita etiam homo verus, attestante Apostolo atq; dicente. Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. *Ibidem ser: 193. in festo S. Trinitatis serm: 5.* *Cur Christus dicatur factus ex semine.*

Adest nobis dilectissimi, optatus dies, Beatæ ac venerabilis semper Virginis Mariæ, ideo cum summa exultatione gaudeat terra nostra, tantæ Virginis illustrata die solenni: Hæc est enim flos campi, de qua ortum est pretiosum lilium convallium, per cujus partum mutatur natura protoplastorum, deletur & culpa. Præcisum est in ea illud Evæ infelicitatis elogium, quo dicitur, in dolore paries filios tuos: quia ista in lætitia Dominum peperit. Eva enim luxit, ista exultavit. Eva lacrymas, Maria gaudium in ventre portavit. Quia illa peccatorem, ista edidit innocentem. Virgo quippe genuit, quia Virgo concepit. Inviolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Utrobiq; miraculum, & sine corruptione gravida, & in partu virgo puerpera *Et infra.* Ave ait, gratia plena, Dominus tecum. Impleta est ergo Maria gratiâ, & Evæ vacuata est culpa. Maledictio Evæ, in benedictionem mutatur Mariæ: Ave inquit gratia plena Dominus tecum. Tecum Dominus in corde, tecum in ventre, tecum in utero, tecum in auxilio *Et infra.* Jam audisti, quomodo fiet hoc, responde nunc verbum Vitam quid tricas mundo? Audisti quomodo fiet hoc, quia Spiritus Sanctus superveniet in te, ut prolem gignas, & virginitatem non perdas; Filium proferas, & post partum incorrupta maneas O Beata Maria, seculum omne captivum, tuum deprecatur assensum, te apud Deum mundus suæ fidei obsidem facit. Noli morari virgo, nuntio festinanter responde verbum, & suscipe filium: da fidem & senti virtutem. Ecce inquit ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Nec mora, revertitur nuntius, & virginalem thalamum ingreditur Christus. Efficitur subitò prægnans, Beata Dei genitrix, & cuncta per secula prædicatur felix. *Et infra.* Non enim decebat, ut ille qui nobis afferebat salutem, Matri præriperet integritatis dignitatem. Nam qui terra, mari cæloq; non capitur, intra unius corpusculi membra suscipitur. Hæc est illa novitas, Hieremiæ Prophetæ vaticinio prænuntiata, faciet, inquit, Dominus novum super terram, fæmina circumdabit virum. O fæmina super fæminas benedicta, quæ virum omnino non novit, & virum suo utero circumdedit. Circumdat virum Maria, Angelo fidem dando, quia Eva perdidit virum serpenti consentiendo. *Et infra.* Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. O felix obedientia! o insignis gratia! quæ dum fidem humiliter dedit, cæli in se opificem corporavit: Implevit in ea Dominus, quod dudum prædixerat: obedientiam, inquit, malo quàm sacrificium, & sci-

Beata Virgo primorum parentum delevit culpam. *Luc. 1.* *Auctor salut non præripuit virginitati integritatē.* *Luc. 1.*

entiam Dei plus quam holocausta. Hæc fuit vera obe dientia omnique sacrificio gratior, hæc voluntas cunctis hostiis acceptior: hanc promeruit gloriam, quam ipsa postmodum hausit: Ecce ait ex hoc beatam me dicent omnes generationes. O beata Maria, quis tibi digne valeat jura gratiarum ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quæ solo tuo commercio recuperandi adytum invenit. *Et infra.* Sint tibi studia assiduè orare, pro populo Dei, quæ meruisti benedicta Redemptorem ferre mundi. *Tomo 10. serm: de Sanctis serm: 18 in festo Anuntiationis serm: 2.*

Fæminam maluit humilem: qui ad liberandum perditam creaturam venerat, quæ per fæminam lapsa est. Unde utrumque sexum volens in spem renovationis, & reparationis adducere, virilem in quo nasceretur, fæmineum per quem nasceretur, elegit. *Et infra.* Sol iste corporeus, tantum quia cæleste corpus est, illuminat terram, nec ab ea ipse obscuratur. Siccat aquam, nec inde humectatur. Solvit glaciem, nec inde frigescit. Durat limum, nec inde mollescit. Et Dominus noster JEsus Christus, verbum Patris, per quod facta sunt omnia, virtus & sapientia Dei, ubiq; præsens, ubiq; secretus, ubiq; totus, nusquam inclusus, pertingens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter: timent infelices ne non potuerint sic hominem assumere, ut vivificaret mortalia, nec ab eis mortificarentur: significaret carnem, nec inde pollueretur: dissolveret mortem, nec inde ligaretur; mutaret in se hominem, nec in hominem mutaretur. *Tomo 10. serm: de diver: serm: 16. tractatu 3. contra Manichæos.*

Christus assumpta carne humana non in gloriis

Homo factus, hominis factor. Ut sugeret ubera, regens sidera, ut esuriret, panis, ut sitiret fons, dormiret lux, ab itinere via fatigaretur, falsis testibus veritas accusaretur, judex vivorum & mortuorum, à judice mortali judicaretur, ab injustis justitia damnaretur. flagellis disciplina cæderetur, spinis botrus coronaretur, in ligno fundamentum suspenderetur, virtus infirmaretur, salus vulneraretur, vita moreretur. Ad hæc atq; hujusmodi sustinenda pro nobis se inclinans ut liberaret indignos, quando nec in illo aliquid mali, qui propter nos tanta pertulit mala, nec nos boni aliquid merebamur: qui per eum tanta accepimus bona. Propter hæc ergo qui erat ante omnia secula sine initio dierum Dei filius, esse in novissimis diebus dignatus est hominis filius: & qui de Patre natus, non à Patre factus erat, factus est in Matre quam fecerat, ut ex illa ortus, hîc aliquando esset, quæ nisi per illum nunquam & nusquam esse potuisset. Sic adimpletum est, quod prædixerat psalmus, veritas de terra orta est. Maria virgo ante conceptum, virgo post partum: absit enim ut in ea terra, hoc est in ea carne, unde orta est veritas, periret integritas. Nempe post resurrectionem suam cum spiritus putaretur esse non corpus, palpate, inquit, & videte, quia spiritus ossa & carnem non habet, sicut me videtis habere. Et tamen illius juvenilis corporis soliditas, non patentibus foribus se ad discipulos intromisit. Cur ergo qui potuit. per clausa ostia magnus intrare, non potuit etiam per incorrupta membra paruus exire? *Et infra.* Quod miramini in carne Mariæ, agite in penetralibus animæ. Qui corde credit ad justitiam, concipit Christum: qui ore confitetur ad salutem, parit Christum. Sic in mentibus vestris, & fæcunditas exuberet, & virginitas perseveret. *Ibid: serm: 60. in eodem: serm 9.*

Assumpta à Christo carnis privilegia.

Ps. 84. 12.

Virginalis Mariæ integritas.

Fides in visceribus concepit confessio parit.

Decipiendo homini propinatum venenum per fæminam: reparando homini propinetur salus per fæminam. Compenset fæmina decepti per se hominis peccatum, generãdo Christum Inde, & resur-

Error fæminæ per fæminam abolitur.

& resurgentem Deum, priores fœminæ Apostolis nuntiarunt. Nuntiavit viro suo mortem fœmina in paradyso: nuntiaverunt & fœminæ salutem viris in Ecclesia. Resurrectionem Christi, Apostoli erant gentibus nuntiaturi: Apostolis fœminæ nuntiarunt. Nemo ergo calumnietur Christo nato ex fœmina, de quo sexu liberator maculari non posset, & quem sexum creator commendare deberet *ibid: serm: 63. de consonantia Evangelistarum.*

Luc. 1. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur. Meruerat parere filium Altissimi, & erat humillima, nec se marito, nec in ordine nominis præferebat, ut diceret, ego & Pater tuus: sed pater tuus inquit & ego. Non attendit sui uteri dignitatem: sed attendit ordinem cunjugalem. Non enim humilis Christus Matrem suam superbire docuisset Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Pater tuus inquit, & ego: quia caput mulieris vir. Quanto minus debent superbire cæteræ fœminæ? nam & ipsa Maria mulier dicta est, non corrupta virginitate, sed appellatione propria gentis suæ. Dixit enim de Domino Jesu Christo & Apostolus, factum ex muliere: non tamen interrupit ordinem & textum fidei nostræ: quia confitemur tantum de Spiritu Sancto, & Virgine Maria. Illa enim virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit. Sed mulieres omnes fœminas illi appellaverunt, proprietate linguæ Hebrææ. Audi evidentissimum exemplum. Prima fœmina quam fecit Deus sumptam de latere viri, antequam cum viro concumberet, quod posteaquam de paradyso exierunt, scribitur factum, tamen mulier jam vocabatur dicente scriptura: Formavit eam in mulierem. *Et* Luc. 2. 51. *infra.* Et erat subditus illis. Non dixit, erat subditus Matri, aut erat subditus ei; sed erat inquit subditus illis. Quibus subditus erat? Nonne parentibus? Ambo parentes erant, quibus ille subditus erat: ea dignatione qua filius hominis erat. Jam dudum præcepta fœminæ accipiebant: nunc pueri accipiant, ut obsequantur parentibus, eisq; sint subditi. Christo mundus subditus, Christus parentibus subditus. *Ibidem.*

Christus propter nos non tantum homo sed & servus factus est.

Quod in cruce cognitam matrem dilecto discipulo commen- Io. 21 davit: congruenter tunc humanum affectum, quando ut homo moriebatur, attendit. Ista hora nondum venerat, quando aquam in vinum conversurus eidem Matri dixerat. Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Non enim de Maria sumpserat quod habebat in divinitate, sicut de Maria sumpserat quod pendebat in cruce. *Ibid: serm: 76. in Parasceve.*

Si falsa Mater, falsa caro, falsa mors, falsa vulnera passionis, falsæ cicatrices resurrectionis: non veritas credentes in eum, sed potius falsitas liberabit. *Et infra.* Ille singulariter natus de Patre sine Matre, de Matre sine Patre: sine Matre Deus, sine Patre homo, sine Matre ante tempora, sine Patre in fine temporum: quod respondit, Matri respondit, quia erat ibi Mater Jesu, & dixit ei Mater ejus. Hoc totum Evangelium loquitur. *Et infra.* Miraculum ergo exigebat Mater, at ille tanquam non agnoscit viscera humana, operaturus facta divina tanquam dicens: quod de me facit miraculum non tu genuisti: sed quia genuisti infirmitatem meam, tunc te agnoscam cum ipsa infirmitas pendebit in cruce: hoc est enim nondum venit hora mea. Tunc enim cognovit, qui utique semper noverat. Et antequam de illa natus esset in prædestinatione noverat Matrem, & antequam ipse Deus crearet, de qua ipse homo crearetur, noverat Matrem. Sed ad quandam horam in mysterio non Io. 2. agnoscit: & ad quandam horam, quæ nondum venerat in mysterio rursus agnoscit. Tunc enim agnovit quando illud quod peperit mo-

Maternitas Mariæ

rit moriebatur Non enim moriebatur per quod facta erat Maria, sed moriebatur, quod factum erat ex Maria. Non moriebatur æternitas divinitatis, sed moriebatur infirmitas carnis. *Et infra.* Mulier ecce filius tuus: & ad discipulum, Ecce mater tua Commendat matrem discipulo, commendat Matrem prior Matre moriturus, & ante Matris mortem resurrecturus. Commendat homo, homini hominem Hoc peperit Maria Illa hora jam venerat de qua tunc dixerat, nondum venit hora mea. *Ibid. Tract: 8. de c. 2.*

Maria unde mulier dicta. Num Maria iterum peperit? Absit Inde cæpit dignitas Virginum Illa fæmina mater esse potuit, mulier esse non potuit Dicta est autem mulier secundum fæmineum sexum, non secundum corruptionem integritatis: & ex hoc lingua ipsius scripturæ Nam & Eva statim facta de latere viri sui, nondum contacta à viro suo, nostis quia mulier appellata est: Et formavit eam in mulierem. Unde ergo fratres, cognati Mariæ, fratres Domini de quolibet gradu cognati: Unde probamus? Ex ipsa scriptura. Frater Abrahæ dictus est Lot qui filius erat patris ipsius. *Et infra.* Felix venter *Luca.XI. 17.* qui te portavit. Et ille: Imo felices qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, Hoc est dicere. Et mater mea quam appellastis felicem, inde felix quia verbum Dei custodivit Non quia in illa Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis, sed quia custodit ipsum verbum Dei per quod facta est, & quòd in illa caro factum est. Homines non gaudeant prole temporali, exultent si spiritu junguntur Deo *Ibid: Tr: 10. de cap: 2.*

Nativitas Christi duplex. Duæ nativitates Christi intelliguntur, una divina, altera humana: una per quam efficeremur, altera per quam reficeremur. ambæ mirabiles: illa sine Matre, ista sine Patre. *Et infra.* Eia fratres, Deus voluit esse filius hominis, & homines voluit esse filios Dei. Ipse defendit propter nos, nos ascendamus propter ipsum. *Tom. 9. in Evan: Ioannis Tract: 12. de cap 3.*

Consanguinei Virginis Mariæ, fratres Domini dicebantur. Erat enim consuetudinis scripturarum appellare fratres quoslibet consanguineos, & cognationis propinquos, & extra usum nostrum, non quo more nos loquimur: nam quis dicat fratres avunculum & filium sororis? Scriptura tamen etiam hujusmodi cognationis fratres appellat. Nam Abraham & Lot & Laban & Jacob fratres sunt dicti, cum esset Laban avunculus Jacob. Cum ergo auditis fratres Domini, Mariæ cogitate consanguinitatē, non iterum pari-*Unicus Mariæ partus.* entis ullam propaginem. Sicut enim in sepulchro, ubi positum est corpus Domini nec antea nec postea mortuus jacuit: sic uterus Mariæ nec antea, nec postea quidquam mortale concepit. *Tomo 9. in Ioan: Tract: 28. de cap: 7.*

Uterus Virginis thalamus. Ille ante solem qui fecit solem, ille ante luciferum, ante omnia sidera, ante omnes Angelos, verus Creatòr: quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, ut videretur oculis carneis, qui solem viderat, ipsum tabernaculum suum in sole posuit, idest carnem suam in manifestatione hujus lucis ostendit: & illius sponsi thalamus fuit uterus virginis, quia in illo utero virginali conjuncti sunt duo, sponsus & sponsa, sponsus verbum, & sponsa caro. *Tomo 9. in Epist: Ioan: Tract: 1. de cap: 1.*

Humilitas Christi exaltatio nostra. Natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine Ille Deus tantus, æqualis Patri, ex Virgine Maria, humilis unde sanaret superbos. Exaltavit se homo & cecidit: humiliavit se Deus & erexit. Humilitas Christi quid est? manum Deus homini jacenti porrexit. Nos cecidimus, ille descendit: nos jacebamus ille se inclinavit. Ascendamus & surgamus, ut non in pænam cadamus, Ergo inclina-

tio

tio ipsius hæc est. Natus est de Spiritu Sancto, ex Virgine Maria. Et ipsa humana nativitas, humilis & excelsa Unde humilis? quia homo natus ex hominibus. Unde excelsa. Quia de virgine Virgo concepit, virgo peperit, & post partum virgo permansit. *Tomo 9. lib: 1. de symb: ad cathechum cap: 3.*

Credimus in Filium ejus JESUM Christum natum de Spiritu Sancto ex Maria Virgine. Hanc nativitatem incredule quid expavescis? noli credere, si tantum homo erat qui natus est, si autem Deus homo erat de qua voluit natus est, quia sicut voluit natus est. Illud potius mirare quia Verbum suscepit carnem, nec est mutatum in carnem, quia manens Deus suscepit hominem. Cæterum quid miraris quia genitrix suum genuit genitorem, quia creavit creatura factorem: Sic voluit nasci excelsus humilis, ut in ipsa humilitate ostenderet majestatem. Portabat filium Mater intacta, mirabatur & ipsa in aspectu suæ prolis, quam amplexus non strinxerat maritalis? Sed incredule audi prædictum, cognosce impletum. David Propheta dicit. Mater Sion dicet homo, & homo factus est in ea: & ipse fundavit eam Altissimus. Ipse qui fundavit eam Altissimus ipse in ea factus est homo Altissimus: quia talem Matrem creavit Altissimus: quia sic se in eam formavit, ut procederet ex ejus utero, & filium ei redderet & integritatem non corrumperet Quæ est gratia Matris hujus & Virginis? Quæ est gratia hujus fæminæ, quæ virum nesciens filium portat? Quæ est gratia? Audite Gabrielem Angelum eam salutantem. Ave inquit gratiâ plena Dominus tecum Quando Angelus istam Virginem sic salutavit, tunc eam Spiritus Sanctus fæcundavit: tunc illa fæmina virum sine viro concepit, tunc est repleta gratia, tunc Dominum suscepit, ut esset in ea, qui fecerat eam. Neq; enim dilectissimi credendum est, quod illo jam præsente ac protegente poterat illi fæminæ dominari corruptio, in qua non erat ardoris libido: noverit tamen quem portavit Virgo, Mater noverit, stupor abscedat, fides accedat. Ecce quem portat nascitur: nondum loquitur & totum concutit mundum. *Et infra.* O munde immunde venit qui te redimat, & turbaris: & tunc te vis perdere, quando ille te disposuit libere? O Judæorum terra impia non congruis cælo: cælum demonstrat ut adoretur: tu quæris ut infans necetur. Ille tibi annuntiat Deum hominem suscepisse pro te, & tu vis perdere eum qui venit redimere te. Expecta paululum ad hoc quidem venit, ut tuam etiam pessimam impleat voluntatem: sed sustinet ut suam ipse colligat hæreditatem. Collige, collige redemptor, non glorietur dispersor. Vindica in eos qui te parvulum persequuntur, parvuli ipsorum pro te moriantur. Si ipsi in te crudeles existunt, parvuli ipsorum pro te moriantur. Vindica sic vindica. Insultent filij Parentibus nondum loquentes: convincant sævientes, infantes dicant testimonium de tua innocentia, quia non est in te ulla malitia, & ij qui te volunt innocentem occidi, hoc eis proveniat ut suos parvulos ab eis facias separari; lugeatis licet Judæi atq; plangatis filios vestros non illi moriuntur, quia à vita suscipiuntur: nobis irrogatur pæna orbitatis, cæterum illis gloria offertur immortalitatis. *Et infra.* Quid mihi & tibi inquit mulier? Nondum venit hora mea. Tanquam diceret: veniet hora quando id quod natum est de te, in cruce pendens agnoscat te, & discipulo dilecto commendet te. In hoc autem miraculo quid mihi & tibi? Non enim hoc processit ex te, sed in eo qui fecit te: non competit tibi, ut jubeas Deo, competit autem ut subdita sis Deo. Sed pia Mater quæ non aspere tulit admonitionem filij dicentis Quid

Ps. 86. 5.

Maiestas Christi in nativitate humilis.

Ingratitudo mundi

Cædes innocentum.

Tempora Deus observas.

mihi & tibi, videat in cæteris miraculis Deum operantem, quem intuebatur filium adolescentem, videat cæcorum illuminationem, leprosorum mundationem, claudorum cursus, surdorum auditus: & quod majus his omnibus, mortuorum resurrectionem. Sed adhuc agnoscat hæc Mater, & expavescat filij sui etiam juventutem. *Tom. 9. lib: 2. de symb: ad Cathebumenos cap: 5.* Io. 2.

Sepulchrum Christi cur novum?

Homo novus sine ulla corruptione ex Virgine procreatus, in monumento novo positus est, in quo nondum quisquam positus erat mortuus, ut sanctitas virginalis uteri, in omnibus ornaretur ex convenientia inviolabili sepulchri *Ibid. cap: 6.*

Inventio hominis in nativitate Christi.

Hæc Nativitas Dei & hominis facta est causa hominis: ut sublimis illa majestas procedens ex corde patris, infunderet se in utero Matris. Causa exegit pietatis ut homo inveniretur perditus, & Deo Patri per mediatorem restitueretur inventus. *Et infra.* Impletur uterus Matris sine ullo complexu Patris, sentit prolem, quæ se ignorat conjugem. Angelus ad Virginem loquitur, à virgine cor præparatur: Christus fide concipitur. Miraris hæc? Adhuc mirare. Parit Mater & Virgo, fœta & intacta: nascitur filius sine homine Patre, qui fecit & ipsam Matrem. Factor omnium, fit inter omnia: portatur manibus Matris rector totius orbis. Lambit ubera, regens sydera: tacet & verbum est. Necdum per linguam se demonstrabat quis esset, & universa creatura suum natum indicat creatorem. *T. 9. lib: 4. de symb: ad Cathechum cap: 4.*

Virginitatis laus.

Gaudete Virgines Sanctæ, Virgo peperit Christum: non vos contristet sterilitas, quarum fides magna est fœcunditas. Nec doleatis non vos esse matres, quæ spiritualiter generatis, virgines permanetis, filios suscipitis, integritatem non amittitis. Accepistis ab illo nomen maternum, & decus castitatis ut vobis permaneat sempiternum. Amate quod estis, servate quod accepistis. Imitamini fideles matrem capitis vestri, sponsi vestri: non vobis denegavit pignora, qui natus est de Virgine Maria. Quod tantæ Matri contulit, & in sua carne servavit: hoc etiam vobis donavit Virgo Mater, sancta caro Christi, ab omni contagione integra, sed nec ipsa caro ejus sterilis fuit, dum per eam prædicando spirituales filios regeneravit ad vitam, & post passionem per totum mundum fructificavit occisa. *Ibidem cap: 5.* Gen. 2. 17.

MARTYR.

Discerne causam meam de gente non sancta. Non dixit discerne pœnam meam. Potest enim esse impiorum similis pœna, sed dissimilis est martyrum causa: quorum & illa vox est: Injustè persecuti sunt me, adjuva me. Ideo se dignum existimavit, qui adjuvaretur justè, quia illi persequebantur injustè. *T. 2. epist. 50.*

Quæ est ista dementia, ut cùm malè vivitis, latronum facta faciatis: cum jure punimini, gloriam Martyrum acquiratis. *T. 2. epist: 166.*

Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus? quibus in passione Martyrii tanquam vasculis fractis, major eorum gloriæ fulgor emicuit, quæ impios Evangelicæ prædicationis inimicos, inopinata illis Christi claritate superavit. *T. 4. l. 7. in Iudic: quæst: 49.*

Legimus in Ecclesiastica historia, quam Græcè scripsit Eusebius, & in latinam linguam vertit Ruffinus, Martyrum corpora in Gallia canibus exposita, canumq; reliquias atque ossa mortuorum usq; adextremam consumptionem ignibus incremata, eosdemque cineres fluvio Rodano, nè quid ad memoriam qualemcunque relinque-

linqueretur, inspersos. Quod non ob aliud credendum est divinitus fuisse permissum, nisi ut discerent Christiani in confitendo Christum, dum contemnunt hanc vitam, multò magìs contemnere sepulturam. *Ibid: l: de cura pro mort: cap: 6.*

Hunc affectum martyres Christi pro veritate certantes vicerunt, nec mirum: quia contempserunt, quod non fuerant peracta morte sensuri, qui non potuerunt eis, quos viventes sentiebant cruciatibus vinci. *Ibid: cap: 8.* *Virtus major indicium minoris est.*

Dolor Dæmonum per eum [intelligit Trismegistum futuras Idolorum ruinas deplorantem) loquebatur, qui suas futuras pænas, apud Sanctorum Martyrum memorias, imminere mærebant, in multis enim talibus locis torquentur, & confitentur & de possessis corporibus hominum eijciuntur. *T. 5. de Civit: Dei cap. 26.* *Pænæ Martyrum tormenta dæmonum.*

Nec tamen nos eisdem Martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sanè memorias eorum, tanquam sanctorum hominum Dei, qui usq; ad mortem suorum corporum pro veritate certàrunt. Quis autem audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem, ad Altare etiam super sanctum corpus Martyris ad Dei honorem cultumq; constructum dicere in precibus: offero tibi sacrificium Petre vel Paule vel Cypriane, cùm apud eorum memorias offeratur Deo; qui eos & homines & Martyres fecit, & Sanctis suis Angelis cælesti honore sociavit: ut ea celebritate & Deo vero, de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atq; palmarum eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur. *Ibid: l: 8. cap: 27.* *De cultu Dei nihil detrahit qui colit Sanctos.*

Nunc vero majore & mirabiliore gratia Salvatoris in usus justitiæ, peccati pæna conversa est. Tunc enim dictum est homini, *Gen. 2. 17.* morieris si peccaveris. Nunc dicitur Martyri, morere nec pecces: quod tunc timendum fuerat, ut non peccaretur: nunc suscipiendum est nè peccetur. Sic per ineffabilē Dei misericordiam, & ipsa pæna vitiorum transit, in arma virtutis, & fit justi meritum etiam supplicium peccatoris. Tunc enim mors est acquisita peccando, nunc impletur justitia moriendo. Mortui sunt ergo illi, quia peccaverunt; non peccant isti qui moriuntur. Factum est per illorum culpam, ut veniretur in pænam, nè veniatur in culpam: nunc quia mors bonum aliquod facta est, quæ antea malum fuit, sed tantam Deus fidei gratiam præstitit, ut mors, quam vitæ constat esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transiretur in vitam. *Ibidem lib: 13: cap: 4.* *Supplicium peccatoris justè meritum.* *Mors instrumentum vitæ.*

Cum sit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato. Nam quicunq; etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur: tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantū si abluerentur sacro fonte baptismatis. Hinc est quod scriptum est; Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Quid enim pretiosius, quàm mors, per quam fit, ut etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur. *Ibid: lib: 13. cap: 6. & 7.*

Animæ victrices gloriosissimorum Martyrum, omnibus doloribus ac laboribus superatis atq; finitis, posteaquam mortalia membra posuerunt, cum Christo utiq; regnaverunt, & regnant, donec finiantur mille anni, ut postea etiam receptis corporibus jam immortalibus regnent. *Ibid: lib: 20. cap: 13.*

Nescio quomodo sic afficimur amore Martyrum Beatorum, ut velimus in illo Regno, in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ Christi nomine pertulerunt, & fortasse videbimus.

Martyrum vulnera dec⁹ corporis glori, est.

Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, & quædam quamvis in corpore non corporis sed virtutis pulchritudo fulgebit *Et infra.* Quamvis itaq; omnia quæ acciderunt corpori vitia, tunc non erunt: non sunt tamen deputanda, vel appellanda vitia virtutis indicia. *Ibidem cap: 20.*

Martyres meritis sunt qui colunt martyres.

Populus autem Christianus memorias martyrum, religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atq; orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli Martyrum; sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus, quamvis in memoriam Martyrum constituamus altaria. *Tomo 6. lib: 20. contra Faustum cap: 21.*

Mors martyrum æternæ vitæ demonstratio.

Ubi venit plenitudo corporis, ut novum testamentum revelaretur, evidenti testificatione jam demonstrandum erat esse aliam vitam, pro qua debet hæc vita contemni, & aliud Regnum pro quo oportet omnium terrenorum Regnorum adversitatem patientissimè sustineri. Proinde per quorum confessiones, passiones, & mortes hoc Deo placuit attestari, Martyres appellantur, qui latinè testes interpretantur: quorum numerus tantus effloruit, ut si eos Christus, qui de cælo Saulum vocavit, & ex lupo factum ovem in medium luporum misit, congregatos vellet armare atq; adjuvare pugnantes, sicut Hæbreos Patres adjuvit, quæ gentes resisterent, quæ regna non cederent? sed ut præclarissimum testimonium veritati perhiberetur, quâ jam docendum erat, non propter temporalem in hac vita, sed propter æternam post hanc vitam, felicitatem Deo esse serviendum, ea quæ vulgo infelicitas dicitur, pro illa felicitate subeunda fuerat & ferenda. Petri gladium revocat in vaginam: aurem inimici præcisam reparat ad pristinam formam: dicit se legionibus Angelorum imperare potuisse ad delendos inimicos, nisi calix bibendus esset, quem paterna voluntas dedisset. Bibit præcedens propinat sequentibus? virtutem patientiæ suo revelat præcepto, suo confirmat exemplo. *Ibid: l: 22 c. 76.*

In felicitate felicitas quærenda.

Christi Martyrem non facit pæna sed causa. *Tomo 7. lib: 3. con. Cresc: cap: 47.*

Si parva virtus esset fidei, quæ per dilectionem operatur, mortis metum vincere, non esset tanta Martyrum gloria, nec Dominus diceret: majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis. *T. 7. l: 2. de pecc: meritis & remiss. cap: 34.*

Crux facit veros Christi confessores.

Unde & latro ille non ante crucem, Domini sectator, sed in cruce confessor de quo nonnunquam præjudicium captatur, sive tentatur contra baptismatis sacramentum; à Cypriano Sancto inter Martyres computantur, qui suo sanguine baptizantur, quod plerisq; non baptizatis fervente persecutione provenit. Tanto namq; pondere appensum est, tantumq; valuit apud eum, qui hæc novit appendere, quod confessus est Dominum crucifixum, quantùm si fuisset pro Domino crucifixus. Tunc enim fides ejus de ligno floruit, quando discipulorum marcuit: nisi cujus mortis terrore marcuerat, ejus resurrectione reviresceret. Illi enim desperaverunt de moriente, ille speravit in commorientem. Refugerunt illi authorem vitæ, rogavit ille consortem pænæ. Doluerunt illi tanquam hominis mortem; credidit ille regnaturum esse post mortem. Deseruerunt illi sponsorem salutis, honoravit ille socium crucis. Inventa est in eo mensura Martyris, quia tunc in Christum credidit, quãdo defecerunt, qui futuri fuerant Martyres. Et hoc quidem oculis Domini clarum fuit, qui non baptizato tanquam Martyrii sanguine abluto, tantam felicitatem statim contulit. Sed etiam nostrum quis non consideret? quanta fide, quanta spe, quantâ charitate

Devoti ad Crucifixum Martyres.

tate

tate mortem pro Christo vivente suscipere potuit, qui vitam in moriente quæsivit. Huc accedit, quia non incredibiliter dicitur latronem, qui tunc credidit juxta Dominum crucifixum, aquâ illâ quæ de vulnere lateris ejus emicuit, tanquam sacratissimo baptismo fuisse perfusum. Ut omittam quod eum antequam damnaretur baptizatum non fuisse, quoniam nemo nostrum novit, nemo convincit. *T. 7. l: 1. de anima cap*: 9.

Latro bonus a qua lateris Christi baptizatus.

Ps 3.6. Non timebo millia populi circumdantis me: circumvallantium scilicet gentium ad extinguendum nomen si possent ubicunq; Christianum. Sed quomodo timerentur cum tanquam oleo sanguine Martyrum in Christo ardor charitatis inflammaretur *In ps*: 3.

Sãguine Martyrum tanquã oleo charitas in Christũ inflammatur.

1. Cor. 3 13. Uniuscujusque opus quale sit ignis probabit. Ignis tribulationis & tentationis. Inventi sunt Martyres qui haberent ista sæcularia quàm multi divites & senatores passi sunt. Ædificabant tamen quidam coram ligna, fænum stipulam in affectionibus carnalibus, & sæcularium curarum. Sed tamen quia Christum fundamentum habebant super quod ædificabant, arsit fænum & ipsi remanserunt in fundamento. *Præfat: in Enar: 2. psal*: 29.

Sed quoniam multi hic patiuntur, & pro peccatis & pro sceleribus suis, magnâ vigilantiâ discernenda est causa non pæna, sceleratus enim potest habere Martyris similem pænam, sed tamen dissimilem causam. Tres erant in cruce. Unus Salvator, alter salvandus, alius damnandus: omnium par pæna, sed impar causa. *Con*: *2. in psal*: 34.

Martyrem nõ pœna sed causa facit.

Itaq; Martyres non facit pæna sed causa. Nam si pæna Martyres faceret, omnia metalla martyribus plena essent, omnes catenæ martyres traherent, omnes qui gladio feriuntur coronarentur. *Et infra*. Nam multi habentes bonam causam faciunt persecutionem, & habentes malam causam patiuntur persecutionem. Pater bonus & justus nonne persequitur filium luxuriosum? Medicus qui ad salutem adhibetur, nonne ferro plerumq; armatur? sed contra vulnus non contra hominem. Secat ut sanet. Lethargici excitantur, phrenetici ligantur, sed tamen utriq; amantur. Nemo ergo dicat persecutionem patior: non ventilet pænam sed probet causam, ne si causam non probaverit, numeretur cum iniquis. *Ibidem*.

Quid eis fecerunt (loquitur de Martyribus) tentationes sævivientium? majorem violentiam habuerunt oculi flentium suorum quàm persecutiones insectantium. Quàm multos enim tenebant filij nè paterentur. Quam multorum genibus provolvebantur uxores nè viduæ relinquerentur? facta sunt ista. Sed lacrymæ quantælibet & quantolibet impetu fluerent, quomodo ardore charitatis extinguerent. *In psal*. 47.

Ps 43. 10. Non egredieris Deus in virtutibus nostris. Quid est non egredieris? Non apparebis. Certe enim quando catenati Martyres ducebantur, quando includebantur in carcere, quando ludibrio habendi producebantur, quando bestiis subigebantur ferro, quando igne cremabantur: nonne contemnebãtur tanquam deserti tanquã sine adjutore? Quomodo Deus operabatur intus? quomodo intus consolabatur? quomodo eis dulcem faciebat spem vitæ æternæ? quomodo non deserebat corda eorum ubi homo habitat in silentio bene si bonus, male si malus. *Et infra*. Si enim bellare vellet Ecclesia & gladio uti videretur pro vita præsenti pugnare, quia vero contemnebat vitam præsentem, ideo factus est acervus testimonij de vita futura. *Et infra*. Da nobis auxilium de tribulatione, & vana salus hominis. In Deo faciemus virtutem & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros. Non faciemus virtutem in gladio non

Inter tormenta Martyrum solatia.

Ps 59. 14.

in equis, non in loricis, non in scutis non in potentatu exercitus, non foris. Sed ubi? Intus ubi latemus. Ubi intus? In Deo faciemus virtutem: & quasi abjecti, & quasi conculcati, quasi nullius momenti homines erimus, sed ipse ad nihilum deducet inimicos nostros. Deniq; factum est hoc. Conculcati sunt Martyres: patiendo, perferendo, usque in finem perseverando, in Deo fecerunt virtutem. Fecit & ipse quod sequitur: ad nihilum deducet inimicos nostros ubi sunt modo inimici Martyrum, nisi forte quia modo eos ebriosi calicibus persequuntur, quos tunc furiosi lapidibus persequebantur. *In psal: 59.*

Multi Martyres talia passi sunt, sed nihil sic elucet quomodo caput Martyrum. Ibi melius intuemur quod illi experti sunt. *Tomo 8. ibidem.*

Posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam. In custodiam pomorum quod dictum est, desertionem intelligendam existimo, quam fecit vastitas persecutionum, id est velut custodiam pomorum: quia deseruntur pomorum custodiæ cum poma transierint. Et ecce quando gentilibus persequentibus Ecclesia deserta visa est, in cælestem mensam spiritus Martyrum tanquam de horto dominico, multa & suavissima poma transierunt. *In psal: 78.* *Ps. 78. 1.*

Et ego primogenitum ponam eum excelsum apud Reges terræ. Martyres nostri quorum natalitia celebramus, sanguinem suum propter hæc credita & nondum visa fuderunt. Quantò fortiores nos esse debemus videndo, per quod illi crediderunt. Excelsum enim apud Reges terræ illi nondum viderunt Christum, adhuc principes conveniebant in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus. *Con: 2 in ps: 88.* *Ps. 88. 18.*

Crudelitas tyranni ut spiritus Martyrũ coronaretur fecit.

Dominus regnavit irascantur populi. Quid fecerunt annuntiatoribus verbi veritatis, nubibus Christum circumeuntibus orbem terrarum & compluentibus agnum Dei? Quid illis fecerunt, qui irascebantur: nisi ut inter manus eorum caro affligeretur, & in manibus Christi spiritus coronaretur. Nec ipsa caro quam persecutores occidere potuerunt ita mortua est ut in æternum interiret: habebit enim tempus suum quo resurgat & ipsa, quia resurrectionem carnis jam ostendit Dominus in seipso. Inde illum voluit à nobis accipere ut de nostra possemus non desperare. *In ps: 98.* *98. 1.*

Etiam in conspectu hominum pretiosa mor Martyrũ

Ecce non solum in conspectu Domini, verùm etiam in conspectu hominum jam pretiosa mors Sanctorum ejus. Ecce non solum non contemnuntur, verum etiam magnis honoribus præferuntur Martyres ejus. *T. 8. Con: in ps: 118.*

Deus cæli ac terræ Martyres sunt.

Purpurata est universa terra sanguine Martyrum, floret cælum coronis Martyrum, ornatæ sunt Ecclesiæ memoriis Martyrum, insignita sunt tempora natalibus Martyrum, crebrescunt Martyrum meritis sanitates. Unde hoc nisi quia impletum est quod prædictum est de homine isto toto terrarum orbe diffuso: multi persequentes me & tribulantes me. A testimoniis tuis non declinavi. Agnoscimus & gratias agimus Domino Deo nostro. *Con: 30. in psal: 118.*

Judicia tua adjuvabunt me. Et quis non videat quantum adjuverit Ecclesiam sanguis Ecclesiæ, quanta ex illa semente seges toto orbe surrexerit. *Con: 32. in ps: 118.*

Mors & resurrectio Christi animat fideles ad mortem.

Nolite timere eos qui occidunt corpus. Nolite inquit timere mortem? Mortem timetis? Prior morior. Ne vel capillus vester pereat formidatis? prius integer in carne resurgo. Merito audistis verba ejus quoniam prævaluerunt. Ducebantur & occidebantur, cadebant & stabant. Et quid est factum? de tot mortibus *Matt. 10 18.*

Marty-

Martyrum, nisi ut ipsa verba prævalerent, & tanquam irrigata terra sanguine testium Christi, pullularet ubiq; seges Ecclesiæ. *Et infra.* Quid est crassitudo terræ dirupta est super terram? Novimus crassitudinem terræ contemptibilia terræ esse. Quæ sunt quasi contemptibilia hominibus fæcundant terram. Nam dictum est & in quodam psalmo jacuisse mortes sanctorum, & non fuit qui sepeliret. Sed illæ omnes mortes factæ sunt crassitudo terræ. Quomodo acci-
Ps. 115 pit terra quandam pinguedinem de rebus contemptibilibus & ab-
5. jectis, sic ex eo quod contempsit hic mundus accepit crassitudinem terræ ut inde seges Ecclesiæ feracius pullularet. *Et infra.* Pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Sicut contemptibilis est sæculo ita pretiosa est agricolæ. Novit enim ibi utilitatem & uberem succum, & quid affectet & quid eligat, unde seges fertilis surgat: sed contemnit eam iste mundus. Nescitis quia contemptibilia mundi eligit Deus, & ea quæ non sunt tanquam quæ sint, ut ea quæ sunt evacuentur? De stercore erectus Petrus & Paulus: & cum occiderentur contemnebantur. Modo jam saginatâ inde terrâ, exurgente segete Ecclesiæ, ecce quod est nobile & præcipuum in mundo imperans venit Romam. Quo festinat? Ad templum Imperatoris an ad memoriam piscatoris. *Expos: psal*: 140.

Martyres Ecclesiæ terram fæcundant.

Martyrum in terris gloria.

Injuria est pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari. Certavit enim contra peccatum usque ad sanguinem. *T. 10. serm: de verb: Ap: serm: 17 de justificatione. &c.*

Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Attende animo tot Martyrum millia. Cur enim te natalitia eorum conviviis turpi-
1 Cor. 4 bus celebrare delectat, & eorum vitam sequi honestis moribus
16. non delectat? ubi videbis non solùm viros, sed etiam fæminas, postremo pueros, & puellas, nec impudentia decipi, nec iniquitate perverti, nec periculi timore frangi, nec seculi amore corrumpi. Ita te non invenientem quid excuses, non solum præceptorum inevitabilis rectitudo, sed etiam exemplorum innumerabilis multitudo circumdabit. *Tomo 10. 50. Homil: Homil: 5 De utilitate ac necessitate pænitentiæ.*

Imitatio Sanctorum maximus illorum honor.

In fornacem missi sunt Sancti, fugiunt flammæ, cedunt ignes, incendia expavescunt. *Et infra.* Licet Sanctis cum igne jocari, quibus cum hominibus non licuit commorari. Licuit in fornace Deum venerari, quem apud homines non licuit honorari. Licet flammarum mereri obsequia, quia non meruerant Chaldæorum supplicia. Licet ignibus conservari illæsos, quos tyrannus dederat exurendos. Licet in pæna esse securos, quos extra pænam non licuit esse intactos: ut ubi interitus, ibi salus: ubi supplicia, ibi invenirentur refrigeria. Accipe hostis à suppliciis exemplum, qui humanitatis perdidisti consilium. *Et infra.* Damnant hostes, & absolvunt ignes. Chaldæi adjiciunt, & pænæ defendunt. Homines sæviunt & supplicia venerantur. *Tomo 10. sermonum de Temp: ser: 240. Dnica 21. post festum S. Trinitatis serm. 1.*

Pœnæ in præmia vertuntur

Tunc pro nobis absq; ulla dubitatione sancti Martyres intercedunt, quando in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscunt. *Ibid: serm: 244. Dnica 22. post idem festum serm: 3.*

Imitari sanctos est mereri intercessionem.

Occiduntur pro Christo parvuli, pro justitia moritur innocentia. Quam beata ætas, quæ necdum Christum potest loqui, & jam pro Christo meretur occidi? Nondum opportuna vulneri, & jam idonea passioni! Quàm feliciter nati, quibus in primo nascendi lumine æterna vita obviam venit. Incurrunt quidem inter ipsa primordia acceptæ lucis periculum, & finem salutis, sed de ipso protinus fine, capiunt principia æternitatis. Immaturi quidem videntur

dentur ad mortem, sed feliciter moriuntur ad vitam. Vix dum gustaverant præsentem, statim transeunt ad futuram. Nondum ingressi in facie cunas, & jam perveniunt ad coronas. Rapiuntur quidem à complexibus Matrum, sed redduntur gremiis Angelorum. *T. 10. serm: de san: serm: 9. de san: Innocentibus serm: 2.*

In suppliciis Sanctorum Deus medicus. Fovebat laceros artus medica Dei manus, & venustiori pristinæ sanctitatis augmento, fossi lateris damna supplebat. Insolita igitur hujus luminis claritate perculsi, obstupuere custodes: quin & vocem Angelis hymnum Deo concinentibus mens pallidi janitoris expavit *Ib. ser: 13: in festo S. Vincentii Mart: ser: 2.*

Nunquid Sancti Martyres perierunt, quando securitatem à Domino, etiam de capillo acceperunt. Perit manus, ubi non perit pilus, perit caput, ubi non perit capillus? Ubi non perit palpebra, perit oculus? Hac ergo accepta magna securitate, impenderunt seipsos. *Ibid. ser: 45. in festo plurium Mart: serm: 1.*

Absq; injuria Sanctorum in persecutionibus defunctorum dicere liceat carnem afflixisse, libidinem superasse avaritiæ restitisse, de mundo triumphasse, pars magna martyrii est. *Ib ser: 2.*

Confessoris enim mors non est, sed hæreditas vitæ. Martyrium est igitur indulgentia criminum, virtutum caput, occasio justitiæ, dominicæ passionis imitatio. O felicissimi Martyres, renuntiantes seculo, maluerunt meliora novissima quam prima; Quorum deniqs consummatio, justum initium facit. *Ibidem serm: 49. in eodem festo serm. 5.*

Avarus Martyr. Avarus dicit in corde suo, qui forte non audet lingua sua. Quis nos separabit à cupiditate auri? Tribulatio, an angustia, an persecutio? Possunt & avari dicere auro, propter te occidimur tota die. Optimè ergo dicunt Sancti Martyres in psalmo: Judica me Deus & discerne causam meam de gente non sancta, discerne, inquit, tribulationem meam, tribulantur & avari: Discerne angustias meas, patiuntur angustias & avari: Discerne persecutiones meas, patiuntur & auari. Discerne famam meam, pro auro acquirendo esuriunt & avari. Discerne nuditatem meam, pro auro dispoliantur & avari. Discerne mortem meam, pro auro moriuntur & avari. Quid est discerne causam meam: Propter te mortificamur tota die. Illi propter aurum, nos propter te. Similes pænæ, sed discreta causa. *Et infra* Si ergo causam intuemur, solennitates Martyrum amamus. Amamus in eis non passiones, sed causas passionum. Nam si amaremus passiones, multos inventuri sumus, qui pejora patiuntur in causis malis. Sed si causam attendamus, crucem Christi attendite. Ibi erat Christus, ubi & latrones, similis pæna, sed dissimilis causa. Unus latro credidit, alius blasphemavit. Dominus tanquam de tribunali inter ambos judicavit. Illum qui blasphemavit, in tartarum damnavit, alium in paradyso secum constituit. Quare hoc? Quia etsi æqualis pæna, sed impar erat causa. Eligite ergo Martyrum causas, si vultis pervenire ad martyrum palmas, *Ibidem serm: 50. in eodem serm: 6.*

Rom. 8. 39. *Ps. 42. 11.* *In martyribus causa tormentorum, non tormenta spectāda sunt.*

Causa discernit martyrem à patientia, imo à duritia sceleratorum, par est pæna, sed dispar est causa. *Et infra* Qui gloriatur in Domino glorietur. Si enim diabolicus & seductor spiritus plerumque implet & fallaces vates, & falsos martyres suos, ut tormenta corporis, vel ipsi sibi ingerant, vel ingesta contemnant: quid magnum est Domino Deo nostro ad confirmandam prædicationem nominis sui, ipsorum prædicatorum, carnem quidem in manus persequentium tradere, mentem vero in arcem libertatis assumere: ut etiam dum illa patitur iniquitatem, hæc asserat veritatem, scilicet

2. Cor. 10. *Martyres mūdi qui & diaboli.*

licet ut victores non tolerantia faciat, sed justitia, quoniam Martyres discernit causa non pæna. Multi enim dolores toleraverunt, pertinacia, non constantia, vitio, non virtute; pravo errore, non recta ratione, diabolo possidente, non persequente. *Et infra.* Quæ gaudia erunt in virtute regnantium quando tanta sunt pro veritate morientium? Quid erit cum corporis in corruptione fons vitæ, quando ros ejus inter tormenta tam dulcis est? Et quid faciet impiis æterna flamma, quos ita vastat irati cordis insania? Quid passuri sunt, cum judicabuntur, qui jam cum judicantur, cruciantur? *Tomo.* 10. *ser: decem & septem ser:* 8. *&* 9. *in natali B. Vincentii.*

Præludia bona vel mala æternitatis.

Cum Galerius maximus decretum ex libello recitasset: in Cyprianum gladio adnimadverti placet; respondet ille Deo gratias. *Ibid: serm:* 12. *in natali B. Cypriani.*

Deo gratias.

Potes ferire habitaculum, nunquid habitatorem? fugit percusso vinculo colligatus, & erit in occulto coronatus. Quid ergo minaris, qui animæ nihil facere potes. *Et infra.* Caro mea subjacet potestati, sed etiam capilli capitis mei numerati sunt creatori. Quid timeo ne carnem perdam, qui nec capillum perdo? Quomodo non attendit carnem meam, cui sic nota sunt vilia mea? *Ibid. serm:* 13.

Furores hominum minus periculi creant innocentibus.

Non solum omnes fideles, qui in bona vita exierunt de corpore, sed soli martyres: unus dies passionis martyrum, si computetur millia hominum inveniuntur coronatorum. *Tomo* 10 *serm de diver: serm:* 5. *de duabus piscationibus.*

Strata est via prius spinosa, & pedibus Apostolorum contrita, facta lenior secuturis: quasi semine sanguinis impleta est martyribus, & de illo semine seges surrexit Ecclesiæ. Plus asseruerunt Christum mortui, quam vivi. Hodie accesserunt, hodie prædicant, tacet lingua, sonant facta. Tenebantur, ligabantur, illudebantur, producebantur, torquebantur, urebantur, lapidabantur, percutiebantur, bestiis subigebantur, in omnibus suis mortibus quasi viles irridebantur: sed pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Tunc in conspectu Domini tantum pretiosa, modo & in conspectu nostro. Tunc enim quando opprobrium erat esse Christianum, vilis erat mors Sanctorum in conspectu hominum: detestabantur, execrationi habebantur: pro maledicto hæc illis objiciebantur. Sic moriaris, sic crucifigaris, sic incendaris. Modo ista maledicta quis fidelis non optat? *Et infra.* Multi ergo ducunt martyrium, in lecto prorsus multi. Est quædam persecutio Sathanæ occultior, & astutior, quam tunc fuit. Tacet fidelis in lecto, torquetur doloribus, orat, exauditur: imo non exauditur, sed probatur, sed exercetur, sed ut recipiatur filius, flagellatur. *Ibidem serm:* 39. *in Natali SS. Protasij & Gervasij.*

Fructus Martyrii.

Martyrium in lecto.

O parvuli beati, modo nati, nunquam tentati: nondum luctati jam coronati. *Et infra.* Non habebatis quidem ætatem, qua in Christum passurum crederetis: sed habeatis quidem carnem, in qua pro Christo passuro passionem sustinetis. *T.* 10. *parte* 2. *serm. de diversis ser:* 66. *de Epiphania.*

Sancti innocentes morte sua Christum crucifigendum prædicavêre.

Rom 8. 36. Propter te mortificamur tota die. Propterea martyrem non facit pæna sed causa. Quando Dominus passus est, tres cruces causa discrevit inter duos latrones crucifixus erat, hinc & inde facinorosi confixi, in medio ipse. Et tanquam illud tribunal esset, insultantem damnavit, confitentem coronavit. Quid faciet judicaturus, si hoc potuit judicatus? Jam ergo discernebat cruces. Jam si pæna interrogaretur: similis erat Christus latronibus. Sed si interroget quis crucem, quare crucifixus est Christus? respondet nobis, pro-

pter nos. Dicant ergo illi, & martyres, & nos mortui sumus propter te: ipse propter nos, nos autem propter illum. Sed ipse propter nos ut conferret nobis beneficium: nos autem propter illum, non ad impertiendum illi beneficium. Proinde nobis in utroque consultum est & quod manat ex illo, venit ad nos: & quod fit propter illum, redit ad nos. Ipse est enim de quo dicit anima quæ lætatur in Domino. Dixi Domino, Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges. Quid est enim bonorum meorum? Nisi à te datorum? Et quomodo eget aliquo bono, à quo datur omne bonum. *Ibid: ser: 100. in natali SS. Fabiani & Sebastiani.*

Martyres Christi pro nomine & justitia Christi utrumq; vicerunt: nec mori, nec dolere timuerunt. Vicit in eis qui vixit in eis: ut qui non sibi, sed illi vixerunt, ne mortui morerentur. Ipse eis exhibebat spirituales delicias, ne sentirent corporales molestias, quantum non defectioni, sed exercitationi sufficeret. *Et infra.* Veniet retributionis dies, ubi corporibus redditis, totus homo recipiat quod meretur. Ubi & illius divitis membra, quæ quondam temporali purpura decorabantur, æterno igne torreantur, & caro pauperis ulcerosi mutata, inter Angelos fulgeat, quamvis etiam nunc ille guttam ex digito pauperis apud inferos sitiat, & ille in sinu justi deliciosè requiescat. Sicut enim plurimum distat inter lætitias, miseriasve, somniantium, & vigilantium: ita multum interest inter tormenta vel gaudia mortuorum, & resurgentium: non quod spiritus defunctorum sicut dormientium necesse sit falli, sed quod alia est animarum sine ullis corporibus requies, alia cum corporibus cælestibus claritas & felicitas Angelorum, quibus æquabitur resurgentium multitudo fidelium: in qua gloriosissimi Martyres præcipua sui honoris luce fulgebunt, ipsa corpora in quibus indigna tormenta perpessi sunt, eis digna in ornamenta vertentur. *Et infra.* Non parva pars imitationis est, meliorum congaudere virtutibus. Illi magni, nos parvi: Sed benedixit Dominus pusillos cum magnis. Præcesserunt, præminuerunt. Si eos sequi non valemus actu, sequamur affectu. Si non gloriâ, certè lætitiâ. Si non meritis, votis: Si non passione, compassione. Si non excellentia, connexione. *Et infra.* Fructus laboris illorum etiam nos sumus. Miramur eos, miserantur nos. Gratulemur eis, precantur pro nobis. *Ib: 103. de natali SS. Perpetuæ & Felicitatis.*

Dies judicii, dies mercedis.

Membrorum Martyrum gloria.

Ille fecit fæminas viriliter, & fideliter mori: qui pro eis dignatus est de fæmina misericorditer nasci. *T. 10. eorundem serm: 104. de eodem.*

Inde Martyres magni, quia dulcedinem hujus mundi calcaverunt, inde martyres magni, quia amaræ mortis asperitatem durissimam pertulerunt. Nam si facile est mortem ferre, quid magnum martyres pro Domini morte pertulêre? Unde magni, unde excelsi, unde cæteris hominibus multo florentius coronati? Unde quod norunt fideles, distincti à defunctis, loco suo martyres recitantur, nec pro eis oratur, sed eorum orationibus Ecclesia commendatur. *Et infra.* Deniq; per illam mortis asperitatem, arietibus transeuntibus secutæ sunt oves, arietes ovium Sancti Apostoli, aspera via mortis, spinis plena. Sed istæ spinæ petra & Petro transeunte petreis pedibus tritæ sunt. Non reprehendimus, non accusamus, etiamsi vita ista ametur. Sic tamen vita ista ametur, ne in ejus amore peccetur. Ametur vita, sed eligatur vita. *Ibidem serm: 107. de festo SS. Apostolorum Petri & Pauli.*

Martyres à nobis quid quærunt? minus habent, si adhuc laudes hominum quærunt? si adhuc laudes hominum quærunt, non-

dum

dum vicerunt. Si autem vicerunt, à nobis propter se nihil quærunt, sed propter nos ipsos quærunt. Dirigatur ergo via nostra in conspectu Domini. Arcta erat, spinosa erat, dura erat: talibus tamque multis lenis facta est. Transit ipse prior Dominus, transierunt Apostoli intrepidi, postea martyres pueri, mulieres, puellæ. Sed quis in eis? Ille qui dixit, sine me nihil potestis facere. *Ibidem ser: 108 de eodem.*

Præivit Christus Sanctis, Sancti nobis præeunt.

Fuit Mater septem Martyrum septies martyr: à filiis non separata spectando, & filiis addita moriendo. *Ibid.*

Sanguine martyrum impletus orbis, præjactis seminibus seges Ecclesiæ pullulavit. Unde hoc homini: nisi salus justorum à Domino? *Et infra.* Ubi homo sæviebat, flamma parcebat. *Ibid; ser: 110. de iisdem.*

Propter Martyres floret Ecclesia.

Carthaginensem Ecclesiam vivens gubernavit, moriens honoravit. Ibi episcopatum gessit, ibi martyrium consummavit. In eo quippe loco ubi posuit carnis exuvias, sæva tunc multitudo convenerat, quæ propter odium Christi, sanguinem funderet Cypriani: ibi hodie venerans multitudo concurrit, quæ propter natalem Cypriani bibit sanguinem Christi. Et tanto dulcius in illo loco propter natalem Cypriani, sanguis bibitur Christi, quantò devotius ibi propter nomen Christi sanguis fusus est Cypriani. *Ibidem serm: 113. de festo S. Cypriani Mart.*

Adfuit omnino fidelissimo testi suo usq; ad mortem pro veritate certanti, fecit quod exoratus fuerat, eruit animam ejus ab impio, frameam suam ab inimicis manus suæ. Cujus victricis animæ sanctam carnem tanquam illius frameæ vaginam, hoc loco sublimitate divini altaris ornamus: eidem ipsi animæ triumphali resurrectione reddendam, & nulla deinceps morte puniendam. *Ibidem Serm: 114. de eodem.*

Caro Vagina animæ.

Non eos mundus illisit, non eos terror fregit, non tormenta vicerunt, non blanditiæ deceperunt. Corpora ipsa sua habebunt magna ornamenta, in quibus passi sunt magna tormenta. *Ibidem serm. 117. de S. Martyr.*

Beati Laurentij Martyrium illustre est: sed Romæ non hic. Tantam enim video vestram paucitatem. Quàm non potest abscondi Roma, tam non potest abscondi Laurentij corona. *Et infra.* Gloria coronatus est. Beneficia ejus Romæ tam clara sunt, ut numerari omnino non possint. Iste est de quo dixit Christus, qui perdiderit animam suam propter me, salvabit eam. Salvabit eam per fidem, salvabit per contemptum mundi, salvabit per martyrium. Quanta est gloria ejus apud Deum, dum tanta est laus ejus apud homines. Sequamur vestigia ejus fide, sequamur & contemptum mundi. *Ibid: serm: 123 de S. Laurentio Mart.*

Gloria S. Laurentii ex Martyrio.

Martyrem Dei non facit pœna sed causa. Justitia enim nostrâ, non cruciatibus delectatur Deus. Nec quæritur in omnipotentis veracisq; judicio, quod quisq; patiatur, sed quare patiatur. Ut cruce Dominica nos signemus, non fecit hoc Domini pœna sed causa: nam si pœna hoc fecisset, hoc & latronum similis pœna valuisset. *Ibid serm: 4 in Natali SS Casti & Amilii Martyrum.*

Vitæ innocentiâ non cruciatibus Martyrum delectatur Deus.

Pro aliis fidelibus defunctis oratur, pro martyribus non oratur: tam enim perfecti exierunt, ut non sint suscepti nostri, sed advocati. *Ibidem.*

Omnia pro Christo victa sunt ab invictis Martyribus. Victus est promittens mundus, victus est sæviens mundus. Non tenuit voluptas, non terruit cruciatus. Aurum in fornace purgatum ignem gehennæ non timet. *T. 10. ser: Nov: ser: 27. in Natali unius Mart.*

In hoc Martyres flagraverunt. Invisibilium enim amore succensi, visibilia contempserunt. Quid amavit in se, qui contempsit & se, ne perderet se? Templa enim Dei erant, & Deum verum in se habitare sentiebant, ideo Deos falsos non colebant. *Et infra.* Qui amat inquit animam suam perdet eam. Jussit, qui novit quid jubeat, quia scit consulere, qui potuit instruere, & novit reparare, qui dignatus est creare. Qui amat, perdit. Luctuosa res est perdere quod amas. Sed interdum & agricola perdit quod seminat. Profert, spargit, abjicit, obruit. Quid miraris? Iste contemptor & perditor, avarus est messor. *Ibid: ser: 29. in Natali plurium Mart.*

Iactura corporis lucem dat animæ.

Christus pro nobis passus est relinquens nobis exemplum ut sequamur vestigia ejus. Hoc est talia præparare. Hoc beati Martyres ardenti dilectione fecerunt: quorum si non inaniter memorias celebramus, atq; in convivio quo & ipsi saturati sunt ad mensam Domini accedimus, oportet ut quemadmodum ipsi, & nos talia præparemus. Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos commemoravimus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus; quia impleverunt ipsi charitatem, quâ Dominus dixit non posse esse majorem. Talia enim suis fratribus exhibuerunt, qualia de Domini mensa pariter acceperunt. Neque hoc ita dictum est, quasi propterea Domino Christo pares esse possimus: Si pro illo usque ad sanguinem Martyrium duxerimus. Ille potestatem habuit ponendi animam suam & iterum sumendi eam: nos autem nec quantum volumus vivimus, & morimur etiamsi nolumus. Ille moriens mox in se occidit mortem, nos ejus morte liberamur à morte. Illius caro non vidit corruptionem in fine sæculi per illum induet incorruptionem. Ille nobis non indiguit ut nos salvos faceret: nos sine illo nihil possumus facere. Ille se nobis palmitibus præbuit vitem, nos habere præter illum non possumus vitam. Postremo etsi fratres pro fratribus moriamur, tamen in fraternorum peccatorum remissionem, nullius sanguis Martyris funditur, quod fecit ille pro nobis: neq; in hoc quod imitaremur, sed quid gratulemur contulit nobis. *Tomo 9. in Evan: Ioan: Tract: 84. de cap: 15.*

Imitatio SS. Martyrum. — *1. Pet. 2. 2.* — *Io. 10. 18.*

Martyrium aliena non deles peccata.

Non potestis me sequi modo. Unde? primus enim Petrus, qui hoc jam se posse præsumpserat, aliud expertus est, quàm putabat, & tamen postea & viri & mulieres, pueri & puellæ, juvenes & virgines, seniores cum junioribus innumerabiles, martyrio coronati sunt, & posse inventæ sunt oves quod tunc quando ista Dominus loquebatur, nondum poterant portare pastores. *Et infra.* Quis vestrum audeat idoneum martyrio se putare: cui Petrus idoneus nondum fuerat, quando eum os ad os ipse Dominus instruebat. *T. 9. Ioan - Tract: 96. de cap: 16.*

Forte aliqui fratrum nesciunt, qui græcè non norunt, quid sint testes græcè, & usitatum nomen est, & religiosum: quos enim testes latinè dicimus, græcè Martyres sunt. *Et infra.* Deus testes habere voluit homines, ut & homines habeant testem Deum. *Tomo 9. in Epist: Ioan: Tarct: 1. de cap: 1.*

Martyres testes sunt.

MENDACIUM.

HIc homines fallunt atq; falluntur, miserioresq; sunt cum mentiendo fallunt, quàm cum mentientibus credendo, falluntur. Usque adeo tamen rationalis natura refugit falsitatem, & quãtùm potest devitat errorem, ut falli nolint, etiam quicunq; amant fallere. *T. 3. Enchirid c. 17.*

Omnis

Omnis qui mentitur, contra id quod animo sentit, loquitur, voluntate fallendi. Nec ideo ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo, possumus enim & furando aliquando alicui prodesse. Peccatum ergo est sed veniale, quod benevolentia excusat, & ideo fallacia damnat. *Ibidem cap: 22.*

Cui saltem manifestum est, falsitatem esse, quia id putatur esse quod non est, intelligit eam esse veritatem, quæ ostendit id quod est. *Tom 1. lib: de vera Relig: c. 36.*

Exceptis jocis quæ nunquam sunt putata mendacia (habent enim evidentissimam ex pronuntiatione atq; ipso jocantis affectu, significationem) exceptis ergo jocis, priùs agendum est nè mentiri existimetur, qui non mentitur. Non enim omnis qui falsum dicit, mentitur, si credit aut opinatur verum esse quod dicit. *Tomo 4. de mendac: cap: 2 & 3.* *Non omnis falsitas est mendacium.*

Enuntiationem falsam cum voluntate ad fallendum prolatam, manifestum est esse mendacium. *ibidem c. 4.* *Quid sit mendacium.*

Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui lo-
Psal. 5. 7. quuntur mendacium. Tantò pejus est mendacium, quantò gravius positum est; perdes quem odisti, fortè enim odit aliquem Deus aliquantò mitiùs, ut eum non perdat. Quem verò perdit, tantò vehementiùs odit, quantò severiùs punit. Odit autem omnes qui operantur iniquitatem; at omnes qui loquuntur mendacium etiam perdet. *Ibidem cap: 6.* *Pœna mendacis perditio.*

Os quod mentitur, occidit animam, quomodo non perversis-
Sap. 1. 11. simè dicitur: ut alter corporaliter vivat, debere alterum spiritualiter mori? Nam & ipsa dilectio proximi, ex sua cujusque dilectione terminum accipit. Diliges inquit proximum tanquam te ipsum. Quomodo ergo quisq; diligit tanquam se ipsum, cui ut præstet vi-
Matt. 5. 19. tam temporalem, ipse amittit æternam? quandoquidem si pro illius temporali vita, suam ipsam temporalem perdit, non est jam diligere sicut se ipsum, sed plusquam se ipsum. Quod sanè doctrinæ regulam excedit. Multò minùs igitur æternam suam pro alterius temporali mentiendo amissurus est. *Ibid: c. 6.* *Mendacium mors.*

Qui stomachantur & indignantur, si nolit aliquis mendacio perimere animam suam, ut alius senescat in carne: quid si etiam furto nostro? quid si adulterio liberari possit aliquis de morte: ideonè furandum est aut mæchandum. *T. 4. l: de mend: c. 6.* *Morte majus ex mendacio damnum.*

Quamobrem aut non est credendum bonis, aut credendum est eis, quos credimus debere aliquando mentiri. Horum trium, primum perniciosum est, secundum stultum. Restat ergo ut nunquam mentiantur boni. *Ibidem cap: 9.*

Quoniam nemo dubitat meliorem esse animum corpore, integritati corporis integritas animi præponenda est, quæ in æternum servari potest. Quis autem dixerit integrum animum esse mentientis? *Ibidem cap: 7.* *Non est integer mentientis animus.*

Nemo potest convincere aliquando esse mentiendum, nisi qui potuerit ostendere æternum aliquod bonum obtineri posse mendacio. Sed cum tantò quisq; ab æternitate discedat, quantò à veritate discordat: qui autem mentitur, à veritate discedit, absurdissimum est dicere discedendo inde, posse ad boni aliquid aliquem pervenire. Aut si est bonum aliquod æternum, quod non complectatur veritas, non erit verum: & ideo nec bonum erit, quia falsum erit. Ut autem manus corpori, ita etiam veritas ipsi animo præponenda est: ut eam non solùm magìs quàm corpus, sed etiam magìs, quàm se ipsum appetat animus. Ita quippe erit integri- *Nihil bonum nisi quod æternum.*

or & castior, cum ejus potiùs immutabilitate, quàm sua mobilitate perfruetur. *Ibidem cap:* 7.

Veritas fortitudinis indicium.

Quantò ergo fortiùs, quantò excellentiùs dices, nec prodam, nec mentiar. Fecit hoc Episcopus quondam Tagastensis Ecclesiæ, Firmus nomine, firmior volũtate. Nam cum ab eo quæreretur homo, jussu Imperatoris per apparitores ab eo missos, quem ad se confugientem, diligentiâ, quantâ poterat, occultabat, respondit quærentibus, nec mentiri se posse, nec hominem prodere, passusque multa tormenta corporis (nondum enim erant Imperatores Christiani) permansit in sententia, deinde ad Imperatorem ductus, usq; adeo mirabilis apparuit, ut ipsi homini, quem servavit, indulgentiam sine ulla difficultate impetraret. Quid hoc fieri potest fortiùs, aut constantius? *Ibidem cap:* 13.

Diversa genera mendaciorum unde fusè descripta. *Tom.* 4. *Ibidem cap:* 14.

Maximum scelus est, in pietatis doctrina mendacium.

Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucri facerem. Non enim mentiendo sed compatiendo fecisse rectè intelligitur. Non est igitur mentiendum in doctrina pietatis, magnum enim scelus est, & primum genus detestabilis mendacii. *Ibid: cap:* 21. *1. Cor. 9. 21.*

Etiam maxima bona corrumpit mendacium.

Ad sempiternam salutem nullus ducendus est opitulante mendacio. Non enim malis convertentium moribus, aliquis ad bonos mores convertendus est. *Ibidem. cap:* 21.

Quod in ore est, sit in corde.

Qui loquitur veritatem in corde suo: tanquam hoc satis sit ad justitiam etiamsi loquatur quisq; in ore mendacium. Quæ sententia sanctos Martyres exhonorat, imò verò aufert sancta omninò Martyria, justius enim sapientiùsque facerent secundum istos, si persecutoribus suis non se confiterentur esse Christianos, nec eos sua cofessione facerent homicidas: sed potiùs mentiendo & negando, quod erant, & ipsi salvum haberent carnis commodum, cordisque propositum, & illos conceptum animo scelus implere non sinerent. *Ibidem cap:* 2. *Ps. 14. 3.*

Si hoc quisque mentiatur, quodsi quis crediderit, adversus doctrinam Christi, hæreticus erit, tantò est nocentior mentiens, quantò miserior credens. *Ibidem cap:* 3.

Nec maximè boni gratiâ, licet mendacium.

Veritate sunt cavenda, veritate capienda, veritate occidenda mendacia. Et si aliter omninò non posset educi (loquitur inferius) de cavernis suis hæretica Impietas, nisi à tramite veritatis lingua catholica deviaret, tolerabiliùs illa occultaretur, quàm ista præcipitaretur. Tolerabiliùs in suis foveis delitescerent vulpes, quàm propter illas capiendas in blasphemiæ foveam caderent venatores. Nam si propterea ista sunt blasphema mendacia, quia hoc animo fiunt, ut occulti hæretici detegantur, poterunt isto modo, si eodem animo fiant casta esse adulteria. *Ibid: cap:* 6. & 7.

Non autem hoc est occultare veritatem, quod est proferre mendacium. Quamvis enim omnis qui mentitur, velit celare quod verum est, non tamen omnis qui vult, quod verum est celare, mentitur. Plerumq; enim vera non mentiendo occultamus, sed tacendo; neq; enim mentitus est Dominus, ubi ait: multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modò, vera tacuit, non falsa locutus est, quibus veris audiendis, eò minùs idoneos indicavit. *Et infra.* Non est ergo mendacium, cum silendo absconditur verum, sed cum loquendo promitur falsum. *Ibidem cap:* 10.

Quid sit mēdacium.

Mendacium est quippe falsa significatio cum voluntate fallendi. Non est autem falsa significatio, ubi etsi aliud ex alio significatur, verum est tamen quod significatur, si rectè intelligatur. Sunt quædam ejusmodi etiam salvatoris in Evangelio, quia & ipse Dominus

Mar. 5. 31. minus Prophetarum, Propheta esse dignatus est. Talia sunt illa, ubi de muliere, quæ fluxum sanguinis patiebatur, ait: Quis me tetigit? & de Lazaro, ubi posuistis eum? sic quippe interrogavit quasi ne- Jo. 11. sciens, quod utiq; sciebat, ut aliquid aliud illa velut ignorantia sua significaret: quæ significatio, quoniam verax erat, mendacium profectò non erat. Eos namq; significabant, sive illa fluxum sanguinis patiens, sive ille mortuus quatridianus, quos etiam qui cuncta sciebat, quodammodo nesciebat. *Ibid: cap: 12 & 13.*

Nunquam mẽdacium est, si dixeris id quod intelligis.

Ps. 118. Ea quæ contra legem Dei fiunt, justa esse non possunt: dictum est autem Deo: lex tua veritas, ac per hoc quod est contra veritatem, justum esse non potest. Quis autem dubitet contra veritatem esse mendacium omne? nullum ergo justum esse potest mendacium. *Ibidem cap: 15.*

Nullum mendacium justum.

Multum fatendum est propinquare justitiæ, & quamvis re ipsa nondum, jam tamen spe atq; indole animum esse laudandum, qui nunquam nisi hac intentione mentitur, quia vult prodesse alicui, nocere autem nemini. *Ibidem cap: 16.*

Absurdissimum est & stultissimum credere, quod veritas nos doceat esse mendaces; quale est enim ut esse adulterandum nemo discat à castitate, Deum offendendum nemo discat à pietate, cuiquam nocendum nemo discat à benignitate, & esse mentiendum discamus à veritate? Porro si hoc non docet veritas, non est verum, non est discendum; si non est discendum, nunquam est igitur mentiendum. *Ibidem cap: 19.*

Aut ergo cavenda mendacia rectè agendo, aut confitenda sunt pœnitendo: Non autem cùm abundent, infeliciter vivendo, augenda sunt & docendo. *Ibid: cap: 21.*

Rectè agendo caventur mendacia.

Mathematici volentes actus nostros corporibus cœlestibus subdere, & nos vendere stellis, ipsumq; pretium, quo vendimur, à nobis accipere: *Et infra.* Cùm multa eos vera prædixisse dicatur, ideo fit, quia non tenent homines memoriâ falsitates, erroresque eorum: sed non intenti nisi in ea quæ illorum responsis provenerunt, ea quæ non provenerunt, obliviscuntur, *vide ibi plura egregia. T. 4. lib. 83. quæst: quæst: 45.*

Redde retributionem eorum ipsis, quia pro veritate quam audiebant voluerunt fallaciam retribuere. Fallacia ipsorum ipsos fallat. *Tomo 8. in psal: 27.*

Fallacia sua mendaces falli.

Ps. 30. 3. Odisti observantes vanitatem supervacue. Quis observat vanitatem? qui timendo mori moritur. Timendo enim mori mentitur, & moriatur ante quam moriatur, qui ideo mentiebatur ut viveret, mentiri vis ne moriaris & mentiris & morieris: & cum vitas unam mortem quam differre poteris auferre non poteris, incidis in duas: ut prius in anima postea in corpore moriaris *Con: 1 in ps: 30.*

Mendacium duplex mors.

Ps. 61. 60. Mendaces filij hominum in stateris. Falso examine fallitis intuentes: nescitis alium esse qui attendit alium qui de pondere judicat? Non videt cui tu appendis sed videt qui te & ipsum appendit. *In psal: 61.*

Ps. 113. 11. Deus solus verax omnis autem homo mendax: Non tibi dicitur in hac sententia, vade securus mentire quia homo es: imo vide te hominem quia mendax es: & ut sis verax bibe veritatem, ut de Deo ructes ut sis verax. Quia de tuo illum non potes bibere, restat ut inde illum bibas unde fluit. Quomodo si alias recesseris in tenebris es, quomodo lapis non de se fervet, sed vel à sole vel ab igne, si eum colori subtraxeris frigescit, ubi apparet quia quod fovebat non erat ipsius, sed fervebat vel à sole vel ab igne: sic & tu si à Deo recesseris, frigesces: si ad Deum accesseris ferve-

fervesces: sicut dicit Apostolus spiritu ferventes. Item de luce quid dicit? si ad eum accesseris in lumine eris: Ideo psalmus dicit. Accedite ad eum & illuminamini, & vultus vestri non erubescent. *In psal*: 91.

Mendacium interficit animam. Os quod mentitur occidit animam. Attende, non est leve, quod audisti. Os quod mentitur occidit animam. Quid mihi facit inimicus iste potens, qui me premit, quia misareris me, & miseret conditionis in me, & non vis me esse in malo, cum velis me esse malum? Quid mihi facit potens iste, quid premit? carnem, corpus dicis premit, ego dico perimit. Quando mitius agit ille, quàm ego si mentitus fuero? Occidit carnem meam, ego occido animam meam. *Tomo* 10. *serm: nov: serm*: 33. *de eo quod commonemur à scandalis mundi cavere*. *Sap.* 1. 11.

MERITUM.

Merita nostra munera Dei sunt. QUisquis tibi enumerat vera merita sua quid tibi enumerat? nisi munera tua? o si cognoscant se omnes homines, & qui gloriantur in Domino glorientur. *T.* 1. *lib*: 9. *confess*: *c.* 13.

Quod est ergo meritum hominis ante gratiam? cum omne bonum meritum nostrum, non in nobis faciat, nisi gratia, & cum Deus coronat merita, nihil aliud coronet, quàm munera sua: sicut enim ab initio fidei misericodiam consecuti sumus, non quia fideles eramus, sed ut essemus: sic in fine quod erit in vita æterna coronabit nos [sicut scriptum est] in miseratione & misericordia. Non itaq; frustra cantantur: misericordia ejus præveniet me, & misericordia ejus subsequetur me *Ibid*: *ep*: 105.

Meritorum terminus mors. Quocirca hîc omne meritum comparatur, quo post hanc vitam possit revelari quispiam, vel gravari: Nemo autem se speret, quod hic neglexit, cum objerit apud Deum promereri. *Tomo* 4. *lib*: *de octo Dulcitiis quæst*: *quæst*: 2.

Noverimus non ex bonis singulis inter se homines comparare, sed in uno quoq; consideremus universa: Sic profectò melior est conjugatus fidelissimus & obedientissimus Deo, quàm continens minoris fidei, minorisq; obedientiæ: si verò paria sunt cætera, continentem conjugato præferre quis ambigat? *Tomo* 5. *lib*: 13 *de Civitate Dei cap*: 36.

Quis dignè eloqui possit, quàm sit mentis execrabilior fæditas, pænas exhorrescere meritorum, & merita non cavere pænarum. *Tomo* 6. *lib*: 1. *con*: *Adver*: *Legis cap*: 24.

Sic ergo curramus ut comprehendamus, omnes enim qui rectè currunt, comprehendent, non sicut in agone theatrico, omnes quidem currunt, sed unus accipit palmam. Curramus credendo, sperando, desiderando, curramus corpus castigando, & eleemosynas in dandis bonis malisq, ignoscendis, hilariter ex corde faciendo, & currentium vires ut adjuventur orando, & sic audiamus præcepta perfectionis, nè currere negligamus ad plenitudinem charitatis. *T.* 7. *lib*: *de perfect*: *just*: *cap*: 8. *1. Cor.* 9. 24.

Nihil à nobis Deus exigit quod non prius dederit. Quod sibi Deus dari indicit ipse prius donat qui indicit. Vos tantum devoti estote. Non exigit Deus quod non dedit & omnibus dedit quod exigit. Et post multa præclara Ara tua conscientia tua, immola Deo sacrificium laudis. Securi sumus non imus in Arabiam thus quærere, non sarcinas avari negotiatoris excutimus: sacrificium laudis quærit à nobis Deus. O sacrificium gratuitum, gratia datum. Non quidem hoc emi quod offerrem, sed tu donasti: nam nec hoc haberem. *In psal*: 49. *Ps.* 49. 14.

Victi

Ps. 123. 1. Victi sunt cum blandirentur, vincantur & cum minantur. Sed vincuntur. Quomodo nisi quia Dominus erat in nobis? Manifestum est quia non vicisti tu, sed vicit ille qui est in te. Imperatorem talem portas & vinceris? Nonne ille est quem portas qui dixit. Io. 16. 33. Ego vici sæculum. Nonne prior moriens vicit diabolum? cum semper esset super omnem creaturam, qui Verbum Deus est apud Deum. Quare vicit nisi ut doceret te cum diabolo dimicare? Et tamen jam doctus es, nisi in te sit ille qui prior tibi vicit, vinceris. *Expos: psal: 123.* *Christus omnibus ad victoriam præivit*

Quid boni meruimus peccatores? Quid boni meruimus iniqui? Ex Adam, Adam, & super Adam multa peccata nascuntur. Quisquis nascitur, Adam nascitur: damnatus de damnato, & addidit male vivendo super Adam. Quid ergo boni meruit super Adam? Et tamen misericors amavit & sponsus dilexit non pulchram, sed ut faceret pulchram Ergo gratiam Dei dixit rorem Hermon. Sed Hermon quid sit nosse debetis. Mons est quidam longe disjunctus ab Hierusalem, id est à Sion. Itaq; mirum est quod sic ait. Sicut ros Hermon qui descendit super montem Sion. *Enar: in psal. 132.*

Merita carcerem faciunt, nam in uno quodam habitaculo alteri domus est, alteri carcer est. Illi qui custodiunt homines inclusos, & si in domo sua custodiant, illi qui arctius custodiuntur in carcere sunt: nunquid & illi in carcere esse dicendi sunt? unum habitaculum & illi est, & illi. Alteri fecit domum libertas, alteri carcerem servitus. Quibusdam ergo visum est, quod spelunca & carcer mundus iste sit. Et hoc orat Ecclesia, ut de carcere educatur: id est de hoc mundo, de sub sole, ubi omnia vanitas Dicitur enim omnia vanitas, & præsumptio spiritus in omni tempore hominis quo ipse laborat sub sole. *Enar: in psal: 141.* *Non locus sed merita carcerem faciunt.* *Mundus spelunca & carcer est.*

Quod facitis, quantum bonum sit, nondum videtis: quia & rusticanus quando seminat segetem, non videt, sed terræ credit. Tu Deo quare non credis? veniet messis nostra. Puta quia modo laborantes agimus, laborantes operantur recepturi sicut scriptum est, Ps. 125. 7. Euntes ibant, & flebant jactantes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. *Tomo: 10 serm: de verb: Dom: serm: 24. de illo qui vos spernit, me spernit &c* *Merces merenti à Deo debetur non videri.*

Cum Deus coronat merita sua, nihil coronat nisi dona sua. *Tom: 10 50. Homil: Homil: 14. de illo Evangelii capillus de capite vestro non peribit.*

Nemo se circumveniat fratres charissimi, nullus homo sibi sollummodo vivat: & sicut frequenter suggessi, quantoscunq; aliquis exemplo sanctæ vitæ ædificaverit, cum tantis, & pro tantis mercedem beatæ vitæ & retributionis accipiet: & quantiscunq; exemplum malæ conversationis, etiamsi non eum illi sequantur præbuerit, pro tantis se malis, rationem noverit redditurum. *Tom: 10 serm: de Temp: serm: 163 Dnica in Octavis Paschæ serm: 7.*

Phil. 3. 14. Sequor ad palmam supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu. Ambulandum ergo est, nec pedes ungendi, nec jumenta quærenda, nec navis providenda. Affectu curre amore ambula, charitate ascende. Quid quæris? Viam Inhære Christo, qui descendendo, & ascendendo seipsum fecit viam Vis ascendere? Ascendentem terræ. Tu enim per te ipsum levare te non potes. *Ibid: serm: 234. Dnica 18. post festum S. Trinitatis.*

Dominus noster Jesus Christus fratres, jubet nobis aliquid, & promittit nobis aliquid. Quod jubet hic est, quod promittit alibi est Quod jubet finitur, quia temporale est: quod promittit non finitur, quia æternum est. Quid jubet, opus est: quod promittit

merces est. Hinc advertat vestra sanctitas, quanta est ejus misericordia erga nos, ut laborem hic posuerit cum fine, mercedem in cælo sine fine. *Et infra.* Sed forte avidus es ad mercedem, & piger ad laborem. Qua fronte postulas quod promisit Deus, si non facis quod jussit Deus? prius audi monitiones, & sic exigere repromissiones. Prius inquam audi jubentem, & tunc exige pollicentem. *T. 10. ser: de Sanct: ser: 4. in festo S. Stephani ser: 4.* Matt. 5. 9.

Euntes ibant & flebant mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Quo euntes, & unde venientes? Quid seminantes in lacrymis? Quæ sunt semina? qui manipuli? euntes in mortem, venientes à morte. Euntes nascendo, venientes resurgendo. Seminantes opera bona, metentes mercedem æternam. *Ib. ser: 45. in festis plurium Mart: ser: 1.* Ps. 125. 7.

Serve nequam & piger, quare non dedisti pecuniam nummulariis, & ego veniens cum usuris eam exigerem: Et mihi quid proderit, quia nihil perdidi ex eo quod accepi; Parum est Domino meo, avarus est: sed avaritia Dei salus nostra est. Avarus est, nummos suos quærit, imaginem suam colligit. Dares inquit pecuniam nummulariis, & ego veniens cum usuris exigerem? *Tomo 10. serm: nov: serm: 15. de 5. porticibus.* Luc 19. 13.

Tempus vitæ, tempus est meriti. Aliud est tempus operationis, aliud receptionis: reddet enim Dominus unicuiq; secundum opera sua. Dum vivis fac, si facturus es: erit enim tunc nox valida quæ involvat impios, sed & modo omnis infidelis, quando moritur illa nocte suscipitur, & non est ut illis aliquid operetur. In illa nocte dives ardebat, & stillam aquæ de digito pauperis requirebat. Dolebat, angebatur, fatebatur, nec ei subveniebatur, & conatus est benefacere. *Et infra.* O infelix quando vivebas, tunc erat tempus operandi: modo jam in nocte es, in qua nemo, possit operari. *Tomo 9. in Ioan: Tract: 44. de cap: 9.*

MILES.

Sufficiat nobis stipendium vestrum: quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare utiq; non prohibuit. *Vide ibi plura præclara. Tomo 2. epist: 5.*

Nemo ideo malus quia militat. Noli existimare neminem Deo placere posse, qui in armis bellicis militat, in his erat Sanctus David, cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium, in his plurimi illius temporis justi: In his erat & ille centurio: qui Domino dixit; Non sum dignus ut intres sub tectum meum: In his erat & ille Cornelius, ad quem missus Angelus dixit: Corneli acceptæ sunt Eleemosynæ tuæ. Et Joannes Domini præcursor, non utiq; sub armis militare prohibuit, quibus suum stipendium sufficere debere præcepit. *T. 2. ep: 205.*

Fides etiam hosti servanda. Hoc ergo primum cogita, quando armaris ad pugnam, quod virtus tua etiam ipsa corporalis, donum Dei sit. Sic enim cogitabis de dono Dei, non facere contra Deum, fides enim quando promittitur, etiam hosti servanda est, contra quem bellum geritur, quantò magis amico, pro quo pugnatur? Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas, ut liberet Deus à necessitate, & conservet in pace. Itaq; hostem pugnantem necessitas perimat, non voluntas. Sicut rebellanti & resistenti violentia redditur; ita victo vel capto misericordia jam debetur, maximè in quo pacis perturbatio non timetur. Ornet mores tuos pudicitia conjugalis, ornet sobrietas & frugalitas, valde enim turpe est, ut quem non vincit homo, vincat libido, & obruatur vino, qui non vincitur ferro. *Ibidem.*

Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur. Magni quidem sunt

Matt. 5. 9. sunt & habent gloriam suam, non solùm fortissimi, sed etiam quod verioris genus est laudis, fidelissimi bellatores, quorum laboribus, atq; periculis Dei protegentis atq; opitulantis auxilio, hostis indomitus vincitur, & quies Reip: pacatisque Provinciis comparatur. Sed majoris est gloriæ, ipsa bella verbo occidere, quàm homines ferro, & acquirere vel obtinere pacem, pace non bello: Nam & hi qui pugnant si boni sunt, proculdubiò pacem sed tamen per sanguinem qværunt. Tu autem nè cujusquam sanguis quæreretur es missus. Est itaque aliis illa necessitas, tibi ista felicitas. *Ibid:* 263.

MISER

QUid miserius misero, non miserente se ipsum, non flente mortem suam, quæ flebat non amando te, Deus lumen cordis mei, & panis oris intùs animæ meæ, & virtus maritans mentem meam, & sinum cogitationis mentis meæ *Tom:* 1. *lib:* 1. *confess: cap:* 13. *Peccatum mors.*

Miser est omnis animus vinctus amicitiâ rerum mortalium, & dilaniatur, cùm eas amittit, & tunc sentit miseriam, quâ miser est, & antequam amittat eas. *Ibidem lib:* 4. *cap:* 6. *Amor terrenorum carnifex.*

Si quis dixerit, non esse, quam miserum me esse, mallem. Respondebo, mentiris. Nam & tunc miser es, nec ob aliud mori non vis, nisi ut sis, volens enim es, & invitus miser es. *Tom:* 1. *lib:* 3. *de liber: arbitr: cap:* 6.

Quorum mentibus ratio inest, aut miseros esse aut beatos esse necesse est. *Tomo* 5. *lib:* 9. *de Civitate Dei cap:* 12.

Donatus est homo sibi, quia deseruit Deum placendo sibi, & non obediens Deo non potuit obedire nec sibi. Hinc evidentior miseria est, quâ homo non vivit, ut vult. Nam si ut vellet viveret, beatum se putaret: sed nec sic tamen esset, si turpiter viveret. *Ibid: lib:* 1. 4. *cap:* 24. *Inobediens Deo sui ipsius mancipium.*

Iniquitas partis adversæ justa bella ingerit, gerenda sapienti. Quæ iniquitas utiq; homini est dolenda; quia hominum est, etsi nulla bellandi necessitas nasceretur. Hæc itaq; mala tam magna, tam horrenda, tam sæva, quisquis cum dolore considerat, miseriam necesse est fateatur. Quisquis autem vel patitur, ea sine animi dolore vel cogitat, multò utiq; miseriùs ideo se putat beatum, quia & humanum perdidit sensum. *Ibid: lib:* 19. *cap:* 7.

Ecce circumstat sensus tuos miseria generis humani, Homo es, humani nihil abs te alienum puta, & in iis quæ non pateris, compatere patientibus. Quamvis & ipse quantalibet terrena felicitate polleas, nullum sine bello intestino diem ducis, si tamen quod profiteris, implere conaris. *Tom:* 7. *l:* 4. *con: Iulian. cap:* 16. *Patientibus compassionem debemus.*

Nemo sub Deo justo miser esse nisi mereatur potest. *Ibidem lib:* 1. *imperfect: con: Iulian: cap:* 38.

Quotusquisque est qui intelligat infelicitatem hominis cujus cor jam cæcum est? Tollantur illi oculi corporis, omnes homines miserum dicunt. Perdat oculos mentis, sed tamen circumfluat omnia temporalia, felicem appellant: sed qui similiter oculos mentis perdiderunt. *Con:* 2. *in psal:* 68.

Ps. 72. 6. Circumamicti sunt impietate & iniquitate sua. Non dixit tecti, sed circumamicti undiq; cooperti impietate sua. Merito miseri, nec vident nec videntur quia circumamicti sunt, nec videntur interiora eorum. Nam quisquis malorum hominum quasi felicium, secundum tempus interiora conspiceret, quisquis eorum videret truces conscientias, quisquis animas eorum posset inspicere diverberari tantis perturbationibus cupiditatum & timorum: videret illos miseros & quando felices vocantur. *In ps:* 72. *Peccatores felices miseri sunt.*

Tota iſta miſeria generis humani in qua gemit mundus. Noveritis fratres quia dolor medicinalis eſt, non ſententia pænalis videtis quia dolor ubique, ubique metus, ubique neceſſitas, ubiq; labores. Creſcit avaritia ſed in malis Si ad hoc Deus hic talibus flagellis erudit nos, ut non tenebrentur tenebræ noſtræ, agnoſcamus nos ſub pæna flagelli eſſe & benedicamus Deum miſcentem jam amaritudines dulcedini noſtræ vitæ temporalis: nè temporalium deliciarum delectatione cæcati non deſideremus delicias æternas, nec velimus finire mare & habitare in noviſſimo maris. *Expoſ: pſal: 138.*

Calamitates, medicinales.

Miſer ego homo, miſer ego, ideo miſer, quia ego, miſer ego homo, & quia ego, & quia homo. *Tom: 10. Homil: 11. de diver: ſerm: 3. in illud uſque nunc nihil petiſtis.*

Humana eruditio miſera.

MISERICORDIA.

VÆ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remotâ miſericordiâ diſcutias eam Quia verò non exquiris delicta vehementer, fiducialiter ſperamus aliquem locum invenire indulgentiæ. *Tom: 1. lib: 19. Conſ: cap: 13.*

Et tota ſpes mea non niſi in magna miſericordia tua: Da quod jubes, & jube quod vis; continentiam jubes, da quod jubes, & jube quod vis. *Ibidem lib: 10. cap: 26.*

Ego capior miſerabiliter, tu Deus evellis miſericorditer *Ib: c: 34.*

Non relinquit miſericordia tua miſeriam noſtram, & dixiſti: Fiat lux & diſplicuerunt tenebræ noſtræ, & converſi ſumus ad te, & facta eſt Dei lux. *Ibidem lib: 13. cap: 12.* *Gen. 1.*

Superexaltat autem miſericordia judicium, non dictum eſt, vincit miſericordia judicium, non enim adverſa eſt judicio, ſed ſuperexaltat, quia plures per miſericordiam colliguntur, ſed qui miſericordiam præſtiterunt. Beati enim miſericordes &c. Ineſt quippe Deo & miſericordia judicanti, & judicium miſeranti, propter quod ei dicitur: miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine. *Tom: 2. Epiſt: 29.* *Iac. 2. 13.*

Miſericors Deus miſerentibus.

Quid ergo non miſericorditer præſtatur hominibus à Domino Deo, à quo etiam tribulatio beneficium eſt? Nam res proſpera donum eſt conſolantis, res autem adverſa donum eſt admonentis Dei. *Tom: 2. epiſt: 87.*

Tribulatio beneficium.

Qui miſericordiâ Dei & gratiâ ſe à peccatis abſtinuerit, quæ etiam crimina vocantur merebitur hinc exire ſine peccato, quamvis cùm hîc viveret, habuerit nonnulla peccata: quia ſicut iſta non defuerunt, ita etiam remedia, quibus purgarentur, affuerunt. *Ibidem Epiſt: 89.*

Qui vitiis nutriendis parcit, & fovet, nè contriſtet peccantium voluntatem, tam non eſt miſericors, quàm qui non vult cultrum rapere puero, nè audiat plorantem, & non timet nè vulneratum doleat vel extinctum. *Ibidem.*

Melius judicavit Deus de malis benefacere, quàm mala nulla eſſe permittere, & ſiquidem in melius hominum reformationem nullam prorſus eſſe voluiſſet, ſicut impiorum nulla eſt Angelorum Nonne meritò fieret, ut natura quæ Deum deſervit, univerſa in æternum deſereretur ab eo, planè ita faceret, ſi tantum juſtus, non etiam miſericors eſſet; ſuamq; indebitam miſericordiam multò evidentiùs in indignorum potiùs liberatione monſtraret. *T. 3. En: c: 27.*

Non volentis neq; currentis, ſed miſerentis eſt Dei; Tanquam diceretur; Non ſufficit ſola voluntas hominis, ſi non ſit etiam miſericordia *Rom. 9. 10.*

fericordia Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam. & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam. *Ibid: c: 32.*

Opera misericordiæ nihil prosunt, sive paganis, sive Judæis, qui Christo non credunt, sive quibuscunq; Hæreticis & Schismaticis, ubi fides & dilectio, & sobria sanctificatio non invenitur. *Intellige Augustinum dicere nihil prodesse per modum meriti de condigno. Tom: 3 lib: 12. de Trinit: cap: 7.* *Opera hominis sine amore mortua.*

Multò misericordiùs operatur erga animas infirmorum, qui bonæ famæ servorum Dei consulit, quàm erga corpora egentium, qui panem esurientibus frangit. Quapropter utinam isti qui vacare volent manibus, omninò vacarent & linguis. *Tom: 3. lib: de oper: Mon: cap: 22.* *Spiritualis misericordia præstat corporali.*

Bona est misericordia sed non debet esse contra judicium. Judicium sanè illud appellat scriptura quod justum est. *Tom: 4. lib: 2. quæst: in Exod: quæst: 88.*

Non ait miserebor, talibus vel talibus, sed cui misericors fuero; ut neminem præcedentibus bonis operibus suis misericordiam tantæ vocationis meruisse demonstraret. *Tom: 4. lib: 2. quæst: in Exod: quæst: 154.*

Quid est misericordia, nisi alienæ miseriæ quædam in nostro corde compassio, quâ utique si possimus, subvenire compellimur. *Tom: 5 lib: 9. de Civit: Dei cap: 5.* *Quid sit misericordia.*

Et cui magna ista Dei misericordia necessaria est, nisi magnæ humanæ miseriæ, quæ ignorantiâ tantâ premitur, ut facile istorum [intellige dæmonum) simulatione fallatur. *T. 5. l: 19. Civit: Dei c: 9.*

Tantum valet præpollens misericordia, & potestas tua, & veritas baptismi tui, clavesq; Regni cælorum in Sancta Ecclesia tua, ut nec de istis desperandum sit, [loquitur de hæreticis) quamdiu in hac terra per tuam patientiam vivunt &c. Si ad tuam ineffabilem bonitatem, saltim increpati tuis correptionibus fugiant, & ab omnibus carnalis vitæ illecebris cælestem vitam æternamque præponant. *Tom. 6. lib: de natura Boni: cap: 48.* *Nemini desperandum.*

Luc. 21 Peccatum quod in te alter admisit, dimittere, ut & tibi tuum
61. Deus dimittat magnum opus misericordiæ est. *Tom: 7. lib: 2. con: Epist: Parmen: cap: 10.* *Offensam proximo dimittere magna misericordia est.*

Respexit eum Dominus. Intùs actum est, in mente actum est, in voluntate actum est. Misericordiâ Dominus latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore gratia sua visitavit Petrum, interioris hominis usque ad exterioris lacrymas movit & produxit affectum. Ecce quemadmodum Deus adjuvando adest voluntatibus, & actionibus nostris. Ecce quemadmodum & velle & operari operatur in nobis. Quid in eo pelago vult mergi Pelagius, unde per Petram liberatus est Petrus. *T. 7. l: 1. con: Pelag: de graa: c. 45.*

Secundum misericordiam tuam memor esto mei Deus. Memor
Ps. 24. esto quidem mei non secundum iram qua ego dignus sum, sed se-
10. cundum misericordiam tuam, quæ te digna est. *Et infra.* Universæ viæ Domini misericordia & veritas. Quas vias docebit eos nisi misericordiam qua placabilis, & veritatem qua incorruptus est. *Et infra.* Et deinceps [intellige homo) cavet examinantis sententiam qui clementiam subvenientis expertus est. *In psal: 24.*

Inclina ad me aurem tuam. Fecit hoc Deus quando ipsum
Ps. 16. Christum ad nos misit. Illum ad nos misit qui inclinato capite di-
6. gito scribebat in terra, quando ei adultera mulier offerebatur punienda. Ille autem inclinaverat se ad terram, id est Deus ad hominem, cui dictum est. Terra es & in terram ibis. *Et infra eleganter.* Inclinat aurem suam ad nos Deus misericordiam deponens super nos.

Quæ major misericordia quam ut unicum filium suum daret nobis, non vivere nobiscum sed mori pro nobis *T. 8. con: 1. in ps: 30.*

Causa nostræ salutis sola Dei misericordia. Salvum me fac in tua misericordia. Non quia ego sum dignus: sed quia tu misericors es. Noli me audire secundum judiciariam severitatem, sed secundum misericordissimam bonitatem. *Tom: 8. Con: 3. in psal: 30.* *Ps. 30. 29.*

Tempus misericordiæ attendendum. Magnum misericordiæ tempus non transeat fratres: non nos transeat, venturum est judicium. Erit & tunc patientia sed infructuosa, dicent intra se pænitentiam agentes, & præ angustia spiritûs gementes. Certè ista scripta sunt in libro sapientiæ. Quid nobis profuit superbia? & divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia tanquam umbra. Modo dicamus transeunt omnia tanquam umbra. Modo dicamus fructuosè, transeunt: nè tunc dicamus infructuosè. Omnia transierunt. Hoc est ergo tempus misericordiæ, erit & judicij. Ne putetis autem fratres, quia ista à se possunt in Deo aliquo separari modo. *Et infra.* Omnipotens est Deus, nec in misericordia amittit judicium, nec in judicio misericordiam. An vobis justum videtur, ut conversus & non conversus æqualiter habeantur: ut uno modo suscipiatur, confitens & mentiens, humilis & superbus? Ergo habet & judicium in ista misericordia. Rursum in illo judicio habet misericordiam. *Con: 1. in psal: 32.* *Sap. 5. 9.*

Misericordia Dei quærit cui benefaciat. Misericordia Domini plena est terra. Ubi jam non Evangelium prædicatur? ubi sermo Domini tacet? ubi salus cessat? opus est ut velis accipere plena sunt horrea. Hæc ipsa plenitudo & abundantia, non te venientem expectaverunt, sed ad dormientem ipsa venerunt. Non dictum est surgant gentes & eant ad unum locum: sed annuntiata sunt gentibus ubi erant ut adimplerentur prophetiæ dicentes. Adorabit eum unusquisq; de loco suo. Plena est terra. Quid cæli? Audi quid Cæli Non enim indigent misericordia, ubi nulla est miseria. In terra abundat hominis miseria, superabundat Dei misericordia. Miseria hominis plena est terra: & misericordia Domini plena est terra. Cæli ergo ubi nulla est miseria, nunquid non indigent Domino? omnia indigent Domino & misera & felicia. Sine illo miseri non sublevantur, sine illo felix non regitur. Audi quia Domino & cæli indigent: verbo Domini cæli solidati sunt. Nam non à se sibi solidamentum fuerunt, nec ipsi cæli firmitatem sibi propriam præstiterunt: spiritu oris ejus omnis virtus eorum non habuerunt aliquid ex se, tanquam supplementum à Domino perceperunt spiritu oris ejus non pars sed omnis virtus eorum. *Con: 2. in psal: 32.* *Ps. 32. 5.* *Ps. 50. 4.* *Ib. 8.*

Misericordia Dei Apostolos victores orbis facit. Opportebat pati Christum &c. & prædicari in nomine ejus pænitentiam & remissionem peccatorum. Quam misericordiam omnes expectamus fratres à Domino uberiorem nisi ut peccata nostra dimittantur *Et infra.* O Domine misericordissime certe hoc facis ut misericordia tuâ plena sit terrâ. Si ergo ita es misericors, ut impleas terram misericordiâ. Vide quos mittis, vide quo mittis? Oves in medio luporum. Unus lupus si mittatur in medium innumerabilium ovium, quis ei resistit? Mittis infirmos inter sævos, mitto inquit, quia cæli sunt, ut terram compleant. Unde cæli homines infirmi? Sed spiritu oris ejus virtus eorum. Facta sunt hæc, missi sunt Apostoli pertulerunt pressuras. Ex illis ovibus missis in medio luporum & memorias Martyrum celebramus. Locus iste quando Martyris beati corpus percussum est, lupis plenus erat: vicit tot lupos una ovis capta, & implevit locum ovibus ovis occisa. *T. 8. Con: 2. in psal: 32.*

Non dubitemus exire de Domino Deo nostro misericordiam,

vult

vult omnino exigi à se. Vis nosse quomodo tibi eroget Deus misericordiam, tu eroga charitatem, *Ibidem.*

Ps. 36. 29. Non solùm declina à malo, sed fac bonum. Parum est ut non expoliet vestitum, vesti nudum: si non expoliaveris, declinasti à malo. Sed non facies bonum nisi cum peregrinum susceperis in domum tuam. Ergo sic declina à malo ut facias bonum. *Exp. in psal. 33.*

Parum est Christianum non esse malum.

Non sic est Deus misericors ut injustus non sit: nec sic justus est, ut misericors non sit. Parvanè misericordia tibi est? Non imputabit priora omnia, male vixisti usque in hodiernam diem, adhuc vivis, bene vive hodie, hanc misericordiam non celabis. Si hæc est misericordia quæ veritas: congregabuntur ante eum omnes gentes & dividet eas sicut pastor, dividit oves ab hædis. Oves ponet ad dexteram, hædos ad sinistram. Ovibus quid: Venite benedicti Patris mei. Hædis quid? Ite in ignem æternum. Ibi pænitentiæ locus non est. Quia misericordiam Dei contempsisti, veritatem senties, si autem non contempsisti misericordiam veritate gaudebis. *In psal: 39.*

Contempta Dei misericordia vindicem justitiam advocat.

Deprecanda est misericordia Dei ut donet intellectum ad ista damnanda, & affectum ad fugienda, & misericordiam ad ignoscenda. *Enar in psal: 50.*

Implora misericordiam sed attende justitiam. Misericordia est ut ignoscat peccanti: Justitia est ut puniat peccatum. Quid ergo. Quæris misericordiam, peccatum impunitum remanebit? Respondeat David. Non Domine non erit impunitum peccatum me-
Ps. 50. 4. um, Novi justitiam ejus cujus quæro misericordiam. Sed ideo nolo ut me punias quia ego peccatum meum punio. Ideo peto ut ignoscas quia ego agnosco. Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & delictum meum coram me est semper: Non posui post dorsum meum quod feci, non intueor alios oblitus mei, non affecto stipulam ejicere de oculo fratris mei, cum sit trabes in oculo meo. Peccatum meum ante me est non post me. *Tom: 8. Enar: in psal: 50.*

Quomodo peccatores justitiæ Dei rigorem effugere possunt.

Qui se scit sine peccato esse primus in illam lapidem jaciat. Justa lex quæ jubet adulteram occidi, sed hæc lex justa, ministros
Jo. 8. habeat innocentes. Attenditis quam adducitis, attendite & qui estis. Illi hoc audito unus post alterum discesserunt. Remansit adultera, & Dominus, remansit vulnerata & medicus, remansit magna miseria, & magna misericordia. Adducentes erubuerunt, nec veniam petiverunt, adducta confusa est, & sancta. Ait illi Dominus: Mulier nemo te condemnavit? Et illa nemo Domine. Et ille. Nec ego te condemnabo, vade, deinceps jam noli peccare. Nunquid Christus fecit contra legem suam? Neq; enim Pater ejus sine filio dederat legem. Si cælum & terra & omnia quæ in eis sunt per ipsum facta sunt, lex sine verbo Dei quomodo scripta est? Non ergo Deus contra legem suam, quia nec Imperator contra leges suas facit, quando confessis dat indulgentiam. Moyses minister legis, Christus promulgator legis. Moyses lapidat ut judex, Christus indulget ut Rex. *Tom: 8. ibidem.*

Lex justa ministros habeat innocentes.

Adjutor meus, tibi psallam quia tu Deus susceptor meus es. Quid eram nisi subvenires? Quam desperatus eras nisi curares? ubi jacebam nisi advenires? Certe ingenti vulnere periclitabar, sed illud vulnus meum medicum omnipotentem requirebat. Omnipotenti Medico nihil est insanabile, non renuntiat alicui. Opus est ut tu curari velis, opus est ut manus ejus non refugias. Sed si nolis curam vulnus tuum admonet ut cureris: & adversum revo-

Miseri sine misericordia Dei sumus.

cat & fu-

Misericordia Dei etiam fugientes ad se compellit.

cat & fugientem quodammodo ad se redire compellit, & attrahit. In omnibus implet quod dictum est. Misericordia ejus præveniet me Si aliquid tuum primùm attulisti, & ex tuo aliquo bono primo misericordiam Dei meruisti : non te prævenit. Quando autem vel intelligis quia præventus es nisi intelligas quod ait Apostolus Quid enim habes quod non accepisti ? Si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis ? Hoc est misericordia ejus præveniet me. Deniq; attendens omnia bona quæcunq; habere possumus, sive in natura, sive in instituto, sive in ipsa conversatione, in fide, in spe, in charitate, in bonis moribus, in justitia, in timore Dei, totum non esse nisi ex illius donis : ita conclusit, Deus meus misericordia mea Non invenit impletis bonis Dei, quid appellaret Deum suum nisi misericordiam suam O nomen sub quo nemini desperandum est ; Deus meus inquit misericordia mea Quid est misericordia mea ? Si dicas salus mea intelligo, quia dat salutem : Si dicas refugium meum intelligo, qua confugis ad eum ; si dicas fortitudo mea intelligo, quia dat tibi fortitudinem Misericordia mea quid est ? Totum quidquid sum de misericordia tua sum. Sed promerui te invocando te Ut essem quid feci ? ut essem qui te invocarem quid egi ? si enim egi aliquid ut essem, jam eram antequam essem. Porro si omnino nihil eram antequam essem, nihil te promerui ut essem. Fecisti ut essem & non fecisti ut bonus essem ? Dedisti mihi ut sim, & potuit mihi alius dare ut bonus sim ? Si tu mihi dedisti ut sim & alius mihi dedit ut bonus sim : melior est ille qui mihi dedit ut bonus sim, quàm ille qui mihi dedit ut sim. Porro quia te nemo melior, nemo te potentior, nemo te in misericordia largior: à quo accepi ut essem, ab illo accepi ut bonus essem Deus meus misericordia mea *T* 8. *Con*: 2. *in psal*: 58

Ps. 38. 11. *2. Cor. 4. 5.* *Ps. 58. 18.*

Gratitudo, nulla meliùs quam misericordiæ nomine Deum appellare potest.

Universæ viæ Domini misericordia & veritas. Misericordia dicitur : quia non merita nostra attendit Deus, sed bonitatem suam ut peccata nobis omnia dimitteret, & vitam æternam promitteret. Veritas autem non fallit reddere quæ promisit. A gnoscamus hic eam & nos ; facimus ut quomodo Deus nobis exhibuit misericordiam suam, & veritatem suam : misericordiam dimittendo peccata nostra : veritatem exhibendo promissa sua : sic & nos faciamus hic misericordiam & veritatem : misericordiam circa infirmos, circa egentes circa inimicos etiam nostros, veritatem non peccando nec adjiciendo peccatum super peccatum. Quoniam qui mihi pollicetur de misericordia Dei surrepit in animum ipsius ut faciat injustum Deum, & putet quia si permanserit peccator & noluerit recedere ab iniquitatibus suis, veniat ille, & ibi eum positurus sit ubi ponit servos suos qui obtemperant ei Et justum hoc erit ut ibi ponat te perseverantem ubi positurus est illos qui recesserunt à peccatis ? sic vis injustus esse ut & Deum facias injustum ? Quid vis ergo convertere Deum ad voluntatem tuam ? Tu convertere ad voluntatem Dei. *In psal*: 60.

Ps 24. 10.

Peccans Deum vult esse injustum.

Quoniam potestas Dei est, & tibi Domine misericordia. Ista sunt duo potestas & misericordia. Ista planè : intelligite potestatem Dei, intelligite misericordiam Dei. His duobus continentur propè omnes scripturæ. Propter hæc duo Prophetæ : propter hæc duo Patriarchæ : propter hæc lex, propter hæc ipse Dominus noster JEsus Christus : propter hæc Apostoli, propter hæc annuntiatio omnis & celebratio verbi Dei in Ecclesia. Propter hæc duo potestatem & misericordiam. Potestatem ejus timete, misericordiam ejus amate. Nec sic de misericordia Dei præsumatis, ut potestatem contemnatis, nec sic potestatem timeatis, ut de misericordia ejus despe-

Ps. 61. 13.

Potestas Dei timenda misericordia amanda.

desperetis. Apud illum potestas, apud illum misericordia. Hunc humiliat, & hunc exaltat. *In psal*: *61*.

Ps. 62. 4. Ergo misericordia ipsius melior super vitas. Quas vitas? Quas sibi homines elegerunt. Alius elegit sibi vitam negotiandi, alius vitam rusticandi, alius vitam fænerandi, alius vitam militandi, alius illam. Diversæ sunt vitæ, sed melior est misericordia tua super vitas nostras. Melius est quod das correctis, quam quod eligunt perversi: unam vitam donas quæ præponatur omnibus nostris, quascunq; in mundo eligere potuerimus. Quoniam melior est misericordia tua super vitas. Labia mea laudabunt te. *In psal* : *62*.

Ps. 108. 21. Exaudi me Domine quoniam suavis est misericordia tua. Tantundem valet ac si dixisset. Jam noli differre axauditionem, in tanta tribulatione sum ut suavis mihi sit misericordia tua. Ad hoc ergo subvenire differebas ut mihi dulce esset quod subveniebas. *Con* : *2. in psal* : *68*. *Tribulatū sub venire differt ut postea dulcior sit subvētio.*

Ps. 76. 10. Aut obliviscetur misereri Deus? in te, à te in alterum nulla est misericordia, nisi eam tibi Deus donet: & ipse Deus obliviscitur misericordiā? rivus currit fons ipse siccatur? aut continebit in ira sua miserationes suas? faciliùs ille iram quàm misericordiam continebit. *In psal* : *76*. *Facilius iram quam misericordiam continet Deus.*

Superexaltat misericordia in judicio. Hoc vult intelligi anticipare nos misericordiam Dei, ut nostra paupertas id est infirmitas, eo miserante adjuvetur ad ejus præcepta facienda, nec ad judicium ejus damnandi veniamus. *Et infra*. Et propitius esto inquit peccatis nostris propter nomen tuum. Non propter nos. Nam quid aliud merentur peccata nostra nisi debita & digna supplicia? *T*. 8. *In psal* : 78.

Ps. 84. 7. Ostende nobis Domine misericordiam tuam & salutare tuum da nobis. Salutare tuum Christum tuum. Felix est cui ostendit Deus misericordiam suam. Ipse est qui superbire non potest cui Deus ostendit misericordiam suam. Ostendendo enim illi misericordiam suam persuadet *illi* quia quidquid boni habet, ipse homo non habet nisi ab illo; quia omne bonum nostrum ipse est. *Et infra*. Et potest tibi tollere totum quod possides corpore non tibi tollit eum quem possides corde. Ipsa est misericordia quam utinam nobis ostendat Deus. Ostende nobis Domine misericordiam tuam & salutare tuum da nobis. *In psal*: 84. *Misericordia Dei superbiam arcet.*

Non tibi tollat veritas misericordiam, nec misericordia impediat veritatem. Si enim per misericordiam judicaveris contra veritatem, aut quasi rigida veritate oblitus fueris misericordiam, non ambulabis in via Dei, ubi misericordia & veritas occurrunt sibi. *Con* : *in psal* : 88.

Ps. 98. 8. Tu propitius fuisti illis: & vindicans in omnes affectiones eorum. Etiam vindicans propitius fuisti. Videte fratres mei quid hic commendavit advertite: illi Deus irascitur quem peccantem non flagellat. Nam cui verè propitius est non solum donat peccata ne noceant ad futurum sæculum, sed etiam castigat ne semper peccare delectet. *Et infra*. Noverat ibi forte Deus aliquid quod purgaret; quia & quod perfectum jam videtur hominibus, illius perfectioni adhuc imperfectum est. Pleraq; faciunt artifices & ostendunt imperitis, ut cum jam judicaverint imperiti esse perfecta, expoliunt illa artifices, qui noverunt adhuc quid illis desit, ut mirentur homines tantam expoliationem rebus accidisse, quas jam perfectas pronuntiaverant. Fit hoc & in ædificiis & in picturis, & in vestibus, & prope in omni genere artium. Primo judicant illud jam quasi perfectum esse ut oculi eorum nihil amplius desiderent. Sed *Pœna Dei signum misericordiæ.*

aliud judicat oculus imperitus, aliud judicat artificis regula. Sic & illi sancti versabantur ante oculos Dei tanquam sine culpa, tanquam perfecti, tanquam Angeli: noverat autem quid illis deesset qui vindicabat in omnes affectiones eorum. Vindicabat autem non irascens sed propitius: sed ad hoc vindicabat ut perficeret cæptum, non ut damnaret ejectum. *In psal*: 98.

Tribulatio à Deo, medicinalis.

Sanabuntur omnes languores tui. Noli timere, magni sunt inquies, sed major est Medicus. Omnipotenti medico nullus languor insanabilis occurrit, tantum tu curari te sine. Manus ejus nè repellas: novit quid agat. Non tantum delecteris cum fovet, sed etiam toleres cum secat. Tolera medicinalem dolorem futuram cogitans sanitatem. Videte fratres in istis languoribus corporis quanta homines tolerent ut paucos dies victuri moriantur, & hos paucos dies incertos. *Et infra.* Ligari se volunt homines & secari: daturi pro incerta sanitate certum dolorem, magnam mercedem. Deus te quem fecit & certus curat & gratis. Ferto ergo manus ejus o anima, quæ benedicis eum non obliviscens omnes retributiones ejus: sanat enim omnes languores tuos. *Enar: in psal*: 102. Ps102 3.

Misericordia Dei mensura misericordiæ nostræ in alios.

Non ergo putet aliquis futuram in se esse misericordiam Dei, si est ipse immisericors. Sed audi quæ sit mensura misericordiæ, nè quasi inimicum sit & non sit inimicum. Dictum est: Diligite inimicos vestros. Satiari vis bonis Dei, satiata sit in te misericordia Dei. Plena misericordia ipsa est perfecta misericordia: ipsa est quæ amat quæ diligit etiam habentem se odio. *in psal*: 102

Longanimis & multæ misericordiæ. Quid tam longanimum? Quid tam multum in misericordia? Peccatur & vivitur: accedunt peccata: augetur vita, blasphematur quotidie, & facit solem oriri super bonos & malos. Vocat undiq; ad correctionem, vocat undiq; ad pænitentiam. Vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis. Longanimis & multæ misericordiæ. *Enar: in psal*: 102. Ps102 8.

Misericordia prior.

Vocem meam inquit exaudi Domine secundum misericordiam tuam, & secundum judicium tuum vivifica me. Prius enim Deus secundum misericordiam aufert à peccatoribus pænam eisque, postea justis secundum judicium dabit vitam quia non frustra illi hoc ordine dictum. Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine: quamvis & ipsum tempus misericordiæ non est fine judicio, & è contra, de quo dicit Apostolus. Si enim nos ipsos judicaremus, à Domino non judicaremur. *Con*: 29. *in ps*: 118.

Suavis Deus omnibus, & miserationes ejus in omnia opera ejus Nisi ille talis esset, de nobis repetitio & raparatio talis esset. Ps144 9.
Attende ad te ipsum quid merebaris peccator? Contemptor Dei quid merebaris? vide si occurrit tibi nisi pæna, si occurrit tibi nisi supplicium: vides ergo quid tibi debeatur. Et quid dederit qui gratis dedit? Data est venia peccatori, datus est spiritus & justificationis data est charitas & dilectio, in qua omnia bona facias: & super hæc dabit & vitam æternam & societatem Angelorum. Totum de misericordia. Merita tua nusquam jactes, quia & ipsa tua merita illius dona sunt. *Et infra.* Magna ejus misericordia & in hoc quod diem tibi vitæ incertum fecit, ut nescias quando hinc emigrabis: & cum quotidie speras te migrare aliquando convertaris. Et in hoc magna ejus misericordia. *Expos psal*: 144.

Mortis incertitudo ad bonum est.

Oculi omnium in te sperantium & tu das escam illis in opportunitate. Prorsus tanquam reficiens ægrotum in opportunitate, quando

Ps144 15. Luc.23 43. Matt. 5.7. Matt. 5.7.

Psal.144 15. quando debes accipere tunc dicas, & quod debes accipere hoc das. Itaque aliquando desideratur ab illo & non dat, novit horam dandi qui curat. *Ibidem.*

Luc.23 43. Domine memento mei dum veneris in regnum tuum. Considerabat enim facinora sua, & pro magno habebat, si ei vel in fine parceretur. Dominus autem continuò cum ille diceret, memento mei: sed quando? cum veneris in regnum tuum. Amen inquit dico tibi, hodie mecum eris in paradyso. Misericordia obtulit, quod miseria distulit. *Tom: 10. sermonum de verb: Dom: serm: 8. in illud Confiteor tibi Pater.* *Christi misericordia vota anticipat*

Ut videremus. Visi sumus, ut diligeremus, dilecti sumus. Deus meus, misericordia ejus, præveniet me. *Ser: de verb: Apli: ser: 8. in illud Apl: Humanus sermo & omni acceptione.*

Misericordia Dei est, quia nescit homo, quando moriatur. Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies. Sed tenet te mundus, illecebræ circumquaq; blandiuntur: delectat te pecuniæ magnitudo, delectat honoris fulgor, delectat potentiæ terror. Delectant ista, sed audiatur Apostolus: nihil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre quid possumus. Honor te quærere debet, non ipsum tu. *T. 10. 50. Homil: Homil: 13. in illud ne tardes converti.*

Matt. 5.7. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Non potest peccator misericordiam à Deo sperare, qui misericordiam non facit peccantibus in se. Ergo dimittat homo temporale debitum, ut mereatur recipere æternale bonum. *Et infra.* Certissimè indulgentiam expectare poterit, qui aliis indulgere novit. *Et infra.* In judice misericordia & disciplina debet esse, quia una sine altera bene esse non poterit. Misericordia sola si fuerit, securitatem faciet peccandi subjectis iterum si disciplina semper aderit, vertitur animus delinquentis in desperationem, & judex non merebitur à Deo misericordiam, sed hanc misericordiam à seipso debet homo incipere. Quomodo in alios est misericors, qui in seipsum crudelis est? In seipsũ crudelis est, qui sibi perpetuas peccatis præparat flammas. *Tom: 10. sermonum de Temp: serm: 203. Dnica 4 post festum S. Trinit: serm: 2.* *Iustitiæ & misericordiæ unio.* *Peccator in se ipsum crudelis*

Matt. 5.7. Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus. Fac & fiet. Fac cum altero, ut fiat tecum: quia abundas & eges. Abundas temporalibus, eges æternis. Mendicum hominem audis, mendicus ipse Dei es: petitur à te, & petis. Quod egeris cum petitore tuo, hoc aget Deus cum suo. Et plenus, & inanis es. Imple inanem de plenitudine tua, ut de Dei plenitudine impleatur inanitas tua. *T. 10. ser: decem & septem ser: in festo Omnium Sanctorum.*

Quæ major esse misericordia super miseros potuit, quã illa quæ cæli creatorem de cælo deposuit, & terreno corpore, terræ induit conditorem: eum qui in æternitate Patris manet æqualis, mortalitate coæquavit & nobis, formam servi mundi Domino imposuit: ut ipse panis esuriret, satietas sitiret, virtus infirmaretur, sanctitas vulneraretur, vita moreretur? Hoc autem ut nostra pasceretur fames, rigaretur ariditas, consolaretur infirmitas, extingueretur iniquitas, ardesceret charitas? quæ major misericordia, quam creari creatorem, servire dominatorem, vendi redemptorem, humiliari exaltatorem, occidi suscitatorem? Nobis de præbendis eleemosynis præcipitur ut panem demus esurienti? Ille seipsum, ut nobis daret esurientibus: prius pro nobis se tradidit sævientibus. Præcipitur nobis, ut peregrinum recipiamus; ille pro nobis in sua propria venit, & sui eum non receperunt. Ipsum denique benedicat anima nostra qui propitius fit omnibus iniquitatibus ejus. *T. 10. Parte 2. serm:* *Dignationes Christi.*

de diver: serm: 71. feria 4 post 2. Dnicam Quadragesimæ.

Misericordia dux ad Deum Deus meus, misericordia ejus præveniet me. Prævenit ergo te misericordia ejus, id est in viam te ducit ignorantem viam: ad Deum te vocat longè factum à Deo: servum peccati attrahit, ut liberum faciat, ut ambulando omnibus diebus vitæ tuæ, non erres. Subsequitur etiam te, custodiens terga tua, ne insidians calcaneo tuo serpens diabolus, cum quo tibi sunt inimicitiæ, supplantet te. Latro namq; ut occurrendo occidit, aut exurgendo post tergum. Ob hoc te præcedit, & subsequitur misericordia Dei, ut medius tutus ambules, & securus omnibus diebus vitæ tuæ. Habe ergo spem & gloriam, non in te, sed in præcedente, & subsequente misericordia Dei. *Ser: nov: ser: 9. de illo Dominus regit me.* *Ps. 58. 11.* *Ib. 8. 15.*

Miserere hominum homo, & tui miserebitur Deus. Tu homo, & alter homo, duo miseri. Deus autem non miser, sed misericors. Si autem miser non misereatur misero, quomodo exigit misericordiam, ab illo qui nunquam fuit miser? *Et infra.* Conjunxit hæc Dominus in præcepto, & ista duo misericordiæ genera expressit. *Duo genera misericordiæ.* Dimittite, & dimittetur vobis, misericordia est ignoscentis. Date & dabitur vobis, misericordia erogantis. Vide si non amplius Deus dat nobis. Tu ignoscis homini, in quo te læsit homo hominem: ignoscit tibi Deus, in quo offendisti homo Deum. Nunquid enim hoc est hominem lædere, quod est Deum offendere? Ergo plus tibi dedit, quia tu hoc dimisisti, in quo homo læsus est: hoc ille dimittit, in quo Deus offensus est. Attendite aliam misericordiam dispensationis. Tu das panem, ille dat salutem: tu das sitienti poculum liquoris alicuius, ille tibi dat poculum sapientiæ suæ. Nunquid ista vel comparanda sunt, quod das & quod accipis? Ecce quomodo fœnerandum est. *Ibid: ser: 19. Dnica in albis.* *Matt. 6. 14.*

Si dicebam motus est pes meus, misericordia tua Domine adjuvabit me. Duo ergo genera beneficiorum sunt, temporalia & æterna. Temporalia sunt, salus, substantia, honor, amici, domus, filij, uxor, & cætera vitæ hujus, ubi peregrinamur. Ponamus nos in stabulo vitæ hujus, quasi peregrini transituri, non quasi possessores mansuri. Æterna vero beneficia sunt, primum ipsa vita æterna, incorruptio, & immortalitas carnis & animæ, societas Angelorum, civitas cælestis, dignitas indeficiens, Pater, & Patria, ille sine morte, illa sine hoste. Hæc beneficia toto ardore desideremus, omni perseverantia petamus, non sermone longo, sed teste gemitu. *Desiderium æternorum continuata oratio.* Desiderium semper orat, & si lingua taceat. Si semper desideras, semper oras, quando dormitat oratio: quando friguerit desiderium. *Et infra.* Multis profuit paupertas, & nocuerant divitiæ, multis profuit privata vita, & nocuit altus honor: Et iterum aliquibus profuit pecunia, profuit dignitas, bene utentibus profuit, malè autem utentibus non ablata plus nocuit. Ac per hoc fratres petamus, & ista temporalia moderate securi, quia si accipimus, ille dat, qui novit quid nobis expediat. Petisti non est tibi datum quod petebas? crede patri, qui si tibi expediret, daret tibi. Ecce de teipso *Maius quandoq; beneficium Dei negatum quam concessum.* fac tibi conjecturam. Qualis est enim apud te filius tuus, nesciens res humanas, talis & tu apud Dominum, nesciens res divinas. Ecce ante te filius tuus tota die plorans, ut des illi cultrum, idest gladium. Negas te dare, non das, contemnis flentem, nè plangas morientem. *Ibid: serm: 34. de oratione.* *Ps. 93. 18.*

Quantum in medico est, sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult. Venit Salvator in mundum. Quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipso, ex te judicaberis.

dicaberis. Et quid dicam judicaberis. Vide quid ait. Qui credit in eum non judicatur. Qui autem non credit, quid dictum speras nisi judicatur? jam inquit judicatus est: Nondum apparuit judicium, & jam factum est judicium. Novit enim Dominus qui sunt ejus. Novit qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam. *T. 9. in Ioan: Tr: 12. de cap: 3.*

Unus post unum omnes recesserunt. Relicti sunt duo misera & misericordia. Dominus autem cum eos illo telo justitiæ percussisset, nec dignatus est cadentes attendere: sed averso ab eis obtutu, rursum digito scribebat in terra. Relicta autem sola illa muliere, omnibusq; abeuntibus levavit oculos suos ad mulierem. Audivimus vocem justitiæ, audiamus & mansuetudinis. Plus enim credo territa erat illa cum audisset à Domino dictum, qui sine peccato est vestrum, prior in illam lapidem jaciat. Illi ergo attendentes se, & abscessu ipso confessi de se reliquerant mulierem cum grandi peccato. *Tract: 33. de cap: 8.*

Qui alium observat, sibi pudorem incussit.

Quia vidit omnes peccatores, & omnino neminem esse immunem à morte peccati: prius erat ejus misericordia præroganda, & post exerendum judicium; quia de illo cantaverat psalmus: Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine. Non enim judicium ait & misericordiam, nam si primo esset judicium, nulla esset misericordia, sed primo misericordia, postea judicium. Quæ est primo misericordia? Creator hominis, homo esse dignatus est: factus est quod fecerat, ne periret quem fecerat. Quid huic misericordiæ addi potest? Et tamen addidit. Parum fuit ei hominem fieri, sed voluit etiam ab hominibus reprobari: parum fuit reprobari, & exhonorari: parum erat exhonorari & occidi: sed & hoc parum est morte crucis. Nam cum & ejus obedientiam usq; ad mortem factam commendaret Apostolus, parum illi fuit dicere, factus obediens usque ad mortem: Non enim qualemcunq; mortem, sed addidit mortem autem crucis. Illa morte pejus nihil fuit, inter omnia genera mortium. Deniq; ubi dolores acerrimi exagitant cruciatus, vocatur à cruce nominatus: pendentes enim in ligno crucifixi, clavis ad lignum pedibus manibusq; confixi, producta morte necabantur. Non enim crucifigi hoc erat occidi: sed diu vivebatur in cruce, non quia longior vita eligebatur, sed quia mors ipsa protedebatur, nè dolor citiùs finiretur. Mori voluit pro nobis. Parum dicimus crucifigi dignatus est, usq; ad mortem crucis obediens factus. Elegit extremum & pessimum genus mortis, qui omnem fuerat ablaturus mortem. *Ibid: Tr: 36. de cap: 8.*

Misericordia præcedit judicium.

Mors æterna per crucem sublata.

Longanimis, & multum misericors & verax. Multum delectat omnes peccatores & amatores hujus sæculi, quia misericors & miserator Dominus, quia longanimis & multum misericors. Sed si amas tam multa mitia: time ibi & ultimum quod ait & verax. *T. 9. lib: de 10. cordis cap: 1.*

Peccatores in spem misericordiæ Dei peccant.

Quomodo inquis cuncta gubernat & regit? ecce tanta mala fiunt in mundo & non judicat? O homo ideo negas ejus potentiam, quia magnam ille exhibeat potentiam? peccantem quidem impunitum non dimittit: Servat eum aut pænitendo corrigendum, aut ultimo judicio puniendum. Crede mihi o tu quisquis es qui de malis quereris, quoniam omnes mali sumus. Si ut vis Deus malis statim retribueret mala, nullus remaneret qui de alio murmuraret. Sed ideo ille Rex magnus qui novit quomodo regat, quod creavit, non implet voluntates perversas, sed suam perficit rectam, ut te doceat patientiam suam. Non tu Deum velis convertere ad furias tuas. *T. 9 lib: 4. de symb. ad Cathechum: cap: 2.*

Longa Dei patientia in puniendo.

Universa salus nostra magna misericordia tua. Miserum me quomodo sic insensata facta est anima mea, ut non terreatur terrore nimio, dum stat ante Deum, & suas illi laudes decantat? Miserum me quomodo sic induruit cor meum, ut oculi mei indesinenter non producant flumina lacrymarum: dum sermocinatur coram Domino suo, homo cum Deo, creatura cum creatore, qui factus est ex limo cum eo qui omnia fecit ex nihilo. Ecce Domine pone me ante te, & quid in secretis de me sentio, paternis auribus non taceo. *T. 9. lib: Meditat: cap: 34.*

MORBUS.

Infirmitatis spiritualis antidotum Christi præsentia.

Hodie salus huic domui facta est. Ecce quare intravi, salus hodie facta est. Utiq; si Salvator non intrasset, salus in illa domo facta non esset. Quid ergo miraris ægrote? voca & tu Jesum, noli tibi sanus videri. Cum ipse ægrotat, qui medicum suscipit: desperate ægrotat, qui per insaniam medicum cædit. Qualis ergo ejus insania, qui medicum occidit? Quanta vero bonitas & potentia medici, qui de sanguine suo insano interfectori suo medicamentum fecit? Neq; enim ille qui venerat quærere, & salvare quod perierat, pendens sine causa dicebat, Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Insani sunt, medicus sum: sæviant, patienter fero: cum occiderint, tunc sanabo. *Tom: 10. sermonum de verb: Ap: ser: 8. Humanus sermo & omni acceptione.* *Luc. 19.*

Sanguis Christi medicamentum animæ.

Cum caput tibi dolet, laudamus si Evangelium ad caput tibi posueris, & non ad ligaturam cucurreris. Ad hoc enim perducta est infirmitas hominum, & ita plangendi sunt homines, qui currunt ad ligaturas ut gaudeamus quando videmus hominem in lectulo suo constitutum, jactari febribus & doloribus, nec alicubi spem posuisse nisi ut sibi Evangelium ad caput poneret, non quia ad hoc factum est sed quia prælatum est Evangelium ligaturis. *Tom: 9. In Evan: Ioan: Tract: 7. de cap: 1.*

Evangelium morborum levamen.

MORS.

Mortis memoria peccati fuga.

Nihil sic revocat homines à peccato quemadmodum imminentis mortis cogitatio. *T. 1. l: 2. de Gen: con: Manich: c: 28.*

Diem mortis omnes quidem affuturum sciunt, & eum tamen omnes aut penè omnes differre conantur, etiam qui post mortem se beatiùs credunt esse victuros. Tantam habet vim carnis & animæ dulce consortium, nemo enim unquam carnem suam odio habuit. *Tom: 2. ep: 120. cap: 5.*

Peccatum mors.

Vis de bonæ uxoris morte per nos consolari. Nos de hac tua veriore morte quis consolatur? an quia non possumus oblivisci tanta erga nos merita tua, ideo cruciandi adhuc sumus moribus tuis? ideo contemnendi & pro nihilo habendi, quando gemimus ad te? *Alloquitur quendam sceleratum T. 2. ep: 125.*

Lacrymæ funebres licent.

Ipse Dominus eundem quem fuerat resuscitaturus Lazarum, flevit, nimirum ut fleamus etiam mortuos, quos ad veram vitam resurrecturos credimus, etsi non jussit præcepto, concessit exemplo. *Ibidem epist: 248.* *Io. 11.*

Mors boni occasio lætitiæ.

Frater tuus, Filia, mente vivit, carne dormit, nulla igitur est causa tristitiæ diuturnæ, quia potior est causa lætitiæ sempiternæ. Quando nec ipsa in æternum corpora peribunt, ubi capillus capitis non peribit, & ad tempus deposita sic recipientur, ut nunquam ulteriùs deponantur, sed in melius demutata firmentur. Profecto

major

major est causa gratulationis in spe inæstimabilis æternitatis, quam causa mæroris in re brevissimi mæroris *Ibidem Epist:* 248.

Malorum finis est mors, sed in eis quorum casta, pia, fidelis innocens vita, in eis qui temporalium nugarum & vanitatum cupiditate flagrantes, & cùm hic sibi felices videntur, ipsa voluntatis pravitate miseri convincuntur, & post mortem graviores miserias non habere tantùm, verùm etiam sentire coguntur. *Ib: ep:* 255. *Iustorum miseriæ terminus mors est, malorũ initium.*

Cujus animus non moritur huic sæculo, neq; incipit configurari veritati, in graviorem mortem, morte corporis trahitur. Neque ad commutationem cælestis beatitudinis, sed ad luenda supplicia, reviviscet. *Tom:* 3. *lib:* 1. *de doctr: Christ: cap:* 20. *Mors animæ pejor vitâ.*

Mors animæ impietas est, mors corporis corruptibilitas. Sicut enim anima deserente Deo; sic corpus, anima deserente moritur, unde illa fit insipiens, hoc exanime. *T.* 3. *l:* 4. *de Trinit: c:* 3. *Peccatũ mors animæ.*

Sit pæna in morte corporis, ut spiritus, quia volens deseruit Deum, deserat corpus invitus, ut cum spiritus Deum deseruit, quia voluit, deserat corpus etiam cum noluerit. *T.* 3. *l:* 4. *de Trin: c:* 13.

Aliud est non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus: aliud est autem posse non mori, secundùm quem modum primus creatus est homo immortalis: quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris. *T.* 3. *lib:* 6. *de Gen: ad lit: cap:* 25. *Peccatũ mors est.*

Enoch filiis genitis Deo placens, non mortuus sed vivus translatus: cur ergo & Adam & Eva si justè viventes, castè filios procreassent, non eis possent assimilari translatione, non morte succedentibus cedere. *Ibid: lib:* 9. *cap:* 6. *Mors justorum vita.*

Quid enim aliud non dicam nati, sed omnino concepti, nisi ægritudinem quandam inchoavimus, quâ sumus sine dubio morituri, neq; enim tam necesse est eum ipso morbo mori, qui hydropicus vel dissentericus fuerit; quam eum qui hoc corpus habere cæperit, in quo omnes homines, natura sunt filii iræ. Quia hoc non fecit nisi pæna peccati, *Ibidem cap:* 10. *Hominis conceptio lapsus est in morbum lethalem.*

Instaurans in me tormenta mea, quia jam ipsa mortalitas tormentum est, qua tribulationes aliæ fiunt. *T.* 4. *l: Annot: in Iob c:* 10. *Ipsa mortalitas tormentum est.*

Quid interest quo mortis genere vita ista finiatur, quando ille cui finitur, iterum mori non cogitur. Cum autem unicuique mortalium sub quotidianis vitæ hujus casibus, innumerabiles mortes quodam modo comminentur, quamdiu incertum est, quænam earum ventura sit: quæro utrum satiùs sit unam perpeti moriendo, an omnes timere vivendo? nec ignoro quam incertius eligatur, diu vivere sub timore tot mortium, quam semel moriendo, nullam deinceps formidare. *T.* 5. *l:* 1. *de Civit: Dei: c:* 11.

Mala mors putanda non est, quam bona vita præcesserit. Neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem *Ib: c:* 11.

Mors animæ fit cum eam deserit Deus: sicut corporis, cum id deserit anima. Ergo utriusque rei id est totius hominis mors est, cum anima à Deo deserta, deserit corpus. *Et infra.* Vivit itaque anima ex Deo, cum vivit bene: non enim potest bene vivere, nisi Deo operante in se quod bonum est: impiorum namque in corporibus vita, non animarum sed corporum vita est. *Ibid: l:* 13. *c.* 2. *Peccatũ mors animæ.*

Et infra. An potius & in vita & in morte simul est: in vita scilicet, in qua vivit, donec tota detrahatur: in morte autem quia jam moritur, cùm vita detrahitur? Non enim frustra cùm vita fuerit corpori tota detracta post mortem jam dicitur, nisi quia mors erat cum detraheretur. Nam eâ detractâ, non est homo in morte, sed *Morimur dum vivimus*

post

post mortem, quando nisi cùm detrahitur, erit in morte. *Ibid: c: 10.*

Atq; utinam in Paradyso bene vivendo egissemus, ut revera nulla esset mors Nunc autem non solum est, verùm etiam tam molesta est, ut nec ulla explicari possit locutione, nec ulla ratione vitari. Unde non importunè, etsi non humanâ industriâ, judicio fortasse divino, ut hoc verbum quod est moritur, in latina lingua nec Grammatici declinare potuerint, eâ regulâ, quâ cætera talia declinantur. Namq; ab eo quod est oritur, fit verbum præteriti temporis, ortus est: ab eo verò quod est moritur, si quæramus præteriti temporis verbū, responderi solet mortuus est, U literâ geminatâ Sic enim dicitur mortuus, quomodo fatuus, arduus, & si quæ similia, quæ non sunt præteriti temporis: sed quoniam nomina sunt, sine tempore declinantur. Illud autem ut declinetur, quod declinari non potest, pro participio præteriti temporis ponitur nomen. Convenienter itaq; factum est, ut quemadmodum id quod significat, non potest agendo, ita ipsum verbum declinari loquendo non possit. Agi tamen potest in adjutorio gratiæ Redemptoris nostri, ut saltim secundam mortem declinare possimus. *Ibidem cap: 11.*

Mors indeclinabilis.

Quâ die ederitis, ex illa morte moriemini: tanquam diceret, quâ die me deserveritis per inobedientiam, deseram vos per justitiam: profectò in ea morte etiam cæteræ denuntiatæ sunt, quæ procul dubio fuerant secuturæ. *Ibid: c: 15.*

Peccatū mors est animæ. *Gen. 2. 17.*

Ille neget Christum maledictum, qui negat & mortuum: qui autem confitetur mortuum, & negare non potest mortem esse de peccato: & ob hoc etiam ipsū peccatū mortē vocari, audiat Apostolum dicentem. Quoniā vetus homo noster, simul cum illo crucifixus est: & intelligat, quem maledictum Moyses dixerit, secutus Apostolus ait de Christo: Factus est pro nobis maledictum: sicut non timuit dicere pro omnibus mortuus est: hoc est enim mortuus, quod maledictus, quoniam mors ipsa ex maledicto est, & maledictum est omne peccatum. *T. 6. lib: 6. con: Faustum: c: 3.* *Gal. 3. 13.*

Non est injustum homini justo optare mortem, quando amarissima est vita. Sed si Deus optata non dederit, non erit justum, nisi tolerare eam amarissimam vitam. Sicut à justo, nec illud alienum est, ut optet vitam, quando amara mors imminet, sed cum se videt, eam impetrare non posse, dicit quod nos in se transfigurans Dominus ait: verùm non quod ego volo, sed quod tu vis Pater. *Tom: 7. l: 1. con: Gauden: c: 30.* *Luc 22. 42.*

Quādo liceat optare mortē.

Vivificabit inquit mortalia corpora vestra, ut scilicet jam non solum non sint mortua, sed nec mortalia. *Tom: 7. lib: 1. de peccatorum meritis & remiss: cap: 5.*

Si secundùm carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quid est aliud quam hoc: si secundùm mortem vixeritis, totum morietur: si enim secundum vitam vivendo, mortem mortificaveritis totum vivet? *Ibid. c: 7.* *Rom. 8. 13.*

Carnis vita mors.

Mortem mortificat qui Deo vivit.

Quamvis annos multos postea vixerint (loquitur de primis Parentibus nostris) illo tamen die mori cœperunt, quo mortis legem, quâ in senium veterascerent, acceperunt. Non enim stat vel tempòris puncto, sed sine intermissione labitur, quidquid continuâ imitatione sensim currit in finem, non perficientem sed consumentem. *Ibidem cap: 16.*

Peccatum mors.

Bonæ spei est homo, si eum sic perficientem dies ultimus vitæ hujus invenerit, aut adjiciantur ei, quæ perficienti defuerunt, & perficiendus quam puniendus potiùs judicetur. *Tom: 7. lib: 2. de dono persev: cap: 21.*

Domi-

Dominus erat in medio crucifixus, juxta illum duo latrones erant. Unus insultavit, alter credidit: unus damnatus est alter justificatus: unus habuit pænam suam & hic & in futurum, alteri autem dixit Dominus. Amen dico tibi hodie mecum eris in paradyso. Sic fracta sunt latronis ossa qui blasphemavit: quomodo latronis qui credidit. Ubi est ergo quod dictum est Dominus custodit ossa eorum, unum ex his non conteretur? Ecce cui dixit. Hodie mecum eris in paradyso; non potuit omnia ossa ejus custodire? Respondet tibi Dominus: imo custodivi, nam firmamentum fidei ipsius frangi non potuit illis ictibus quibus crura sunt fracta. *T. 8. Epos: psal: 33.* *Impiorum & justorū dispar exitus.* *Ps 33. 21.*

Mors peccatorum pessima. Quia tibi videtur bona, pessima est si intus videas. Vides foris jacentem in lecto, nunquid vides intus raptum ad gehennam. *Ibidem.* *Mors peccatorum.* *Ps 33. 22.*

Redimet Dominus animas servorum suorum Secundum animam enim intelligenda est mors peccatorum pessima aut optima, non secundum corpora aut contumelias aut honores, quos homines vident. *Ibidem.*

Magna misericordia ipsius. Et monuit ut bene vivamus: & diem nobis novissimum mortis nostræ abscondit, ne vobis de futuro aliquid promittamus. Facio hodie & vivo; cras non facio. Quid si te non inveniat cras? *Con: 1. in psal: 34.*

Operuit nos umbra mortis. Hæc enim mortalitas umbra mortis est. Vera mors est damnatio cum diabolo. *In psal: 43.* *Vita umbra.*

Debet quod Adam qui natus est ex Adam. Sed cogitet qui natus est ex Adam, & secutus est Christum: quia opportet eum solvere quod debet Adam, & consequi quod promisit Christus. *In ps: 48.* *Gen. 2 17.*

Mors quam timent homines separatio est animæ à corpore. Mors autem vera quam non timent homines, separatio est animæ à Deo: & plerumq; cum timent homines istam quæ separat animam à corpore incidunt in illam ubi anima separatur à Deo. Hæc est ergo mors: quia vita est Christus. *Con: 2. ps: 49.* *Mors vera.* *Gal. 3. 13.*

Ad te omnis caro veniet. Omnis caro dixit, omnis generis caro: ex omni genere carnis venietur ad te. Quid est ex omni genere carnis? Nunquid venerunt pauperes & non venerunt divites? Nunquid venerunt humiles, & non venerunt sublimes? Nunquid venerunt docti & non venerunt indocti? nunquid venerunt viri & non venerunt fæminæ? nunquid venerunt Domini & non venerunt servi? nunquid venerunt senes & non venerunt juvenes? aut venerunt juvenes & non venerunt adolescentes? aut venerunt adolescentes & non venerunt pueri? aut venerunt pueri, & non allati sunt infantes? Postremo nunquid venerunt Judæi? nam inde erant Apostoli, inde multa millia primo tradentium postea credentium, & non venerunt Græci? aut venerunt Græci & non venerunt Romani? aut venerunt Romani & non venerunt barbari? & quis numeret omnes gentes venientes ad eum cui dictum est. Ad te omnis caro veniet. *In psal: 64.* *Ps 46. 8.* *...c 22. 42.* *...omi 8. 13.*

Dominus exitus mortis. Tanquam diceret: quid indignaris humana conditio habere exitum mortis? Et Domini tui exitus non alius quàm mortis fuit. Potiùs ergo consolare quàm indignare: nam & Domini exitus mortis. Spe enim salvi facti sumus. Patienter ergo etiam ipsam mortem feramus illius exemplo, qui licet nullo peccato esset debitor mortis, & Dominus esset, à quo nemo animam tolleret, & ipse eam à semetipso poneret, etiam ipsius fuit exitus mortis. *In psal: 67.* *Mors ferenda quia à christo lata.* *Ps. 67. 21.*

Cum senueris alius te præcinget & feret quo tu non vis. Quan-

Mortem repugnanter accipimus. quam enim Christo inhærere cupiamus mori tamen nolumus: & ideo libenter vel potius patienter patimur, quia alius transitus non datur per quem Christo cohæreamus. Nam si possemus alter pervenire ad Christum id est ad vitam æternam quis vellet mori? Naturam quippe nostram id est consortium animæ quoddam, & corporis, & quandam in his duobus familiaritatem conglutinationis atq; compaginis exponens quodam loco Apostolus ait. In quo nolumus spoliari, sed supervestiri ut absorbeatur mortale à vita. Sic vellemus fieri immortales ut jam veniret ipsa immortalitas: ut mortale nostrum absorbeatur à vita, non per mortem corpus puniretur. *In psal: 68.* *Io. 25 18.* *Luc 10 14.*

Vita ægritudo continua. Nasci hic in corpore mortali incipere ægrotare est Quotidianis medicamentis fulciuntur indigentiæ nostræ, quotidiana medicamenta sunt refectiones omnium indigentiarum. Fames nonne te occideret? nisi medicamentum ejus apponeres. Sitis nonne te perimeret nisi eam tu bibendo non penitus extingueres, sed differres? Reditura est enim sitis paululum temperata Temperamus ergo istis fomentis ærumnam ægritudinis nostræ. *Enar: in ps: 102.*

Mors Sanctorũ empta pretio magno. Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Emit enim eam sanguine suo, quem prior fudit pro salute servorum, nè pro Domini nomine servi fundere dubitarent quod tamen eorum non Domini utilitati proficeres. *Expos: psal: 115* *Ps. 115 5.*

Quid enim magnum, educ de carcere animam meam? educ de corpore animam meam. Latronum animæ & sceleratorum nonne exeunt de corpore & eunt in pejores pænas quàm hic pertulerunt? Quid enim magnum petitur educ de carcere animam meam, cùm sive serò sive cito necesse sit hunc exire. Forte justus dicit. Jam moriar. Educ de carcere isto corporis animam meam. Si nimis festinat non habet charitatem. Desiderare quidem hoc habet, & concupiscere, sicut Apostolus ait: concupiscentiam habens dissolvi & esse cum Christo: multo enim magis optimum. Sed ubi est charitas? Ergo sequitur: Manere in carne necessarium est propter vos. Si de corpore, ergo educat Deus quando voluerit posset dici corpus nostrum carcer: non quia carcer est quod fecit Deus, sed quia pænale & mortale. *Enar: in psal: 141.* *Ps. 141 8.* *Cælestis gloria ad tempus postponenda saluti proximi.* *Ps. 27 27.*

Sive vivimus, sive morimur Domini sumus. Et unde factum est ut ejus sis & mortuus? quia pretio sui sanguinis redemit te & mortuus. Quomodo perdit servum mortuum, cujus mors est pretium tuum. *Expos: psal: 144.* *Rom 14 8.*

Quid enim? Malum est mori naufragio, & bonum est mori febre? sive inde sive inde moriatur, quære qualis sit qui moritur; quo post mortem iturus est non unde de vita exiturus, quacunque occasione hinc exituri sumus. Quibus exitibus Martyres exire meruerunt? Nunquid febribus? Quomodo multi optant ut febribus solvantur? alij uno ictu gladij, alij ignibus, alij bestiis? Et devoraverunt bestiæ corpora Martyrum & non timuerunt nè perirent corpora ipsorum. Undiq; enim Deus reducet corpora Sanctorum suorum, cui capilli corporis nostri numerati sunt Et quando voluit tres pueros ab igne liberavit. Nunquid ideo Machabæos in igne deseruit? Illos aperte liberavit, istos occulte coronavit. *Tom: 8. Expos: psal: 148.*

Nativitas initium infirmitatis mors terminus. Unde se jactat vermis crastino moriturus? Quomodo Medici quando inspexerint valetudinem, & mortiferam esse cognoverint, hoc pronuntiant. Moritur, inde non evadit Ex quo nascitur homo, dicendum est, non evadit. Quando natus est ægrotare cæpit. Quando mortuus fuerit, finit quidem ægritudinem: sed nescit utrum pergat in

gat in pejorem. Finierat dives ille ægritudinem deliciosam, venit ad tortuosam. Pauper vero ille finit ægritudinem, & pervenit ad sanitatem. *Tom. 10. serm: de verb: Dom: serm: in illud De illo Die & hora nemo scit, &c.*

Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intin-
Luc 16 24. gat digitum suum in aqua, ut stillet in linguam meam, quia crucior in hac flamma. Superbus temporis, mendicus inferni. Pauper enim ille non perveniebat ad micam: ille vero non perveniebat ad guttam. De duobus ergo istis dicite mihi, quis est bene mortuus, & quis est malè mortuus? Nolite oculos interrogare, ad cor redite. *Et infra.* Si ergo sic moriuntur superbi rerum suarum conservatores, & nihil inde pauperibus largientes, quomodo moriuntur, qui rapiunt res alienas? *Et infra.* Non probat malam mortem, nisi tempus post mortem. *Et infra.* Familia divitis videbatur plangens: Angeli non videbantur gaudentes. Quid ergo respondit diviti Abraham? Memento fili, quia percepisti bona in vita tua. Nihil bonum putasti, nisi quod in ista vita habuisti, Accepisti bona, sed transierunt dies: & totum perdidisti, & torquendus in inferis remansisti. *Ibid: ser: 24. Qui vos spernit, me spernit, &c.* *Dives mendicus.*

Est de mortuis eis qui diliguntur, quædam tristitia quodammodo naturalis. Mortem quippe horret non opinio, sed natura. Nec mors homini accideret, nisi ex pœna quam præcesserat culpa. Quapropter si animalia quæ ita creata sunt, ut suo quoq; tempore moriantur, mortem fugiunt, diligunt vitam: quanto magis homo, qui sic fuerat creatus, ut si vivere sine peccato voluisset, sine termino viveret? *Ibid: serm: 32. de illo Apli: ut de dormientibus non contristemur, &c.* *Cur morimur.* *Peccatum terminus vitæ.*

Quotidie moriuntur homines; & vivunt, deducunt illos, exequias celebrant, & vitam sibi promittunt. Nemo dicit, corrigam me, ne cras hoc sim quod iste quem deduxi. *T. 10. 50. Homil: Homil: 28. de illo Deus manifestus veniet, &c*

Et intelligam in novissimo. Venient novissima, quando nulli
Ps. 27. 27. bono erit malè, nulli malo erit bene. Venient inquam novissima, quando discernentur pij ab impiis, justi ab injustis, laudatores Dei, à blasphematoribus Dei. Venient quando discernentur ut nulli, sicut dictum est, bono sit malè, nulli malo sit bene. Quare ergo modo non sic. Forte & modo sic. Sed quod nunc est in occulto, post erit in manifesto. *Tom. 10 serm: de Temp: sermone 236. Dnica 19. post Festum S. Trinitatis serm: 1.*

Quid? Etsi non vis mori, non es moriturus? Quid times, quod vitare non potes? Times, quod etsi nolis, erit; & non times, quod etsi nolis non erit. Quid est quod dixi? omnibus hominibus natis, constituit Deus mortem, per quam de isto sæculo emigrent. Exceptus eris à morte si exceptus fueris à genere humano. Quid facis? Nunquid tibi modo dicitur, elige utrum velis esse homo. Jam homo es, venisti. Quomodo hinc exeas, cogita: natus es, moriturus es. Fuge, cave, repelle, redime: mortem potes differre, non auferre, veniet etsi nolis: veniet quando nescis. Quid ergo times, quod etsi nolueris, erit. Time potius quod si nolueris non erit. Quid est hoc? Impiis, infidelibus, blasphemis, perjuris, iniquis, & omnibus malis, gehennæ ignis ardentis, & æternas flammas minatus est Deus. Primo compara hæc duo, mortem ad momentum, & pœnas in æternum, non venient si nolueris. *Et infra.* Quia eligere non potes hic, nè moriaris: elige cum vivis, ne in æternum moriaris. Hæc est fides, hoc Christus ostendit moriendo & resurgendo. Moriendo ostendit, quod velis nolis passurus es; resurgendo osten- *Vanus est timor mortis.* *Mors differri potest non auferri.*

dit, quod si benè vixeris, accepturus es. Hic corde creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem. *Tom: 10. serm: de diver: ser: 36. de conversione S. Pauli.*

Mors incerta stimulus ad vitam rectè ducendam. Manducemus & bibamus, cras enim morimur: sed eo magis quo incertus est mortis dies, & molestus est vitæ dies, jejunemus & oremus: cras enim morimur. *Tom 10. Parte 2. serm: de diver: serm: 74. sabbatho post 2. Dnicam in Quadrag.* Is. 22. 13.

Ubi est mors victoria tua? ubi est mors aculeus tuus? ubi est? Cæpisti, possedisti, vicisti, & tibi addixisti: percussisti, & occidisti. Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors aculeus tuus? Nonne confregit illum Dominus meus? O mors, quando Domino meo hæsisti, tunc & mihi peristi. *Ibid: serm: 86. in die S. Paschæ.* 1. Cor. 15. 55

Magis dolendi mali post mortem. Malus mortuus est, bis dolendus est, quia & mortuus, & malus. Bis dolendus, quia bis mortuus: & temporaliter, & in æternum. Nam si bonus mortuus esset, affectu humano doleremus, quia deseruit nos, quia volebamus eum nobiscum vivere. Mali plus dolendi sunt, quia post hanc vitam à pænis æternis excipiuntur. *Tom: 10. eundem serm: 111. de S. Laurentio.*

Forte cum moriturus plangitur, cum funus curatur, cum exequiæ præparantur, cum offertur, cum itur, cum sepelitur, viget iste sermo: sepulto autem mortuo, etiam talis cogitatio sepelitur. Redeunt illæ curæ mortiferæ obliviscitur quem deduxerit, de successione cogitat decessurus, reditur ad fraudes, ad rapinas, ad perjuria, ad vinolentiam, ad infinitas corporis voluptates, non dico perituras, cum exhaustæ fuerint, sed hauriuntur pereuntes; & quod est pernitiosiùs de sepulto mortuo argumentum sepeliendi corpus assumitur, & dicitur: Manducemus & bibamus, cras enim morimur. *Ibid: ser: 120. de Resurrectione mortuorum.*

Vita nostra ideo misera quia amata. Quare tristis es anima mea & quare conturbas me? Non vis finiri miseram vitam: tanto es miserior, quanto & misera amata est, & non vis finiri? minus esset misera si non amaretur. Qualis est beata vita, quando sic amatur misera vita, tantum quia vocatur vita? Quare ergo tristis es anima mea, & quare conturbas me. Habes quid agas. Defecisti in te? Spera in Domino. Turbaris in te? Spera in Domino, qui te elegit ante mundi constitutionem, qui te prædestinavit, qui te vocavit, qui te impium justificavit, qui tibi glorificationem promisit, qui pro te mortem non debitam sustinuit, qui pro te sanguinem fudit, qui te in se trāsfiguravit, quando dixit, anima mea turbata est. Ad illum pertines & times? Et aliquid tibi nociturus est mundus, pro quo mortuus est, per quem factus est mundus, ad illum pertines, & times? *Tom: 10. serm: nov: serm: 26. de S. Laurentio.* Ps. 42.

Mors temporalis & æterna. Vide duas mortes, unam temporalem, eandemq; primam: alteram sempiternam, & eandem secundam. Prima mors omnibus præparata est; secunda solis malis impiis infidelibus, blasphemis, & quidquid aliud sanæ doctrinæ adversatur. Intende, propone tibi istas mortes duas. Si fieri potest, ambas non vis pati, scio, vivere amas, mori non vis, & de hac vita in aliam vitam sic transire velles, ut non mortuus surgeres, sed vivus in melius mutareris. Hoc velles, hoc debet humanus affectus, hoc ipsa anima nescio quomodo habet in voluntate: & cupiditate, quoniam diligendo vitam, odit mortem. Et quoniam carnem suam non odit, nec ipsi vult accidere quod odit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit. Hunc affectum ostendit Apostolus, ubi ait, habitationem habemus ex Deo, domum non manu factam æternam in cælis. *Ibid: serm: 31: de amore Dei, & amore seculi.*

Mors

Mors peccatorum pœna erat: in Domino munus misericordiæ erat, non pœna peccati. *Et infra.* Non habebat ille quare moreretur & mortuus est: tu habes quare, & mori dedignaris? dignare æquo animo pati per meritum tuum, quod ille pati dignatus est, ut te à sempiterna morte liberaret. Homo, & homo, sed ille non nisi homo, iste Deus & homo. Ille homo peccati, iste homo justitiæ. Mortuus es in Adam, resurge in Christum: nam utrumq; debetur tibi. Jam credidisti in Christum, reddes tamen quod debes de Adam. Sed non te in æternum tenebit vinculum peccati: quia mortem tuam æternam occidit mors temporalis Domini tui. *Tom. 9. In Ioan: Tract: 3. de cap: 1.* *Mors misericordiæ pignus.*

Mori non vult ut vivamus, quia viximus ut moreremur. Quidquid ergo & à meliore in deterius, & à deteriore in melius moritur: non est hoc Deus, quia neq; in melius potest ire summa bonitas, neque in deterius vera æternitas. Vera autem æternitas est ubi temporis nihil est. *Ibidem Tr: 23. de cap: 3.* *Inconstantia nequit imitari Deum*

Io. 8. 52. Qui sermonem meum servaverit mortem non videbit in æternum: nisi quia videbat Dominus aliam mortem de qua nos liberare venerat? Mortem secundam, mortem æternam, mortem gehennarum, mortem damnationis cum diabolo, & Angelis ejus. Ipsa est vera mors: nam ista migratio est. Quid est ista mors? Relictio corporis: depositio sarcinæ gravis: sed si alia sarcina non portetur, qua homo in gehennam præcipitetur. De ipsa ergo morte Dominus dixit, mortem non videbit in æternum qui sermonem meum servaverit. *Et infra.* Nabuchodonosor Rex dixit: Si non feceritis mittemini in caminum ignis ardentis. Multi timuerunt & adoraverunt, nolentes mori mortui sunt: timendo mortem quæ non evaditur, inciderunt in mortem quam evadere omnino feliciter possent, si istam quæ non evaditur infeliciter non timerent. Natus es, homo, moriturus es. Quæ ibis ut non moriaris? Quid facies ut non moriaris? ut Dominus tuus necessitate moriturum consolaretur, voluntate mori dignatus est. Quando vides Christum mortuum dedignaris mori? Ergo moriturus es: qua evadas hoc non habes. Hodie sit, cras sit, futurum est, debitum est reddendum. Quid ergo agit homo timens, fugiens, occultans se nè inveniatur ab inimico? Nunquid agit, ut non moriatur? Sed ut paulò serius moriatur. Non accipit debiti securitatem, sed postulat dilationem. Quantumlibet diu differatur, veniet quod differtur. Illã mortem timeamus, quam timuerunt tres viri, quando dixerunt Regi: Potens est Deus etiam de ista flamma liberare nos. *Ibid: Tr: 43. de cap: 8.* *Sermo Domini à morte damnationis liberat.* *Multi nolendo mori moriuntur.*

Admirantes audiebamus, tanquam magni miraculi spectaculo ante nostros oculos cõstituto, cum Evangelium legeretur quemadmodum revixerit Lazarus. Si attendamus mirabiliora opera Christi, omnis qui credit resurgit: si attendamus omnes, & intelligamus detestabiliores mortes, omnis qui peccat moritur. Sed mortem carnis omnis homo timet, mortem animæ pauci. Pro morte carnis quæ sine dubio quandoq; ventura est, curant omnes nè veniat, inde est, quod laborat. Laborat nè moriatur homo moriturus, & non laborat ne peccet homo in æternum victurus: & cum laborat ne moriatur sine causa laborat. Id enim agit ut multum mors differatur, non ut evadatur, si autem peccare nolit non laborabit & vivet in æternum. O si possemus excitare homines mortuos, & cum ipsis pariter excitari: ut tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sunt homines amatores vitæ fugientis. Quid non facit homo sub mortis periculo constitutus? Gladio impendente cervicibus, prodiderunt homines quidquid sibi unde viverent *Mors viva peccatorum.* *Labor nullus de non peccando.*

rent reservabant. Quis non continuo prodidit nè percuteretur? Et post proditionem fortasse percussus est. Quis non ut viveret continuo perdere, voluit unde viveret, eligens vitam mendicantem quàm celerem mortem. Cui dictum est naviga nè moriaris, & distulit? Cui dictum est labora ne moriaris & piger fuit? Levia Deus jubet ut in æternum vivamus: & obedire negligimus. Non tibi Deus dicit. Perde quidquid habes ut vivas exiguo tempore in labore solicitus: sed da pauperi unde habes ut vivas semper sine labore securus: accusant nos amatores vitæ temporalis, quam nec cum volunt, nec quamdiu volunt habent: & nos invicem non accusamus tam pigri, tam tepidi ad capessendam vitam æternam, quam si voluerimus habebimus, cum habuerimus non amittemus. *Ibidem Tract: 49. de cap: 11.*

Mors in nativitate hominis. Homo quando nascitur, jam cum morte nascitur: quia de Adam peccatum trahit. Unde dicit Apostolus: per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Ecce habes unum diem mortis peccatum quod homo trahit de mortis propagine. *Ibidem.*

Præmium fidei. Qui credit in me inquit etiamsi mortuus fuerit in carne, vivet in anima: donec resurgat & caro nunquam postea moritura. Hoc est qui credit in me licet moriatur vivet. *Ibidem.* Io. 11. 25.

Mors ex amore levis. Molestia quantacunq; sit mortis, debet eam vincere vis amoris: quo amatur ille, qui cum sit vita nostra, etiam mortem voluit perferre pro nobis. Nam si nulla esset mortis vel parva molestia, non esset tam magna Martyrum gloria. *Ibid: Tr: 123 de cap: 21.*

Patiētia mortem delectabilem facit. Et tu Domine usquequo. Convertere Domine & erue animam meam. Gemebat se differri. Sunt enim homines qui cum patientia moriuntur: sunt autem quidam perfecti, qui cum patientia uivunt. Quid dixi? Qui adhuc desiderat istam vitam quando illi venerit dies mortis, patienter tolerat mortem. Luctatur adversum se, ut sequatur voluntatem Dei, & hoc potius agit animo, quod eligit Deus, non quod eligit voluntas humana: & ex desiderio vitæ præsentis fit lucta cum morte, & adhibet patientiam & fortitudinem, ut æquo animo moriatur. Iste patienter moritur. Qui autem desiderat sicut dicit Apostolus dissolvi & esse cum Christo non patienter moritur, sed patienter vivit, delectabiliter moritur. Vide Apostolum patienter viventem, id est cum patientia hic non amare vitam, sed tolerare. Dissolvi inquit & esse cum Christo multò magìs optimum: manere autem in carne necessarium propter vos: Ergo fratres date operam, intus agite vobiscum, ut desideretis diem judicij: alter non probatur perfecta charitas, nisi cum cæperit ille dies desiderari. Ille autem eum desiderat, qui fiduciam habet in illo: ille autem fiduciam habet in illo, cujus conscientia non trepidat in charitate perfecta, atq; sincera. In hoc perfecta est dilectio ejus in nobis, ut fiduciam habeamus in die judicij. *Tom: 9. in epist: Ioan: Tract: 9. de cap: 4.* Ps. 6. 4. 1. Cor. 15. 52

Ut certum vivere sic certū mors. Nonne ex quo homo incipit vivere jam potest & mori? Possibilitatem mortis initium vitæ fecit. In hac terra, & in genere humano ille solus mori nondum potest, qui nondum cæpit vivere. Incertus ergo dies tanquam quotidianus sperandus est. Si autem tanquam quotidianus est incertus dies, componatur cum adversario dum est tecum in via. Via enim vocatur hæc vita per quam omnes transeunt, & non recedit iste adversarius. *Tom: 9. lib: de 10. chordis cap: 2.*

Quid est quod etiam bonam vis habere mortem? Quotidie enim

nim rogas ut quoniam mors ventura est, bonam mortem tibi det Deus: dicis, Deus avertat à me malam mortem. Plus ergo amas mortem tuam, quàm vitam tuam. Mori male times, & malè vivere non times; Corrige male vivere, time male mori. Sed noli timere: non potest male mori qui bene vixerit. Prorsus confirmo, audeo dicere. Credidi propter quod locutus sum: non potest male mori qui bene vixerit. Jam tu dicis tibi. Nam multi justi naufragio perierunt: Certe non potest male mori qui bene vixerit. Nam multos justos gladius peremit hostilis? Certe non potest male mori qui bene vixerit *Et infra.* Oculos fidei interroga: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Quidquid ergo est, quod exhorres in morte, omnino non exhorreas, si eos imitaris. *Et infra.* Quid proderat diviti sepulchrum marmoreum sitienti apud inferos? Quid oberant pauperi panni cum sanie ulcerum ejus, requiescenti in sinu Abrahæ? Longè vidit eum requiescentem quem contempserat jacentem. Modo elige mortem. Dic mihi quis bene mortuus est, quis male? Puto quia melius ille pauper, quam ille dives. An vis aromatibus sepeliri & apud inferos sitire? Respondes, absit à me. Puto quod hoc dices. Disces ergo bene mori si didiceris bene vivere. Merces enim bonæ vitæ æterna est. *Tom. 9. lib: de disciplina Christiana cap:* 12.

Vitam bonam mors optima manet.

Ps. 115.

MORTUUS.

PONITE (inquit Sancta Monica Filio suo Sancto Augustino) hoc corpus ubicunq; nihil vos ejus cura conturbet, tantùm illud vos rogo, ut ad Domini Altare memineritis mei, ubicunque fueritis. *Tom:* 1. *lib:* 9. *confess: cap:* 11

Honorifica sepulturæ gloriosæ contemptus.

Dimitte illi debita sua, si quæ contraxit per tot annos post aquam salutis. Dimitte Domine, dimitte obsecro, nè intres cum ea in judicium. Orabat Sanctus Augustinus pro defuncta Matre. *Ibidem cap:* 13

Oratio pro defunctis.

Mortui si piè vixerunt, honorandi sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Si autem malè vixerunt, colendi non sunt. *T.* 1. *l. de ver: Relg: c:* 56.

Piè mortuis honor debetur.

1. Cor. 15. 52

Ut radius oculi nostri non citiùs pervenit ad propinquiora, quàm ad longinquiora, sed utraq; intervalla pari celeritate contingit; ita cum in ictu oculi, sicut Apostolus dicit, fit resurrectio mortuorum, omnipotentiæ Dei & ineffabili nutui, tam facilè est quæque quàm diuturno tempore dilapsa cadavera suscitare. *T.* 2. *ep.* 49

Quæ cùm ita sint, non existimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, pervenire, nisi quod pro eis sive Altaris, sive orationum, sive eleemosynarum sacrificiis solenniter supplicamus, quamvis non omnibus, pro quibus fiunt, prosint, sed iis tantùm, quibus dum vivunt, cpmparatur, ut prosint. Sed quia non discernimus qui sunt, opportet ea pro regeneratis omnibus facere. Meliùs enim supererunt eis ista, quibus nec obsunt, nec prosunt, quam eis deerunt, quibus prosunt. *T.* 4. *lib: de cura pro mortuis c:* 18.

Oratio pro animabus.

Monumentum eo quod moneat mentem rectè nuncupatur. Verum etsi aliqua necessitas, vel humari corpora, vel in talibus locis humari, nulla data facultate permittat, non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum: quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumq; sub generali commemoratione suscepit Ecclesia: ut quibus ad ista desunt Parentes vel Filii, aut quicunque cognati vel amici, ab una eis exhibeantur pia Matre communi. *Ibidem cap:* 4.

Ecclesia mater post mortem solicita pro filiis

Quid

Christianæ sepulturæ cura laudabilis.

Quid sibi autem velit, à tanto viro (intelligit Jacob Patriarcham) tam solicita corporis commendatio, ut non in Ægypto sepeliatur, sed in terra Chanaam. *Et vide infra.* Ubi ergo sepelienda erant cadavera Patriarcharum, nisi in ea terra ubi ille crucifixus est, cujus sanguine facta est remissio peccatorum? Dicunt autem ab eo loco, quod Abrahamium vocatur, ubi sunt ista corpora abesse locũ, ubi crucifixus est Dominus ferè triginta milliaribus, ut etiam ipse numerus significare intelligatur, qui in baptismo apparuit ferè triginta annorum. *T. 4. l: 1. in Gen: Quæst. 161.*

Non frustra arbitremur tales ac tantos homines Dei, tantam gessisse curam pro sepeliendis suis, cùm sit, atque esse debeat fidelium ista securitas, quod ubicunque corpora eorum sepeliantur, vel insepulta etiam inimicorum rabiei relinquantur, aut pro eorum libidine dilacerata absumantur, non ideo vel minùs integra, vel minùs gloriosa in eorum resurrectione futura. *Ibid.*

Magnæ perfectio est mori velle.

Frustra dicunt quidam, qui jam sanam fidem tenent, ideo se nolle mori ut proficiant, cum ipse profectus eorum in eo profectu sit, ut mori velint. Si ergo verum loqui volunt, non dicant, ideo mori nolo, ut proficiam, sed ideo mori nolo, quia parum profeci. Itaque mori nolle fidelibus non consilium est, ut proficiant, sed indicium quod parum profecerint. *Ibid: c: 17.*

Quæris utrum spiritus immundus, qui erat in Pythonissa potuerit agere, ut Samuel à Saule videretur, & loqueretur cum eo. Sed multò majoris miraculi est, quod ipse Sathanas Princeps omnium immundorum spirituum, potuit loqui cum Deo & petere ad tentandum Job justissimum virum; nec propterea magni meriti est cui loquitur Deus. Interest enim cum loquatur, quia & Imperator cum multis innocentibus non loquitur, quibus providentissimè consulit ad salutem: & cum multis nocentibus loquitur, quos jubet interfici. Quodsi hoc movet, quod licuerit maligno spiritui excitare animam justi, & tanquam de abditis mortuorum receptaculis revocare, nonnè magis mirandum est, quod Sathanas ipsum Dominum assumpsit & constituit super pinnaculum Templi. *Et infra.* Quanquam in hoc facto potest esse alius facilior intellectus & expeditior exitus ut non verè spiritum Samuelis excitatum à requie sua credamus, sed aliquod phantasma & imaginariam illusionem, Diaboli machinationibus factam: *Et infra.* Jam verò si illud movet, quomodo à maligno spiritu Sauli vera prædicta sunt: potest & illud mirum videri, quomodo Dæmones agnoverunt Christum, quem Judæi non agnoscebant. *Tom: 4. lib: 2. ad simpl. quæst: 3.*

Nulla justorũ corporibus infamia à dæmonibus vexari.

Matth. 4.

Luc. 14.

Pejor Judæorum quam Dæmonum in Christum malitia.

Pietas viventium, levamẽ mortuorũ est. Quibq prosunt suffragia pro mortuis.

Neq; negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium revelari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel Eleemosynæ in Ecclesia fiunt: Sed eis hæc prosunt, qui cùm viverent, ut hæc sibi postea possent prodesse, meruerunt. *Vide ibi plura. T. 4. lib: contra Dulcitium quæst: 2.*

Oratio pro mortuis.

Si nusquam in scripturis veteribus omninò legeretur, non tamen parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas: ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. *T. 4. lib: de cura pro mort: c: 1.*

Multa Christianorum corpora terra non texit: sed nullum eorum quisquam à terra & cælo seperavit, quam totam implet præsentiâ sui, qui novit unde resuscitet quod creavit. *Et infra.* Quamvis hæc in conspectu hominum dura & dira videantur, sed pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Proinde ista omnia, id

mnia, id est curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis solatia sunt vivorum, quam subsidia mortuorum. Si aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis aut nulla. Præclaras exequias in conspectu hominum, purpurato illi Diviti turba famulorum exhibuit: sed multò clariores in conspectu Domini, ulceroso illi pauperi ministerium præbuit Angelorum: *Et infra.* Sepulturæ curam etiam Philosophi contempserunt, & sæpe universi exercitus, dum pro terrena Patria morerentur, ubi postea jacerent, vel quibus bestiis escæ fierent, non curaverunt. Licuitq; Poëtis de hac re plausibiliter dicere: Cælo tegitur qui non habet urnam. Quantò minùs debent de corporibus insepultis insultare Christiani, quibus & ipsius carnis membrorumq; omnium reformatio, non solùm ex terra, verùm ex aliorum elementorum secretissimo sinu, quo dilapsa cadavera recesserunt, in temporis puncto reddenda & reintegranda promittitur. *Ibidem c. 2.*

Exequiarum pompa solatium viventium, non subsidium mortuorum.

Nec ideo tamen contemnenda & abjicienda sunt corpora defunctorum, maximèq; justorum ac fidelium, quibus tanquam organis & vasis ad omnia bona opera sanctus usus est spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid ejusmodi tantò charius est posteris, quantò erga Parentes major extitit affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora: quæ utiq; multò familiariùs atque conjunctiùs, quàm quælibet indumenta gestamus. *Ibidem c. 3.*

Iustorum corpora, organa Spiritus Sancti sunt.

Possunt & ab Angelis, qui rebus, quæ aguntur, hîc præsto sunt, audire aliquid mortui, quod unum quemq; illorum audire debere judicat, cui cuncta subjecta sunt. *Tom: 4. c. 15.*

Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua quæ hic aguntur, quæ necessarium est eos nosse, & quæ necessarium non est, eos non nosse, non solùm præterita vel præsentia, verùm etiam futura, Spiritu Dei revelante cognoscere: sicut non omnes homines sed Prophetæ, dum hîc viverent cognoscebant. *Ibidem.*

Angeli viventium opera narrant mortuis.

Nemo dubitet qui Christianus est, etiam nunc mortuos suscitari. *Et infra.* Amplius est resuscitare semper victurum, quam resuscitare moriturum iterum. De juvene illo resuscitato, gavisa est mater vidua: de hominibus in spiritu quotidie suscitatis gaudet Mater Ecclesia. Ille quidem mortuus erat corpore, illi autem mente. Illius mors visibilis visibiliter plangebatur; illorum mors invisibilis, nec quærebatur, nec videbatur. Quæsivit ille qui noverat mortuos. Ille solus noverat mortuos, qui poterat facere vivos. Nisi enim ad mortuos suscitandos venisset, Apostolus non diceret. Surge qui dormis: & exurge à mortuis & illuminabit te Christus. *Et infra.* Nemo tam facile excitat in lecto, quàm facile Christus in sepulchro. Tres autem mortuos invenimus à Domino resuscitatos visibiliter, millia invisibiliter. Quod autem mortuos visibiliter suscitaverit, quis novit? Non enim omnia, quæ fecit scripta sunt, Joannes hoc dixit, Multa alia fecit JESUS: quæ si scripta essent, arbitror totum mundum, non posse libros capere. *Tom: 10. serm: de verb: Dom: serm: 44. de tribus mortuis.*

Matth. 4. — *E. 5. 14.*

Plures moriuntur corpore plurimi mente.

Contristamur nos in nostrorum mortibus, necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi. Inde angimur, hinc consolamur. Inde infirmitas afficit, hinc fides reficit. Inde dolet humana conditio, hinc sanat divina promissio. Proinde pompæ funeris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio, vivorum sunt qualiacunq; solatia, non adjutoria mortuorum. Orationibus verò Sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari: ut cum eis misericordiùs agatur à

Pompa funeris vivorum solatium.

Purgatorii pœnæ bonis operibus mitigantur.

Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoq; id offerri commemoretur. Cum verò eorum commendandorum causâ opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo, non inaniter allegantur? non omnino ambigendum est, ita prodesse defunctis. Sed talibus qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem. Nam qui sine fide quæ per dilectionem operatur, ejusq; Sacramentis de corporibus exierunt, frustra illis à suis hujusmodi pietatis officia impenduntur, cujus, dum hic essent, pignore caruerunt, vel non suscipientes, vel in vacuum suscipientes Dei gratiam, & sibi non misericordiam thesaurizantes, sed iram. *Et infra.* Sit pro viribus cura sepeliendi, & sepulchra construendi: quia & hæc in scripturis sanctis, inter bona opera deputata sunt. Nec solum in corporibus Patriarcharum, aliorumq; Sanctorum, & humanis cadaveribus quorumcunq; jacentium, verum etiam in ipsius Domini corpore prædicati atq; colaudati sunt, qui ista fecerunt. Impendant hæc homines erga suos officia postremi muneris, & sui humani lenimenta mæroris. Verum illa quæ adjuvant spiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes, multo pro eis observantiùs, instantiùs, abundantiùs impendant, qui suos carne non spiritu mortuos, non solum carnaliter, sed etiam spiritualiter amant. *T. 10. ser: de verb: Apli: ser: 32. de illo ut de dormientibus non contristemur, &c.*

Quibus defunctis prosunt bona opera

Corpora sunt sepelienda.

MULIER.

Misera domus est, in qua mulier in virum dominatur.

VIr debet fæminam regere, non eam debet permittere dominari in virum. Quod ubi contingit, perversa & misera domus est. *T 1 lib: 2. de Gen. con: Man: c: 11.*

Nolo de ornamentis auri vel vestis præproperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos, qui neq; conjugati, neq; conjugari cupientes, cogitare debeant, quomodo placeant Deo. Fucari autem pigmentis quo vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est: quâ non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis permittendæ sunt fæminæ ornari secundùm veniam, non secundùm imperium. Nam verus ornatus maximè Christianorum & Christianarum, non tantùm nullus fucus mendax, verùm nè auri quidem vestisq; pompa, sed mores boni sunt. *T. 2. ep: 73.*

Mores optimi Christianorū ornatus.

An aliquis dixerit de costa hominis Deum fæminam tantùm, non etiam masculum, si hoc vellet, facere potuisse? Quapropter non invenio, ad quod adjutorium facta sit mulier viro, si pariendi causa subtrahatur. *T. 3. l: 9. de Gen: ad lit: c: 5.*

Eadem lege tenentur & mulieres

In fide Catholica quidquid mulieribus non licet, omnino nec viris licet. Uno enim pretio, id est Christi pretioso sanguine redimuntur, & viri simul & fæminæ. In unam fidem vocantur, & in uno Ecclesiæ corpore congregantur: simul baptismi sacramenta percipiunt, simul ad altare ad accipiendum Corpus & Snguinem Christi accedunt, simul utriq; sexui præcepta donata sunt. *Tom: 10. serm: de Temp: serm: 243 Dnica 22. post festum S. Trinitatis serm: 2.*

Mulier vitæ & mortis origo.

Quare fæmina nuntiavit Evangelium? quia per fæminam mors emendata est. Etenim fæminam nuntiantem mortem, consolata est fæmina nuntians vitam, quia mortua erat propinans mortem. Per fæminam nuntiatus est Christus, jam resurgens non moriturus. *Tom. 10 serm: nov: serm: 12. de illo Esatæ, qui autem dediti erunt mihi possidebunt terram, &c.*

Feli-

Felicitas quæ ſociam habebat perpetuam, & parturiebat, & dolebat, objecta beſtiis gaudebat potius quàm timebat. Quæ virtus in fæminis, qualis eſt gratia, quæ cum ſe infundit nullum indignum judicat ſexum? Gratias gratiæ Dei, reparavit etiam ſexum muliebrem. In opprobrium magnum mulier remanſerat: quia ab initio per mulierem peccatum, & propter hanc omnes morimur. Diabolus unam luem dejecit, ſed Chriſtus natus ex Virgine multas fæminas exaltavit. Perpetua & felicitas caput calcaverunt ſerpentis, quod Eva ad cor ſuum intus admiſit. *Tom. 9. lib: de temp: barbarice Tract: cap: 4.* *Robur gratiæ divinæ.*

MUNDUS.

Vive precor ſed vive Deo; nam vivere mundo
Mortis opus: viva eſt vivere vita Deo. Paulinus apud Auguſtinum. *Tom: 2. epiſt: 36.* *Solo vivit qui Deo vivit.*

Vincula hujus mundi aſperitatem habent veram, jucunditatem falſam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miſeriæ, ſpem beatitudinis inanem. His nè tu inſeras & collum & manus & pedes, cum & honoribus hujuſce modi ſubjugari affectas? Quo non modo invitatus, ſed nè compulſus quidem ire debuiſti. *Ibid: ep: 39.* *Mundi vanitas.*

Fortè adhuc mundus amandus eſt; tanta rerum labe contritus, ut etiam ſpeciem ſeductionis amiſerit. Nam quantùm illi laudandi atque prædicandi, qui dignati non ſunt etiam cum mundo florente florere; tantùm increpandi & accuſandi ſunt, quos perire cum pereunte delectat. *Ibid: ep: 45.*

Vana ſæculi ſi inexperta concupiſti, experta contemnas. Fallax eſt enim in eis ſuavitas & infructuoſus labor, & perpetuus timor, & periculoſa ſublimitas, initium ſine fine prudentia, & finis cum pænitentia. Ita ſe habent omnia, quæ in iſtius mortalitatis ærumna cupidiùs quàm prudentiùs appetuntur. *Ibid: ep: 82.* *Periculoſa mũdi ſublimitas.*

Uſq; adeo hic mundus carus eſt hominibus, ut ſibimet ipſis viluerint *Ibid: epiſt: 162.* *Mundi caritas, pretium aufert homini*

Gen 46 34. Abominatio eſt Ægyptiis omnis paſtor ovium. Meritò Ægyptiis, in quibus eſt figugurata præſentis ſæculi, in quo abundat iniquitas, abominatio eſt omnis paſtor pecorum. Abominatio eſt enim iniquo vir juſtus. *T. 4. lib: 1. quæſt: in Gen quæſt: 154.* *Virtus abominabilis eſt, mundi amatoribus.*

Viſibilium omnium maximus eſt mundus, inviſibilium omnium eſt Deus. Sed mundum eſſe conſpicimus, Deum eſſe credimus. *T. 5. l: 11: de Civit: Dei cap: 4.* *Viſibilium omnium maximus mundus eſt.*

Si infinita ſpatia temporis ante mundum cogitant, in quibus eis non videtur Deus ab opere ceſſare potuiſſe: Similiter ergo cogitent extra mundum infinita ſpatia locorum, in quibus ſi quiſquam dicat non potuiſſe vacare omnipotentem, non nè conſequens erit, ut innumerabiles mundos cum Epicuro ſomniare cogatur. *Tom: 5. lib: 11. de Civit: Dei cap: 5.* *Præter Deum nihil ab æterno.*

Evaſimus quod iſtum nuntium quiſquis diligenter adverterit, non cogitur lugere, quia malus eſt, ſed ridere quia falſus eſt. *T. 6. lib: 2. con: Fauſtum cap: 6.* *Mundus lugendus.*

Mar. 16 Non tantùm hæreticis, verùm etiam hominibus malis cæteris, plenus eſt orbis, quia & Sanctis ac fidelibus Dei ſervis plenus eſt orbis: quia & mare plenum eſt amaris fluctibus, plenum eſt & dulcibus piſcibus. *T. 7. lib: 3. con: Creſcon: Gram: c: 66.* *Mali inter bonos.*

Pſ. 65. 6. Qui convertit mare in aridam. Mare erat mundus amarus falſitate, turbulentus tempeſtate, ſæviens fluctibus perſecutionum, *Converſio gentium.*

mare erat. Certe in aridam conversum est mare: modo sitit aquam dulcem mundus quia salsa plenus erat. Quis hoc fecit? Qui convertit mare in aridam. Jam anima gentium omnium quid dicit? Anima mea velut terra sine aqua tibi. *T. 8. in psal: 65.*

Creaturarum pulchritudo divinæ indicium.

Videmus fabricam mundi amplam quandam ex cælo & terra, & omnium quæ in eis sunt. Et ex hujus fabricæ magnitudine ac pulchritudine fabricatoris ipsius inæstimabilem magnitudinem & pulchritudinem etsi nondum videmus jam tamen amamus. *Con: 1. de 1. parte psal: 103.*

Quid est tibi mare quod fugisti? Quid est o sæculum quod tua impedimenta cesserunt? Quid est o tot millia hominum toto orbe fidelium huic mundo renuntiantium quod ad vestrum Dominum convertimini? *Et infra.* Quid est à facie Domini Dei Jacob: nisi ejus præsentia qui dixit. Ecce ego vobiscum sum usq; in consummationem sæculi? Commota est enim terra: sed quia male pigra remanserat, commota est ut solidius firmaretur à facie Domini. *Con: 1, de prima parte psal: 113.* *Ps. 113 5.*

Divites avarè non sibi colligunt.

Babylonia est mundus iste. Babylonia enim interpretatur confusio. Videte si non est confusio tota vita humana. Quidquid agunt homines in spe vana, cum cognoverint quid agunt, erubescunt. Quare laborant? cui laborant? Filiis meis inquit. Et ipsi cui? filiis suis. Et ipsi quibus? filiis suis. Nemo ergo sibi. Ab ista ergo confusione jam aversi erant quibus Apostolus dixit. Quam ergo gloriam in his in quibus nunc erubescitis? Confusio est ergo ista tota vita rerum humanarum non pertinens ad Deum. In hac confusione id est in ista Babylonia captiva tenetur Sion. Sed convertit Dominus captivitatem Sion, & facti sumus inquit sicut consolati: id est Gavisi sumus tanquam consolationem accipientes. *T. 8. Expos: psal: 125.*

Homines sunt mundus.

Et bene dicuntur mundus illi, qui habitant in mundo: sicut bene dicuntur domus illi, qui inhabitant domum. Mundus ergo & mundus. Mundus per eum factus est, & mundus eum non cognovit. *Enar: in psal: 141.*

Mundi promissa semper fallunt, Dei autem promissa nunquam fallunt. Sed quia mundus: quod pollicetur, hic videtur daturus, id est in hac terra morientium, in qua nunc sumus: Deus autem quod pollicetur in terra viventium nobis daturus est; multi fatigantur expectare veracem, & non erubescunt amare fallacem. *T. 10. ser: de verb: Ap: ser: 23. de illo spe salvi facti sumus, &c.*

Miser est qui plus corpori quam animæ indulget.

Illud ante omnia memoriter retinete, & jugiter expavescite quod scriptum est, impedimenta mundi fecerunt eos miseros. Sic ergo te occupabis in domo tua, ut non negligas animam tuam. Ad extremum si amplius non, vel tantum laboras pro anima tua, quantum pro carne tua laborare te consideras. *Tom: 10. serm: de temp: serm: 55. Feria 4. in capite jejunij serm: 1.*

Iste mundus aut ridet nos, aut ridetur à nobis: aut acquiescimus & despicimur, aut contemnimus, ut cætera præmia consequamur. Ac sic aut contemnis, & despicis mundum, aut acquiescis, & premeris vel calcaris à mundo. Sed melius est ut calces mundum, & calcato eo, gradum tibi facis per quem in sublime conscendas. *Ibidem.*

Mundus amabilis quia amarus quid si dulcis foret?

Amaram potionem mundus suis dilectoribus propinat. O infelicitas generis humani! Amarus est mundus, & diligitur, putas, si dulcis esset, qualiter amaretur? vos alloquitur veritas dilectores mundi, ubi est quod amastis, ubi est quod pro magno tenebatis, ubi est quod dimittere nolebatis, ubi sunt tot regiones, ubi tantæ splendidissimæ civitates: Lugendo potius ista dicta sunt, quam insultando.

do. Magno affectu ista deputarentur, si tantummodo audirentur. At cum oculos nostros dira calamitas & obsidionis percusserit, & nunc tempore mortalitatis affligat, mortuorum hominum sepeliendis corporibus vix illi qui remanere videbantur, occurrerent. Considerantes etiam illa mala quæ justo Dei judicio illata sunt, quando totæ provinciæ in captivitatem ductæ sunt, sustinuimus matresfamilias abductas prægnantes, abscissas, & nutrices avulsis è manibus parvulis, atq; in vias projectis, nec vivos ipsos filios retinere, nec mortuos permiserunt sepelire. Cruciatus magnus & dolor, timor & honor tortores cordis pariter insistebant, maximè cum à talibus fæminis hoc impia barbarica exigebat potentia, ut quæ se sciebat multorum mancipiorum fuisse Dominam, barbarorum se subito sine ullo pretio lugeret ancillam. Sic impletum est in nobis illud quod dictum est per Prophetam David: vendidisti poculum tuum sine pretio, & non fuit multitudo in commutationibus eorum. Dura à delicatis & à nobilibus mulieribus servitia sine ulla miseratione humanitatis à barbaris exacta sunt. *Et infra.* Plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei: non solum mortem corporum, verum etiam animarum, Christianis loquimur: multos cognovimus in ista visitatione sine sacramento baptismi ex ipsa vita fuisse ereptos, atq; inter vasa iræ relictos. Quis luctus idoneior, quis planctus celsior inveniri potest, quando sic exarsit ira omnipotentis, ut repelleret; etiam tabernaculum suum, in quo habitavit in hominibus? Et ille etiam qui unico Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, nec pretium tanti sanguinis attēderit, nulli Ecclesiæ, nulli clero, nulli sacratæ Virgini, nulli parcere civitati. *Tom: 10. serm: de Temp: serm: 111. Feria 5. post Dnicam Passionis.*

Timor & dolor tortores cordis.

Ps. 43. 13.

1. Thim 6. 6. Est autem quæstus magnus. Quæstus est acquisitio lucri. Est autem quæstus magnus inquit, pietas cum sufficientiâ. Communem habetis cum divitibus mundum: non communem habetis cum divitibus domum, sed commune habetis cælum, communem lucem. Sufficentiam quærite: quod sufficit quærite, plus nolite. Cætera gravant non sublevant; onerant, non honorant. *Ibid: serm. 205. Dnica 5. post festum S. Trinitatis serm: 1.*

Si finis mundi est, migrandum est de mundo, non amandus mundus. Ecce turbatur mundus. Quid si tranquillus esset mundus? Formoso quomodo hæreres, qui sic amplecteris fædum? Flores ejus quomodo colligeres, qui à spinis non revocas manum? non vis relinquere mundum, relinquit te mundus, & sequeris mundum. *Ibid: ser: 245. Dnica 23. post idem festum ser: 1.*

Duplicem, dixi aciem, producit mundus contra milites Christi. Blanditur ut decipiat, terret, ut frangat. Non nos teneat voluptas propria, non nos terreat crudelitas aliena: & victus est mundus. Ad utrosq; adytus occurrit Christus, & non vincitur Christianus. *Tom: 10. serm: de Sanctis serm: 12. in festo S. Vincentii Mart.*

2. Cor. 5. 19. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Persequitur mundus damnatus, persecutionem patitur mundus reconciliatus. Mundus damnatus quidquid præter Ecclesiam: mundus reconciliatus Ecclesia. *Ibid: de diver: ser: 47. in 16. caput Matthæi.*

Blanditiæ & terror mundi laquei.

Totus mundus fornax artificis. Ibi justi tanquam aurum: ibi impii tanquam palea. Ibi tribulatio sicut ignis: ibi Deus sicut aurifex. Pius Deum laudat, aurum rutilat: impius Deum plasphemat, palea fumat. Ad unam tribulationem tanquam unum ignem ille purgatur, ille vastatur: sed Deus aurifex, in utroq; laudatur. *Tom: 10 Parte 2. ser: de diver: ser: 110. de Machabæis.*

Mundus fornax aurificis Dei.

Mala iniquis fiunt in mundo, aspera, immunda, odiosa. Fœdus est, non ametur. Ecce talis est, & sic amatur. Ruinosa est domus, & piget migrare. Matres sive nutrices, ne pueri multum sugant, ubi eos grandescere viderint, & non jam decere ut lacte nutriantur illos tamen moleste mammis tribuere, circum linunt papillas suas, aliqua amaritudine, qua offensus parvulus lac ulterius non requirat. Quid ergo adhuc tam delectabiliter sugitur, si amarus tibi factus est mundus? Implevit Deus amaritudinibus mũdum: & inhias tu, sugis tu: nonnisi inde & inde voluptatem captas. Quamdiu? quid si dulcis esset quomodo amaretur? *Et infra.* Ama Deum, contemne ista: despice res humanas quandocunque hinc iturus. Non enim hic futurus semper: & tamen sic quomodo malus est, quomodo amarus est mundus, quomodo plenus calamitatibus est mundus, si dictum tibi esset à Deo, quod semper hic esses, lætitiâ te non caperes, exultares, gratias ageres, unde? Quia miseriam non finires. Ipsa est major infelicitas, quæ se amari cogit. Minor esset si non amaretur. Tanto pejor est, quanto plus amatur. *Ibid. ser: 115. de festo S. Cypriani Mart.*

Mundus fœdꝰ & amatur.

Mundus tanto pejor quanto plus amatur.

Ecce temporibus Christianis tantæ præssuræ sunt, vastatur mundus, responde tu. Hoc mihi antequam veniret prædixit Christus. Quare enim turbaris? Pressuris mundi turbatur cor tuum, quomodo navis illa ubi dormiebat Christus. Ecce quæ causa est, homo cordate, ut turbetur cor tuum. Navis ista in qua Christus dormit, cor est ubi fides dormit. Quid enim tibi novi dicitur Christianè, quid enim tibi novi dicitur? Temporibus Christianis vastatur mundus, deficit mundus. Non tibi dixit Dominus tuus, vastabitur mundus. *Et infra.* Miraris quia deficit mundus? Mirare quia senuit mundus. Mundus homo est, nascitur, crescit, senescit. Querelæ multæ in senecta: tussis, pituita, lippitudo, anxietudo, lassitudo inest. Ergo senuit homo: querelis plenus est: senuit mundus: pressuris plenus est. Parum tibi præstitit Deus, quia in senectute mundi misit tibi Christum, ut tunc te reficiat, quando cuncta deficiunt. *Et infra.* Ideo seni Abrahæ natus est filius, quia erat utiq; Christus in ipsius mundi senectute venturus. Venit cum omnia veterascerent, & novum te fecit. Res facta, res condita, res peritura jam vergebat in occasum. Necesse erat ut abundaret laboribus: venit ille, & consolari te inter labores, & permittere tibi in sempiternum quietem. Noli adhærere velle seni mundo, & nolle juvenescere in Christo, qui tibi dicit, perit mundus, senescit mundus, deficit, laborat anhelitu senectutis. Noli timere, renovabitur juventus tua sicut aquilæ. Ecce, inquit, Christianis temporibus Roma periit. Forte Roma non periit: forte flagellata est, non interempta: forte castigata est, non deleta. Forte Roma non perit, si Romani non pereunt. Non enim peribunt si Dominum laudabunt: peribunt, si blasphemabunt. Roma enim quid est nisi Romani. *Ibid: ser: 33. de eo quod commonemur à scandalis mundi cavere.*

Deus admonet prius quam puniat.

Cultus Dei & Regum & Regnorum integritas.

Ego vos de mundo elegi, venit ad te qui fecit mundum, & liberavit te de hoc mundo. Si delectat te mundus, semper vis esse immundus, si autem jam te non delectat mundus, jam tu es mundus. Verumtamen si per aliquam infirmitatem adhuc te delectat mundus, habitet in te qui mundat, & eris mundus. *Et infra.* Tota ergo infelicitas Judæorum ipsa erat, non peccatum non habere, sed in peccatis mori. Hoc est quod debet fugere omnis Christianus. *T: 9. in Ioan: Tract: 38 de cap: 8.*

Mundi odium gratiam Dei conciliat.

Et mundus per eum factus est. Universus itaque mundus. à summis cælis usq; ad infimam terram creatori est subditus, non desertori,

Mundus Deo subditus.

sertori, redemptori non interemptori: liberatori non captivatori, doctori non deceptori. *Ibid: Tr. 79. de cap:14.*

Totus ergo mundus Ecclesia est, & totus mundus odit Ecclesiam. Mundus igitur, odit mundum, inimicus reconciliatum, damnatus salvatum, inquinatus mundatum. *Et infra.* Ex eadem quippe massa quæ tota in Adam periit, fiunt vasa misericordiæ, in quibus est mundus pertinens ad reconciliationem: quam mundus odit, ex eadem massa, pertinens ad vasa iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem *Et infra.* Si autem quæratur quomodo se diligat mundus perditionis, qui odit mundum redemptionis: diligit se utiq; falsa dilectione non vera, proinde falso se diligit, & vere odit. Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam. Sed diligere se dicitur, quoniam iniquitatem, qua iniquus est diligit: & rursus odisse se dicitur, quoniam quod ei nocet, hoc diligit. Odit ergo in se naturam, diligit vitium: odit quod factus est per Dei bonitatem, diligit quod in eo factum est per liberam voluntatem. *Ibid: Tract. 87. de cap: 15.*

Exhorresce quod minatur omnipotens, ama quod pollicetur omnipotens: & vilescit omnis mundus, sive promittens sive terrens. *In ep: Ioan: Tr: 3. de cap: 2.*

Mundus iste omnibus fidelibus quærentibus Patriam sic est, quomodo fuit eremus populo Israel. Errabant quidem adhuc & Patriam quærebant: Sed duce Christo errare non poterant. Via illis fuit visio Dei. Nam ubi per quadraginta annos circumjerunt, paucissimis mansionibus conficitur iter ipsum, & notum est omnibus. *Et infra.* Sed si non vultis in ista eremo siti mori, bibite charitatem. Fons est quem voluit Dominus hic ponere, ne deficiamus in via: & abundantius eum bibemus, cum ad Patriam venerimus. *Ibidem Tract: 7. de cap: 4.*

Mundus eremus bonorum.

Quid tibi cum pompis diaboli amator Christi? Noli te fallere: odit enim tales Deus, nec inter suos deputat professores, quos cernit viæ suæ desertores. Ecce ruinosus est mundus. Ecce tantis calamitatibus replevit Dominus mundum, ecce amarus est mundus, & sic amatur. Quid faceremus si dulcis esset? O munde immunde, teneri vis periens, quid faceres si maneres? Quem non deciperes dulcis, si amarus alimenta mentiris? vultis dilectissimi non inhærere mundo? eligite amare creatorem mundi: & renuntiate pompis mundanis, quibus princeps est diabolus cum Angelis suis. *Tom: 9. lib: 4. de symb: ad Cathechum: cap: 1.*

Amor mundi.

NATURA

O Rerum naturæ obscuritas, quantum tegmen est falsitatis! *Tom: 1. de morib: Manich: cap: 16.*

Falsitas naturæ obscuritas est.

Latet ratio diversarum commutationum: hinc est omnium visibilium sylva miraculorum. *Tom: 2. ep: 101.*

Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adjuvante servaret. Cum igitur sine Dei gratia non posset custodire, quod accepit: quomodo sine Dei gratia posset reparare quod perdidit. *Ibidem ep: 106.*

Pænitentia speciale Dei opus.

Quanquam magna natura sit, tamen vitiari potuit, quia summa non est, & quanquam vitiari potuerit, quia summa non est, tamen quia summæ naturæ capax est, & esse particeps potest, magna natura est. *Tom: 3. lib: 14. de Trinit: cap: 4.*

Magnum summi capax est.

Neq; enim divinorum librorum tantummodo authoritas, Deum esse

um esse prædicat; sed omnis quæ nos circumstat, ad quam nos etiam pertinemus, universa ipsa rerum natura proclamat, habere se præstantissimum conditorem, qui nobis mentem rationemq; naturalem dedit, quâ viventia non viventibus, sensu prædita non sentientibus, intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, non impotentibus potentia, injustis justa, speciosa deformibus, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, beata miseris, præferenda videamus. Ac per hoc quoniam rebus increatis Creatorem sine dubitatione præponimus, opportet, ut eum & summè vivere, & cuncta sentire atq; intelligere, & mori, corrumpi, mutariq; non posse: nec corpus esse sed spiritum omnium potentissimum, justissimum, speciosissimum, optimum beatissimumque fateamur. *Ibid: lib: 15. cap: 4.*

Omnia docent Deum esse.

Quanquam sine productione temporis faciat Deus, cui subest posse cum volet, ipsæ tamen naturæ temporales, motus suos temporaliter peragunt. Ita fortasse dictum est: & facta est vespera; & factum est mane dies unus. Nam in ipsa ratione operationem contemplatus est in Spiritu sancto qui dixit: qui manet in æternum, creavit omnia simul. *T. 3. Eccl: 18. lib: de gen ad liter: c: 7.*

Velle divinum posse est.

Distribuuntur elementa ad patiendum duo: humor & humus; ad faciendum autem alia duo, àër & ignis. *T. 3. l: 3. de Gen: ad lit: c. 10.*

Inest enim quoddam omnibus naturæ sui generis decus, sic ut majore attentione stupeamus agilitatem muscæ volantis, quàm magnitudinem jumenti gradientis; ampliusq; miremur opera formicarum, quàm onera camelorum. *Ibidem cap: 14.*

Magis admirãda sunt humilia.

Deus naturarum optimus conditor: peccantium verò justissimus ordinator est: ut etiam si quâ singillatim fiunt delinquendo deformia, semper tamen cum eis universitas pulchra sit. *Ibid: c: 24.*

Quæ faciunt verbum ejus. Satis ostendit earum quoq; rerum ordinem divino subditum imperio, latere nos potiùs, quàm universaliter deesse naturæ. *Ibid: lib: 5 c: 21.*

Ordinata omnia Deus fecit

Neque ulla natura mali est, sed amissio boni, hoc nomen accepit. *Ibid. lib: 8. cap: 14.*

Quid sit malum?

Naturas creans bonitate, voluntates ordinans potestate: ut in naturis nulla sit, quæ non ab ipso sit, in voluntatibus autem nulla bona sit, cui non præsit, nulla mala sit, quâ bene uti non possit. *Ibidem lib: 8. cap: 23.*

Nihil malum, quo Deus bene uti non possit.

De infantibus loquimur, non quia nascuntur plerumque de adulteris, neque enim in pravis moribus, naturæ dona culpanda sunt: aut propterea non debuerunt germinari frumenta, quod ea severit furantis manus, aut verò ipsis Parentibus obfutura sit iniquitas sua, si se ad Deum convertendo correxerint, quantò minùs filiis si rectè vixerint. *Ibid: lib: 10. c: 13.*

Nulli ignominia est, bene à malo dirigẽ.

Mali nulla natura est, sed amissio boni, mali nomen accepit. *Ibidem lib: 11. cap: 9.*

Quia natura nostra, ut esset, Deum habet Authorem, procul dubio, ut vera sapiamus, ipsum debemus habere Doctorem, ipsum etiam, ut beati simus, suavitatis intimæ largitorem *Ibid: c: 25.*

Veræ sapiẽtiæ Deus Doctor.

Cujus rectè vituperatur vitium, procul dubio natura laudatur. Nã rectè vitij vituperatio est, quod illo dehonestatur natura laudabilis. *Et infra.* Quapropter etiam vitio malorum Angelorum, qui non adhærent Deo: quoniam omne vitium naturæ nocet, satis manifestatur Deum, tam bonam eorum creâsse naturam, cui noxium sit non esse cum Deo. *Ibid: lib: 12. cap: 1.*

Laudat naturam qui vitium vituperat

Natura non est contraria Deo, sed vitium; quia, quod malum est, contrarium est bono. Quis autem neget Deum summè bonum? vitium

vitium ergo contrarium est Deo, tanquam malum bono. Naturæ verò quam vitiat non tantum malum, sed etiam noxium. *Ibid: c: 3.*

Si bonæ [intellige naturæ) non essent, eis vitia nocere non possent. Nam quid eis nocendo faciunt, nisi adimant integritatem, pulchritudinem, salutem, virtutem, & quidquid boni naturæ per vitium detrahi sive minui consuevit? quod si omnino desit, nihil boni adimendo, non nocet, ac per hoc nec vitium est. Nam esse vitium, & non nocere non potest. *Ibid: cap: 3*

Malum boni indicium.

Non itaq; ex commodo vel incommodo nostro, sed per se ipsam considerata natura, dat Artifici suo gloriam. Sic est & natura ignis æterni, sine ulla dubitatione laudabilis, quamvis damnatis impiis futura pænalis. Quid enim est igne flammante, vigente atq; lucente pulchrius, quid calefaciente, curante, coquente utilius, quamvis eo nihil sit urente molestius. *Ibid. cap: 4.*

Pœna etiam inferni, laudabilis est.

Non igitur opus est in peccatis vitiisq; nostris, ad creatoris injuriam carnis accusare naturam: quæ in genere atq; ordine suo bona est sed deserto creatore bono, vivere secundum creatum bonum, non est bonum: sive quisq; secundùm carnem, sive secundū animam, sive secundùm totum hominem, qui constat ex anima & carne eligat vivere. *Et infra.* Sanato vitio, totum quod amare, nihil autem quod debeat odisse, remanebit. *Ibid: l: 14 c. 5. & 6*

Vnicum malum peccatum

Quorundam naturas novimus multis cæteris dispares, & ipsa raritate mirabiles. Sunt enim qui & aures moveant, vel singulas vel ambas simul. Sunt qui totam cæsariem capite immoto, quantum capilli, deponunt ad frontem, revocantq; cum volunt. Ipse sum expertus sudare hominem solere, cum vellet. Notum est quosdam flere cum volunt, atq; ubertim lacrymas fundere. Illud est incredibilius, quod pleriq; fratres memoriâ recentissimâ experti sunt. Presbyter fuit quidam, nomine Restitutus, in Paræcia Calamensis Ecclesiæ; qui quando ei placebat, ita se auferebat à sensibus, & jacebat simillimus mortuo: ut non solum vellicantes atq; pungentes minimè sentiret: sed aliquando etiam igne ureretur admoto, sine ullo doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere; non autem obnitendo, sed non sentiendo, non movere corpus eo probabatur, quòd tanquam in defuncto nullus inveniebatur anhelitus: Hominum tamen voces si clariùs loquerentur, tanquam de longinquo se audisse postea referebat. *Ibid: lib: 14. c: 24.*

Diversæ hominum naturæ.

Naturæ miracula.

Vidi non ipse solus, sed aliquot mecum in Vticensi littore molarem hominis dentem tam ingentem, ut si in nostrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videretur facere potuisse; sed illum Gigantis alicujus fuisse crediderem. *Tom: 5. lib: 15. de Civit: Dei cap: 9.*

In ipso homine fit quidam justus ordo naturæ, ut anima subdatur Deo, & animæ caro, ac per hoc Deo & anima & caro. *Ibidem lib: 19 cap: 4.*

Obedienti Deo caro obedit.

Propter solam linguarum diuersitatem nihil prodest ad consociandos homines, tanta similitudo naturæ: ita ut libentiùs homo sit cum cane suo, quam cum homine alieno. *Ibid: cap: 7.*

Lingua homines dissociat.

Nullum vitium ita contra naturam est, ut naturæ deleat etiam extrema vestigia. *Ibidem cap: 12.*

Nemo malus naturā exuit.

Peccato suo teste convincitur bonam conditam se esse naturam. Nisi enim magnum & ipsa, licet non æquale conditori bonum esset, profecto desertio Dei tanquam luminis sui malum, ejus esse non posset. Nam sicut cæcitas oculi vitium est, & idem ipsum indicat, ad lumen videndum oculum esse creatum, ita natura, quæ fruebatur Deo, optimam se institutam docet etiam ipso suo vitio,

Natura optimam se docet etiam ipso vitio.

quo ideo misera est; quia non fruitur Deo. *Tom: 5. lib: 22. c: 1.*

Omne quod ad interitum tendit, ad non esse tendit. *Et infra.* Quid quæris Deo naturam contrariam, quem si confiteris summè esse, vides ei non esse contrarium? cur ergo inquis? quod naturæ Deus dedit, tollit corruptio? Non tollit nisi ubi permittit Deus: ibi autem permittit, ubi ordinatissimum & justissimum judicat pro rerum gradibus & pro meritis animarum. Nam & species vocis emissæ præterit, & silentio perimitur; & tamen sermo noster ex præeuntium verborum decessione ac successione peragitur, & moderatis silentiorum intervallis, decenter suaviterq; distinguitur; ita se habet etiam temporalium naturarum infima pulchritudo, ut rerum transitu peragatur, & distinguatur morte nascentium. Cujus pulchritudinis ordinem, & modos si posset capere sensus noster, atq; memoria, ita nobis placeret, ut defectus, quibus distinguitur; nec corruptiones vocare auderemus. *Ibid: c: 41.*

Mors ipsa naturæ pulchritudo.

Amicus quidam meus jam inde ab adolescentia, simplicius nomine, homo excellentis mirabilisq; memoriæ, cum interrogatus esset à nobis, quos versus Virgilius in omnibus libris supra ultimos dixerit? continuo celeriter memoriterq; respondit. Quæsivimus etiam superiores ut diceret, dixit: Et credimus eum retrorsum posse recitare Virgilium. De quocunque loco voluimus, petivimus ut faceret, fecit. Præterea etiam de quacunque oratione Ciceronis, quam memoriæ commendaverat, id eum facere voluimus, quantum voluimus sursum versus secutus est. Cum admiraremur, testatus est Deum, nescisse se hoc posse ante illud experimentum. *Tom: 7 lib: 4 de anima c: 7.*

Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Non ergo se extollat, non se jactet, non sibi arroget virtutem propriam egena & vitiata natura, ô humana natura! o Adam quando sanus eras, non stetisti, & tuis viribus surrexisti? *Tom: 10. serm: de verb: Apost: ser: 6 Igitur ipse ego mente servio legi Dei:*

Virtus nostra omnis à Deo est non natura.

Idonea fuit humana natura per liberum arbitrium vulnerare se: sed jam vulnerata & saucia non est idonea per liberum arbitrium sanare se. Si enim volueris intemperanter vivere ut ægrotes, ad hoc Medicum non inquiris, ad labem sufficis tibi. Cum autem intemperanter agens cæperis esse ægrotus, non sic potes ab ægritudine liberare te, quomodo potuisti per intemperantiam te in ægritudinem præcipitare: & tamen Medicus etiam sano præcipit temperantiam. Bonus Medicus hoc facit, non vult esse necessarius ægrotanti. Sic etiam Dominus Deus creato homini sine vitio temperantiam præcipere dignatus est: quam si ille servasset, Medicum postea morbo suo non desideraret. Sed quia non servavit, languidus factus est, cecidit infirmus, creavit infirmos, id est infirmos genuit infirmus. *Et infra.* Parum est qui gratis sanaret, qui sanatis etiam mercedem daret. Nihil addi ad istam benevolentiam potest. Quis est qui dicat, sanem te, & do tibi mercedem? Optimè fecit. Sciebat enim se divitem venisse ad pauperem, & sanat ægrotos, & sanatis donat; & non aliud quam seipsum donat. Salvator est adjutorium languidi, ipse Salvator est præmium sanati. *Ibid: serm: 13 de illo, si enim data lex esset, quæ possit vivificari.*

Christus & sanat & præmiat sanatos.

NOBILITAS.

Nobilis superbus ignobilis.

MAla nobilitas, quæ se per superbiam apud Deum reddit ignobilem. Erubescunt ergo nobiles & potentes, Sanctis & peregrinis abluere pedes in hoc sæculo. Sed si se non correxerint, plus

habent

habent erubescere, & dolere cùm ab illorum consortio separati fuerint in futuro. Tunc sine ullo pænitentiæ remedio affligentur, cùm illos quos despexerāt propter humilitatem viderint accipere regnum, se propter superbiam meruisse supplicium. *Tom.* 10. *serm: de Temp: serm:* 127 *Feria* 5. *in Cæna Domini serm:* 1.

Io. 8. 33. Semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus unquam. Quomodo tu dicis, liberi eritis? O pellis inflata! Non est ista magnitudo, sed tumor. Et hoc ipsum secundùm hujus temporis libertatem quomodo verum dixistis, nemini servivimus unquam? Joseph non est venundatus? Prophetæ sancti in captivitatem non sunt ducti? Deinde nonne ipse ille est populus, qui in Ægypto lateres faciebat, & regibus duris non saltem in auro & argento, sed in luto serviebat? Si nemini servivistis unquam ô ingrati, quid est quod assiduo vobis imputat Deus, quòd vos de domo servitutis liberavit? An forte Patres vestri servierunt, vos autem qui loquimini, nemini unquam servivistis? Quomodo ergo solvebatis jam tributa Romanis? *Et infra.* Respondit eis JESUS: Amen amen dico vobis quia *Nobilitatis jactantia*

Io. 8. 34. omnis qui facit peccatum servus est peccati. Servus est, sed utinam hominis & non peccati. Quis non sub his verbis contremiscat? *Et infra.* Amen quippe interpretatur verum, & tamen non est interpretatum, cùm potuisset dici, Verum dico vobis. Nec Græcus hoc interpres ausus est facere, nec latinus, nam hoc verbum quod est Amen, nec græcum est nec latinum, sed hebræum. Sic mansit, non est interpretatum, ut honorem haberet velamento secreti, non ut esset negatum, sed ne vilesceret nudatum. Nec semel tamen sed bis à Domino dictum est, Amen amen dico vobis. Jam quantum hoc commendatum sit, ex ipsa geminatione cognoscite. Quid est ergo commendatum? verum, verum dico vobis, veritas dicit, quæ utiq; etsi non diceret, Verum dico, mētiri omnino non posset, Tamen commendat, tamen inculcat; dormientes quodammodo excitat, intentos facit, contemni non vult. Quid dicit? Amen amen dico vobis, qui facit peccatum servus est peccati. O miserabilis servitus! Plerumq; homines, cùm Dominos malos patiuntur, venales se petunt, non quærentes Dominum non habere, sed saltem mutare. Servus peccati quid faciat? Quem interpellet? Apud quem se venalem petat? Deinde servus hominis aliquando sui Domini duris imperiis fatigatus, fugiendo requiescit. Servus peccati quo fugit? secum se trahit quocunq; fugerit. Non fugit seipsam mala conscientia, non est quo eat; sequitur se, imo non recedit à se: peccatum enim quod facit, intus est. Fecit peccatum, ut aliquam corporalem caperet voluptatem; Voluptas transit, peccatum manet, præteriit quod delectabat, remansit quod pungat. Mala servitus. *Tom:* 9. *In Ioan: Tract:* 41 *de cap:* 8. *Servire peccatis miserrimum.*

NOMEN.

Hoc nomen Salvatoris mei, Filij tui, in ipso adhuc lacte Matris, tenerum cor meum piè biberabat, & altè retinebat, & quidquid sine hoc nomine fuisset, quamvis literatum & expolitum, & veridicum non me totum rapiebat. *T.* 1. *lib:*3. *Confess: cap:* 4. *Amor nominis IESV.*

Non quæramus origines nominum. Multùm enim ista res habet loquacitatis, utilitatis parum *Tom:* 1. *lib:* 3. *confess: c:* 3.

NUMERUS.

Ratio numerorum commutari & violari nullo pacto potest, nec ulla natura qualibet violentia effecerit, ut post unum qui sequitur numerus, non duplo ei concinat. Hoc commutari nullo pacto

 potest,

potest, & Deus à vobis [alloquitur Manichæos) commutabilis dicitur. *Tom*: 1. *de morib*: *Manich*. *c*: 11.

In omnibus tamen cum mensuras, & numeros, & ordinem vides, artificem quære: Nec alium invenies, nisi ubi summa mensura, & summus numerus, & summus ordo est, id est Deum, de quo verissimè dictum est, quod omnia in mensura & numero & pondere disposuit. *T*: 1. *l*: 1. *de Gen con*: *Manich*: *c*: 16.

Incrementum mutabilitatis signum.

Quidquid recipit majus & minus, sine dubitatione mutabile est. *Tom*: 5. *lib*: 8. *de Civit*: *Dei cap*: 6.

Quod iste non vidit, qui putavit esse dicendum ac definiendum, nullum esse sine fine principium: nec ipsum potuit attendere numerum, cujus initium est ab uno & finis in nullo. *Tom*: 6. *lib*: 1. *Con*: *adversarium legis & Prophet*. *c*: 2.

OBEDIENTIA.

Oportebat ut homo sub Domino Deo positus, aliunde prohiberetur, ut ei promerendi Dominum suum, virtus esset ipsa obedientia, quam possum verissime dicere, solam esse virtutem omni creaturæ rationali, agenti sub Dei potestate, primumq; esse & maximum vitium tumoris, ad ruinam sua potestate velle uti, cujus vitij nomen est inobedientia. Non esset ergo unde se homo Dominum habere cogitaret atque sentiret, nisi aliquid ei juberetur. *Tom*: 3. *lib*: 8. *de Gen*: *ad literam c*: 6.

Inobedientia primum vitiũ.

Obedienti Deus obedit.

Citiùs exauditur una obedientis oratio, quàm decem millia contemptoris. *Tom*: 3. *lib*: *de opere Monach*: *cap*: 17.

Obedientia commendata est in Præcepto, quæ virtus in creatura rationali Mater quodammodo est omnium custosq; virtutum: quandoquidem sic facta est; ut ei subditum esse sit utile: Perniciosum autem suam non ejus à quo creata est facere voluntatem. *Tom*: 5. *lib*: 14. *de Civit*: *Dei c*: 12.

Inobedientiæ pæna, inobedientia.

Hæc pæna inobedienti homini reddita in semetipso, ut ei vicissim non obediatur, nec à semetipso. *Et infra* Obedientia maxima est virtus, & ut sic dixerim omnium origo Materq, virtutum, in ea natura, cui sic datum est arbitrium liberæ voluntatis, ut eam tamen necesse sit vivere sub potestate melioris. *Tom*: 6: *lib*: 1. *con*: *advers*: *legis & Prophet*: *cap*: 14.

Unâ obediẽtiâ Deus colitur.

Corpus nobis cum nos Deo obedimus.

Serviebant Deo [loquitur de primis Parentibus) vehementer sibi commendata pietate obedientiæ. quâ unâ colitur Deus. *Et infra*. Placebant Deo & placebat illis Deus, & quamvis corpus animale gestarent nihil inobediens in illo adversum se moveri sentiebant. *Tom*: 7. *lib*: 2. *de pecc*: *mer*: *& remiss*: *c*: 21. & 22.

Obediendum præceptis Dei.

Nihil tam expedit animæ quàm obedire. Et si expedit animæ obedire in servo, ut obediat Domino, in filio ut obediat Patri, in uxore ut obediat viro: quantò magis in homine ut obediat Deo. Expertus malum postea saltim obtemperet præceptis Medici, ut surgat, qui noluit credere Medico, ut non ægrotaret. Nam & sanis bonus & fidelis Medicus dat præceptum ne sit illis necessarius. *Ps*. 118 64. *Tom*: 8. *Con*: 2. *in psal*: 70.

Non potuit Deus perfectius demonstrare quantum sit bonum obedientiæ, nisi cum prohibuit ab ea re quæ non erat mala. Sola ibi obedientia tenet palmam, sola ibi inobedientia invenit pænam. Bonum est nolo tangas. *Ibidem*.

Quid est quod iste ita se quodammodo familiarius Deo commendandum putavit, ut diceret. Tuus sum ego salvum me fac nisi intelligi volens quod malo suo suus esse voluerit, quod inobedientiæ

dientiæ primum & maximum malum. *Ibidem con: 21. in psal: 118.*

OBSTINATIO seu OB. DURATIO.

ILlud sanè non absurdè intelligunt, eum peccare in Spiritum Sanctum, & esse sine venia rerum æterni peccati, qui usq; in finem noluerit credere in Christum, sed si rectè intelligerent, quid sit credere in Christum. Non enim hoc est habere Dæmonum fidem, quæ rectè mortua perhibetur, sed fidem quæ per dilectionem operatur. *Tom: 4. lib: de fide & opere cap: 17.* *Finalis in malo perseverantia, peccatum contra Spiritũ Sanctum est.*

Indurabit inquit cor Pharaonis: utitur DEUS bene cordibus malis, ad id, quod vult ostendere bonis, vel quod facturus est bonis. *Et infra.* Indurabo, tanquam diceret, quàm durum sit demonstrabo. *Tom: 4. lib: 2. in Exodum: quæst: 18.* *Malis optimè Deus utitur.* *Ex. 4. 21.*

Christi bonus odor sumus in omni loco, & in iis qui salvi fiunt, & in iis qui pereunt. Non dixit Christi bonum se odorem esse iis qui salvi fiunt, malum autem iis qui pereunt, sed tantum bonum odorem se esse dixit. Illi verò tales sunt, ut & bono odore pereant. *Tom: 4. lib: 2. in Exod: c: 24.* *1 Cor. 2. 16.* *Malis etiam optima nocent*

Quem vult obdurat: ut obduratio Dei sit, nolle misereri: ut non ab illo irrogetur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantùm quò sit melior, non erogetur. *Tom: 4. lib: 1. ad simpl: quæst: 2. circa medium.* *Rom. 9. 18.* *Obduratio Dei est nolle misereri.*

Obduratio illa impiorum utrumq; demonstrat, & quid timendum est, ut quis pietate convertatur ad Deum, & quantæ agendæ sunt gratiæ misericordiæ Dei, qui in aliorum pœna, quid aliis donet ostendit. *Ibidem cap: 2.*

In judicium veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant, Et hîc satis apparet mentibus fidelium, quomodo Deus excæcet mentes infidelium. Præcedit enim aliquid occultum, in occulis ubi Deus agat justissimũ judicij sui examen, ut quorundam mentes excæcentur, quorundam illuminentur: cui verissimè dictum est: Judicia tua abyssus multa. *Et infra.* Vos autem (alloquitur Manichæos) non valentes discernere, quid faciat Deus beneficio, quid judicio? quia & à corde & ab ore vestro longè est Psalterium nostrum, ubi dicitur: Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine. *T. 6 lib: 21. con: Faustum: c: 2. & 3.* *Io. 5. 39.* *Iudicia Dei abyssus*

Occultum est altum, est inaccessibili secreto, ab humana cogitatione seclusum est, quemadmodum Deus & damnet impium, & justificet impium: Utrumq; enim de illo scripturarum sacrarum veritas loquitur. Non igitur ideo adversus divina judicia garrire delectat, quia sunt inscrutabilia! quantò convenientiùs, quantò accommodatiùs est, modulo nostro, expavescere illic ubi Paulus expavit & exclamavit: ô altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus. *Ibidem cap: 3.*

Obscuratum est insipiens cor eorum. Utiq; ista obscuratio vindicta & pœna jam fuit: tamen per hanc pœnam, per cordis cæcitatem, quæ fit deserente luce sapientiæ, & in plura & gravia peccata collapsi sunt: dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. Gravis hæc pœna est, si quis intelligat, & ex hac pœna, vide quâ jerunt, & mutaverunt (inquit) gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrûm & quadrupedûm & serpentium. *T. 7. lib: de naa: & gratia c: 22.* *Rom. 1 21.* *Cordis obduratio.*

Clausit super eum puteus os suum. Metuenda ista res est vehementer fratres. Si videris hominem fecisse iniquitatem, mersus est in puteum. Cum autem factus est defensor peccati sui clausit *Ps. 68. 16.*

Defensor peccati

ſuper eum puteus os ſuum, quâ eruatur non habet, amiſſâ confeſſione non erit locus miſericordiæ Tu factus es peccati tui defenſor, quomodo erit Deus liberator? ut ergo ſit ille liberator, tu eſto defenſor. *Ibid: in pſal: 68.*

Quando dicit homo, peccator ſum radiatur aliquo lumine etiam profunditas putei. *Ibid: Con: 2. in pſal: 68.*

Scelerum pæna multiplicatio eorum.

Meritò ſic excæcati ut Filium Dei non agnoſcerent. Et hoc fecit Deus apponens iniquitatem ſuper iniquitatem ipſorum non vulnerando, ſed non ſanando Quomodo enim auges febrem auges morbum, non morbum adhibendo, ſed non ſuccurrendo: ſic quia tales fuerunt ut curam non mererentur, in ipſa malitia quodammodo profecerunt, ſicut dictum eſt mali autem & facinoroſi proficiunt in pejus. 2. *Timoth: 3. Ibidem.* Pſ. 68. 28.

Duritia cordis, obdormitio.

Duritia cordis obdormitio eſt. Rogo vos fratres mei videte quomodo dormiunt qui ſonante Evangelio & amen & alleluia per totum orbem terrarum, adhuc vitam veterem nolunt damnare, & in novam evigilare. Dormitaverunt inquit omnes, qui aſcenderunt equos. Ecce quo ſomno dormivit Pharao qui aſcendebat equos! non enim vigilavit in corde, quia ab increpatione durum cor habuit. *Tom: 8. in pſal: 75.*

Pænitentiæ procraſtinatio.

Verum quidem dicis quia Deus converſioni tuæ indulgentiam promiſit, ſed dilationi tuæ diem craſtinum non promiſit. *T. 8. Expoſ: pſal: 144.*

Præſentia Dei emollit obdurata corda humana.

Ego indurabo cor ejus, niſi cum abfuerit gratia mea obduret illum nequitia ſua? Et ut hoc evidentiùs poſſit agnoſci, aliquam ſimilitudinem de rebus viſibilibus charitati veſtræ proponimus. Sicut enim quoties nimio frigore aqua conſtringitur, ſolis calore ſuperveniente reſolvitur, & diſcedente eodem ſed iterum obduratur: ita nimirum peccatorum frigore refrigeſcit charitas multorum, & velut glacies obduratur, & cum eis iterum calor divinæ miſericordiæ ſupervenerit, reſolvuntur: ille utiq; calor de quo ſcriptum eſt, non eſt qui ſe abſcondat à calore ejus. *Et infra.* Quare autem Deus noſter non omnes ita miſericorditer flagellat, ut nullum contra ſe obdurari permittat? Aut illorum iniquitati qui obdurari merentur, adſcribendum eſt, aut ad inſcrutabilia Dei judicia referendum, quæ plerumq; ſunt occulta, nunquam tamen injuſta. *Et infra.* Quam rem etiam circa vernaculos noſtros exercere conſuevimus, quos nimis delicatè: aut ſatis remiſsè nutrimus, vel quibus frequēter peccantibus indulgemus. Cum enim pejores de ipſa remiſſione redduntur, ſolemus his exprobrantes dicere: Ego te talem feci, ego tibi parcendo proterviam tuam negligentiamq; nutrivi. Et hæc non dicimus quod ex voluntate noſtra in tantam ſint ſuperbiam devoluti, ſed quia magis de bonitate, vel indulgentia noſtra fuerint obdurati. Ita & Deus de Pharaone feciſſe dignoſcitur, dum ab illo pro ineffabili bonitate plagas ſuſpendit, ille obdurato corde contra Deum ſuperbus erigitur. *Et infra.* Et ideo quotieſcunq; delinquitur, peccata noſtra judices nos ſentiant, non patronos, accuſatores ſuos, & non defenſores eſſe agnoſcant. Secundùm illud quod ſcriptum eſt, iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Tu agnoſce, & Deus ignoſcit *Tom. 10. ſer: de Temp: ſer: 88. Feria 4. poſt 1. Dnicam in quadrag: ſerm: 1.*

Exod. 4. 21. & 9. 7.

Beneficus Deus, rebelles nos ſibi facit.

Agnoſcentibus culpam Deus ignoſcit. Pſ. 50. 4.

Differt Deus pænã ob pænitentiam.

Non dicatis, peccavi, & quid accidit mihi? Non perdidit Deus potentiam, ſed à te exigit pænitentiam. Hoc dico malis, & tamen Chriſtianis: hoc dico Zizaniis. In agro enim ſunt, & fieri poteſt, ut qui hodie ſunt Zizania cras ſint frumentum. Ideò & triticum alloquor. O vos Chriſtiani, qui bene vivitis pauci inter mul- Eccl. 5. 4.

Matt. 13. 30 tos suspiratis, pauci inter plurimos gemitis. Transibit hyems, veniet æstas: ecce aderit messis. Veniunt Angeli, qui possunt separare, & nesciunt errare. *Ibid: de diver: ser: 46. in Parabolam seminantis.*

ODIUM.

Concordate nobiscum fratres, hoc vobis volumus quod & nobis; si propterea graviùs nos odistis, quia errare vos & perire non permittimus? hoc Deo dicite, quem timemus, minantem malis pastoribus & dicentem; quod erraverat non revocastis, & quod perierat non requisiistis. *Tom: 2. ep: 166.* *Errantem corrigere charitatis*

An non est in schismate odium fraternum? Quis hoc dixerit? cùm & origo & pertinacia schimatis nulla sit alia, nisi odium fraternum? *T: 7. l. 1 de baptismo con: Donatist: c: 11.* *Odium origo schismatis.*

Hic est omnis & magnus reatus illorum. Nam quid nocere potuerunt persequentes, voluntate, non necessitate morientem? Sed ipsum odium est crimen maximum persequentis, quamvis sit voluntaria pœna patientis. Satis autem exposuit quemadmodum supra dixerit: Pro eo ut me diligerent: quia dilectionem non utcunq; sed dilectioni ejus debebant, cum hic addidit: pro dilectione mea. *Et infra.* Et diabolus stet à dextris ejus? Hoc utiq; meruit ut super se habeat diabolum id est diabolo subditus sit, qui Christo subditus esse noluit. Stet autem à dextris ejus dictum est: quia opera diaboli præposuit operibus Dei: hoc enim cuiq; non immerito dextrum dicitur quod præponit, sicut sinistræ dextra præponitur. Ideo & de illis qui sæculi hujus gaudia præponentes Deo beatum dixerunt populum cui hæc sunt; rectissimè dictum est: Dextera eorum, dextera iniquitatis. *Tom, 8. in psal: 108.* *Occisores Christi & Martyrum.* *Ps. 108 6.* *Refractarii Christo, subsunt diabolo.*

Perfecto odio oderam illos. Quid est perfecto odio? oderam in eis iniquitates eorum, diligebam conditionem tuam, hoc est perfecto odio odisse, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas, *T. 8 Expos: psal: 138.*

1. Io. 3. 15. Qui odit, homicida est. Non venenum parasti, non ad percutiendum inimicum cum gladio processisti, non ministerium sceleris præparasti, non locum, non tempus: postremò ipsum scelus non fecisti. Tantum odisti, & priùs te quàm illum occidisti. *Tom: 10. serm: de Temp: ser: 237. Dnica 19. post festum S. Trinit: serm: 2.* *Qui odit, & sui & alterius homicida est.*

OMNIPOTENTIA DEI.

Nec cogeris invitus ad aliquid, quia voluntas tua non est major potentiâ tuâ. Esset autem major, si te ipso tu ipse major esses: voluntas enim & potentia Dei, Deus ipse est. *T. 1 l. 7. confess: c: 4*

Optimè de Deo existimare, est verissimum pietatis exordium, nec quisquam de illo optimè existimat, qui non eum omnipotentem, atque ex nulla particula commutabilem credit. *Tom: 1. lib: de lib: arb: cap: 1.*

Neque potentia temeraria, sed sapientiæ virtute omnipotens est: [scilicet Deus] & hoc de unaquaque re in suo tempore facit, quod antea in ea fecit ut possit. *T. 3. l. 9. de Gen: ad lit: c: 17.* *Omnipotentia Dei potest mala in bona convertere.*

Sed posset inquit etiam ipsorum [scilicet malorum] voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens est? posset planè. Cur ergo non fecit? quia noluit. Cur noluerit? penes ipsum est. Debemus enim non plùs sapere, quàm opportet sapere. *Tom: 3 lib: 11. de Gen: ad lit: cap: 10.*

Tanta

Tanta quippe omnipotens ejus bonitas, ut de malis possit facere bona sive ignoscendo, sive sanando, sive ad utilitates piorum coaptando atque vertendo, sive & justissimè vindicando; omnia namq; ista bona sunt, & Deo bono atq; Omnipotenti dignissima; nec tamen fiunt, nisi de malis. *T. 4 lib: de continen: c: 6.*

Deus malis utitur optimè.

Agrigentinum Siciliæ salem perhibēt, cùm fuerit admotus igni velut in aqua fluescere: cum vero aquæ, velut in igne crepitare. In Epyro fontem, in quo faces, ut in cæteris extinguuntur accensæ, sed non ut in cæteris accenduntur extinctæ. Arbeston Arcadiæ lapidem, propterea sic vocari, quod accensus semel jam non possit extingui. Pyritem lapidem Persicum, tenentis manum, si vehementiùs prematur adurere, propter quod ab igne nomen accepit; In eadem Perside gigni etiam lapidem Selenitem, cujus interiorem candorem cum luna crescere atq; deficere. In his & similibus Dei miris operibus, fixam esse apud nos rationem, non sine ratione omnipotentem facere, unde animus humanus infirmus rationem non potest reddere: illud est certissimum, nihil eorum esse impossibile quæcunq; voluerit: eiq; nos credere prædicenti, quem neq; impotentem, neque mentientem possumus credere. *Ibid c 5*

Naturæ miracula

Est relatum, fuisse vel esse quoddam Veneris Fanum, atque ibi candelabrum & in eo lucernam sub dio sic ardentem, ut eam nulla tempestas, nullus imber extingueret, unde Lucerna inextinguibilis nominata est. Quo posito sic infert Sanctus Doctor. Si hæc immundi Dæmones possunt, quantò potentiores sunt Sancti Angeli, quantò potentior his omnibus Deus, qui tantorum miraculorum effectores, etiam ipsos Angelos fecit *T. 5. lib: 21. de Civit: Dei c: 6.*

Tu es Deus qui facis mirabilia solus. Tu verè magnus Deus faciens mirabilia in corpore in anima, solus faciens. Audierunt *Ps. 71.*
surdi, viderunt cæci: convaluerunt languidi, surrexerunt mortui, *18.*
constricti sunt paralytici. Sed miracula ista tunc in corporibus. Videamus in anima. Sobrii sunt, paulò ante ebriosi; Fideles sunt, paulò ante adoratores simulachrorum; Res suas donant pauperibus, qui alienas ante rapiebant. Quis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es Deus qui facis mirabilia solus. Fecit & Moyses sed non solus, fecit & Helias, fecit & Helisæus, fecerunt & Apostoli, sed nullus eorum solus. Illi cum facerent tu cum eis: tu quando fecisti illi non tecum. Non enim tecum fecerunt cùm fecisti, quando & ipsos tu fecisti. *Tom: 8. psal: 76.*

Conversio impiorum.

Ecce mirabilia fecit Dominus. Sed multò majora mirabilia sunt quòd totum orbem terrarum à morte sempiterna erexit, quàm quòd unicum Filium Matris viduæ resuscitavit *Ibid: in psal: 97.*

Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus. Per *Ps. 110*
quas nullum confitentem deserit misericordia: nullius est iniqui- *2.*
tas impunita. *Et infra.* Ita quidquid elegeris omnipotenti non deerit, unde suam de te compleat voluntatem. *Et infra* Memoriam fecit mirabilium suorum, reservans opportunè insitata prodigia, quæ non infirmitas hominis novitati intenta meminerit, cum sint ejus miracula quotidiana majora. Tot per universam terram arbores creat, & nemo miratur. Arefecit verbo unam, & stupefacta sunt corda mortalium: sed memoriam fecit mirabilium suorum. *Tom: 8. in psal: 100.*

Miseratio magnum opus Dei.

Creaturarum conservatio quotidianum miraculum.

Omnia quæ futura sunt Deo jam facta sunt *Expos: psal: 125.*

Omnia quæcunq; voluit fecit. Causa omnium quæ fecit, vo- *Ps. 113*
luntas ejus est. Facis tu domum; quam si nolles facere, sine habita- *3.*
tione remaneres. Necessitas cògit te facere domum, non libera voluntas. Facis vestem quia si non faceres nudus ambulares. Ad facien-

facienda ergo vestem necessitate duceris non libera voluntate. Conseris montem vitibus, semen spargis: quia nisi feceris alimenta non habebis. Omnia hæc necessitate facis. Deus bonitate fecit. *Enar: in psal: 134.*

Quotidiana miracula Dei, non felicitate, sed assiduitate vilescunt. *Tom: 10. 50. Homiliarum Homilia 32. de illo Evangelij non potest Filius à se facere.*

Imperio ejus extiterunt omnia, quæ ante non fuerant: cum ex nihilo tanta procedunt, omnipotentem loquuntur authorem. *Tom: 10. serm: de Temp: serm: 192. in festo S. Trinit: serm: 4.* *Nihilū omnipotentiæ argumentum.*

Majus miraculum est gubernatio totius mundi, quàm saturatio quinq; millium hominum de quinq; panibus, tamen hæc nemo miratur. Illud mirantur homines, non quia majus est, sed quia rarum est. Quis enim & nunc pascit universum mundum, nisi ille qui de paucis granis segetes creat. Fecit ergo quomodo Deus. Unde enim multiplicat de paucis granis segetes; inde in manibus suis multiplicavit quinq; panes: potestas enim erat in manibus Christi. Panes autem illi quinq; quasi semina erant, non quidem terræ mandata, sed ab eo qui terrram fecit multiplicata. *Tom: 9 in Evan: Ioan: Tract: 24. de cap: 6.* *Mat. 6 41.* *Rara mira.* *Gubernatio mundi miraculum cōtinuum*

Si per illum facta sunt omnia, quid mirum est, si resurrexit unus per illum, cum tot quotidie nascantur per illum? plus est homines creare, quàm resuscitare. Dignatus est tamen & creare, & resuscitare: creare omnes, resuscitare quosdam. *Tom: 9. in Evan: Ioan: Tract: 49. de cap: 11.* *Creatio magis quam resuscitatio mirabilior.*

Credo in Deum Patrem omnipotentem. Deus omnipotens est: & cum sit omnipotens, mori non potest: & quid ait Apostolus negare seipsum non potest. Quàm multa non potest & omnipotens est. Et ideo omnipotens est, quia ista non potest: nam si mori posset, non esset omnipotens: si mentiri, si falli, si fallere, si iniquè agere, non esset omnipotens: quia si hoc in eo esset non fuisset dignus, qui esset omnipotens. Prorsus omnipotens Pater noster peccare non potest. Facit quidquid vult, ipsa est omnipotentia. Facit quidquid bene vult, quidquid justè vult; quidquid autem male fit, non vult. Nemo resistit omnipotenti, ut non quod vult faciat. *Tom: 9. lib: 1. de symb: cap: 1.* *Non tollit omnipotentiam impossibilitas ad defectum in Deo.*

Cujus omnipotentia concludit universa, nec evadendi potentiam tuam quis aditum invenire poterit. Qui enim te non habet placatum, nequaquam evadet iratum, sicut scriptum est. *Tom: 9. lib: Meditationum capite 30.* *Placatio Dei.*

OPERA.

Iac. 2 7. TU credis quoniam unus est Deus, benè facis, & Dæmones credunt & contremiscunt. Quid veriùs, breviùs, vehementiùs dici potuit? Quia fides, inquit Jacobus, sine operibus mortua est. Quousque igitur falluntur, qui fide mortua sibi vitam perpetuam pollicentur. *T: 4. lib: de fid: & oper: c: 14.* *Mortuus est qui vivit sine bonis operibus*

Matt. 25. 41 Ite in ignem æternum. Non increpat, quia in eum non crediderunt, sed quia bona opera non fecerunt; an fortè ibunt in ignē æternum, qui opera misericordiæ non fecerunt? & non ibunt quia aliena rapuerunt, & corrumpendo in se Templum Dei, in se ipsos immisericordes fuerunt: *T: 4. lib: de fide & opere c: 15.*

Matt. 5. 20. Nisi abundaverit justitia vestra super Scribarum. &c. Ergo justitia eorum est dicere, & non facere; ac per hoc nostram voluit esse abundantem super illorum, dicere & facere: quæ si non

 fuerit

fuerit non intrabitur in Regnum cælorum. *Tom: 4. lib: de fide & opere cap: 26.*

Quapropter non sunt sibi contrariæ duorum Apostolorum sententiæ Pauli & Jacobi, cum dicit unus justificari hominem per fidem sine operibus; & alius dicit inanem esse fidem sine operibus: quæ fidem præcedunt; iste de iis quæ fidem sequuntur. *T: 4. l. 83. quæst: quæst: 76.*

Miracula etiam malis sunt communia. Alter magi faciunt miracula, alter boni Christiani, alter mali Christiani. Magi per privatos contractus, boni Christiani per publicam justitiam, mali Christiani per signa publicæ justitiæ. *Tom: 4. lib: 83 quæst: quæst: 79.*

De corde exeunt cogitationes malæ. Nihil est certè istorum malorum, quæ perpetrari etiam membris corporis possunt, quod cogitatio non antecedat mala, & coinquinet hominem, etiamsi aliquid impediat, nè subsequantur opera flagitiosa & facinorosa membrorum. *Tom: 4. lib: de continen: cap: 2.* *Matt. 15.19.*

Quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est *ut v: g:* Occurrit forma speciosæ fæminæ, & movet ad delectationem fornicationis, sed si plùs delectat pulchritudo illa intima, & sincera species castitatis per gratiam quæ est in fide Christi, secundum hanc vivimus, & secundum hanc operamur. *Tom: 4. exp: ep/æ: ad Galat: fol: 390.*

Protectio Dei. Et in velamento pennarum tuarum exultabo. Hilaresco in bonis operibus quia super me est velamen pennarum tuarum. Si me non protegas quia pullus sum miluus me rapiet. Dicit enim quodam loco ipse Dominus noster ad Hierusalem quandam Civitatem ubi crucifixus est. Hierusalem inquit, Hierusalem quoties volui filios tuos congregare tanquam gallina pullos suos, & noluisti. Parvuli simus protegat nos Deus sub umbraculo alarum suarum. Semper enim ille major est quantumcunque creverimus. Tunc semper in illo magni esse poterimus, si semper sub illo parvuli simus. *Tom: 8. in psal: 62.* *Ps 62. 8.* *Matt. 13.*

Amor & timor causæ bonorum. Os quod mentitur occidit animam. Itaq; fratres mei ad omne rectefactum amor & timor ducit. Ut facias bene amas Deum, & times Deum: ut autem facias male, amas mundum, & times mundum. Hæc duo convertantur ad bonum. Amabas terram, ama vitam æternam: timebas mortem, time gehennam. Quidquid tibi iniquo promiserit mundus, nunquid potest dare quantum dabit justo Deus? Quidquid tibi justo minatus fuerit mundus, nunquid potest facere quod facit iniquo Deus? Vis audire quid daturus est Deus si juste vixeris? Venite benedicti Patris mei percipite regnum. Vis audire quid facturus est impiis? Ite in ignem æternum qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. *In psal, 79.* *Sap. 1. 11.*

Si filij Abrahæ estis facta Abrahæ facite. Si ergo illi propterea jam non filij quia non faciebant facta Abrahæ: nos propterea filij quia facimus facta Abrahæ. *In psal: 84.*

Opera bona hilariter facienda. Hilarem datorem diligit Deus. Quidquid facis cum hilaritate fac bonum, tunc & bene facis. Si autem cum tristitia facis, fit de te, non facis: & portas magis psalterium non cantas. In psalterio decachordo cum cantico in cythara: hoc est in verbo & opere. Cum cantico in verbo in cythara in opere si verba sola dicis, quasi canticum solum habes: cytharam non habes. Si operaris & non loqueris quasi cytharam solam habes. Propter hoc & loquere bene & fac bene si vis habere canticum cum cythara. *In psal: 91.* *2 Cor. 9. 7.*

Quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Malus autem laicus, infidelis, non perveniens ad gregem Christi, non perti- *Matt. 23. 3.*

pertinens ad frumentum Christi, qui tanquam palea in area toleratur, quid sibi dicit, quando cæperit illum arguere verbum Dei? Exi, quid mihi loqueris? Ipsi Episcopi, ipsi Clerici non illud faciunt; Quærit sibi non patronum ad causam malam, sed comitem ad pænam. Nam nunquam eum ille defensurus est in die judicij, quemcunq; malum voluerit imitari. Quomodo enim diabolus omnes quos seducit, non seducit cum quibus regnet, sed cum quibus damnetur: sic omnes qui sequuntur malos, comites sibi ad gehennam quærunt, non patrocinia ad regnum cælorum. *Tom: 10. serm: de verb: Dom: serm: 49. De pastore & mercenario & fure secundum Evangelium S. Ioannis.*

Qui pro sola vita æterna, & pro remissione peccatorum bona opera fecerit, etiamsi publicè faciat, clauso ostio facit: quia de illa eleemosyna non hoc quærit quod videtur, sed quod non videtur. Laus enim humana videtur, æternum præmium non videtur. *T: 10. serm: de Temp: ser: 206. Dnica 5. post festum S. Trinit: ser: 2.*

Gen. 2. 1. Requievit Deus die septimo, ut tu homo cum attendis ipsum Deum post bona opera requievisse, non tibi speres requiem, nisi cum bona fueris operatus. Et quemadmodum Deus posteaquam fecit hominem ad imaginem & similitudinem suam sexto die, & in illo perfecit omnia opera sua bona valde, requievit septimo die: sic & tibi requiem non speres nisi cum redieris ad similitudinem Dei, in qua factus es, quam peccando perdidisti. *Tom: 9. in Evan: Ioan: Tract: 20. de cap: 5.* *Secura quies post laborem*

Tit. 1. 16. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Si negatur factis, procul dubio etiam dicitur factis. Nemo itaq; dicit Dominus JESUS nisi in Spiritu Sancto. Et nemo sic dicit, nisi qui diligit. *Ibidem Tract: 74. de cap: 14.*

Manete in dilectione mea. Ecce unde sunt nobis opera bona. Nam unde nobis essent nisi quia fides per dilectionem operatur? Unde autem diligeremus, nisi prius diligeremur. *Ibidem Tract: 82. de cap: 5.*

Quisquis propter illam quietem futuram agit quidquid potest, quamvis laboriosum videatur quod agit: tamen si ad fidem promissæ quietis id refert, nondum quidem sabbathum habet in re, sed habet in spe. Tu autem ad hoc vis requiescere ut labores, ut ad hoc debeas laborare ut requiescas *T: 9 l: de 10. chordis cap: 3.* *Labores spem quietis faciunt*

ORATIO.

A Quibus enim rebus putat nos orare, ut convertamur ad Deum, ejusq; faciem videamus, nisi à quodam cæno corporis atq; sordibus, & iterum à tenebris, quibus nos error involuit. *Tom: 1. lib: 1. de ordine cap: 8.* *Sordes seu peccata corporis, vela sunt faciei divinæ*

Qui non vult dimittere fratri, non speret accipere orationis effectum. Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiamsi inde non proijciatur. *Tom: 1. In regula.* *Dimittenti dimittitur.*

Communibus & alternis plùs agimus orationibus, quam singularibus & privatis. *Tom: 2. epist: 97.*

Luc. 6. 12. De ipso Domino scriptum est, quod pernoctaverit in orando; ubi quid aliud quàm nobis præbebat exemplum, in tempore precator opportunus, cum Patre exauditor æternus? Dicuntur Fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed tamen brevissimas, & raptim quodam modo jaculatas, ne per productiores moras evanescat, atq; hebetetur intentio. Ac per hoc etiam ipsi satis o- *Christi oratio nostrum exemplum.*

ostendunt hanc intentionem, sicut non est obtundenda, si perdurare non potest, ita si perduraverit, non citò esse rumpendam Absit enim ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseverat intentio. Nam multùm loqui in orando, est rem necessariam superfluis agere verbis; multum autem precari, est ad eum quem precamur diuturnâ & piâ cordis exercitatione pulsare. *Tom: 2. epist: 121. cap: 10.*

Absit ab oratione multa locutio.

Etsi per omnia precationum sanctarum verba discurras, quantùm existimo nihil invenies, quod non ista Dominica contineat & concludat oratio. Unde liberum est aliis atq; aliis verbis eadem tamen in orando dicere, sed non debet esse liberum alia dicere. *Ibidem cap: 12.*

Oratio Dominica orationũ compendium.

Pudeat saltim petere quod non pudet cupere, aut si & hoc pudet, sed cupiditas vincit, quantò melius hoc petitur, ut etiam ab isto cupiditatis malo liberet, cui dicimus: Libera nos à malo. *Ibid.* *Matt. 6. 13.*

Virtus in infirmitate perficitur: nonnullis impatientibus Dominus Deus, quod petebant concessit iratus, sicut contrà Apostolo negavit propitius. Hæc scripta sunt nè se quisq; magni pendat, si fuerit exauditus: aut de divina erga se miseratione desperet, si non exaudiatur. *Ibidem cap: 14.* *2. Cor. 12. 9.*

In jejuniis & vigiliis & omni castigatione corporis quàm plurimùm adjuvatur oratio. *Ibidem.*

Mortificatio adiuvat orationem

Hoc Deus bonum judicavit, ut orationibus humilium, dignaretur salutem præstare sublimium. *Tom: 3. Enchirid: cap: 103.*

Intravit Rex David & sedit ante Dominum, ut nullus esset hominum, qui audiret orantem, sive ergo propter arcam testamenti, sive propter secretum locum semotum ab arbitris, sive propter intimum cordis ubi erat affectus orantis, convenienter dictum est. Sedit ante Dominum. Quibus admonemur exemplis non esse præscriptum quomodo corpus constituatur ad orandum, dummodo animus præsens Deo, peragat intentionem suam. Nam & stantes oramus sicut scriptum est; Publicanus autem de longinquo stabat. Et fixis genibus, sicut in actibus Apostolorum legimus; Et sedentes, sicut ecce David & Helias. Nisi autem & jacentes oraremus, non scriptum esset in psalmis. Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo. *T: 4. l: 2. ad simpl: 9. 4.*

Situs orationẽ malam non facit.

Sed quæri potest, sive rebus, sive verbis orandum sit, quid opus sit oratione: si Deus jam novit, quid nobis necessarium sit? nisi quia ipsa orationis intentio cor nostrum serenat & purgat, capaciusq; efficit ad excipienda divina munera, quæ spiritualiter nobis infunduntur. *Ibid. l: 2. de serm: in mont: c. 3.*

Ego clamavi, & exaudisti me Deus, cum dicendum fuisse videatur: Exaudisti me DEUS quoniam clamavi. Sed cùm dixisset Ego clamavi: tanquam ab eo quæreretur, unde se clamâsse monstraret ab effectu exauditionis Dei clamoris sui ostendit affectum tanquam diceret: hinc ostendo clamâsse me, quoniam exaudisti me. *Tom: 5. lib: 11. de Civit: Dei c: 14.* *Ps. 16. 8.*

Unde non mirum est verba bona, quæ pro populo dicuntur in precibus, etiamsi à malis dicuntur Episcopis, exaudiri tamen, non pro perversitate præpositorum sed pro devotione populorum. Verumtamen quod scriptum est in Evangelio: Deus peccatores non audit, non à Domino dictum est, sed ab illo qui oculos corporis jam quidem restitutos habebat, sed ei oculi cordis nondum patebant, unde ipsum Dominum adhuc Prophetam putabat. Nam eum postea cognitum Dei Filium adoravit. Ipse autem Dominus: cum in uno Templo orarent Pharisæus, & Publicanus. Publicanum *Io. 9. 31.*

Etiam peccatorum aliquãdo orationes exaudiuntur.

num confitentem peccata sua magis justificatum dicit, quam Pharisæum jactantem merita sua. Quam ob rem non quidem omnem peccatorem exaudiri, sed tamen non omnem peccatorem non exaudiri, veritas testis est. *Tom: 7. lib: con Epam: Parmen: c:* 8

Si aliquis in hæreticorum memoriis orans exauditur, non pro merito loci sed pro merito desiderii sui recepit sive bonum sive malum. Et multi Deo irato exaudiuntur, de qualibus dicit Apostolus: Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum, & multis propitius Deus non tribuit quod volunt, ut quod utile est tribuat. *Et infra.* Exaudiuntur ergo multi & multis modis, non solùm Christiani, Catholici, sed & pagani, & Judæi, hæretici, variis erroribus & superstitionibus dediti. Exaudiuntur autem vel à spiritibus seductoribus, qui tamen non faciunt nisi permittantur, Deo sublimiter atq; ineffabiliter judicante, quid cuiq; tribuendum sit: vel ab ipso Deo, vel ad pœnam malitiæ, vel ad solatium miseriæ, vel ad monitionem quærendæ salutis æternæ, ad ipsam verò salutem & vitam æternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum. *Tom: 7. lib: de unit: Eccl: cap:* 19.

Non ideo oratio bona quod exauditur; nec mala quod nõ exauditur

Exaudit propitius non exaudit iratus; & rursus, non exaudit propitius, exaudit iratus. Parcit propitius, non parcit iratus: Et rursus: Non parcit propitius, parcit iratus: atq; in his omnibus bonus perseverat & justus; sed ad hæc quis idoneus? utique ad hæc ejus perscrutanda & investiganda judicia (loquitur de Deo) *Ibid: lib: 5. con: Iulian: cap: 4.*

Credimus tunc à Sanctis quos persequebatur non inaniter oratum esse pro Saulo, ut ad fidem quam vastabat, voluntas ejus converteretur: Et illius quidem conversio desuper facta manifesto etiam miraculo apparuit. Quàm multi inimici Christi quotidie subitò occultâ Dei gratiâ trahuntur ad Christum. *Ib: lib: 1. ad Bonifac: c:* 19

Ille Doctor gentium Apostolus dixit. Quid enim oremus sicut opportet nescimus. Quod non tantum verbo docuit, sed suo quoque demonstravit exemplo. Nam contra utilitatem & salutis suæ perfectionem nesciens orabat, ut discederet ab illo stimulus carnis, quem sibi datum dixit, nè magnitudine revelationum suarum extolleretur. Sed quia Dominus illum diligebat, non fecit quod ignoranter petebat. *Tom: 7. lib: 4. de anima cap: 1.*

Oret gemitu voluntatis, & impetret donum facilitatis. *Ibidem lib: de perfectione justitiæ. cap:* 10. *Oratio facilitatem impetrat.*

Intellige clamorem meum. Bene ostendit quis iste sit clamor
Ps. 5. 2. quam interior de cordis cubili sine strepitu corporis perveniat ad Deum: quandoquidem vox corporalis auditur, spiritualis autem intelligitur. Quanquam sit hoc etiam exaudire Dei non aure carnali, sed majestatis præsentia. *In psalmum 5.* *Oratio mentalis.*

Exaudi Domine vocem meam. Gemamus modo: oremus mo-
Ps. 60. 1. do. Gemitus non est nisi miserorum. Oratio non est nisi indigentium. Transiet oratio, succedet laudatio. Transiet fletus succedet gaudium. *Enar: 2. in psal. 26.*

Exaudisti Domine vocem orationis meæ. Clamor ad Deum
Ps. 27. 1. non est voce sed corde. Multi silentes labiis corde clamaverunt: multi ore strepentes corde adverso nihil impetrare potuerunt Si ergo clamas, clama intus, ubi audit Deus. *T: 8, Con: 3. in psal: 30.*

Pulsate & aperietur vobis. Speremus omnes quod pulsantibus
Luc. 11 9. apperturus est. Non enim hortaretur nos ut pulsaremus, si nollet aperire pulsantibus *Præfat: in psal: 33.* *Oratio frequens impetrat.*

Inquisivi Dominum & exaudivit me. Ubi exaudivit Domi-
Ps. 33. 5. nus? Intus. Ubi dat? intus. Ubi oras, ubi exaudiris, ibi beatificaris.

nis. Orasti intus, exauditus es, beatificatus es, & non scis qui juxta te stat. Gestum est à te totum in occulto, sicut Dominus dicit in Evangelio. Intra in cubiculum tuum, claude ostium tuum, & ora in occulto. Cum ergo intras in cubiculum tuum intras in cor tuum. Beati qui gaudent quando intrant ad cor suum & nihil mali ibi inveniunt. *Expos: psal* 33.

Deum quærentes exaudiuntur.

Inquisivi Dominum & exaudivit me. Qui ergo non exaudiuntur non Dominum quærunt. Intendat sanctitas vestra Non dixit Inquisivi aurum à Domino & exaudivit me, Inquisivi à Domino senectutem & exaudivit me. Inquisivi à Domino hoc aut illud, & exaudivit me. Aliud est aliquid inquirere à Domino, aliud ipsum Dominum inquirere. Inquisivi inquit Dominum. Ergo noli aliquid à Domino extra quærere, sed ipsum Dominum quære, & exaudiet te: & adhuc te loquente dicet. Ecce adsum Quid est ecce adsum? Ecce præsens sum quid vis, quid à me quæris? quidquid tibi dedero vilius est quàm ego: me ipsum habe, me fruere, me amplectere. *Expos: psal*: 33 — *Ps. 33. 5.*

Dabit tibi petitionem cordis tui. Signanter accipe petitionem cordis tui, discerne petitionem cordis tui, à petitionibus carnis, discerne quantum potes. *Con,* 1. *in psal*: 36. — *Ps. 36. 4.*

Oratio occulta & continua.

Ante te est omne desiderium meum. Sit desiderium tuum ante illum, & pater qui videt in occulto reddet tibi. Ipsum enim desiderium tuum oratio tua est: & si continuum desiderium continua oratio. Non enim frustra dixit Apostolus. Sine intermissione orantes. Nunquid sine intermissione genu flectimus, corpus prosternimus, aut manus levamus ut dicat sine intermissione orate. Est alia interior sine intermissione oratio quæ est desiderium, si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. *Titulo in psal*: 37 — *Ps. 37. 10.*

Orandum pro impiis.

Oremus pro ipsis fratres charissimi. Inde crescit numerus Sanctorum de numero qui erat impiorum. *In psal*: 39.

Sacrificium internum.

Apud me oratio Deo vitæ meæ. Intus habeo victimam quam immolem. Intus habeo thus quod imponam. Intus habeo sacrificium quo flectam Deum. Sacrificium Deo spiritus contribulatus. *In psal*: 41. — *Ps. 41. 9.*

Jejuniũ & eleemosina Alæ orationis.

Vis orationem tuam volare ad Deum? fac tibi duas alas jejunium & eleemosynam. *In psal*: 42.

Oratio sapiens

Clamavi ad te per diem nec exaudies, & nocte & non ad insipientiam mihi, id est & nocte clamavi & non exaudisti: & tamen hoc ipsum quod non exaudisti non ad insipientiam mihi non exaudisti. Sed magis ad sapientiam non exaudisti ut intelligerem quod à te petere deberẽ. Ea enim petebam quæ malo meo fortassis acciperẽ. Petis divitias ô homo: quanti eversi sunt per divitias suas? Unde scis utrum tibi sunt profuturæ divitiæ? Non nè multi pauperes tutius latebant: divites facti mox ut lucere cæperunt præda fortioribus fuerunt. Cæperunt quæri non propter quod erant sed propter quod habebant. *Et infra*. Ægri enim estis, nolite Medico dictare, quæ vobis medicamenta velit apponere. Si Doctor gentium Paulus Apostolus dicit. Quid enim oremus sicut opportet, nescimus, quanto magis nos? *In psal*: 53. — *Ps. 21. 3.*

Temporalium non exaudit Deus, nisi dũ æterna petit.

Intelligat charitas vestra omnem fidelem habentem in corde verbum Dei, cum timore timentem judicium futurum viventem probabiliter, ne de illo blasphemetur Nomen sanctum Domini ejus, multa deprecari secundum sæculum, & non exaudiri. Ad vitam autem æternam semper exaudiri. Quis enim sanitatem non petat cum ægrotat? Et tamen forte adhuc ægrotare ei utile est. Potest fieri ut hic non exaudiaris: non tamen exaudiris ad voluntatem,

ut exau-

ut exaudiaris ad utilitatem. At vero cum illud petis ut det tibi vitam æternam Deus, ut det tibi Regnum Cælorum Deus, ut det tibi ad dexteram Filii sui stare, cum venerit judicare terram: securus esto accipies si modo non accipis: non enim venit jam tempus ut accipias. Exaudiris & nescis. Quod petis agitur & si nescis à quo agitur. In radice res est, nondum fructu. *In psal: 59.*

Orat pro nobis ut sacerdos noster: orat in nobis ut caput nostrum: oratur à nobis ut Deus noster. Agnoscamus ergo & in illo voces nostras & voces ejus in nobis. *In psal: 84.* *Christus orat & oratur.*

Ps. 52 7. Deum non invocaverunt. Invocant sed non Deum. Invocas quidquid amas. Invocas quidquid in te vocas. Invocas quidquid vis ut veniat ad te. Porro si Deum propterea invocas ut veniat ad te pecunia, ut veniat ad te sæculi dignitas. Illa invocas quæ vis ut veniant ad te: sed Deum tibi adjutorem ponis cupiditatum, non exauditorem desideriorum. Deus bonus si det quod vis. Quod si male vis? nonne erit tibi magis non dando misericors? Porro si non dederit jam nihil tibi Deus est. *Et infra.* Invoca Deum tanquam Deum, ama Deum tanquam Deum, illo melius nihil est. ipsum desidera, ipsum concupisce. *Et infra.* Si amator Dei esse vis sincerissimis medullis, castisque suspiriis. Ipsum dilige, ipsum ama, illi flagra, illi inhia, quo jucundius nihil juvenis, quo melius, quo lætius, quo diuturnius. Non times ne aliquando à te pereat, qui facit ne pereas. *Tom: 8 in psal: 85.* *Deus quæ petis, dum non dat, beneficium præstat.*

Auribus infige Domine orationem meam. Magnus orantis affectus id est non exeat de auribus tuis oratio mea, fige illam ibi in auribus tuis. Respondeat Deus & dicat nobis. Vis figam orationem meam in auribus meis? fige in corde tuo legem meam. *Ibidem.* *Mandatorum observatores exaudiuntur*

Impius quilibet & infelix anima rogare Deum nescit, & vult se rogari ab hominibus. Mons est, opus est ut tangat illum Deus & fumiget: quando cæperit fumigare dabit Deo precem tanquam sacrificium cordis. Fumigat ad Deum deinde tundit pectus. Incipit & flere quia & fumus excutit lacrymas. Qui tangit montes &
Ps. 143 5. fumigabunt. Cantabo Domino in vita mea. Quid cantabit? Totum quidquid est cantabit. Cantemus Domino in vita nostra. Vita nostra modo spes est, vita nostra postea æternitas erit. *Con: 4. de 3 parte psal: 103.*

Ps. 106 7. Et oratio ejus fiat in peccatum: quoniam non est justa oratio nisi per Christum quem vendidit immanitate peccati. Oratio autem quæ non fit per Christum non solum non potest debere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum. *In psal: 108.*

Quisquis præter templum Dei oraverit Deum, non exauditur ad illam pacem supernæ Hierusalem: & si exauditur ad quædam temporalia quæ Deus & Paganis donavit. Nam & ipsi dæmones exauditi sunt ut irent in porcos. Exaudiri ad vitam æternam aliud est: nec conceditur nisi ei qui in templo Dei orat. Ille autem in templo Dei orat qui orat in pace Ecclesiæ, in unitare Corporis Christi, quod Corpus Christi constat ex multis credentibus, in toto orbe terrarum: & ideo exauditur quia orat in templo. *Enarratione In psal: 130.* *Soli fideles exaudiuntur.*

Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam quoniam saturabuntur. Famelici Dei esse debemus. Ante januam conspectus illius in oratione mendicemus, ipse dat escam esurientibus. *Enar: in ps: 145.* *Mendici sumus apud Deum.*

Cum aliquando tardius dat, commendat dona, non negat. Diu desiderata dulcius obtinentur, citò autem data vilescunt. Pete, quære, insta. Petendo & quærendo crescis ut capias. Servat tibi De-

bi Deus quod non vult citò dare, ut & tu discas magna magnè desiderare. Inde opportet semper orare, & non deficere. *T. 10. serm: de verb: Dom: serm: 5. de illo petite & dabitur vobis, &c.*

Mendici Dei sumus. Omnes quando oramus, mendici Dei sumus: ante januam magni Patrisfamilias stamus, imo & prosternimur, supplices ingemiscimus, aliquid volentes accipere, & ipsum aliquid ipse Deus est. Quid à te petit mendicus? Panem. Et tu quid petis à Deo nisi Christum qui dicit, Ego sum panis vivus qui de cælo descendi? Ignosci vobis vultis, ignoscite: Remittite & remittetur vobis. Accipere vultis: date & dabitur vobis. *Ibidem serm: 15: de illo si peccaverit in te frater tuus, &c.*

Ad voluntatem Israelitæ exauditi sunt: & cum adhuc cibus esset in ore ipsorum, nostis quæ consecuti sunt. Nolite ergo pro magno habere ad voluntatem exaudiri. Aliquando Deus iratus dat, quod petis, & Deus propitius negat quod petis. Cum verò ea quæ Deus laudat, quæ Deus præcipit, quæ Deus in futuro sæculo promittit, ab illo petitis; securi petitè, & incumbite, quantum potestis orationibus, ut sumatis. *Ibidem serm: 53.* *Ps. 77. 30.* *Deus iratus maximè benefacit.*

Temps orandi. Oratio vobis quotidie dicenda est, cum baptisati fueritis. In Ecclesia enim ad altare Dei, quotidie dicitur ista oratio Dominica, & audiunt illam fideles. *Et infra.* Quotidie dicite quando surgitis, quando vos collocatis ad somnum. Reddite symbolum vestrum, reddite Domino, commemorate vos ipsos, non pigeat repetere. Bona est repetitio, ne subrepat oblivio. Ne dicatis, Dixi heri, dixi hodie, quotidie dico, teneo illud bene. Commemora fidem tuam, inspice te: sit tanquam speculum tibi symbolum tuum. Ibi te vide, si credis omnia quæ te credere confiteris, & gaude quotidie in fide tua. Sint divitiæ tuæ, sint quotidiana ista quodammodo indumenta mentis tuæ. Nunquid non quando surgis, te vestis? Sic & commemorando symbolum tuum, vesti animam tuam, ne forte eam nudet oblivio, & remaneas nudus, & fiat quod ait Apostolus, quod absit à te: Si tamen vestiti non nudi inveniamur. *Ibid: Homil: 42. de oratione Dominica.* *2 Cor. 5. 3.* *Speculum symbolum fidelis.*

Ordo petitionum. Nec hoc sic dicimus, ut pro rebus temporalibus Deum non oremus, id est, pro sanitate corporum, aut pro pace temporum, aut pro abundantia fructuum. Debemus & ista à Deo petere, sed secundo & tertio loco, ut primas partes in omni intentione nostræ orationis amor animæ, & desiderium vitæ æternæ obtineat. *T: 10 ser: de Temp: serm: 60. feria 6 post Dnicam in Quinq: serm: 2.*

Oratio Dnica oratio cælestis Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua &c. O vere cælestis oratio, quæ tota est oratio! Nam si singula verba prout sunt, latius tractare voluerimus, dies antequam sermo deficiet. *Tom: 10. eundem serm: 126. feria 4 post Dnicam Palmarum serm: 3.* *Matt. 6. 8.*

Deus non est acceptor personarum. Pulsate & aperietur vobis. Ego sum ostium & janua. Quare trepidat pulsando manus vestra, & dormitat in mendicitate conscientia vestra? Ego sum janua vitæ. Non horresco sordidum pulsatorem, non pauperem repudio petitorem, tantum nemo suam negligat paupertatem. Pulsate, & aperietur. Stant Angeli ad januam, ut introducant, non ut repellant: ut suggerant, non ut terreant. Nulla est pompa in janua mea. Ego sum janua, qui sustinui crucis ignominiam. *Ibid: ser: 171. feria 2. in Rogationibus serm: 1.* *Luc. 11. 9.*

Quare timeant petentes egentium, cum nulli aliquando denegavit misericordiam? Quis speravit in Domino, & confusus est? Si pulsant qui desiderant castitatem, dat eis continuo gratiam & sanctitatem & dicit eis. nolite ambulare polluti, nolite incedere maculosi. *Ps. 21. 6.*

maculosi. Sancti estote quia ego Sanctus sum. Si accedat pupillus parva manu pulsare januam paternam, nuntiant eum Angeli Domino, pupillus pulsat, defensionis pietatem expectat, responde illi Domine: Tibi enim derelictus est pauper, pupillo tueris adjutor. Respondet illi qui dives est, misericordia plenus, qui miseris pater est: Ego sum judex viduarum, & Pater orphanorum. Nemo lædat quos ego suscipio, nemo expoliet quos ego defendo *Et infra.* Hoc amat janua Salvatoris, ut pulsatoribus semper abundet opportunis. *Et infra.* Quandoq; Paterfamilias ad importunitatem pulsantis respondit ille de interioribus sacris de throno quietis: quid pulsas sine tempore, qui piger fuisti cum tempore? Dies fuit, & in lumine non ambulasti, nox supervenit, & pulsare cæpisti. Excusat tempus quod improbus quærit affectus. *Ibidem.* *In tempore orandum est.*

Matt. 6. 8. Pater noster qui es in cælis &c. Hæc oratio compendiosis verbis, id est septem petitionibus, omnes species orationis comprehendit, quibus Deum interpellamus, aut pro appetendis bonis, aut pro vitandis malis, pro delendis commissis. Harum septem petionum tres prius positæ pertinent ad æternitatem, quatuor sequentes ad vitæ præsentis necessitatem *Et infra.* Dicamus ergo Pater noster, cui non timore, sed amore famulamur. Non hoc populo priori dictum est, ut patrem oraret: sed Dominus insinuatus est eis, cui non filiali obediebant amore, sed servili subjiciebantur timore. Admonentur autem hoc verbo divites & nobiles, cum Christiani facti fuerint, quatenus se non extollant adversus pauperes, & ignobiles: quoniam simul dicunt Pater noster, quod verè ac piè dicere non possunt, nisi se fratres esse cognoscant. Hoc nomine & charitas excitatur, quia filius nihil clarius debet esse quàm Pater: & supplex affectus cum homines dicunt, Pater noster: & quædam impetrandi præsumptio, quod petitur, cum etiam ante petitionem tam magnum donum accepimus, ut possimus dicere, Pater noster. *Oratio Dominica compendium aliarum.* *Titulus Patris efficacem reddit orationem*

Quid enim jam non det filiis petentibus Pater, qui jam hoc ipsum dedit, ut essent filij? Postremo quanta cura animum ejus tangit, qui dicit, Pater noster, ut tanto Patre non sit indignus? Utatur ergo populus novi testamenti voce, populus novus, ad æternitatem vocatus, Pater noster. Oratio fraterna est: non dixit, Pater meus, tanquam pro se tantum orans: sed Pater noster: omnes videlicet una oratione complectens, qui se in Christo fratres esse cognoscunt. Qui habitas in cælis; id est in his quorum conversatio est in cælis. Et accommodatissima est ista similitudo, ut tantum spiritualiter distare credatur, inter justum & peccatorem, quantum distat corporaliter inter cælum & terram. Peccatori enim dictum est. Terra es, & in terram ibis. Cujus rei significandæ gratia, cum ad orandum stamus, ad orientem vertimur, unde cælum surgit: non ideo quod ibi sit Deus, tanquam cæteris mundi partibus relictis: sed ut admoveatur animus ad excellentiorem naturam consurgere, id est ad Deum *Ibid: ser: 182. in vigilia Pentecostes serm: 2.* *Omnes fratres sumus in Christo.* *Distantia inter justum & peccatorem.*

Oratio duritiam cordis mollit, austeritatem temperat, jejunium dulcificat, sicut enim sine potu non est plena refectio, sic & jejunium sine oratione non potest animam perfecte nutrire. Quid autem oratio, nisi ascensio animæ de terrestribus ad cælestia? inquisitio supernorum, invisibilium desiderium? Abeat dissensio secularium morum, quibus præmitur mens humana quotidie. Oratio, conjunctio Spiritus sancti. *Ib: serm: 280.* *Orationis proprietates.*

Discite hoc petere à Domino, ubi non timeatis exaudiri. *Tom: 10. serm: de diver: serm 32. de S. Stephano:*

Ne multa verba afferas ad Deum, quasi velis multis verbis

docere Deum. Quando ergo rogas, pietate opus est, non verbositate. Scit enim Pater vester quid vobis necessarium sit, priusquam petatis ab eo. Nolite ergo multum loqui, quia novit Deus, quid vobis necessarium sit. Sed ne forte hic dicat aliquis : Si novit quid sit nobis necessarium, ut quid vel pauca etiam verba dicimus? Ut quid oramus ? Ipse scit : Sed ideo voluit ut ores, ut desideranti det, ne vilescat, quod dederit: quia & ipsum desiderium ipse insinuavit. Verba ergo quæ Dominus noster JESUS Christus in oratione docuit, forma est desideriorum. Non tibi licet petere aliud, quàm quod ibi scriptum est. Vos ergo inquit dicite : Pater noster, qui es in cælis. *Ibid: ser: 48. Tractatu in orat: Dom.*

Vilescit munus quod minus desideranti offertur.

Matt. 6. 8.

Despexit, inquit, jam oravi, non me audivit. Quid si hoc petebas, quod malo tuo accepisses, si accepisses? Ploravi ante illum, & non mihi dedit. O puer insensate, in quo plorasti? ut acciperes felicitatem carnalem, felicitatem temporalem, felicitatem terrenam. Quid si ista felicitas quam exoptabas, & petebas, & pro qua plorabas, præcipitaret te ? *T: 10. ser: nov: 5. de psalmo 63.*

Intus age totum. Et si forte quæris aliquem locum altum, aliquem locum sanctum, intus exhibe te templum Deo. Templum eorum Dei sanctum est, quod estis vos. In templo vis orare, in te ora. Sed prius esto templum Dei, quia ille in templo suo exaudiet orantem. Veniet ergo hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate. *Tom: 9. in Evang : Ioan : Tract: 15. de cap: 4.*

In loco sancto orat qui intus orat.

1. Cor. 3. 17.

Petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis ut in concupiscentiis vestris insumatis. Male ergo usurus eo quod vult accipere, Deo potius miserante non accipit. Proinde si hoc ab illo petitur, unde homo lædatur exauditus, magis metuendum est, ne quod posset non dare propitius, det iratus ? An non videmus Israelitas malo suo impetrasse quod culpabili concupiscentia petierunt ? concupierant enim carnibus vesci quibus pluebatur manna de cælo. *Tract: 73. de cap: 14.*

Misericordia Deus præstat dum negat quod oramus.

Iac. 4. 3.

Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Hoc quod dicit gaudium plenum, profecto non carnale sed spirituale gaudium est : & quando tantum erit, ut aliquid ei jam non sit addendum, procul dubio tunc erit plenum. Quidquid ergo petitur quod pertineat ad hoc gaudium consequendum, hoc est in nomine Christi petendum : si divinam intelligimus gratiam, si vere beatam poscimus vitam. Quidquid autem aliud petitur, nihil petitur : non quia nulla omnino res est, sed quia in tantæ rei comparatione, quidquid aliud concupiscitur, nihil est. Neq; enim prorsus nulla res est homo, de quo ait Apostolus : Qui se putat aliquid esse, cum nihil sit. In comparatione quippe spiritualis hominis, qui scit gratia Dei se esse quod est, quisquis vana præsumit nihil est. *Ibidem Tract: 102. de cap : 16.*

Io. 16. 24.

Gal. 6. 3.

Tradidit eos Deus in desideria cordis eorum. Petit aliquis magnam pecuniam. accepit malo suo. Quando illam non habebat, parum timebat : habere illam cæpit, præda factus est potentiori. Nonne malo suo exauditus est, qui voluit habere, unde à latrone quæreretur, quem pauperem nemo quærebat ? Discite rogare Deum, ut medico committatis, quod ipse novit, faciat. Tu morbum confitearis, ille medicamentum adhibeat. Tu tantum charitatem tene. Nam ille secare vult, urere vult: tu si clamas, & non exaudiris in sectione, in ustione & tribulatione, novit ille quousque putre est. *Et infra.* Securus esto, charitas roget : & ibi sunt aures Dei. Non fit quod vis, sed fit quod tibi expedit. *Tom: 9. in Epist: Ioan: Tract: 6. de cap: 3.*

Possessio multorum solicita.

Rom. 1. 24. 26.

Deus vult conferre.

Exau-

Exaudi me Trinitas Sancta, & conserva me ab omni malo, ab omni scandalo, ab omni mortali peccato, ab omnibus insidiis, & infestationibus dæmonum, & inimicorum visibilium & invisibilium: per orationes Patriarcharum, per merita Prophetarum, per suffragia Apostolorum, per constantiam Martyrum, per fidem confessorum, per castitatem virginum, & per intercessionem Omnium Sanctorum, qui tibi ab initio placuerunt. *Et infra.* Sancta & immaculata Virgo Dei genitrix Maria, & Mater Domini nostri JEsu Christi intervenire pro me digneris apud illum, cujus meruisti effici templum. Sancte Michael, Sancte Gabriel, Sancte Raphael, Sancti Chori Angelorum, atq; Archangelorum, Patriarcharum, atq; Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Sacerdotum, Levitarum, Monachorum, Virginum, omniumque justorum: per illum qui vos elegit. & de cujus contemplatione gaudetis, vos rogare præsumo, ut pro me culpabili, Deo supplicare dignemini, quatenus de faucibus diaboli, & de morte perpetua merear liberari. *Tom: 9. lib: Meditat: cap: 40.*

Sanctorum intercessio.

Virgo B. templum Christi.

PAGANUS

PYthagoras, quo in illa contemplativa virtute nihil tunc habuit Græcia clarius, non tantùm de se, sed nec de ulla re aliquid scripsisse perhibetur. Socrates autem quem rursus in activa, quâ mores informabantur, omnibus prætulerunt; ita ut testimonio quoq; Dei sui Apollinis omnium sapientissimum pronuntiatum esse non taceant. Æsopi fabulas pauculis versibus persecutus est, usque adeo nihil scribere voluit, ut hoc se coactum imperio Dæmonis sui fecisse dixerit; sicut nobilissimus ejus Discipulorum Plato commemorat: Quid igitur causæ est, cur de istis hoc credant, quod de illis discipuli eorum literis commendârunt, & de Christo nolunt credere quod ejus de illo Discipuli conscripserunt. *Et infra.* Famam præferant famæ, & ei famæ de illo credant quæ major est. Ea quippe fama quæ de Catholica Ecclesia, quam stupent toto orbe diffusam, mirabili claritate dispergitur, tenues istorum rumores incomparabiliter vincit *T: 4. lib: 1. de con: Evang: c: 7.*

Veritas fidei catholicæ probatur.

Qui & rebus talibus, id est turpibus & scelestis: & non Deum verum, id est animæ corporisq; factorem, sed creaturam, quamvis non vitiosam colit, sive illa sit anima, sive corpus, sive anima simul & corpus, bis peccat in Deum, quod & pro ipso colit, quod non est ipse: & talibus rebus colit, qualibus nec ipse colendus est, nec non ipse. *T: 5. l: 7. de Civit: Dei: c: 27.*

Amor creaturarum duplex peccatum.

Qui nec felicem in futuro vitam, nec modò vult habere piam, talibus sacris mortem quærat æternam. Qui autem cum malignis Dæmonibus non vult habere societatem, non superstitionem, quâ coluntur, noxiam pertimescat, sed veram Religionem, quâ produntur & vincuntur, agnoscat, *Ibid: cap: 35.*

PATER.

NOsse enim & esse illi unum est: & ideo Patri sicut esse non est à Filio, ita nec nosse. Proinde tanquam se ipsum dicens: Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia; non enim se ipsum integrè perfectèq; dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in ejus Verbo, quàm in ipso. Ibi summè illud agnoscitur. Est, est: non, non; & ideo Verbum hoc verè veritas est, quoniam quidquid in ea sententia de qua genitum est, & in ipso est. Quod autem in ea

Probatur Dei Filii cum Patre æqualitas

non est nec in ipso est. Et falsum habere aliquid hoc verbum nunquam potest, quia immutabiliter sic se habet, ut se habet, de quo est. Non enim potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Potenter hoc non potest, nec est infirmitas ista, sed firmitas, quâ falsa esse non potest veritas. Novit itaq; omnia Deus Pater in se ipso, novit in Filio, sed in se ipso, tanquam seipsum, in Filio tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus, quæ sunt in se ipso. Omnia similiter novit & Filius, in se scilicet, tanquam ea, quæ nata sunt: de iis quæ Pater novit in se ipso. In Patre autem tanquam ea, de quibus nata sunt, quæ ipse Filius novit in se ipso. Sciunt ergo invicem Pater & Filius, sed ille gignendo, iste nascendo, & omnia quæ sunt in eorum scientia, in eorum sapientia, in eorum essentia, unusquisq; eorum simul videt: non particulatim aut singillatim, velut alternante conspectu, hinc, illuc: & inde, huc: & rursus inde vel inde: in aliud atq; aliud, ut aliqua videre non possit, nisi non videns alia: sed ut dixit simul omnia videt, quorum nullum est, quod non semper videt. *Tom:3. lib:15. de Trinit: cap:14.*

Cælum servos repudiat. Pater noster qui es in cælis. Nusquam invenitur præceptum populo Israel, ut diceret Pater noster, aut oraret Patrem Deum: sed Dominus illis insinuatus est, tanquam servientibus, id est secundum carnem adhuc viventibus. *Tom:4 l:2: de serm: in mont: c:4.* *Luc. 11. 3.*

Prius Deus bene facit quam petamus. Pater noster, quo nomine & charitas excitatur. Quid enim charius filiis debet esse quam Pater? & supplex affectus, cum homines dicunt Deo, Pater noster: & quædam impetrandi præsumptio, quæ petituri sumus, cum priùs quam aliquid peteremus, tam magnum donum accepimus, ut sinamur dicere Pater noster Deo. Quid enim jam non det Filiis petentibus cùm hoc ipsum ante dederit, ut filii essēt? Postremò quanta cura animum tangit, ut qui dicit Pater noster, tanto Patre non sit indignus. *Patris mores in Filio.* Si enim quisquam plebeius senatorem patrem vocare permittatur, sine dubio trepidabit, nec facilè audebit, cogitans plebeæ personæ utilitatem. Quantò ergo magis trepidandum est appellare Patrem Deum, si tantæ sunt labes, tantæque sordes in moribus, ut multò justius eas à sua conjunctione Deus expellat, quam ille senator cujusvis mendici egestatem. Quandoquidem hoc ille contemnit in mendico, quo & ipse potest rerum humanarum fragilitate devenire. Deus autem in sordidos mores nunquam cadit, & gratias misericordiæ ipsius, qui hoc à nobis exigit, ut Pater noster sit, quod nullo sumptu, sed sola bona voluntate comparari potest; *Malè erat qui cōtemnit pauperem.* Admonentur etiam hîc divites cùm Christiani facti fuerint, non superbire adversus pauperes & ignobiles, quoniam simul dicunt Deo Pater noster: quod non possent verè ac piè dicere, nisi se fratres esse cognoscant. *Ibidem.*

Qui es in cælis. Id est in Sanctis & justis ut spiritualiter tantum inter esse videatur, inter justos & peccatores quantum corporaliter inter cælum & terram. *Orationis Dominicæ paraphrasis.* Sanctificetur nomen tuum, id est ita hominibus innotescat Deus, ut non existiment aliquid sanctius, quod magis offendere timeant. Adveniat Regnum tuum; accipiendum est, manifestetur hominibus. Quemadmodum enim etiam præsens lux, absens est cæcis, & eis, qui oculos claudunt: ita Dei Regnum quamvis nunquam discedat de terris, tamen absens est ignorantibus. Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Id est ut quemadmodum spiritus non resistit Deo, sequens & faciens voluntatem ejus: ita & corpus non resistat spiritui vel animæ: quod erit summæ pacis in vita æterna, ut non solum velle adjaceat nobis, sed & perficere bonum. Panem nostrum quotidianum da nobis *Luc. 11. 3.* *Luc. 11. 3.*

bis hodie. Panis quotidianus dictus est aut pro iis omnibus, quæ hujus vitæ necessitatem sustentant, aut pro Sacramento Corporis Christi, quod quotidie accipimus: aut pro spirituali cibo. Da nobis hodie, id est in hac vita temporali. Dimitte nobis debita nostra sicut & nos &c. debita, peccata dici manifestum est; Non hîc ergo quisque urgetur pecuniam dimittere debitoribus, sed quæcunque in eum alius peccaverit. Et nè nos inducas in tentationem. Fiunt igitur tentationes per sathanam, non potestate ejus, sed permissu Domini ad homines, aut pro suis peccatis puniendos, aut pro Domini misericordia probandos & exercendos. Sed interest plurimùm in qualem quisq; tentationem incidat. Non enim in talem incidit Judas, qui Dominum vendidit, in qualem incidit Petrus cùm territus Dominum negavit. Sed libera nos à malo Ut non solum inducamur in malum, quo caremus, quod sexto loco petitur, sed ab illo etiam liberemur, quo jam inducti sumus. *Ibid cap*: 5. *usq; ad c*: 9.

Peccatum debitum.

Tentationis causæ.

Habet quiddam erga Parentes humana verecundia, quod nec ipsa nequitia possit auferre. *T*: 5 *lib*: 2. *de Civit*: *Dei c*: 4.

Hanc Domini sententiam ubi ait: Omnia quæ habet Pater, mea sunt: tanquam rectissimam regulam ad vos sive convincendos, sive quod magis cupimus corrigendos, per multa adhibere debemus; ut ubicunq; aliquid tribuitis Patri, quod Filio denegatis, ipsam fidelissimam testem contra errores vestros, vel contra mendacia producamus. *Ibidem c*: 9.

Si habet Pater omnipotentiam, quam non habet Filius, falsum est, quod ait Filius; omnia quæ habet Pater, mea sunt. Deinde si aliquid facit Pater, quod facere non potest Filius meritò dicitur potentior Pater, quàm Filius. *T*: 6 *con*: *Max*: *c*: 12.

Quis audeat dicere per JESUM Christum fieri, ut sit sapiens Deus Pater: cùm secundum substantiam suam non dubitandum sit eum esse sapientem: potiusq; sit substantia Filij, per gignentem Patrem, quàm substantia Patris per genitum Filium? *Ibid*: *c*: 13.

Quæro abs te quomodo accipias, videte quoniam ego sum Dominus, & non est alius præter me. Ibi est Christus an non est? si ibi est, profecto Pater & Filius unus est Dominus, si autem ibi non est, & tamen Dominus est: mentitur qui dicit: Non est alius præter me Dominus; Est enim alius Dominus Filius, si non est unus Dominus Pater & Filius. Clama quantumvis, Pater est major, Filius minor: Respondetur tibi duo sunt tamen major & minor. Nec dictum est Dominus Deus tuus major, Deus unus est: sed dictum est, Dominus Deus tuus, Deus unus est. Neq; dictum est: Non est alius æqualis mihi; sed dictum est: non est alius Dominus præter me. Aut ergo confitere Patrem & Filium, unum esse Dominum Deum, aut apertè nega Dominum Deum esse Christum. *Et infra*. Ita hoc dicis, quasi Judæorum sit vox. Audi Israelē Dominus Deus tuus. Deus unus est. Edissere inquam quomodo verum sit, Dominus Deus tuus, Deus unus est. Si Domini Dei nostri ut dicitis duo sunt: unus major, alter minor. *Ibid*: *c*: 23.

Deut. 35. *Evincitur æqualitas Filii cum Patre.*

Quia naturâ est non gratiâ Filius, nascenti non indigenti dedit: & plenus plenum, fons bonitatis, fontem genuit bonitas. Ac per hoc nec auxit in se hic, quod accepit, nec minuit in se ille quod dedit: quia non habet immutabilitas unde deficiat, non habet plenitudo quò crescat. *Tom*: 6. *lib*: 3. *con*: *Maxim*: *Arrian*: *Epum*: *cap*: 23. *ad fin*:

Pater dando Filio non minuitur.

Luc. 11 Pater noster qui es in cælis. Deo gratias. Singulos enim Patres cùm habeamus in terris, unum invenimus simul in cælis. *T*: 7. *serm*: *ad Eccl*: *Cesarien*: *plebem de Emerito*.

Ne vobis Patrem dicatis in terra secundum hoc utiq;, quod alios natales quibus non Patri succederemus, sed cum Patre semper viveremus, invenimus. *T: 7. lib: 6. con: Iulian: c: 26.*

Præponendus Deo audiendus ut Deus.

Non debet irasci Pater quando ei præponitur Deus: ubi enim hoc jubet Pater, quod contra Dominum non sit sic audiendus est quomodo Deus, quia obedire Patri jussit Deus. *T: 8. con: 1. in psal: 70.*

Deus præponendus parentibus.

Vult Deus ut consanguinitatibus terrenis præponamus Deum. Defer Patri quia Pater est: defer Deo quia Deus est: Generavit te Pater accommodando carnem suam, creavit te Deus adhibendo potentiam suam. Ne irascatur Pater cum Deus illi præponitur: imo gaudeat sibi tantum deferri, ut ille inventus esset qui ei deberet præponi. *Et infra.* Et avibus dictum est Crescite & multiplicamini. Pro magno vis habere quod avibus donatum est? Voce quidem Dei donatum esse quis nesciat? Sed utere bonis istis si accipis & magis cogita quomodo nutrias qui nati sunt, quàm ut nascantur.

Filii boni, felicitas parentum

Non enim jam felicitas est habere filios, sed bonos habere. De nutriendis labora si nati fuerunt: si autem nati age gratias Deo: Forte minus solicitus eris & tamen sterilis remansisti illius Matris. Forte filij per te nascuntur spiritualiter de ista Matre, qui sunt ut novellæ olivarum circumeuntes mensam Domini. Consoletur ergo te Deus ut videas bona Hierusalem. Illa enim bona sunt. Quare sunt? quia æterna sunt. Quare sunt: Quia ibi est Rex. Ego sum qui sum. Ita vero bona sunt & non sunt: non enim stant, labuntur, fluunt. *Expos: psal: 127.*

Proinde charissimi, catholica germina, membra Christi, cogitate, quale caput habeatis: Filij Dei, cogitate qualem Patrem inveneritis: Christiani cogitate, quæ vobis hereditas promittatur. Non talis qualis in terra possideri à filiis non potest, nisi cum mortui fuerunt parentes eorum. Nullus enim in terra possidet hereditatem Patris, nisi mortui. Nos vivo Patre nostro, possidebimus

Deus Pater hereditas nostra

quod donabit: quia pater noster mori non poterit. Plus addo, plus dico, & verum dico: ipse pater erit hereditas nostra. *T: 10: serm: de verb: Dom: serm: 62. de trina interrogatione.*

Pater cælestis Pater sine exceptione.

Pater noster qui es in cælis. Invenimus Patrem in cælis: attendamus quemadmodum vivamus in terris. Sic enim debet vivere qui invenit talem Patrem, ut dignus sit vivere ad ejus hereditatem. Dicimus autem communiter, Pater noster. Quanta dignatio! Hoc dicit imperator, hoc dicit mendicus, hoc dicit Dominus, hoc dicit servus ejus. Simul dicunt Pater noster qui in cælis es. Intelligunt ergo se esse fratres, quando unum habent Patrem. Sed non

Servi principum fratres eorum.

dedignetur fratrem habere servum suum Dominus ejus, quem fratrem voluit habere Dominus Christus. *Tom: 10. 50. Homil: Homil: 42. de oratione Dominica.*

Quia duo parentes nos genuerunt ad mortem, duo parentes nos genuerunt ad vitam. Parentes qui nos genuerunt ad mortem, Adam & Eva; parentes qui nos genuerunt ad vitam, Christus est & Ecclesia. *Ibid: ser: de Temp. ser: 109. feria 3. post Dnicam Passionis.*

Deus Pater est bonitate Deus potestate.

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem. Vide quam cito dicitur, & quantum valet, Deus est, Pater est, Deus potestate, Pater bonitate. Quàm felices sumus, qui Dominum nostrum Patrem invenimus. Credamus ergo in eum, & omnia nobis de ipsius misericordia promittamus. Quia omnipotens est, ideo in Deum Patrem omnipotentem credimus. Nemo dicat, non mihi potest dimittere peccata. Quomodo non potest omnipotens? sed dicis: Ego multum peccavi. Et ego dico: sed ille omnipotens est. Et tu: Ego talia peccata commisi, unde liberari, & mundari non possum.

Respon-

Respondeo : sed ille omnipotens est ; Videte quid ei cantetis in Psalmo, Benedic inquit anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes languores tuos. Ad hoc nobis & ejus omnipotentia necessaria. Nam universæ creaturæ, ad hoc erat necessaria ut crearentur. Omnipotens est ad facienda majora & minora. Omnipotens est ad cælestia, & terrestria. Omnipotens est ad facienda mortalia, & immortalia. Omnipotens est ad facienda spiritualia & corporalia. Omnipotens est ad facienda visibilia & invisibilia, magnus in magnis, nec parvus in minimis. Postremo omnipotens est ad facienda omnia, quæ facere voluerit. Nam ego dico quanta non possit. Non potest mori, nec potest peccare, non potest mentiri, non potest falli. Tanta non potest, quæ si posset, non esset omnipotens. *Ibid: ser: 119. feria 2. post: Dnicam Pal: ser: 3.* *Deus etiam in minimis maximus.*

In Deum Patrem. Advertite quod cum Dei Patris nomen in confessione conjungit, ostendit quod non ante Deus esse cæperit, & postea Pater : sed sine uno initio & Deus semper, & Pater est. Quia ergo semper fuit Pater, semper habuit Filium cui Pater est. *Ibid: serm: 131. feria 6. in parasceve serm: 2.*

Matt. 6. 8. Nolite inhærere terrenis, qui Patrem invenistis in cælis. Dicturi enim estis, Pater noster qui es in cælis. Ad magnum genus pertinere cæpistis. Sub isto Patre fratres sunt Dominus & servus: sub isto Patre fratres sunt imperator & miles : sub isto Patre fratres sunt dives & pauper. Omnes Christiani fideles adversos in terra habent Patres, alii nobiles, alii ignobiles : unum verò Patrem invocant qui est in cælis. Si ibi est Pater noster, ibi nobis præparatur hereditas. *Ibid: ser: 135. sabbatho in Vigilia Paschæ ser: 6.*

Matt. 6. 8. Pater noster qui es in cælis. Quem voluit à nobis appellari Patrem nostrum, nisi Patrem suum ? Nunquid invidit nobis? Parentes aliquando cum genuerint unum filium, duos, tres, jam timent generare, ne faciant alios mendicare. Sed quia talis est hereditas, quam nobis promittit, quam multi obtineant, & angustias nemo patiatur : ideo in suam fraternitatem vocavit populos gentium, & habet unicus innumerabiles fratres, qui dicant, Pater noster, qui es in cælis. Dixerunt ista qui fuerunt ante nos : dicturi sunt qui erunt post nos. Videte quantos fratres habeat unicus in sua gratia : communicans cum illis hereditatem, pro quibus pertulit mortem. *Ibid. serm: de diver: ser: 9. de orat: Dnica ad Cathecbum.* *Matt. 6. 8.*

Non invenis in hominibus, nisi minores filios, majores Patres: non invenis coævos. Sed do tibi sicut dixi splendorem coævum igni Patri suo. Generat enim ignis splendorem, sed nunquam sine splendore. Cum ergo videas splendorem igni esse coævum, permitte Deum generare coæternum. Qui intelligit gaudeat : qui autem non intelligit credat, quoniam verbum Prophetæ evacuari non potest, nisi credideritis, non intelligetis. *Tom: 10. serm: nov: serm: 13. In principio erat Verbum &c.*

Sicut Pater sine senectute, sic & Filius sine incremento. Nec ille senuit, nec ille crevit : sed æqualis æqualem genuit, æternus æternum. Quomodo inquit aliquis æternus æternum ? Quomodo flamma temporalis generat lucem temporalem. Coæva est autem flamma generans luci quam generat, nec præcedit tempore flamma generans lucem generatam : sed ex quo incipit flamma, ex illo incipit lux. Da mihi flammam sine luce, & do tibi Deum Patrem sine Filio. *Tom: 9. in Evan: Ioan: Tract: 20. de c: 5.*

Matt. 6. 9. Pater noster. Cui dicimus Pater noster : Patri Christi. Qui ergo Patri Christi dicit Pater noster : quid dicit Christo nisi frater noster. *Christus frater noster.*

noster. Non tamen ficut Christi Pater, & ita noster Pater: nunquam enim Christus ita nos conjunxit, ut nullam distinctionem faceret inter nos, & se. Ille enim Filius æqualis Patri, ille æternus cum Patre, patriq; coæternus, nos autem facti per illum, adoptati per unicum. *Ibid: Tract: 21. de cap: 5.*

Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit. Demonstrat Pater Filio, ut animæ suscitentur, quia per Patrem & Filium animæ suscitantur: nec possunt vivere animæ nisi earum vita sit Deus. Si ergo non possunt vivere animæ, nisi earum vita sit Deus, sicut ipsæ sunt vita corporum. *Ibid: Tr: 23. de c: 5.*

Si sempiternus Pater, sempiternus est utiq; & Filius Si enim fuit Filius quando non fuit Filius, fuit & Pater, quando non fuit Pater: quod si aliquando fuit Pater non Pater, non fuit omnipotens, minus enim habuit in eo quod postea effectus est Pater. Si das initium Filio, das initium & Patri. Pater enim à Filio appellatus est Pater. Si autem semper fuit Pater, semper fuit & Filius: & si Deus est Pater, Deus est Filius: non enim aliud potuit procedere De Deo quàm Deus. Quod si Deus est Pater, Deus est & Filius: & si sempiternus est Pater, sempiternus est Filius: quem non præcessit ætate, nec dignitate, non eum minuit æqualitate. *Tom: 9. lib: 2. de symb: ad Cathechumenos cap: 3.*

PATIENTIA.

Æterna, temporalium jactura redimenda. SI quis te percusserit in maxillam dextram, præbe illi & sinistram; sic intelligi solet; si quis in te meliora fuerit persecutus, & inferiora ei præbe, nè vindictæ potiùs quam patientiæ studens, contemnas æterna pro temporalibus: cum potiùs temporalia pro æternis contemnenda sunt, tanquam sinistra pro dextra. *T: 2. ep: 5.* *Matt. 5. 39.*

Cum boni & mali eadem faciunt, eademq; patiuntur, non factis, & pœnis, sed causis utique discernendi sunt. *Non factis, sed pœnis opera pensanda.* Cum ergo & Pater tradidit Filium suum, & ipse Christus corpus suum, & Judas Dominum suum, cur in hac traditione Deus est pius & homo reus, nisi quia in re una quam fecerunt causa non est una ob quam fecerunt. Tres cruces in loco uno erant: in una latro liberandus, in alia latro damnandus, in media Christus, alterum liberaturus alterum damnaturus. Quid similiùs istis crucibus? quid dissimiliùs istis pendentibus? Traditus est Paulus includendus & colligandus, sed quolibet custode carceris pejor est sathanas? Cui tamen ipse Paulus tradidit hominem in interitum carnis, ut spiritus salvus sit Ecce mitiori tradidit crudelis traditor, crudeliori tradidit misericors traditor. Discamus Fratres in similitudine operum discernere animos operantium. *Ibid: epist: 48.*

Calamitas tolerandа. Anima Christiana non frustra audiat; sursum corda; nec frustra respondeat se habere ad Dominum Quod intuens rectè facis, mala hujus mundi tolerabilia ducere spe futuri boni. Sic enim usu quodam bono convertuntur in bonum, dum nòn augent nostram concupiscentiam, sed exercent patientiam. *Ibid: ep: 156.*

Tolerat Aaron multitudinem, idolum exigentem, & fabricantem & adorantem. *Mali toleran-di.* Tolerat Moyses adversus Deum tot millia murmurantia. Tolerat David Saulem persecutorem suum, sceleratis moribus cælestia deserentem. Tolerat Samuel nefandos filios Heli Tolerat Esaias, in quos tam multa vera crimina jaculatur. Legant qui volunt, legant qui possunt eloquia cælestia, invenient omnes Sanctos Dei servos & amicos semper habuisse, quos in suo populo tolerarent, cum quibus tamen illius temporis sacramenta commu-

communicantes, non solùm non inquinabantur, sed etiam laudabiliter sustinebant, studentes, sicut ait Apostolus servare unitatem spiritus in vinculo pacis *Ibid: ep:162.*

Loculos Judæ commendavit: ut etiam fures, si evitare non possemus, tolerare in Ecclesia disceremus. Ille enim ea quæ mittebantur, sicut de illo scriptum est, auferebat. *Tom: 3. lib: de oper: Monach: cap: 5.* *Luc. 12 6.* *Tolerada quæ vitari non possunt.*

Accepisti alapam, para alteram maxillam. Exemplum autem patientiæ nullum, quàm ipsius Domini potentius & excellentius inveniamus. At ipse cum alapâ percussus esset, non ait: Ecce altera maxilla; sed ait: si male dixi, exprobra de malo, si autem bene, quid me cædis: ubi ostendit illam præparationem alterius maxillæ in corde faciendam. Quod etiam Apostolus Paulus utique noverat: Nam & ipse cùm esset alapâ percussus ante Pontificem, non ait: Percute alteram maxillam, sed percutiet te Dominus, inquit, paries de albate: altissimè intuens sacerdotium Judæorum jam tale factum fuisse, ut nomine forinsecus niteret, intrinsecùs autem luteis concupiscentiis sorderet. Quod transiturum esse vindictam Domini, videbat in spiritu, cum illud diceret: Sed tamen cor paratum habebat, non solùm ad alias alapas accipiendas, sed etiam quælibet tormenta pro veritate patienda, cum eorum dilectione, à quibus illa pateretur. *T: 4. lib: de mendac: cap: 15.* *Matt. 5. 19.* *Act 23 3.*

Impatientes cum mala pati nolunt, non efficiunt, ut à malis eruantur, sed ut mala graviora patiantur. *Et infra.* Intueamur charissimi, quanta in laboribus & doloribus homines dura sustineant, pro rebus quas vitiosè diligunt, & quantum de his feliciores fieri putant, tantò infeliciùs concupiscunt; Quanta pro falsis divitiis, quanta pro vanis honoribus, quanta pro ludicris affectionibus periculosissima & molestissima patientissimè tolerantur. *Et infra.* Vis enim desideriorum facit tolerantiam laborum & dolorum: & nemo nisi pro eo quod delectat spontè suscipit ferre quod cruciat. *Et infra.* Dominus ait; In vestra patientia possidebitis animas vestras. non ait villas vestras, laudes vestras, luxurias vestras, sed animas vestras. Si ergo tanta suffert anima pro salute carnis suæ intersecantium seu urentium medicorum, quanta debet sufferre inter furores quorumlibet inimicorum: cum medici nè corpus moriatur, per pœnas corpori consulant, inimici autem pœnas & mortem corporis comminando, ut anima & corpus in gehenna occidatur, impellant. *Et infra.* Cum ergo torquent aliqua mala, sed non extorquent opera mala, non solùm anima per patientiam possidetur, verùm etiam cùm per patientiam corpus ipsum affligitur, vel amittitur, in æternam stabilitatem salutemque resumitur, & ei per dolorem & mortem inviolabilis sanitas, & felix immortalitas comparatur. *Ibid. de patien: c: 3 usq; ad 8.* *Majora patiuntur, qui minora ferre recusas.* *Luc. 21 19.* *Laborem amor alleviat.* *Patientia fœrax est bonorum.*

Hujus patientiæ præbuit & demonstravit exemplum, quando ante passionem corporis sui discipulum Judam priusquam ostenderet traditorem, pertulit furem: & ante experimentum vinculorum, & crucis, & mortis, labiis ejus dolosis, non negavit osculum pacis. *Ibidem.*

Utroq; modo Sancti Martyres certaverunt. Nam & impiorum opprobriis saturati sunt, ubi animus à corpore intacto quasdam veluti plagas suas integer sustinet; & in corporibus vincti sunt, inclusi sunt, fame & siti affecti sunt, torti sunt, secti sunt, dilaniati sunt, incensi sunt, trucidati sunt & pietate immobili subdiderunt Deo mentem, cum paterentur in carne quidquid exquirenti crudelitati venit in mentem. *Ibid: cap: 10.* *Martyr & corpore & animo.*

Infracto corpore integer manet animus.

A capite uſque ad pedes ardebant dolores, ſcatebant vermes, ſanies defluebat [loquitur de Job) manebat in putrido corpore animus integer. Aderat uxor, nec ferebat opem aliquam viro, ſed in Deum blaſphemiam ſuggerebat. Cautior iſte fuit in doloribus, quàm ille [intelligit Adamum) in nemoribus. Ille victus eſt in deliciis, iſte vicit in pœnis. Conſenſit ille oblectamentis, non ceſſit iſte tormentis. *Ibid: cap:* 12.

Patientia fores paradiſi aperit.

Qui de priſtina felicitate Paradiſi propter contumacem deliciarum appetentiam dimiſſi ſumus, per humilem moleſtiarum patientiam recipiamur, fugaces mala faciendo, reduces mala patiendo, ibi contra juſtitiam facientes, hîc pro juſtitia patientes. *Ibidem: cap:* 14.

Cupiditas mundi initium habuit ex arbitrio voluntatis, progreſſum ex jucunditate voluptatis, firmamentum ex vinculo conſuetudinis: charitas autem Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, non utiq; ex nobis, ſed per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Proinde ab illo eſt patientia juſtorum, per quam diffunditur charitas eorum. *Tom:* 4. *ibid: cap:* 17.

Patientia pauperum non peribit in æternum, neq; enim æterna erit ipſa patientia quæ neceſſaria non eſt, niſi ubi toleranda ſunt mala; ſed æternum erit, quo per patientiam pervenitur. *Et infra.* Etſi quos cives habes [intellige ſocietas impiorum) qui moderari talibus motibus, & eos quaſi temperare videantur, ſic impietate ſuperbi & elati ſunt, ut hoc ipſo in eis ſint majores tumores, quò minores dolores; Non enim quia durum aliquid, ideo rectum: aut quia ſtupidum eſt; ideo ſanum. *Tom:* 5. *lib:* 14. *de Civitate Dei cap:* 9. Pſ. 9. 19.

Quoniam non poteſt id fieri quod vis, id velis quod poſſis; num tamen ideo beatus eſt, quia patienter miſer eſt? beata quippe vita ſi non amatur, non habetur. *Et infra.* Tunc beata erit quando erit æterna. *Ibid. cap:* 25.

Ego pro te impio & peccatore, ut tuæ iniquitates mei ſanguinis effuſione lavarentur, magno ſilentio & magnâ patientiâ traditorem meum pertuli, nonne imitaberis me, ut & tu non reddas mala pro malis. *Tom:* 8. *in pſal:* 7.

Ulciſcent vintur à diabolo.

Inaniter ſe jactat, qui cum & ipſe homo ſit cupit ſe de homine vindicare & cum ſuperare hominem palam quærit, occulte à Diabolo ſuperatur, inanis effectus vanâ & ſuperbâ lætitiâ, quod quaſi vinci non potuit. *In pſal:* 7.

Suſtine Dominum. Non ſuſtinebis mendacem, non eum qui poterit falli, non eum qui non eſt inventurus quod Deus omnipotens promiſit, certus promiſit ſuſtine Dominum, viriliter age. Noli diſſolvi, ne ſis inter eos quibus dicitur. Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam. Omnibus nobis dicitur & uno homini dicitur: ſuſtine Dominũ. Unus homo ſumus in Chriſto, corpus Chriſti ſumus. Suſtinendo Dominum habebis eum: habebis quem ſuſtinebis. Aliud deſidera ſi majus, ſi melius ſi ſuavius inveneris. *Enarratione* 2. *In pſal:* 26. Pſ. 26. 14.

Suſtine Dominum &c. Parum erat ſemel ſuſtinere Dominum niſi repeteret, nè forte ſuſtineret biduo, triduo, quatriduo, & maneret preſſura & tribulatio, ideo addidit: Viriliter age. Addidit. Et confortetur cor tuum: & quia ab initio uſque ad finem ſic erit, quod habet ſententia in capite, hoc habet in fine. Et ſuſtine Dominum. Tranſient iſta quæ te premunt, & veniet quem ſuſtines, & exterget ſudorem ſiccabit lacrymam, ultra non flebis. *Tmo:* 8. *Præfat: in enar:* 2. *pſal:* 29. Pſ. 26. 14.

Tor-

Tormenta animi non sentit in Ecclesia qui non proficit, putat enim quia pax est. Sed incipiat proficere, & tunc videbit in qua pressura sit: quia cum crevisset herba & fructum fecisset, tunc apparuerunt zizania. Et qui apponit scientiam, apponit dolorem. *Tom*: 8. *Ibidem*. *Crescens premitur.*

Erudiris cum emendaris. Sed multum emendat quia magnum est quod habes accipere. Nam si appendas quod emendaris cum eo quod accepturus es, invenies quia nihil est quod emendaris. Apostolus Paulus hoc dicit: Etenim quod ad præsens est temporale, leve tribulationis nostræ juxta incredibilem modum æternum gloriæ pondus operatur in nobis. *Ibid: Con*: 3. *in ps*: 48.

Cum tolerantia vivendum est nobis inter malos: quia cum mali essemus cum tolerantia vixerunt boni inter nos. Non obliviscentes quod fuerimus, non desperabimus de his quæ minime sunt quod fuimus. *In psal*: 50. *Toleremus, quia tolerabamur.*

Ps. 141. 2. In me turbatum est cor meum; merito turbatum cor tuum, quia excidit tibi in quem credideris. Intolerabiliter pateris quia non venit tibi in mentem quid pro te pertulerit Christus. Cum autem pleno corde intuitus fueris quid ille fuerit passus nonne æquo animo & tu tolerabis? Et fortassis gaudes, quia inventus es in aliqua similitudine passionum Regis tui. *In psal*: 54. *Patiendi illicium Christus patiens.*

Rom. 8. 25. Per patientiam expectamus, venit dolor meus, veniet & requies mea. Venit tribulatio mea, veniet & purgatio mea. Numquid lucet aurum in fornace aurificis? In monili lucebit, in ornamento lucebit: patiatur tamen fornacem ut purgatum à sordibus veniat ad lucem. Fornax ista ibi palea, ubi aurum, ibi ignis, ad hanc flat aurifex. In fornace ardet palea, & purgatur aurum: illa in cineres vertitur, à sordibus illud exuitur. Fornax mundus, palea iniqui, aurum justi, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult ergo aurifex, facio: ubi me ponit aurifex tolero. Jubeor ergo tolerare, novit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me & quasi consumendum me, illa in cinerem vertitur, ego sordibus careo. Quare? Quia Deo subjicietur anima mea: quoniam ab ipso est patientia mea. Quis est tibi iste à quo est patientia tua? Quoniam ipse est Deus meus & salutaris meus, susceptor meus non emigrabo. *In psal*: 61. *Tribulationes expoliunt.*

Cum patientia salutem expecta. Quibus te medicamentis curet ille novit: quibus sectionibus, quibus ustionibus ille novit. Non vides quanta homines patiantur sub medicorum manibus spem incertam homini promittentium? Et homo dicit, & homini dicit, ad verba hominis credit homo, subdit membra, ligari se patitur, secatur, & uritur, & fortasse dum curatur moritur. Cui autem promisit Deus aliquid & fefellit. *In psal*: 85. *Deus affligendo medetur maximè.*

Iob. 1. 21. Dominus dedit, Dominus abstulit. Non dixit Dominus dedit, Diabolus abstulit: quia nihil diabolus abstulisset, nisi permisisset Deus. Ideo autem permisit Dominus ut homo probaretur: diabolus vinceretur. *In psal*: 90. *Vox patientis.*

Quando audit verba aspera, unde sibi debet facere solatium. Ut non curet verba aspera, nec recedat à via, & intret per januam, dicat. Qualia verba audio servus peccator? Dominus meus audivit: dæmonium habes. *Expos*: 1. *partis psal*: 90. *Scommatum tolerantia.*

Ps. 93. 13. Donec fodiatur peccatori fovea. Ecce habes consilium Dei, quare parcat malis, donec fodiatur peccatori. Tu jam vis illum sepelire? Adhuc fovea illi foditur noli festinare sepelire. *In ps*: 93. *Peccatores non damnandi ante tempus.*

Patere te curari ita sanandus es. Multum superbus & præceps est æger, qui & medicum monere audet etiam hominem. Consilium nè *Deus medicus affligens sanat*

um nè audebit dare æger medico? Vbi homo ægrotat, & Deus curat magnum pietatis & sanitatis indicium est. Antequam scias quare quid dictum sit, crede ita dici debuisse ut dictum est. Hæc enim pietas faciet te capacem, ut quæras quod dictum est: & cum quæsieris invenias, & cum inveneris gaudeas. *Enar: in psal: 47.*

Patientia corona Martyrum. Si quod non videmus speramus, per patientiam expectamus. In hac ergo patientia Martyres coronabantur, desiderabant quæ non videbant, contemnebant, quæ ferebant. *Tom: 10. serm: de verb: Ap: serm: 16 Si Deus pro nobis, &c.* *Rom 8. 25.*

Sustine Dominum. Sustine Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Quid est, sustine Dominum? ut tunc accipias quando dabit: non tunc exigas, quando vis. Tempus dandi nondum est. Sustinuit te, sustine illum. Quid est quod dixit, sustinuit te, sustine illum? Si jam juste vivis, si jam ad illum conversus es, si tibi displicent facta tua præterita, si jam placuit tibi eligere vitam bonam novam: noli festinare exigere. Sustinuit te, ut mutares vitam tuam malam: sustine illum, ut coronet vitam tuam bonam. Nam & si ille sustineret, non esset cui daret. *Tom: 10. 50. Homil: Homil: 11: de iis qui conversionem de die in diem differunt, &c.* *Ps. 26. 44.*

Multa toleranda sequenti Christum. Quid est tollat crucem suam? Ferat quidquid molestum est: sic me sequatur. Cum enim cœperit me moribus & præceptis meis sequi, multos habebit contradictores, multos habebit prohibitores, multos habebit dissuasores, & hoc de ipsis quasi comitibus Christi. Cum Christo ambulabant, qui cæcos clamare prohibebant. Sive ergo minas, sive blandimenta, sive quaslibet prohitiones, si sequi vis in crucem verte; tolera porta, noli succumbere. *T: 10. serm: de diver: ser: 47. in caput 6 Matth.* *Matt. 16. 24.*

Vita nostra infirmitas. Quid desideres tu nosti: quid tibi prosit, ille novit. Puta te esse sub medico, & esse infirmum, sicut & verum est: omnis enim vita ista nostra infirmitas, & longa vita, nihil aliud quam longa infirmitas? Puta ergo te sub medico ægrotare. Delectavit recentem, delectavit potum vini usurpare, petere à medico. Non prohiberis petere, ne forte non tibi noceat, & expediat tibi accipere. Noli dubitare petere: pete: pete, noli cunctari, sed si non acceperis noli contristari. Si hoc sub homine medico carnis tuæ, quanto magis sub Deo medico Creatore, reparatore & carnis & animæ tuæ? *Et infra.* Hoc genus non ejicitur nisi jejuniis & orationibus. Si orat ut ejiciat dæmonium alienum, quantò magis ut ejiciat avaritiam suam? quantò magis ut ejiciat vinolentiam suam? quantò magis ut ejiciat luxuriam suam? quantò magis ut ejiciat immunditiam suam? Quanta sunt in homine, quæ si perseveraverint, non admittunt ad regnum cælorum? Videte fratres, quomodo rogatur *Matt. 17 20.*
Multa patimur ut serius moriamur pauca ut æternū vivamus. medicus pro salute temporali: quomodo, si quisquam desperatè ægrotet, nunquid pudet illum, aut piget homini pedes tenere? peritissimo archiatro lacrymis vestigia lavare? Et quid si dixerit ei medicus, sanari aliter non potes, nisi te ligavero, adussero, secuero? respondet fac quod vis, tantum sana me. Quanto ardore desiderat paucorum dierum vapoream sanitatem, ut pro illa, & ligari velit, & secari, & uri, & custodiri ne manducet quod delectat, ne bibat quod delectat, nec quando delectat? Totum patitur, ut serius moriatur, & non vult pauca pati, ut nunquam moriatur. *Tom: 10. ser. nov: ser: 34 de oratione.*

Adversa prosunt Qui te flagellat in isto sæculo, ad emendationem, non ad damnationem facit. Ferto Patrem erudientem, ne sentias judicem punientem. Hæc quotidie dicimus vobis, & semel dicenda sunt; quia bona & salutaria sunt. *T: 9. in Evan: Ioan: Tr: 12. de c: 3.*

Cum

Jo 8. 59. Cum illi lapides tollerent, & mitterent in eum, quid magnum erat, ut eos continuo dehiscens terra sorberet, & pro lapidibus inferos invenirent? Non erat magnum Deo: sed magis erat commendanda patientia, quàm exercenda potentia? Abscondit se ergo ab eis, ne lapidaretur. Tanquam homo à lapidibus fugit. Sed væ illis à quorum lapideis cordibus Deus fugit. *Ibidem Tract: 43. de cap: 8.* *Adversa mollivis tolerantia Christi.*

Jo. 15. 18. Si mundus vos odit, scitote, quoniam me priorem vobis odio habuit. Cur ergo se membrum supra verticem extollit? Recusas esse in corpore, si non vis odium mundi sustinere cum capite. Si de mundo inquit essetis, mundus quod suum erat diligeret. *Ibidem Tract: 87. de cap: 15.*

Fructus non est, ubi non est tolerantia. *Tom: 9. lib: de avibus in cap: 34. Ezechielis cap: 10.*

Patientia Deum laudet non avaritia. Si ea quæ perdidisti dupla quæris recipere, & ideo Deum laudas, de cupiditate Deum laudas, non de charitate. Non tibi occurrit ipsius sancti viri exemplum, fallis te. Quando Job omnia tolerabat, dupla non sperabat: & in prima ejus confessione quando damna pertulit, & filios extulit, & in secunda, cum jam tormenta vulnerum pateretur in carne. Potest adverti quod dico. Prioris ejus confessionis hæc verba sunt, Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Poterat dicere Dominus dedit, Dominus abstulit; potest iterum dare qui abstulit, potest plura revocare, quàm tulit. Non hoc dixit, sed sicut Domino placuit inquit ita factum est, quia ei placet, placet mihi. Quod placuit bono Domino, non displiceat subdito servo: quod placuit medico, non displiceat ægroto. *Et infra.* Patientiam Job novimus, & finem Domini novimus. Quem finem Domini? Deus meus ut quid me dereliquisti? Verba sunt Domini pendentis in ligno. Quasi reliquit illum ad præsentem felicitatem, sed non eum reliquit ad æternam immortalitatem. Ibi est finis Domini. Tenent Judæi, insultant Judæi, ligant Judæi, spinis coronant, sputis dehonestant, flagellant, opprobriis obruunt, ligno suspendunt, lancea fodiunt, postremo sepeliunt: quasi relictus est. Sed quibus? Illis insultantibus. Ideo ergo habeto patientiam, ut resurgas, & non moriaris: id est nunquam moriaris sicut Christus sic enim legimus, Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur. *Tom: 9. l: 1. de symbolo ad Cathechumen: cap: 3.*

Conformitas voluntatis humanæ cum divina.

Job. 1. 21.

Matt. 27. 46.

Patientia immortalitatem inducit.

Non nos moveat labor piorum: exercitatio est, non damnatio. Nisi forte horremus cum videmus indigna & gravia in hac terra perpeti aliquem justum, & obliviscimur quæ pertulerit justus justorum, sanctus sanctorum. Quod passa est universa illa civitas, passus est unus. Sed videte quis unus, Rex Regum & Dominus dominantium. Comprehensus, vinctus, ligatus, contumeliis omnibus agitatus, ligno suspensus, & fixus, occisus. Appende cum Christo Romam, appende cum Christo totam terram, appende cum Christo cælum & terram. Nihil creatum cum Creatore pensatur, nullum opus artifici comparatur. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: & tamen à persequentibus deputatus est nihil. Feramus ergo quod nos Deus ferre voluerit: qui nobis curandis atq; sanandis, quis etiam dolor sit utilis sicut medicus novit. Certe scriptum est: Patientia opus perfectum habet. Quod autem erit opus patientiæ, si nihil adversi patiamur? *Tom: 9. lib: de Vrbis excidio Tract: 11. cap: 8.* *Patientia absque respectu priorum laborum*

PATRIA.

Felicior egestas quam rerum copia.

O Bonæ dilector etiam terrenæ Patriæ tuæ Luxuriosam vitam time civibus tuis non egestosam; aut si egestosam times illam potiùs egestatem mone devitandam; quæ magna licet rerum terrenarum prosperitate circumfluat, neq; copia, neq; inopia minuitur: quanquam & egere utilius sit, quàm ad satiandam nequitiam, rebus omnibus abundare. *Tom: 2. ep: 255.*

Mundo utendum non fruendum.

Quomodo si essemus peregrini, qui beatè vivere nisi in Patria non possemus, eaq; peregrinatione utique miseri & miseriam finire cupientes in Patriam redire vellemus, &c. Sic in hujus mortalitatis vita peregrinantes, à Domino, si redire in Patriam volumus, ubi beati esse possumus, utendum est hoc mundo, non fruendum, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur. *Tom: 3. lib: 1: de doctr: Christ. cap: 4.*

In cælo securitas.

Neminem omnino esse securum, nec debere esse securum donec ad illam Patriã veniatur, unde nemo exit amicus, quo nemo admittitur inimicus. *T: 8 Con: 1. in psal: 68.*

Incolatus peregrinatio est. Incola dicitur qui habitat in terra aliena non in civitate sua. Longinquus inquit factus est, & prolongatus incolatus meus. Et ubi longinquus. Aliquando fratres mei cum peregrinatur homo, inter meliores vivit, quàm in Patria sua forte viveret; sed non sic est quando de illa Hierusalem cælesti peregrinamur. *Et infra.* Ibi omnes justi, & sancti qui fruuntur verbo Dei sine lectione, sine literis: quod enim nobis per paginas scriptum est, per faciem Dei illi cernunt Qualis Patria? Magna Patria, & miseri sunt peregrini ab illa Patria. *T: Expos: psal: 119.* *Ps. 119. 5.*

Obedire magis debes patriæ quam parentibus Deo magis quam patriæ.

Ille qui te videt faceret, antequam esset quem fecit, certe major est Patre tuo. Major sit Patria, & ipsis parentibus tuis: ut quidquid jusserint parentes contra Patriam, non audiantur: & quidquid jusserit Patria contra Deum, non audiatur. Si enim sanari vis, si post fluxum sanguinis, si post duodecem annos in illo morbo, si post consumpta omnia in medicis, & non recepta sanitate, aliquando vis sana fieri, ô mulier quam alloquor in typo Ecclesiæ, jubet ille Pater tuus, & illud jubet populus tuus. Sed dicit tibi Dominus Deus tuus, obliviscere populum tuum, & domum Patris tui. Quo bono? quo fructu? qua mercede? Quoniam concupivit inquit Rex decorem tuum. Concupivit quid fecit: quoniam ut pulchram faceret, fædam amavit. Pro infideli & fæda, sanguinem fudit, fidelem ac pulchram reddidit, dona sua in te amavit. Quid enim sponso tuo contulisti? Quid in dotem à priore Patre, & priore populo accepisti? Nonne luxurias & pannos peccatorum? Abjecit pannos tuos, discidit cilicium tuum: misertus est, ut ornaret; ornavit ut amaret. *Tom: 10. serm: de verb: Dom: ser: 6. de puero centurionis secundum Evan: Matth.* *Ps. 44. 12.*

Hospes et non incola mundi

Patria nostra sursum est, ibi hospites non erimus. Nam unusquisque hic & in domo sua hospes est. Si non est hospes, non inde transeat. Si transiturus est, hospes est. Non se fallat, hospes est: velit nolit, hospes est. Sed dimittit illam domum filiis suis, hospes hospitibus. Quare? Et in stabulo si esses, non alio veniente discederes? Hoc facis & in domo tua. Cessit tibi locum Pater tuus, cessurus es locum filiis tuis. *Ibid: serm: 32.*

Non habuit honorem in Patria in qua conditus est: habeat honorem in Patria quam condidit. *Et infra.* Repulit eum Patria, in qua generatus est: suscipit eum Patria quam regeneravit. *Tom: 9. In Evan: Ioan: Tract: 16. de cap: 4.* *Luc. 4. 24.*

Excel-

Excelsa est Patria, humilis via. Patria est vita Christi, via est mors Christi. Patria est mansio Christi, via est passio Christi. Qui recusat viam, quid quærit patriam? *Ibid: Tract: 28. de c: 7.* *Via crucis ad gloriam.*

Quæ est via per quam currimus? Christus dixit, Ego sum via. *Io. 14. 6.* Quæ patria quo currimus? Christus dixit, Ego sum veritas. Per illum curris, ad illum curris, in quo requiescis. Sed ut curramus per illum extendit se usq; ad nos: longè enim eramus, & longè peregrinamur. Parum est quia longè peregrinamur: languidi nos movere non poteramus. Medicus venit ad ægrotos, via perrecta est ad peregrinos. Salvemur ab ipso, ambulemus per ipsum. Hoc est credere quia Jesus Christus est, quomodo credunt Christiani, qui non solum nomine Christiani sunt, sed factis & vita: non quomodo credunt dæmones. Nam & dæmones credunt, & contremiscunt. *T. 9. In epist: ioan: Tract: 10. de cap: 5.*

PAUPERTAS

Defluxi abs te ego & erravi Deus meus, nimis devius à stabilitate tua & factus sum mihi regio egestatis. *T. 1. l: 2. conf: ss: c. 10.* *Summa pauperies est carere necessariis.*

Ps. 119. 5. Transiens per quendam vicum Mediolanensem, animadverti pauperem mendicum, jam credo saturum: jocantem atque lætantem, & ingemui & locutus sum cum amicis meis, quod ille pauculis & emendicatis nummulis adeptus erat, ad hoc ego tam ærumnosis anfractibus ambiebam, ad lætitiam temporalis felicitatis. *Tom: 1. lib: 6. conf: ss: cap: 6.*

Hoc tantùm scio quod mihi malè est præter te, non solùm extra me, sed in me ipso, & omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est. *Tom: 3. lib: 13, confess: c: 8.*

Neq; ipsi Apostoli qui priores hoc fecerunt divites fuerunt, sed totum mundum dimittit, quia & illud quod habet, & quod optat habere, dimittit. Quantùm autem in hac perfectionis via perfecerit, magis quidem novi ego, quàm quisquam alius homo; sed magis Deus quam ego. Et ad hoc propositum quantis possum viribus exhortor, & in nomine Domini habeo consortes *T: 2. ep: 89.* *Quomodo totum mundum Apostoli relinquerunt.*

Meliùs inopiæ laborem servi Dei tolerant, quàm ut necessariorum facultatem cum scientia fraudis obtineant. *T: 2. ep: 124.*

Ps. 48. 12. Utinam vel tantùm tibi obesset iniquitas, quam miseris & pauperibus facis, quantùm obest ipsis quibus eam facis. Illi ad tempus laborant, tu autem vide quid tibi thezaurizes in die iræ & revelationis justi judicii Dei. *Ibid: ep: 211.*

Quid vos (alloquitur Manichæos) quid vos tanquam de Christiana paupertate jactatis, cum Christiana charitate careatis? habent enim inter se, quam charitatem vocant etiam latrones sibi debentes facinorosam flagitiosamq; conscientiam, sed non charitatem quam commendat Apostolus *T. 6. l: 5. con: Faustum: c: 5.* *Non omnis charitas laudanda.*

Ps. 9. 35. Pupillo tu eris adjutor id est ei cui moritur. Pater hic mundus per quem carnaliter genitus est, & jam potest dicere. Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Talibus enim pupillis Pater fit Deus *Tom: 8. in psal: 9.*

Ps. 38. 10. Nihil deest timentibus eum. Copiam promittit trepido & dubitanti, nè si fortè timuerit Dominum deserant illum superflua. Pascebat te Dominus contemnentem se, & deseret te timentem se? *Timentes Deum ditantur.* *Luc. 4. 24.* Attende & noli dicere: Ille dives est & ego pauper sum. Ego timeo Dominum. Ille: non timendo quantum acquisivit, & ego timendo nudus sum. Vide quid sequitur. Divites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non mi nuentur omni bono.

bono. Si ad literam accipias videtur te fallere. Respicis enim multos divites iniquos mori in divitiis suis. *Et paulò infra.* Noli sic intelligere. Et quomodo intelligam? In bonis spiritualibus. Sed ubi sunt? Non videntur oculis sed corde. Non video ipsa bona, videt illa qui amat. Justitiam non video. Non enim aurum est, non argentum est. Si autem esset videres: quia fides est, non vides. Et si non vides fidem, quare amas servum fidelem? Interroga te ipsum qualem servum diligis. Forte habes servum formosum, staturosum bene compositum: sed furem nequam fraudulentum. Habes autem alium forte parvum staturâ, deformem facie, colore tetrum: sed fidelem parcum sobrium. Attende ergo te, quem istorum duorum diligis? Si oculos carnis interrogas vincit apud te pulcher injustus: si oculos cordis vincit deformis fidelis. Vides ergo quod vis ut exhibeat tibi alter id est fidem, exhibe illi & tu. Quare gaudes ad eum qui tibi fidem exhibet & laudas eum de his bonis quæ non videntur nisi oculo cordis. Cum repletus fueris spiritualibus divitiis pauper eris? & ille dives ideo fuit quia habebat lectum eburneum? Et tu pauper es cujus cubiculum cordis plenum est tantis gemmis virtutum, justitiæ, veritatis, charitatis. fidei, patientiæ, & tolerantiæ? Explica divitias tuas habes illas, & compara divitiis divitum. At ille in mercato invenit multas pretiosas & emit illas. Si fidem invenires venalem, quantum pro illa dares? quam te voluit Deus, gratis habere, & ingratus es? Egent ergo illi divites, egent: & quod est gravius, pane egent. Ne forte putetis quia auro egent & argento, quanquam & hoc egeant. Quantum habuit quidam, & quis eum satiavit? Sic mortuus est egens quia plura volebat acquirere quam tenebat. Egent & pane. Quare egent & pane? si non intelligis panem ille dixit. Ego sum panis vivus qui de cælo descendi. *Expos: psal: 33.*

Iniqui, infeliciter divites. *Virtutes divitiæ veræ.* *Divites seculi valde egent.*

Fæneratur peccator & non solvit: justus autem miseretur & commodat. Ille ergo nihil habet iste habet. Videte egestatem videte divitias. Ille accipit & non solvit, iste miseretur & commodat. Abundat ille. Quid si pauper est? Etiam sic dives est. Tu autem ad divitias ejus pios oculos intende Respicis enim arcam inanem, conscientiam Deo plenam non respicis. Non habet extrinsecus facultatem, sed habet intrinsecus charitatem. De charitate quanta erogat & non finitur? Etenim si habet foris facultatem dat ipsa charitas, sed ex eo quod habet. Si autem non invenit foris quod det, dat benevolentiam præstat consilium si potest, præstat auxilium si potest. Ad extremum. Si nec consilio nec auxliio adjuvare potest. vel voto adjuvat, vel orat pro contribulato, & forte magis ipse exauditur, quam qui porrigit panem. Habet semper unde det cui plenum pectus est charitatis. Ipsa est charitas quæ dicitur & voluntas bona. Plus à te Deus non exigit, quàm quod tibi intus dedit. Vacare enim non potest voluntas bona. Vides cæcum duci à vidente, quia nummos non habuit, quos daret egens, commodavit oculos non habenti. Unde hoc factum est? nisi quia intus inerat voluntas bona thesaurus pauperum: in quo thesauro dulcissima requies, & vera securitas: ad ipsum amittendum nec latro admittitur, nec naufragium metuitur. Servat secum quod intus habet, nudus evadit & plenus est. Justus ergo miseretur & commodat. Quoniam benedicentes eum, hereditate possidebunt terram. Sicut illum justum vere solum justum & justificantem qui & pauper hic fuit & divitias magnas attulit, quibus faceret divites eos quos invenit pauperes. *Con: 2. in psal: 36.*

Charitas semper habet unde det.

Divites egent. Speravit in multitudine divitiarum suarum. Quid tibi prodest si eges *Ps. 51. 9.*

ſi eges facultate & ardes cupiditate. *Et infra.* Apoſtoli cum Dominus dixiſſet: facilius eſt camelum tranſire per foramen acus, quàm divitem intrare in regnum cælorum apud ſe dicentes. Quiſnam poterit ſalvari, quid attenderunt? Non facultates ſed cupiditates. Viderunt enim ipſos pauperes etſi non habentes pecuniam, tamen habere avaritiam. Reſpicis illum divitem ſtantem juxta te. Et forte in illo eſt pecunia, & non eſt avaritia, in te non eſt pecunia & eſt avaritia. Pauper ulceroſus ærumnoſus linctus à canibus, non habens opem non habens eſcam, non habens forte ipſam veſtem, ablatus eſt ab Angelis in ſinum Abrahæ. Eia tu pauper gaudes modo nunquidnam tibi & ulcera optanda ſunt? nonne patrimonium tuum ſanitas eſt? Non eſt in hoc Lazaro meritum paupertatis ſed pietatis. Nam vides qui ſublatus eſt, non vides quo ſublatus eſt. Quis eſt ſublatus ab Angelis? Pauper ærumnoſus ulceroſus. Quo ſublatus eſt? In ſinum Abrahæ. Lege ſcripturam & invenies divitem: ut noveris quia non divitiæ culpantur, habebat Abraham multum auri, argenti, pecorum, familiæ. Dives erat, & in ejus ſinum Lazarus pauper ſublatus eſt. In ſinu divitis pauper. An potiùs ambo Deo divites, ambo cupiditate pauperes. Quid ergo in hoc culpat ſcriptura. Non dixit. Ecce homo qui fuit dives, ſed ecce homo qui non poſuit Deum adjutorem ſuum, ſed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum. Non quia habuit divitias, ſed quia in ipſis ſperavit, & in Deo non ſperavit. *Expoſ: pſal: 51.* *Dives, ſanctè pauper.* *Divitiæ ex ſe non obſunt.*

Pſ. 69. 6. Exaudi me quoniam egenus & pauper ſum ego. Obſerva nè non ſis egenus & inops. Si non fueris non exaudieris quidquid eſt circa te vel in te, unde poſſis præſumere, abjice à te, & tota præſumptio tua Deus ſit: Indigens eſto ut ipſo complearis. Quidquid enim aliud habueris ſine ipſo latius inanis eris. *Expoſ: pſ: 85.* *Pauperes exaudiuntur.*

Et infra. In quacunq; die invocavero te cito exaudi me. Unde invocas? de qua tribulatione? de qua egeſtate? O pauper ante januam Divitis Dei quo deſiderio mendicas? qua inopia requiris? qua egeſtate pulſas, ut aperiatur tibi? Dic: audimus iſtam ipſam egeſtatem, in illa & nos ipſos inveniamus, & tecum rogemus: audi & agnoſce ſi potes. Quia defecerunt ſicut fumus dies mei. *Serm: 1. de 1. parte pſal: 101.* *Pauper eſt cui vitæ tempus deficit.*

Fecit Deus pauperem ut probet hominem: & fecit Deus divitem ut probet illum de paupere. Et omnia quæ fecit Deus rectè fecit: Et ſi non poſſumus videre conſilium ipſius, quare illud ſic fecit, & illud ſic bonum eſt nobis ut ſubdamus nos ſapientiæ ipſius, & credamus quia bene omnia fecit, & ſi nondum novimus quare ſic fecit. *T: 8. Enar: in pſal. 124.* *Providentia Dei occulta optima.*

Plus eſt pauperi videre cælum ſtellatum, quàm diviti tectum inauratum *Tom: 8 Expoſ: pſal: 127.*

Pſ 131 15. Et pauperes ejus ſaturabo panibus. Aliquando autem quod non eſt prætermittendum dicere invenis pauperem ſuperbum, & divitem humilem: quotidie patimur tales. *Et infra.* Ergo pauper Dei in animo eſt, non in ſacculo. *Et infra.* Non attendit Deus facultatem, ſed cupiditatem: & judicat eum ſecundum cupiditatem, qua inhiat rebus temporalibus, non ſecundum facultatem quam non ei contingit adipiſci. *In pſal: 131.* *Pauper inter divitias.*

Deſtituta anima in ſæculo ipſa ſibi ſperet adjutorium Dei. Quidquid hic habueris, aurum habeas, præſumpſiſti inde? jam non es proſelytus, non es orphanus, non in viduam numeraris. Amicũ habes? ſi de illo præſumpſeris & Deum dimiſeris non eis deſtitutus. Habes hæc omnia non inde præſumis, non inde ſuperbis: pupillus Dei es & vidua Dei. *Enarratione in pſal: 145.*

Quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Minimi ergo qui sunt Christi? Hi sunt illi, qui omnia sua dimiserunt, & secuti sunt eum, & quidquid habuerunt, pauperibus distribuerunt, ut Deo sine seculi compede expediti servirent, & ab oneribus mundi, liberatos, velut pennatos sursum humeros tollerent. Hi sunt minimi. Quare minimi? Quia humiles, quia non elati, non superbi. Appende minimos istos, & grave pondus invenies. *Tom*: 10. *serm*: *de verb*: *Dom*: *serm*: 35. *Facite vobis amicos de mammona &c*:

Religiosi minimi. *Minimorum pondus.* *Matt. 25. 40.*

Lavare Sanctorum peregrinantium pedes, nè forte in illis remaneat pulvis, quem ad judicium vestrum possint de pedibus suis excutere. Sic enim in Evangelio dixit: Qui non susceperit vos exeuntes excutite pulverem de pedibus vestris. *Ibid*: *ser*: 70

Peregrinorum neglectus, iudicii materia.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. sunt pauperes non habentes pecuniam, victum quotidianum vix invenientes, alienis operibus insidiantes, misericordia sic indigentes, ut etiam mendicare non erubescant: sed si de iis dictum est, tibi derelictus est pauper: nos quid facimus, qui hoc non sumus? Ergo nos qui Christiani sumus, non sumus Deo derelicti? Et quæ alia nobis spes est, si non sumus illi derelicti, qui nos non derelinquit? Discite ergo esse pauperes, & Deo relinqui, ô compauperes mei? Dives est? superbus est. Nam & in divitiis istis, quæ vulgo appellantur divitiæ, quibus est contraria vulgaris ista paupertas: in divitiis ergo istis, nihil est sic cavendum, quam superbiæ morbus. *Ibidem serm*: 110.

Pauper Dei curæ. *Matt. 5. 3.* *In divitiis superbiæ morbus*

Puto quia paupertas Christi non nobis attulit pecuniam, sed justitiam. Paupertas autem illius unde? Quia mortalis effectus est. Ergo divitiæ veræ immortalitas. Ibi enim vera copia, ubi nulla indigentia. *Ibid*: *Dnica 8. post festum S. Trinit*: *serm*: 1.

Veræ divitiæ immortalitas.

Attendite illum pauperem Lazarum jacentem ante januam divitis. Pauper iste miserabiliter fuit infirmus. Nec saltem ipsius tenebat sanitatem corporis, quod est patrimonium pauperis. Vlcerosus etiam fuit, canes lingebant ulcera ejus. *Et infra*. Nominabatur dives ille ab hominibus, pauper tacebatur. Contra Dominus pauperem nominavit, divitem tacuit. Noluit ergo fidem possidere cum paupere, dives ille: Mortui sunt ambo. Contigit mori inopem illum, & auferri ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est dives & sepultus; nam fortasse ille nec sepultus est. *Tom*: 10. *serm*: *nov*: *serm*: 11.

Patrimonium pauperis, sanitas. *Luc 16. 21.*

Nec cum multiplicata fuerit domûs ejus gloria: quoniam cum morietur, non accipiet ea. Tene tu pauper quod non dimittas moriens, & quod acquiras in æternum vivens. Tene justitiam, non te pæniteat. Contristaris, quia in terra pauper es tu? Pauper hic fuit, qui creavit & terram. Consolatur te Dominus Deus tuus, consolatur te Creator tuus, consolatur te Redemptor tuus. Consolatur te non avarus frater tuus; dignatus est enim esse frater noster, ille Dominus noster. Solus frater sine dubitatione fidissimus, cum quo concordia possidenda est *Ibid*: *serm*: 37.

Solatia pauperum, pauper Christus.

Tenebræ foris, tenebræ intus, paupertas in arca, major egestas in conscientia. *Ibid*: *serm*: 40.

Paupertas in conscientia.

Noli extendere te cum sis pauper contra divitem. Dives est enim qui nec hereditario, nec proprio unquam debito obnoxius, & ipse justus est, & alios justificat Christus. Noli contra eum te extendere, in tantum pauper, ut remissionis peccatorum appareas quotidianus in oratione mendicus. Tuo autem consilio inquit abstine te. Unde nisi à præsumptione fallaci? Ille quippe quia non tantum est homo, sed etiam Deus, ideo nusquam reus. *Tom*: 9. *In Evan*: *Ioan*: *Tr*: 84. *de c*: 15:

Homines mendici.

PAX

PAX.

DOmine Deus pacem da nobis; omnia enim præstitisti nobis, pacem quietis, pacem sabbathi, pacem sine vespera. *Tom: 1. lib: 13 Confess: cap: 35:*

Convivium Domini unitas est Corporis Christi, non solùm in sacramento altaris, sed etiam in vinculo pacis. *Tom: 2. epist: 50.*

Aufer litem & revoca pacem, nè tibi pareat homo amicus, & de vobis gaudeat Diabolus inimicus. *Ibid: epist: 75.* *Hominum lites Diaboli delitiæ.*

Si pax humana tam dulcis est pro temporali salute mortalium, quantò est dulcior pax Divina pro æterna salute Angelorum. *Tom: 2. epist: 205.*

Tollantur de medio mala hominum, & honorentur in hominibus bona Dei: erit fraterna concordia & amabilis pax in cordibus hominum. Vincat persuasionem Diaboli, charitas Christi. *Tom: 2. epist: 223.*

Ps. 33. 15. Quære pacem & sequere eam. Pax enim perfecta tunc erit nobis, quando nostra natura Creatori suo inseparabiliter cohærente, nihil nobis repugnabit ex nobis. *T. 4. l: de continentia c: 7.*

Absit ut sint ulla vitia in illa quæ futura est pace regnantibus, quandoquidem in isto bello minuuntur proficientibus non peccata solùm, sed ipsæ quoq; concupiscentiæ, cum quibus non consentiendo confligitur, & quibus consentiendo peccatur. Non sic fuimus in Adam, antequam nostra natura suo deceptore audito & secuto, suum contempsisset & offendisset authorem: non est ista prior vita creati hominis vel posterior pœna damnati. *Ibid: c: 8.*

Matt. 5. 9. Beati pacifici, quoniam ipsi Filii Dei vocabuntur In pace perfectio est, ubi nihil repugnat, & ideo Filii Dei pacifici, quoniā nihil in istis resistit Deo, & utiq; Filii similitudinem Patris habere debent. Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, & subjicientes rationi: id est menti & spiritui, carnalesq; concupiscentias habentes edomitas, fiunt Regnum Dei. In quo ita sunt ordinata omnia, ut id quod est in homine præcipuum & excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis bestiisq; communia, Atq; id ipsum quod excellit in homine, id est mens & ratio, subjiciatur potiori, quod est ipsa veritas Unigenitus Filius Dei. Neq; enim imperare inferioribus potest, nisi superioribus se ipse subjiciat. Et hæc est pax quæ dicitur in terra hominibus bonæ voluntatis, hæc vita consūmati perfectiq; sapientis. De ejusmodi regno pacatissimo & ordinatissimo missus est foras princeps hujus sæculi, qui perversis inordinatisque dominatur; Hac pace intrinsecus constitutâ atque firmatâ quascunque persecutiones ille qui foras missus est forinsecus concitaverit, gloriam auget quæ secundum Deum est, non aliquid in illo ædificio labefactans sed deficientibus machinis suis innotescere faciens, quanta firmitas intus extructa sit à Deo. *Tom: 4. lib: 1. de serm: Dni in Mont: cap: 1.* *Præesse non meruit, qui non didicit subesse.*

Neq; enim propterea cupitis habere pacem, & omni genere copiarum abundare, ut his bonis honestè utamini, hoc est modestè, sobriè, temperanter, piè: sed ut infinita veritas voluptatum insanis effusionibus exquiratur: secundisque rebus ea mala oriantur in moribus, quæ sævientibus pejora sint hostibus. *Tom: 5. lib: 1 de Civitate Dei cap: 30.*

Magnum beneficium est pax; sed Dei veri beneficium est plerumque etiam sicut sol, sicut pluvia, vitæque alia subsidia super ingratos & nequam. *Ibid: lib: 3. cap: 4.*

In hoc loco infirmitatis & diebus malignis etiam ista folicitudo non est inutilis: ut illa securitas ubi pax plenissima atque certissima est, desiderio ferventiore quæratur. Ibi enim erunt naturæ munera, hoc est quæ naturæ nostræ, ab omnium naturarum Creatore donantur: non solum bona verùm etiam sempiterna. Non solùm in animo qui sanabitur per sapientiam, verum etiam in corpore, quod in resurrectione renovabitur. Ibi virtutes non contra ulla vitia vel mala quæcunq; certantes, sed habentes victoriæ præmium, æternam pacem, quam nullus adversarius inquietet. Ipsa est enim beatitudo finalis, ipsa perfectionis finis qui consumentem non habet finem. *Ibid: lib: 19. cap: 10.*

Bellum subeat qui pacem optat. Quid est aliud victoria nisi subjectio repugnantium, quod cum factum fuerit, pax erit; pacis igitur intentione geruntur, & bella: ab his etiam qui virtutem bellicam student exercere imperando atq; pugnando. Unde pacem constat belli esse optabilem finem. Omnis enim homo etiam belligerando pacem requirit, nemo autem bellum pacificando. Nam & illi qui pacem in qua sunt perturbari volunt, non pacem oderunt, sed eam pro arbitrio suo cupiunt commutari. *Ibid: cap: 12.*

Bellum pacis Mater. Si ergo est quædam vita sine dolore, dolor autem sine aliqua vita esse non potest. Sic est pax quædam sine ullo bello, bellum verò sine aliqua pace esse non potest. *Ibid: cap: 13.*

Et supra ibidem Pax cælestis Civitatis ordinatissima & concordissima societas fruendi Deo; & invicem in Deo. Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis. Ordo est parium dispariumq; rerum, sua cuiq; loca tribuens dispositio. Proinde miseri, quia in quantum miseri sunt, utiq; in pace non sunt. Tranquillitate quidem ordinis carent, ubi perturbatio nulla est, verumtamen quia meritò justèq; miseri sunt, in ea quoq; ipsa sua miseria præter ordinem esse non possunt. *Ibidem cap: 13.*

Ordo quid est.

In inferno suus etiam est ordo.

Pax nostra propria, & hîc est cum Deo per fidem, & in æternum erit cum illo per speciem. Sed hîc sive illa communis, sive nostra propria talis est pax, ut solatium miseriæ sit potiùs, quàm beatitudinis gaudium. In illa verò pace fruendi imperabit Deus homini, animus corpori tantaq; obediendi ibi erit suavitas & facilitas, quanta vivendi regnandiq; felicitas. Et hoc illic in omnibus hominibus atq; in singulis æternum erit, æternumq; esse certum erit: & ideo beatitudinis hujus, vel beatitudo pacis hujus, summum bonum erit. *Ibidem cap: 27.*

Pax unitatis in solis bonis est, vel jam spiritualibus, vel ad spiritualia concordi obedientia proficientibus. In malis autem non est sive foris tumultuentur, sive intus cum gemitu tolerentur, & baptizent & baptizentur. *Tom: 7. lib: 3. de bapt: con: Donatist: cap: 18.*

Discordia vos possidet sub titulo pacis. Ergo discordia pellatur, pax introducatur [alloquitur hæreticos) *Tom: 7. lib: con: Cre. scon: Gram: cap: 10.*

Quære pacem & sequere eam. Non tibi dixit: Habebis hic pacem quære illam & sequere eam. Quo illam sequor? quo præcessit. Dominus enim est pax nostra. Resurrexit & ascendit in cælum. Quære pacem & sequere illam, quia & tu cum surrexeris hoc mortale mutabitur, & amplecteris pacem, ubi tibi nemo molestus erit, ibi est perfecta pax, ubi non esuries. Nam hic tibi pacem facit panis, subduc panem & vide quale bellum erit intra viscera tua. Ipsi justi quomodo gemunt hic fratres ut sciatis quia quærimus hic pacem, consequemur autem in fine. *Expos: psal: 33.* *Ps. 33. 15.*

Erimus in quadam Civitate fratres. Quando de illa loquor finire

finire nolo & maximè quædam scandala crebrescunt. Quis non desideret illam pacem unde amicus non exit, quo inimicus non intrat, ubi nullus tentator est, nullus sediciosus, nullus dividens populum Dei, nullus fatigans Ecclesiam in ministerio diaboli, quando ipse princeps ipsorum mittitur in ignem æternum, & hi cum illo quicunq; illi consentiunt, & recedere ab eo nolunt? Erit ergo pax purgata in filiis Dei omnibus amantibus se, videntibus se plenos Deo, cum erit Deus omnia in omnibus. Commune spectaculum habebimus Deum, communem pacem habebimus Deum. Quidquid enim est quod modo nobis dat, ipse nobis erit pro omnibus quæ dat: ipse erit perfecta & plena pax. *In psal*: 84.

Iustus solus pacem habere potest.

Ps. 84. 11. Justitia & pax osculatæ sunt se. Nemo est enim qui non vult pacem, sed non omnes volunt operari justitiam. Interroga omnes homines. Vultis pacem? Uno ore tibi respondet totum genus humanum. Opto, cupio, volo, amo. Ama & justitiam, quia duæ amicæ sunt, justitia & pax, ipsæ se osculantur. *Ibidem*.

Qui fecit utraq; unum. Si ergo Christus ideo pax quia fecit utraq; unum, quare vos de uno fecistis duo? Quomodo ergo pacifici estis ut cum Christus faciat unum de duobus, vos faciatis de uno duo. *Expos: psal*: 119.

Phil. 4. 7. Et pax Dei quæ præcellit omnem intellectum. Quantumcunque enim cogitaveris de pace illa, minus eam cupit animus adhuc in ista corporis gravedine constitutus: cum venerit illa patria, jam domus erit, nullus adversarius tentabit ut tabernaculum vocetur. Non procedemus ad pugnandum, sed permanebimus ad laudandum. Quid enim dicitur de illa domo? Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te. *Enar: in psal*: 131.

In cælo pax plena.

Quæ est visio pacis æterna Hierusalem. Pacis illius fratres mei, cui laudandæ lingua non sufficit, ubi nullum hostem jam sentiemus, nec in Ecclesia, nec extra Ecclesiam, nec in carne nostra, nec in cogitatione nostra. Absorbebitur mors in victoriam, & vacabimus ad videndum Deum in pace æterna, Cives Hierusalem facti Civitatis Dei. *Expos: psal*: 134.

Quæ ista pax est, nisi quam non habet mundus? Quæ ista pax est, nisi quam non habet ista vita, quæ in hujus vitæ comparatione nec vita est. Neque enim de hac vita diceret, quis est homo, qui vult vitam. *Tom*: 10. 50. *Homil: Homil*: 1.

Pax fratribus meis, & charitas cum fide. Magna tria dixit; Pax, charitas, fides. A fine cæpit, ad initium terminavit. Initium est enim in fide, finis in pace: quia enim credimus, ipsa est fides. Sed fides debet esse Christianorum non dæmoniorum. Nam sicut dicit Jacobus Apostolus, & dæmones credunt, & contremiscunt. *Ibidem serm*: 17.

Fideles dæmonum.

Pax Christi ad salutem sempiternam proficit: pax quæ in diabolo est, ad perpetuam venit perditionem. Pax cum bonis, & bellum cum vitiis semper habendum est: mala siquidem impiorum hominum odio habenda sunt. Nam homines ipsi quamvis mali sint, amandi sunt, quia creatura Dei sunt. *Et infra*. Sacerdotis est in pace populum admonere, quid debeat agere; populi est in humilitate audire, quæ monet sacerdos. *T*. 10. *ser: de Temp: ser*: 166.

Etiam mali amandi.

Jo. 20. 26. Pax vobis. Hæc est pax, & salutatio salutis: nam & ipsa salutatio, à salute nomen accepit. Sed quid melius, quàm ut ipsa salutet hominem? Salus enim nostra Christus est. Ipse est enim salus nostra, qui vulneratus est pro nobis, & confixus est clavis in ligno: & depositus de ligno positus in sepulchro. De sepulchro autem surrexit sanatis vulneribus, servatis cicatricibus. *T*: 10. *ser: decem & septem ser*: 4. *feria* 3. *Paschæ*.

Pacem sectamini cum omnibus, & sanctificationem, sine qua nemo poterit videre Deum. Quomodo terruit amatores: non terruit nisi amatores. Nunquid dixit? Pacem sectamini cum omnibus & sanctificationem, quam qui non habuerit, in ignem mittetur, igne æterno cruciabitur, infatigabilibus tortoribus dabitur? Et vera sunt, & hæc non dixit. Amatorem te voluit esse boni, non formidatorem mali, & ex eo ipso quod desiderabas, inde te terruit. Deum non videbis, propterea contemnis, propterea rixas, propterea turbas moves. Pacem sectamini cum omnibus, & sanctificationem, sine qua nemo poterit videre Deum. *Tom: 10. Parte 2ª ser: de diver: 122, de ver psal: Tenuisti manum dexteram meam.*

Præceptum amoris sine comminationibus.

Rom. 4. 19.

Ps. 26. 8.

Ama pacem, habe pacem, posside pacem, cape ad te quantos potes ad possidendam pacem: tantò latior erit, quantò à pluribus possidebitur. Domus terrena cohabitatores multos non capit: possessio pacis cum multis habitatoribus crescit. Quàm bonum est amare? hoc enim est habere. Quis autem nolit crescere quod amat? Si paucos tecum vis esse in pace, parva tibi erit pax. Si vis crescere istam possessionem, ad te possessorem. Nam illud quod dixi fratres, bonum est amare pacem, & ipsum amare est habere, quãti constat, qua voce laudetur, quo corde cogitetur, hoc est amare? considera cætera, quorum homines cupiditate conflagrant. Vide alium amare fundos, argentum, aurum, filios numerosos, pretiosas & ornatas domos, amænissima & pretiosissima prædia. Amat hoc? amat. Nunquid jam qui amat habet? potest fieri ut horum omnium amator inanis sit. Quando non habet amat, & cupiditate ardet, ut habeat: cum autem habere cæperit, timore cruciatur ne perdat. Amat honorem, amat potestatem. Quanti homines potestatibus accipiendis privati suspirant, & plerumque ante illos occupat ultimus dies, quàm perveniãt ad id quod amant? Quanti ergo constat, quod cum amaveris, habebis? *Et infra* Ecce ubi stas, ama pacem, & tecum est quod amas. Res ista cordis est, nec sic cum amicis communicas pacem. Panem quippe si communicare velis, quantò plures sunt quibus frangitur, tantò minus fit, unde datur. Pax autem illi pani similis est, qui in manibus discipulorum Domini frangendo & dando crescebat. Habete igitur pacem, fratres. Si vultis ad illam trahere cæteros, primi illam habete, primi illam tenete. In vobis foveat quod habetis, ut alios accendat. Odit pacem hæreticus, & lucem lippus. Nunquid ideo mala lux, quia lippus non potest eam tolerare? Odit lucem lippus: sed tamen propter lucem creatus est oculis. *Ibid. serm: 15.*

Pax inter plures solidior.

Amor perituorum cum iisdem perit.

Pax panis.

Mar. 8 8.

Fratres mei nemo vos fallat, nemo vos seducat: amate pacem Christi qui pro vobis crucifixus est, cum Deus esset. *Tom: 9. In Evan: Ioan: Tract: 13. de cap: 3.*

Pax vera in solo Deo.

Ps. 10. 6.

Dum noluimus pacem. Civitatis turbari, perversam pacem quam desideramus, non accipimus rectam. Contemnimus pacem servare bonorum morum, & periit pax temporum nostrorum. Discite vel nunc dilectissimi, quid cui rei præponere debeatis. Nolite diligere vitia in filiis, in amicis, in servis, in omnibus notis: præponatur singularis potestas omni potestati, honorem exhibeamus Cæsari tanquam Cæsari, timorem autem Deo. Præferatur Creator creaturæ, diligamus Deum quia diligit nos: & in hoc quod nos flagellat diligit. Quis est enim filius cui non det disciplinam Pater ejus? Qui sanam considerationem habet, qui credit Dei verbis metuit plus ignem æternum quàm cujuslibet truculenti barbari ferrum: plus metuit mortem perpetuam morte qualibet hic pessima. *T: 9. lib: de temp: barbarico Tract: 5. c: 4:*

Quia flagellat diligit Deus.

PECCATOR.

Tantillus puer & tantus peccator. *de se dicit. Sanctus Augustinus. Tom: 1. lib: 1. Confess: cap: 12.*

Ps. 26. 8. Vultum tuum Domine requiram; Nunquid non eruis de hoc immanissimo profundo quærentem te animam & sitientem delectationes tuas, & cujus cor dicit tibi. Quæsivi vultum tuum. Nam longè à vultu tuo recesseram, non enim pedibus aut spatiis locorum itur abs te & reditur ad te. *Ibidem cap: 18.*

Transibant tempora, & tardabam conuerti ad Dominum Deum, & differebam de die in diem vivere in te, & non differebam quotidie in memetipso mori, amans beatam vitam, timebam illam in sede sua, & ab ea fugiens quærebam eam. *T: 1. l: 6. Confess: c: 11.* *Tarda conversio.*

Me miserum si ego non jubeo, si non cogo atq; impero, si non rogo atq; supplico. Sed si aures tuæ adversus meas voces clausæ sunt, ori tuo pateant, pateant carmini tuo, exaudi te ipsum durissime, immanissime, surdissime. *Tom: 2. alloquitur Licentium Augustinus in mundi contemptu nutantem ep: 39.*

Ornari abs te diabolus quærit. Si calicem aureum invenisses, donares illum Ecclesiæ Dei: accepisti à Deo ingenium spiritualiter aureum, & ministras inde libidinibus, & in eo sathanæ propinas te ipsum. Noli obsecro. Sic aliquando sentias quam misero & miserando pectore hæc scripserim, & miserearis jam mei, si tibi viluisti. *Ibidem* *Talenta non prostituenda.*

Videlicet fortissimo & præfidēti collo, jugum mundi jugo Christi est jucundius, qui si laborare non cogeret, vide quis cogeret? quâ mercede cogeret? *Ibidem.* *Iugum Christi qui alterius tolerare cogitur.*

Omnes non solum carceres sed etiam infernos vincit scelerata hominis conscientia. *Tom: 2. ep: 260.*

Omnis peccator in quantùm peccator est, non est diligendus, & omnis homo inquantùm homo est, diligendus est propter Deum: Deus verò propter seipsum. *T: 3. l: 1. de doctrina Christiana c: 27.* *Diligendi modus.*

Mar. 8. 8. Clamorem scriptura solet ponere, pro tanta impudentia, & iniquitatis libertate, ut nec verecundiâ nec timore abscondatur. *Tom: 3 lib: 1. locut: de Gen.*

Non locorum intervallis, sed similitudine acceditur ad Deum, & dissimilitudine receditur ab eo.. *T: 3. l. 7 de Trinit. c: 5.*

Quoniam qui odit aliquem, nocere illi studet, non immeritò & mens hominis quando sibi nocet, odisse se dicitur. Nesciens enim sibi vult malè, dum non putat sibi obesse quod vult, sed tamen malè sibi vult, quando id vult quod obsit sibi. Unde scriptum est: Qui diligit iniquitatem odit animam suam. Qui profectò est error horrendus, ut cùm sibi omnes prodesse velint, multi non faciant, nisi quod eis perniciosissimum sit. Similem morbum multorū animalium cum Pöeta describeret. Dii inquit meliora piis erroremque hostibus illum, discissos nudis laniabant dentibus artus. *Tom: 3. lib: 14. ee Trinit: cap: 14.* *Nocent mali cum prodesse volunt.* Ps. 10. 6.

Vitiorum nostrorum non est Author Deus, sed tamen ordinator est. Quædam ergo & facit Deus, & ordinat, quædam verò tantùm ordinat. Peccatores autem in quantùm peccatores sunt, non facit: quippe cum illos ad dexteram, & illos ad sinistram constituit. Ita species naturasq; ipsas & facit & ordinat. Privationes autem specierum defectusque naturarum non facit: sed ordinat tantùm. Dixit itaq; Fiat lux & facta est lux: non dixit fiant tenebræ, & factæ sunt tenebræ, ita & ipso faciente pulchra sunt singula, & ipso ordinante pulchra sunt omnia. *Tom: 3. lib: de Gen: ad lit: Imperfect: cap: 6.*

Divi-

Divisit Deus inter lucem & tenebras, ut per hoc quod facta est vespera, peccatum rationalis creaturæ; quod autem factum est mane, renovatio significata videatur. *Ibid: cap:* 17. *Gen 1*

Peccator cum venerit in profundum malorum contemnit. Meritò magnum judicatur peccatum, cum superbia præceptum contemnit. Sed è contrario ut sanari possit, cor contritum & humiliatum Deus non spernit *T.* 4 *l.* 4. *quæst: super: Num qu:* 25. *Prov. 18. 3.*

Quæ dementia est quoniam peccatum nostrum nos angit, ideo rursus velle peccare, non dando pecuniam Dominicam volenti & petenti? *Tom:* 4. *lib: de Catech: rudib: c:* 14

Cur Deus peccabilem creaveris hominē. Non autem potestas Deo defuit, talem facere hominem, qui peccare non posset, sed maluit eum talem facere, cui adjaceret peccare, si vellet: non peccare, si nollet: hoc prohibens, illud præcipiens: ut prius illi esset bonum meritum, non peccare, & postea justum præmium, non posse peccare *Ibid: lib de continen: c:* 6.

Non enim veni vocare justos, ait Dominus, sed peccatores, ad hoc utiq; nè sint peccatores. *T:* 4 *l. exp: eplæ: ad Galat: fol:* 380. *Matt. 9. 13.*

Adam ubi es, non utiq; ignorando quærens, sed increpando admonens, ut attenderet ubi esset, in quo non esset Deus. *T:* 5. *lib:* 13. *de Civit: Dei cap:* 15. *Gen. 3. 9.*

Omne peccatū injustitia. Qui fundum aufert ejus à quo emptus est, & tradit ei qui nihil in eo habet juris, injustus est, & qui se ipsum aufert Dominanti Deo, à quo factus est & malignis servit spiritibus, injustus est: *Ibid: lib:* 19 *cap:* 22.

Qui non adoraverunt bestiam, nec imaginem ejus. Imago ejus, simulatio ejus mihi videtur: in eis videlicet hominibus: qui velut fidem profitentur, & infideliter vivunt, fingunt enim se esse, quod non sunt, vocanturq; non veraci effigie sed fallaci imagine Christiani. *Ibid: lib:* 20. *cap:* 9. *Apoc. 20.*

Quod post dies quadraginta emissus corvus, non est reversus [intellige ad Arcam) aut aquis interceptus, aut aliquo supernatante cadavere illectus; significat homines in immundicia cupiditatis teterrimos, & ob hoc ad ea quæ foris sunt, in hoc mundo nimis intentos, aut rebaptizari, aut ab his quos præter Arcam, id est præter Ecclesiam, baptismus occidit seduci & teneri. *Tom.* 6. *lib:* 12 *con: Faust: cap:* 20. *Gen. 8*

Deus omninò peccare non potest, sicut negare se ipsum non potest, homo autem potest peccare, & Deum negare; sed si nolit, non facit. *Ibid: lib:* 22. *c.* 22.

Peccatum est factum vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem. Lex verò æterna est ratio Divina vel voluntas Dei ordinem naturalem observari jubēs, perturbari vetans. *Ib: c:* 27.

Mors excusat crimen. Quando mos erat, crimen non erat, & nunc propterea crimen est, quia mos non est, alia enim sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. *Ibid: cap:* 47.

Primum peccatum est, quamvis bonam creaturam Creatori in dilectione præponere: secundum autem, alterum quoq; ut id faciat, vel suadendo vel cogendo tentare. Nemo enim ad pravitatem vult alium perducere, qui non priùs ipse depravatus est, voluntate autem peccant, qui alios ad peccatum perducere cupiunt, vel stulta benevolentia. *Ibid: con: secund: cap:* 17.

Avari, invidi. quo pecca ta in uno peccato commitstans. Quisquis etiam intùs [id est in Ecclesia) confitetur se Deum nosse, factis autem negat, quales sunt avari & invidi, & qui propter fraternum odium non meo, sed Sancti Joannis Apostoli testimonio dicuntur homicidæ, & spem non habent, quia malam conscientiam gerunt, & perfidi sunt, quia non id agunt, quod Deo voverunt; *Tit. 1. 16.*

& men-

& mendaces quia falsa profitentur, & Dæmoniaci quia Diabolo in suo corde locum præbent: & verba eorum putredinem operantur, cum corrumpant bonos mores per colloquia mala : & infideles sunt, quia quod Deus talibus minatur, irrident : & scelerati, quia malè vivunt, & Antichristi, quia mores eorum Christo adversantur : & à Deo maledicti, quia ubiq; tales sacra scriptura execratur : & mortui, quia carent vitâ justitiæ ; & impacati : quia contrariis factis cum Dei confligunt sermone; & blasphemi: quia per eorum perditos actus nomini Christiano derogatur : & profani, quia ab illo Dei sanctuario spiritualiter interiore seclusi sunt : & sacrilegi ; quia in se ipsis Templum Dei malè vivendo corrumpunt : & Antistites Diaboli, quia fraudi & avaritiæ, quæ est idololatria serviunt. *Tom: 7. lib: 6. de baptismo cap: 8.*

Cum verò mali pacis conservandæ necessitate tolerantur, non iniquitatis communicandæ societate appetuntur, ut cum zizaniis triticum pariter suavem pluviam bibat, servet tamen ubertatem suam, nec convertatur in zizaniorum sterilitatem, sed utrumq; simul
Matt. 6. 30. crescat ad messem, ne forte cum colliguntur zizania, simul & triticum. Nullam cum bonis mali habent participationem salutis vel perditionis Quæ enim participatio justitiæ ad nequita-
2. Cor. 6. 14. tem ? Nullam habent cum bonis mali societatem Regni aut ignis æterni. Quæ enim societas lucis ad tenebras : Non habent mali
2. Cor. 6. 15. cum bonis consonantiam vitæ ac voluntatis. Quæ enim consonantia Christi ad Belial ? Non habent boni cum malis partem, nec in pœna criminis, nec in præmio pietatis ; Quæ enim pars fideli cum
2. Cor. 6. 15. infideli ? Et cum intra eadem retia donec ad littus perveniant, pariter Divina sacramenta percipiunt, isti sociantur, illi dissociantur;
Luc. 5. 6. isti consonant, illi dissonant; isti habent partem cum misericordia, illi cum judicio : quoniam misericordiam & judicium cantat Ec-
Ps. 100. 1. clesia Domino : & qui manducat indignè, judicium sibi manducat non alteri. De ipso quippè pane & de ipsa Dominica manu, & Judas partem, & Petrus accipit: & tamen quæ societas, quæ consonantia, quæ pars Petro cum Juda ? quoniam nec causa causæ præjudicat, nec persona personæ. *Ibid: lib: ad Donatist: post coll: c: 6.*

Malorum consortium, bonos pœnæ non facit participes.

Fiunt eadem peccata, & peccatorum supplicia præteritorum, & suppliciorum merita futurorum. *Ibid: lib: 5. con: Iulian: c: 4.*

Peccatum peccati supplicium.

Ps. 1. 1. Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit ; Considerandus est ordo verborum, abijit, stetit, sedit. Abjit enim ille cum recessit à Deo : stetit cum delectatus est peccator, sedit cum in sua superbia confirmatus, redire non potuit nisi per eum liberatus qui neq; abjit in consilio impiorum, nec in via peccatorum stetit, nec in cathedra pestilentiæ sedit. *In psal: 1.*

Via peccatoris

Ps. 2. 13. Cum exarserit in brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eo. Beati dixit, ubi est bonorũ omnium summa & cumulus. Quod autem positum est in brevi, hoc maximè significare arbitror, quia repentinum aliquid erit : dum hoc remotum & longe futurum peccatores existimabunt. *In psal: 3.*

Ps. 7. 10. Consumetur nequitia peccatorum. Videtur consummata nequitia hominum qui crucifixerunt Filium Dei, sed eorum major est qui nolunt rectè vivere, & oderunt præcepta veritatis pro qui-
Ps. 18. 43. bus crucifixus est Filius Dei. *In psal: 7.*

Peccata Christianorum majora quam Dei-cidarum.

Comminuam illos, ut pulverem ante faciem venti. Aridi enim sunt non recipientes imbrem misericordiæ Dei, ut elati atq; inflati superbia, spe firma & inconcussa, & tanquam à terræ soliditate, & stabilitate rapiantur. Ut lutum platearum delebo eos : per latas

quas multi ambulant perditionis vias, luxuriantes & lubricos delebo eos. *In psal*: 17.

Noluit intelligere ut bene ageret. Non dictum est: Non potuit intelligere. *Præfat: in psal*: 31.

Peccatores carent omni solatio. Quoniam peccatores peribunt. Quibus enim locus nusquam est [alludit ad illum locum psalmi. Non est inventus locus ejus) quomodo non peribunt. Non est quo exeat quia dura sunt: non est quo intret quia mala sunt. Consolatio non est in externis, non est in internis. Et universi qui Deum non habent, pecuniæ amicitiæ, gloriæ, facultatibus mundi serviunt, & quæcunque bona sunt corporalia non possunt consolari intrinsecus. Quomodo consolabatur ille plenus sagina interiori, & de ipsa sagina ructans, Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Conscientia illos non consolatur. Non est bene illis secum, quia bene esse cum malo non potest. Quisquis autem malus est, male secum est. Torqueatur necesse est sibi seipso tormento: Ipse est enim pæna sua quem torquet conscientia sua. Fugit ab inimico quo potuerit, à se quo fugiet? *Con*: 2. *in psal*: 36. *Ps.* 36. 20.

Peccator confiteri nolens in profundo peccatorum est. Peccator cum venerit in profundum contemnit. Cui enim parum est esse peccatorem nisi etiam non sit peccatorum suorum confessor sed defensor altius in profundo est. Ille autem qui de profundo exclamavit, jam ab imo profundi caput ut clamaret levavit. Auditus est, eductus est, de lacu miseriæ, & de luto limi. *Tom*: 8. *In psal*: 39. *Pr.* 18. 3.

Existimavi inique quod ero tibi similis. Parum est quia mala facta placent tibi, placere putas & mihi. Deum quia non pateris ultorem, vis habere participem, & tanquam corruptum judicem prædæ socium vis habere. *In psal*: 49. *Ps.* 49. 17.

Lucrum iniquum Propter quid irritavit Deum peccator? Si non vides peccatum tuum antequam facias, vel jam cum fecisti considera. Dulcedo hujus sæculi ad tempus fauces induliat, sed in magnam amaritudinem postea convertetur. Ecce peccasti & lucrum fecisti. Quid est quod fecisti lucrum? Vt lucrum faceres Deum offendisti. Vt augeres pecuniam, fides diminuta est, & aurum crescit. Quid perdidisti? & quid acquisivisti? Quod acquisivisti aurum vocatur, quod perdidisti fides vocatur. Compara fidem auro. Si venalis esset in nundinis fides, haberet pretium. *Expos*: *psal*: 123. *Ps.* 10. 13.

Non respici à Deo pæna gravissima. Quis me videt? hominem latet. Deus non vult me videre qui humilis non sum: Ille autem humilia respicit, quod volo facio. O importue! nunquid hoc diceres, si scires, quid amare deberes? Ecce si nollet te videre Deus; hoc ipsum non times quia te non vult videre? Si salutes aliquem majorem Patronum tuum, & intentus in aliud non te videat, quomodo tibi anima dolet? Si autem Deus te non videat securum te putas? Non te videt Salvator, & videt prædator & damnator? Et tamen & ipse te Deus videt. Non te putes non videri, imo roga ut merearis videri à quo videris. Dictum est enim: Oculi Domini super justos. Quia non super injustos, faciant ergo quod volunt injusti: Oculi Domini super justos. Sequatur adhuc. Et aures ejus in preces eorum. *Et infra*. *Ps.* 63. 6.

Exemqlo malo blande sed perniciose innocentes. Nocet tibi saltem vel exemplo, quia vivit tecum, & ad quod odit invitat. Nonne cum eum vides, forte in illis sordibus prosperari, duceris talium delectatione factorum? Et si non consentis saltem invenisti quod expugnes. Quomodo ergo tibi non nocebat, qui laboras vincere quod fecit in corde tuo. Malignus est ergo omnis injustus & necesse sit, noxius sit, sive sit blandus, sive sit ferox,

rox. Quisquis in illum incurrerit, quisquis laqueis ejus fuerit captus, inveniet quàm sit noxium quod putabat leve. Etenim fratres & spinæ non pungunt in radicibus. Erue spinas de terra, contrecta radices ipsarum, & vide si sentis dolorem, tum illud unde dolorem sentis in superficie de illa radice processit. Itaque non vobis placeant homines quasi lenes & blandi, amatores tamen carnalium voluptatum, & inquinatarum cupiditatum sectatores non vobis placeant. Et si adhuc videntur lenes radices, spinarum sunt. *Expos: psal:* 139.

Perversus ideo quia quod male Deo, quod bene tibi. Rectus eris quando quod male feceris tibi, quod bene feceris Deo. *Tom:* 8. *Expos: in psal:* 142.

Iniquus proximum nō amat.

Qui diligit iniquitatem odit animam suam. Si odit animam suam, quomodo amabit animam tuam? Tamen ipsa perversa & inani & vana benevolentia, si benevolentia dicenda est, dolent nos perdere quod amant: oremus ne perdant quod amamus. *Tom*: 8. *Expos: psal*: 147.

A peccato nemo ex Adam descendens immunis.

Qui dicit, vel non sum peccator, vel non fui, ingratus est Salvatori. Nullus hominum in ista quæ ex Adam defluit massa mortalium, nullus omnino hominum non ægrotus, nullus sine gratia Christi sanatus. Quid de parvulis pueris, si ex Adam ægroti? Nam & ipsi portantur ad Ecclesiam. *Tom*: 10. *serm: de verb: Ap: Fidelis sermo, &c. serm*: 10.

Imaginem in nobis Dei deformare potuimus, reformare non possumus. *T.* 10. *eorund: ser: 27. de eo audivimus vocem.*

Talentorum non usus: abusus.

Serve nequam & piger, dares pecuniam meam, & ego veni-
Luc 19 23. ens cum usuris exigerem: ne auferatur ab eo quod accepit, ne projiciatur in tenebras exteriores. Quam vehementissimam pœnam si timere debent illi, qui servare integrum possunt, quod acceperunt, quæ spes illorum est, qui hoc impiè scelerateque disperdunt? *Tom*: 10 *Homil*: 50. *Homil*. 50.

Malè agens se occidit.

Quis est qui ita impiè agit, nisi ille qui accepit vitam, & re-
Ps. 34. 11. stituit mortem? Mortem enim restituit, qui seipsum malè vivendo interficit. Quis est qui reddit mala pro bonis? Ille qui cum deberet dare propria rapit aliena: qui pro charitate reddit odium, invidiam pro benignitate, pro humilitate superbiam, pro castitate luxuriam. *Ibid: de Temp: serm*: 81.

Peccans reddit mala pro bonis.

Ex eodem ore contraria.

Cum sit persona una, homo & peccator, homo dicit, ne aver-
50. 0. tas faciem tuam à me: peccator dicit, Averte faciem tuam à peccatis meis. Hoc ergo dicitur, ne avertas faciem tuam ab eo quem fecisti, averte faciem tuam ab eo quod feci. *Tom*: 10. *serm: nov. ser*: 4. *de eo quoniam iniquitatem emam &c.*

Peccatum solius hominis opus.

Duæ res sunt, homo & peccator. Quod audis homo, Deus fecit: quod audis peccator ipse homo fecit. Dele quod fecisti, ut Deus salvet quod fecit. Opportet ut oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei. Cum autem cæperit tibi displicere quod fecisti inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium operum bonorum confessio est operum malorum. *Tom*: 9. *In Evan: Ioan: Tract*: 12. *de cap*: 3.

Redi post me Sathanas, audi etiam hujus rei causam: non e-
Matt. 16. 23 nim sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominis. Nemo ergo se palpet, de suo sathanas est, de Dei beatus est. Quid est enim de suo nisi de peccato suo? Tolle peccatum quod est tuum, justitia inquit de meo est. *Ibid: Tract*: 49. *de cap*: 11.

Peccatorem Deus videtur non nosse.

Et dixit ubi posuistis eum? Scivisti qui mortuus sit, & ubi se-
..20. 15. pultus ignoras. Et ista significatio est, quia sic perditum hominem

 quasi

quaſi neſcit Deus. Non auſus ſum dicere neſcit; Quid enim ille neſcit? Sed quaſi neſcit. Unde hoc probamus? Dominum audi dicturum in judicio: Non novi vos diſcedite à me. Quid eſt non novi vos? Non vos video in luce mea, non vos video in illa juſtitia quam novi. Sic & hic tanquam neſciens talem peccatorem dixit ubi poſuiſtis eum? talis eſt vox Dei in paradyſo poſteaquam homo peccavit. Adam ubi es? *Ibidem*.

PECCATUM.

PRæbentur propatula pudendis & ſecreta laudandis. Decus latet & dedecus patet: quod malum geritur omnes convocat ſpectatores, quod bonum dicitur vix aliquos invenit auditores, tanquam honeſta erubeſcenda ſint, & inhoneſta glorianda. *T: 5. lib: 2. de Civitate Dei cap: 26.*

Omne peccatum, mendacium. Non fruſtra dici poteſt omne peccatum eſſe mendacium: non enim fit peccatum, niſi ea voluntate, quâ volumus ut bene ſit nobis, vel nolumus ut malè ſit nobis. Ergo mendacium eſt, quod cùm fiat ut bene ſit nobis, hinc potius malè eſt nobis: vel cum fiat, ut melius ſit nobis, hinc potius pejùs eſt nobis. *Ibid: l: 14. c: 4.*

Prima ſervitutis cauſa peccatum. Nuſquam ſcripturarum legimus ſervum, antequam hoc vocabulum Noe juſtus peccatum filij vindicaret; Nomen itaque iſtud culpa meruit, non natura. Prima ergo ſervitutis cauſa peccatum eſt, ut homo homini conditionis vinculo ſubderetur: quod non fit niſi Deo judicante, apud quem non eſt iniquitas. Sicut autem ſupernus Dominus dicit; Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Ac per hoc multi quidem Religioſi Dominis iniquis, non tamen liberis ſerviunt: à quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt. Et utiq; felicius ſerviunt homini, quàm libidini cum ſæviſſimo dominatu vaſtet corda mortalium. Hominibus autem illo pacis ordine, quo aliis alij ſubjecti ſunt, prout prodeſt humilitas ſervientibus, ita nocet ſuperbia dominantibus. Nullus autem natura in qua prius Deus hominem condidit, ſervus eſt hominis aut peccati. *Ibid: lib: 19. c. 15.* *Io. 8. 14.*

Mors animæ. Amen Amen dico vobis, quia venit hora & nunc eſt, quándo mortui audient vocem Filij Dei: & qui audierint, vivent. Venit hora & nunc eſt; Non autem iſta corporum ſed animarum eſt. Habent enim & animæ mortem ſuam in impietate atque peccatis. Secundum quam mortem mortui ſunt, de quibus idem Dominus ait: ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos: ut ſcilicet in anima mortui, in corpore mortuos ſepelirent. Et qui audierunt, vivent. Qui audierint, dixit: qui obedierint, qui crediderint, & uſq; in finem perſeueraverint. *Ibid: lib: 20. cap: 6.* *Luc. 9. 10.*

Gravitas peccati. Ite in ignem æternum Fruſtra te ſecurum facis, leve putando peccatum, quod à Regno Dei ſeparat, & in ignem mittit æternum. *Tom: 7. lib: 2. con: liter: Petil: cap: 23.* *Rom. 5. 14.*

Regnum mortis eſt reatus peccati. Regnavit mors ab Adam. Regnum mortis vult intelligi, quando ita dominatur in hominibus reatus peccati, ut eos ad vitam æternam, quæ verè vita eſt, venire non ſinat, ſed ad ſecundam etiam, quæ pænaliter æterna eſt mortem trahat. Hoc Regnum mortis ſola in quolibet homine gratia deſtruit Salvatoris. *Tom: 7. lib: de peccat: merit: cap: 11.*

Utrum homo ſine peccato poſſit eſſe in hac vita? Confitebor poſſe per Dei gratiam & liberum ejus arbitrium: ipſum quoque liberum arbitrium ad Dei dona pertinere non ambigens, nec tantum ut ſit, verùm etiam ut bonum ſit: id eſt ad facienda Domini manda-

mandata convertatur; atq; ita Dei gratia non solùm ostendat quid
2. Cor. 5. faciendum sit? sed adjuvet etiam ut possit fieri quod ostenderit. Quid enim habemus quod non accepimus. *Tom: 7. lib: 2 de pea: merit: & remiss: c: 6.*

Sunt in terra justi, sunt magni, fortes, prudentes, continentes, patientes, pii, misericordes, temporalia mala omnia propter justitiam æquo animo tolerantes. Sed si verum est, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus &c. Non sunt sine
1. Io. 1 8. peccato; nec quisquam eorum tam arroganter insanit, ut non sibi pro suis qualibuscunq; peccatis Dominica oratione opus esse arbitretur. *Ibid: cap: 13.*

Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Ecce quod vitium naturæ humanæ inobedientia voluntatis inflixit! Orare sinatur ut sanetur. *Ibid: cap: 53.* *Inobedientiæ pœna.* *Oratio medicina.*

In peccato moriuntur omnes, non in morte peccant, nam peccato præcedente mors sequitur, non morte præcedente peccatum, id est aculeus, cujus punctione fit mors, non aculeus quo pungit mors. Sicut venenum, si bibitur, appellatu poculum mortis, quod eo poculo facta sit mors, non quod morte sit poculum factum, aut à morte sit datum. *T. 7. lib: 4. ad Boni: c: 4.* *Aculeus mortis peccatum.*

Si peccata quæ si homo viveret commissurus est, etiam non commissa damnantur in mortuo, nullum beneficium collatum est
Io. 81. 14. illi, qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus: quandoquidem judicabitur secundum eam, quæ in illo fuerat futura, malitiam, non secundum eam, quæ in illo inventa est innocentiam. *Tom: 7. lib: 1. de anim: cap: 12.* *Peccata etiam non commissa damnantur in mortuo.*

Respondetur. Naturale non esse peccatum, sed naturæ præsertim vitiatæ. Unde facti sumus naturâ Filij iræ, parumq; esse ad non peccandum voluntatis arbitrium, nisi adjutâ sanetur gratiâ Dei per Christum Dominum nostrum. *T: 7. l: de perfect: Iustitiæ c: 2.*

Peccatum est, cum vel non est charitas, quæ esse debet, vel minor est, quam esse debet. *Ibidem cap: 6.*

Est in malorum potestate peccare, ut autem peccando hoc vel hoc illâ malitiâ faciant, non est in eorum potestate, sed Dei dividentis tenebras & ordinantis eas, ut hinc etiam quod faciunt con-
Luc. 9l 10. tra voluntatem Dei; non impleatur nisi voluntas Dei. *Tom: 7. lib: 1. de prædestinatione Sanctorum cap: 16.* *Etiam in eo quod contra voluntatem nec fit, voluntas nec impletur.*

Esse extra Deum quid est nisi esse in summa cæcitate. Siquidem Deus habitat lucem inaccessibilem, quo ingrediuntur quibus dicitur. Intra in gaudium Domini tui. *In psal. 6.*

Incensa igni & effossa. Quæ sunt enim incensa igni & effossa, quæ ab increpatione Domini peribunt nisi peccata? succensa igni
Ps. 79. 17. sunt quæ facit male ardens cupiditas: & effossa sunt quæ facit ma-
Rom. 5. 14. le jacens timiditas. Hinc enim peccata omnia, aut cupiendo aut timendo. *In psal: 38.* *Cupiditas & timor vitiorũ origo.*

Quomodo conversa est in amaritudinem vitis aliena? non dictum est vitis mea, quia si mea dulcis, si amara non mea. Si non mea utiq; aliena. *Tom: 8. in psal: 55.*

Christus JEsus venit in hunc mundum peccatores salvos facere quorum ego primus sum. Nunquid ante illum non erant peccatores? Quid est ergo primus ego? Antecedens omnes non tempore, sed malignitate: & unusquisq; peccator & iniquus jam de se desperans, jam habens quasi gladiatoriũ animũ, ut ideo faciat quidquid vult quia necessario damnandus est, respiciat tamen ad Apostolum Paulum cui tanta crudelitas tantaq; malitia à Deo donata est, & non de se desperando convertatur ad Deum. Etenim arbitror

tror hunc eum habere affectum, & hoc omnibus prope suis syllabis resonare id est hoc nobis commendare gratiam Dei gratuitam quæ nos liberat indignos, non propter nos sed propter se. *Con: 1. In psal: 70.*

Peccata hominum, sunt usuræ. Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum. Quæ sunt istæ usuræ? nisi peccata quæ etiam debita nominantur. Usuras autem appellatas puto: quia plus mali invenitur in suppliciis quàm commissum est in peccatis. Nam verbi gratia cum homicida corpus tantum hominis perimat, animæ autem nihil nocere possit, ipsius & anima & corpus perditur in gehenna. *In psal: 71.* *Ps. 71. 14.*

Corpus animæ sceleratæ sepulchrum. Nunquid mortuis facies mirabilia? Animæ namque mortuæ corpus sepulchrum est. Unde Dominus in Evangelio talibus dicit. Similes estis sepulchris dealbatis quæ foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia *Tom: 8: in psal: 87.* *Ps. 87. 11.*

Nam etiam peccata ignorantiæ vel negligentiæ melius accusantur ut pereant quàm excusantur ut maneant: meliusq; purgantur invocato Deo, quàm firmantur irritato Deo. *In psal: 105.*

Peccator tempus sibi usurpat. In his diebus meis invocavi. Distant quippe dies mei, à diebus Domini mei Dies meos dico quos ipse mihi feci privata audacia qua deservi eum. Et quoniam ubiq; ipse regnat: & est omnipotens atq; omnitenens, merui carcerem id est ignorantiæ tenebras, & compedes mortalitatis accepi. In his diebus meis invocavi quia & ego alibi clamo. Educ de carcere animam meam. *Enar: in ps: 114* *Ps. 114. 2.*

Peccator quàm miser. Quando dixit Deus. Adam ubi es? Non ubi esset, Deus ignorabat, sed superbum increpabat: & ubi tunc esset id est ad quam miseriam pervenisset non scire cupiebat sed interrogando increpans admonebat. *Con: 9. in Psal: 118.* *Gen. 3. 9.*

Quid ergo tenes? Aurum. Tene ergo si tenes, non tibi auferatur invito. Si autem & per aurum traheris quo non vis, & ideo

Pecunia latronum irritamentum. te quærit major raptor, quia invenit minorem raptorem. Ideo te quærit major Aquila, quia prior cæpisti leporem: præda tibi fuit minor, præda eris majori. Hæc non vident homines in rebus humanis, tanta cupiditate cæcantur. Mira res est fratres, horrent qui considerant. Quærit potentior infirmiorem, & quærit eum occidere, non ob aliud nisi quia habet, quod illi auferat. Videt illum pati sub se tribulationem, non ob aliud nisi propter quod habet. Et hoc ipse propter quod ille patitur tribulationem, ad se congerit. *T: 8: Expos: psal: 123.*

Plus habentes, pluribus peccatis obnoxii. Certe multa peccata videntur ad divites pertinere. Cum enim plus agunt & plus administrant, & plus ad eos pendet res familiaris ampla: difficile est ut non plura peccata contrahant. *T: 8. Enar: in psal: 132.*

Quid tam longè ab eo qui facit te quàm figmentum quod tibi ipse fecisti? Profectus est ergo filius minor in regionem longinquam portans secum substantiam suam. *Et infra.* Tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Sedi in egestate, surrexi in desiderio panis. *Expos: psal: 138.*

Mors vivens; aut vita mortua. Si tu oculos haberes, unde mortem hujus videres, si & tu in eo, quod est mori, & non mori, non fallereris, videres hujus mortem. Et modo intende scripturam, & ibi invenies jacentem, quem putas viventem. Quia pedibus ambulat, quia manibus contrectat, quia oculis videt, & audit auribus, officiis cæteris membrorum satis utitur, viventem putas. Vivit, sed corpus ejus: mortua est autem anima ejus. mortuum est quod melius est ejus. Vivit habita-

Conscientia tortor. culum, mortuus est habitator. *Et infra.* Si haberet in cubiculo suo terro-

tortorem carnis, punitus esset: habet in secreto cordis sui tortorem conscientiæ suæ, & impunitus vocatur. *Tom: 10. serm: de verb: Apostoli sermone 28. de verb: B. Iacobi, Ante omnia nolite iurare.*

Matt. 3. 10. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Hæc sententia evidenter ostendit, quia non solum malum fecisse, sed etiam bonum non egisse damnabile erit. *Tom: 10 5. Homil: Homil: 16. de Resurrectione Domini.* *Non proficere damnabile.*

Quàm gravis sit peccati, & quam dura conditio, prodit remedij magnitudo. Quanta malorum discussio erit, qua damnabuntur, solicitudo indicat, qua redimuntur. *Tom: 10. ser: de Temp: ser: 29. In festo Epiphaniæ sermone 1.* *Peccati gravitas ex remedii difficultate.*

Audi ô homo, non tu perdis Deum, sed ipse peris à Deo. Ille est Redemptor animæ, quem vis amittere. Quid enim proderit tibi si totum mundum lucreris, animæ vero tuæ detrimentum patiaris? Expergiscere aliquando ô homo, & ama Christum, Hæc est enim sapientia vera, id est amare Christum. Multi enim dicunt, & scire volunt, quare illum vocat ad se Dominus, & illum non vocat: uni subvenit, & uni non, hunc dignum habet, & illum indignum, istum honorat, & illum cruciat, & affligit. Audi ô homo: Hunc dignum habet pro bonis operibus suis, illum habet indignum pro operibus suis malis: quia debitor est Dominus, & reddet bonis bona, & malis mala. *T: 10 eorund: ser: 233. feria 4. quatuor temp: ser: 1.* *Vnde apud Deum discrimen in gratiis.* Matt. 16. 24 Apoc.

Tolle peccatum, & quidquid consideraveris in homine, Dei est. *Tom: 10. serm: de diver: serm: 20.*

Duo sunt quæ in peccata homines aut alliciunt, aut impellunt Voluptas & dolor. Voluptas illicit, dolor impellit. Contra voluptates necessaria est continentiá: contra dolores patientia. *Et infra.* Ut ergo homines habeant voluptatem, vel non patiantur dolorem, peccant. Ideo Deus contra ista duo, quorum est unum in blanda promissione, alterum in terribili comminatione, & promittere dignatus est. & terrere. Promittere regnum cælorum, terrere de suppliciis inferorum. Dulcis est voluptas, sed dulcior Deus. Malus est dolor temporis, sed pejor est ignis æternus. Habes quod ames pro mundi amoribus. imo pro immundis amoribus. Habes quod timeas pro mundi terroribus. Sed parum est moneri, nisi impetres adjuvari. *Ibid: ser: 42. Tract: de natali, SS Mart: Massilytan.* *Impulsores in peccata voluptas & dolor eorum remedium.*

Si ferrent aliquam sarcinam gravem aut lapidis, aut ligni, aut alicujus etiam lucri, si frumentum portarent, si vinum si pecuniam, currerent ut deponerent onera. Portant sarcinam peccatorum & pigri sunt currere. Currendum est, ut deponatur hæc sarcina quæ premit, & mergit. *T: 9. in Evan: Ioan: Tract: 11. de c: 3.* *Pænitentia sit peremptoria.*

Rom. 6 12. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, neq; exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. Non ait non sit: sed non regnet. Quamdiu vivis peccatum necesse est esse in membris tuis saltem illi regnum auferatur, non fiat quod jubet. *Tract: 41. de cap: 8.*

Tres mortuos quos in corporibus suscitavit, aliquid significare, & figurare de resurrectionibus animarum, quæ fiunt per fidem. Resuscitavit filiam Archisynagogi adhuc in domo jacentem: resuscitavit juvenem filium viduæ, extra portas Civitatis elatum: resuscitavit Lazarum sepultum quatriduanum. Intueatur quisq; animam suam: si peccat moritur. Peccatum mors est animæ. Sed aliquando in cogitatione peccatur. Delectavit quod malum est, consensisti, peccasti. Consensio illa occidit te: sed intus est mors, quia cogitatum malum non processit in factum. Talem animam resuscitare se significans Dominus, resuscitavit illam puellam, quæ *Resurrectio spiritualis.* Matt. 5. 35. Luc. 7 14.

non;

nondum fuerat foras elata, ſed in domo mortua jacebat. Quaſi peccatum latebat. Si autem malæ cogitationi conſenſiſti, ſed etiam ipſum malum feciſti: quaſi mortuum tuum extra portam extuliſti. Jam foris es, & mortuus elatus es: tamen & ipſum Dominus reſuſcitavit, & reddidit viduæ Matri ſuæ. Si peccaſti pæniteat te, & reſuſcitabit te Dominus, & reddet te Eccleſiæ Matri tuæ. Tertius mortuus eſt Lazarus. Eſt genus mortis immane, mala conſuetudo appellatur: aliud eſt enim peccare: aliud peccandi conſuetudinem facere. Qui peccat & continuo corrigitur, cito reviviſcit: quia nondum eſt implicatus conſuetudine, non ſepultus. Qui autem peccare conſuevit, ſepultus eſt & bene de illo dicitur, fætet: incipit enim habere peſſimam famam, tanquam odorem teterrimum. Tales ſunt omnes aſſueti ſceleribus, perditis moribus. *Ibidem: Tract: 49 de cap: 11.*

Conſuetudo peccandi.

PECCATUM
ORIGINALE.

Peccatum originale, qua ratione voluntarium.

IN parvulis Originale peccatum, non abſurdè etiam voluntarium, quia ex primi hominis mala voluntate contractum, factum eſt quodam modo hæreditarium. *Tom: 1. lib: 1: Retract: c: 13.*

Quia minus peccaverat homo, quàm Diabolus, id ipſum ei valuit ad reparandam ſalutem *Ibid: lib: 3 de lib: arb: cap: 10.*

Traxit ergo reatum; quia unus erat cum illo, atq; in illo à quo traxit, quando quod traxit, admiſſum eſt. *Tom: 2. epiſt: 23.*

Sicut enim in Adam omnes moriuntur; ita & in Chriſto omnes vivificabuntur; Omnes & omnes ideo dixit, quia in mortem nemo niſi per illum, in vitam nemo niſi per iſtum. In primo patuit, quid hominis arbitrium valeret ad mortem; in ſecundo autem, quid Dei adjutorium valeret ad vitam. Deniq; primus homo, non niſi homo, ſecundus verò Deus & homo. Ideo nobis opus fuit naſci & renaſci, illi autem propter nos tantummodo naſci. Nos enim à peccato ad juſtitiam renaſcendo tranſimus: ille autem à nullo peccato ad juſtitiam tranſitum fecit. *Ibidem epiſt: 57.* *1 Cor. 15.22.*

Peccata in poſteros quandoq; trahunt.

Poſt peccatum exul [Adam) effectus, ſtirpem quoq; ſuam, quam peccando in ſe tanquam in radice vitiaverat, pænâ mortis & damnatione obſtrinxit: ut quidquid prolis ex illo & ſimul damnatâ per quam peccaverat conjunge, per carnalem concupiſcentiam, in qua inobedientiæ pæna ſimilis tributa eſt, naſceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur per errores: doloreſque diverſos, ad illud extremum cum deſertoribus Angelis vitiatoribus & poſſeſſoribus, & conſortibus ſuis ſine fine ſupplicium. *Tom: 3: Enchirid: cap: 26.*

In uno peccato plura ſæpe reperiuntur.

In illo peccato uno, quod per unum hominem intravit in mundum, poſſunt intelligi plura peccata. Nam & ſuperbia eſt illic, quia homo in ſua potiùs eſſe, quàm in Dei poteſtate dilexit: & ſacrilegium quia Deo non credidit, & homicidium, quia ſemetipſum præcipitavit in mortem: & fornicatio ſpiritualis, quia integritas mentis humanæ ſerpentinâ ſuaſione corrupta eſt; & furtum, quia Cibus prohibitus uſurpatus eſt: & avaritia: quia pluſquam ipſi ſufficere debuit, appetivit. *Tom: 3. Ibid: cap: 45.* *Rom 5. 12.*

Omnes fuimus in illo uno, quando omnes fuimus ille unus, qui per fæminam lapſus eſt in peccatum, quæ de illo facta eſt ante peccatum. Nondum erat nobis ſingillatim creata & diſtributa forma, in qua ſinguli viveremus, ſed jam natura erat ſeminalis, ex qua propagaremur: quâ ſcilicet propter peccatum vitiata & vinculo mortis

mortis obstricta, justèq; damnata, non alterius conditionis homo ex homine nasceretur. *T: 5: lib: 13. de Civitate Dei cap: 14.*

Gen. 22 Sicut Abrahæ non immeritò magna obedientia prædicatur, quia ut occideret filium res difficillima est imperata: ita in Paradyso tantò major inobedientia fuit, quantò id quod præceptum est nullius difficultatis fuit. Et sicut obedientia secundi hominis, eò prædicabilior, quò factus est obediens usq; ad mortem. Deniq; ut breviter dicatur, in illius peccati pœna, quid inobedientiæ, nisi inobedientia retributa est? Nam quæ hominis est alia miseria, nisi adversus eum ipsum inobedientia ejus ipsius, ut quoniam noluit quod potuit, quod non potest, velit? *Ibidem.* *Major inobedientia in minimis.*

Turpes pannos suscepit Adam, quando à Diabolo expoliatus pudicitiâ, accinctus est impudicitiâ, amissâ temperantiâ intemperans effectus est perdita charitate malus inventus est; expoliatus immortalitate; morti propinatus est; quid perdidit & quid accepit? ad hoc enim, per turpissimos pannos suos posteros obligavit. Renunciemus huic damnosæ hæreditati, tam pessimæ hæreditati renunciemus. *Tom: 6. Concion: ad Catech: cap: 1.* *Peccatum turpis pannus est.*

Si non peccasset Adam, non erat expoliandus corpore, sed supervestiendus immortalitate & incorruptione, ut absorberetur mortale à vita, id est ab animali in spirituale transisset. Si enim Deus Israelitarum vestimentis & calceamentis præstitit, quod per tot annos non sunt obtrita, quid mirum si obedienti homini ejusdem potentia præstaretur, ut animale ac mortale habens corpus, haberet in eo quendam statum, quo sine defectu esset annosum, tempore quo Deus vellet à mortalitate ad immortalitatem sine media morte venturum? Sicut enim hæc ipsa caro quam nunc habemus, non ideo est non vulnerabilis, quia non est necesse ut vulneretur; sic illa non ideo non fuit mortalis, quia non erat necesse ut moreretur. *Et infra.* Habebat enim quantum existimo, & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem. *Tom: 7. lib: 1. de peccatorum meritis & remissione cap: 2. & 3.* *Deut. 29. 5.* *1 Cor. 15.22.* *Adam si non peccasset, fuisse immortalis.*

Sicut ex homine homines, ita ex peccatore peccatores, ex morituro morituri, damnatoque damnati. *Ibid: cap: 11.* *Adam ut humanitatis ita & mortis parens.*

Sicut ob unius delictum multi mortui sunt, multò magìs gratia. &c. abundavit. Non magìs multos, id est multò plures homines, neq; enim plures justificantur, quàm condemnantur, sed multò magìs abundavit. Adam quippe ex uno suo delicto reos genuit: Christus autem, etiam quæ homines delicta propriæ voluntatis ad Originale in quo nati sunt, addiderunt, gratiâ suâ soluit atque donavit. *Tom: 7. ibidem.* *Rom 5. 12.* *Plus Christus profuit redimendo quàm Adam obfuit nocendo.*

Quamvis condemnatio gravior sit eorum, qui originali delicto etiam propria conjunxerunt, tamen etiam illud solum, quod originaliter tractum est, non tantùm à Regno Dei separat, quo parvulos sine accepta Christi gratia defunctos intrare non posse, illi ipsi etiam confitentur; verùm & à salute ac vita æterna facit alienos, quæ nulla alia esse potest præter Regnum Dei, quo sola Christi societas introducit. *Tom: 7. ibidem cap: 12.* *Originale peccatum à cælo excluditur.*

Potest rectè dici parvulos sine baptismo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitissima futuros. Multùm autem fallit & fallitur qui eos in damnatione prædicat futuros, dicente Apostolo: judicium ex uno delicto in condemnationem. *Ibid: cap: 16.* *Parvuli sine baptismo damnantur.*

Sine regeneratione salvos in æternum posse parvulos fieri quis audeat affirmare? tanquam non pro eis mortuus sit Christus? isti autem qui ut manifestum est, nihil in sua propria vita, im-

piè commiserunt, si nec originaliter ullo impietatis vinculo detinentur, quomodo pro eis mortuus est, qui pro impiis mortuus est. *Tom: 7. ibidem cap: 18.*

Ut quod cõmissum est in parente, trahatur in prolem, miris quidem modis fit, sed tamen fit. *T: 7. lib: 1 de nupt: & concup: c: 19.*

Propter unius delictum plurimi sæpe affliguntur.

Sic per unum hominem peccatum intravit in mundum. Per illius unius voluntatem malam, omnes in eo peccaverunt, quando omnes illi unus fuerunt, de quo propterea, singuli peccatum originale traxerunt. *Ibid: lib: 2: cap: 5.* Rom 5. 12.

Peccatum originale quomodo voluntarium.

Quid ergo à nobis quærit iste, qui non vult ab Apostolo audire, per quid peccatum inveniatur in parvulo? utrum per voluntatem? an per nuptias? an per Parentes? Ecce audiat per quid: audiat & taceat, per quid peccatum inveniatur in parvulo: per unius delictum inquit Apostolus; in omnes homines ad condemnationem. Omnes autem dixit ad condemnationem per Adam, & omnes ad justificationem per Christum: cum utiq; non omnes eos qui moriuntur in Adam transferat Christus ad vitam. Sed omnes dixit atq; omnes: quia sicut sine Adam nullus ad mortem; ita sine Christo nullus ad vitam. *Ibid: cap: 26. & sequ.*

Peccatum animæ vulnus.

Qui vulnerat, non creat membra, sed vexat, sed vulnera quæ corporibus infliguntur, membra faciunt claudicare vel ægrè moveri, non eam virtutem quâ justus est homo: vulnus autem quod peccatum vocatur, ipsam vitam vulnerat, quâ rectè vivebatur. Unde illo magno primi hominis peccato natura ibi nostra in deteriùs commutata, non solùm facta est peccatrix, verùm etiam genuit peccatores: & tamen ipse languor, quo bene vivendi virtus periit, non est utiq; natura sed vitium: sicut certè mala in corpore valetudo, non est ulla substantia, vel natura sed vitium. Et licet non semper tamen plerumque malæ valetudines parentum ingenerantur quodammodo & apparent in corporibus filiorum. *Ibid: c: 44.*

Arguit eos qui dicunt parvulos non baptizandos.

O fili, malè ex Adam nate, sed bene in Christo renate. Sacramenta quibus te peperit, tuæ Matri conaris auferre? quomodo jam non vis ut pariat, & ingeris ei nativitatis opprobria, ut in ea cæteris claudas, ex quibus ipse natus es, viscera pietatis. Dividis ei nomen viri sui, ut ad regenerandos parvulos tantummodo Christus sit, ad majores autem Christus Jesus, quia Jesus Salvator interpretatur. Quod eum parvulis esse non vultis, quia nihil eos habere, unde illos faciat, præjudicatis. *T: 7. lib: 1. contra Iulian: cap: 4.*

Bonus est Deus, justus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus, non potest quenquam sine malis meritis damnare, quia justus est: Nullum meritum malum octo dierum infans de propriis peccatis habebat, quare damnaretur nisi circumcideretur, si non ex origine non trahebat. *Ibid: lib: 3. cap: 18.*

Qui operatur ut vivat homo quamvis conversatione vitiosa: ipse operatur ut nascatur homo, quamvis origine vitiatâ. *Ib: c: 24.*

Parvuli non baptizati non salvantur.

Justus est Deus. Quid mali est quod innocentem hanc ejus imaginem prohibet intrare in Regnum ejus? si non est peccatum, quod per unum hominem intravit in mundum. *Ibid: lib: 5. c: 1.*

Christus etiam pro parvulis mortuus est.

Tu dicis etiam pro peccatoribus mortuum, ego dico nonnisi pro peccatoribus mortuum: ita ut respondere cogaris, si nullo peccato parvuli obstricti sunt non esse pro parvulis mortuum. Dicitur enim ad Corynth: Quoniam unus pro omnibus mortuus est. Ergo omnes mortui sunt; & pro omnibus mortuus est. Nullo modo hîc negare permitteris, nonnisi pro his qui mortui sunt mortuum fuisse Jesum. Quos igitur hoc loci intelligis mortuos? nunquid eos qui de corpore exierunt? quis ita despiciat ut hæc sapiat?

at? Eo modo itaq; intelligimus mortuos, pro quibus omnibus unus mortuus est Christus, quomodo aliis dicit. Et vos cum essetis mortui in delictis; ad Colossen: & præputio carnis vestræ, vivificavit cum illo. *Tom: 7. ibidem cap: 4.*

Rom 5. 12. In Christo autem baptizantur, peccato ergo moriuntur; cui peccato quæso te, nisi quod originale traxerunt? *Ibid;*

Alienum quippe opus est cum credit per alterum [scilicet parvulus in baptismo) quod ergo non adimit nisi regeneratio, non cessat trahere generatio. *Ibid: cap: 10.*

Incredibile vis videri, quod in utero baptizatæ, cujus corpus est Templum Dei, formatur homo futurus sub diabolo, nisi Deo renascatur ex Deo, quasi non majoris admirationis sit, quod Deus & ubi non habitat operatur, non enim habitat in corpore subdito peccatis, & tamen operatur hominem in utero meretricis. Attingit enim ubiq; ptopter suam munditiem, & nihil inquinatum in eum incurrit. Et quod multo est mirabilius, aliquando adoptat in filium, quem format in utero immundissimæ fæminæ, & aliquando non vult esse filium, quem format in utero suæ filiæ. Ille quippe ad baptismum nescio qua provisione pervenit, iste repentina morte non pervenit. Atq; ita Deus, in cujus potestate sunt omnia, facit esse in Christi consortio, quem formavit in Diaboli domicilio; & non vult esse in Regno suo, quem formavit in templo suo. Certe hîc ubi fati nulla est immobilitas, nulla fortunæ temeritas, nulla personæ dignitas, quid restat nisi misericordiæ & veritatis profunditas? *Ibid: cap: 14.*

Etiam Christianorum filii, in originali peccato nascuntur.

Ideo est secunda nativitas instituta, quia nativitas prima est damnata. *Ibid: cap: 19.*

Sicut possumus dicere in aliquam domum per unam januam intrare omnes, non quia homines omnes intrant in eandem domum, sed quia nemo intrat nisi per illam. Omnes ergo ad mortem per Adam, omnes ad vitam per Christum. Quia sicut per Adam omnes moriuntur; ita & in Christo omnes vivificabuntur: id est ex prima origine generis humani, nemo ad mortem nisi per Adam, & nemo per Adam, nisi ad mortem. Et nemo ad vitam nisi per Christum, & nemo per Christum nisi ad vitam. *Ibid: c: 24.*

Similitudine declaratur id quod dicitur omnes ad mortem &c.

Usq; ad legem peccatum in mundo fuit, non originale, sed omne peccatum intelligi voluit, & ideo usq; ad legem fuit; quia nec lex potuit auferre peccatum. *Ibid: cap: 84.*

Sic eos, [intellige parvulos] ex Adam potuisse habere peccatum sine meritis propriæ voluntatis malæ, quemadmodum à Christo percepturi sunt justitiam sine suis meritis præcedentibus voluntatis bonæ. *Ibidem.*

Cùm dicitis nullum peccatum parvulis imputandum, injustum facitis Deum, qui eis grave jugum à die exitûs de ventre Matris imposuit. Quod etsi scriptura non diceret; quis tam cæcus est mente? qui non videat miseriam generis humani; à fletibus incipere parvulorum. Injustam etiam facitis Dei legem, quæ octavo die non circumcisi animam damnat infantis: Vanum quoq; judicatis esse præceptum, ubi sacrificium pro peccato, infante nato jubetur offerri. *Ibidem cap: 119.*

Parvulos in peccato nasci probat fletus, docet circumcisio.

Si quis intemperantiâ podagram sibi faciat, eamq; transmittat in filios, quod sæpe contingit, nonne rectè dicitur, in eos illud vitium de parente transisse? Ipsos quoque hoc in parente fecisse, quoniam quando ipse fecit in illo fuerunt, ac sic ipsi atq; ille adhuc unus fuerunt: fecerunt ergo non actione hominum, sed ratione jam seminum. *Ibidem cap: 177.*

Peccatum originale podagræ comparatur

Per unum hominem peccatum intravit in mundum, per peccatum mors & ita in omnes homines pertransiit. Neq; enim pertransiret mors, nisi ducente peccato, mors enim peccatum sequitur non præcedit. Hinc sunt omnes miseriæ mortalium, à die exitûs de ventre Matris eorum, sicut scriptum est: quas miserias vos, cum sine ullo peccato accidere dicitis, parvulis injustum Deum verè vos facitis. *T: 7. lib: 2. con: Iulian: cap: 236.* Rom. 5. 12.

Casus primi hominis ad experimentum cavendi debet nobis valere non ad imitationem peccandi: Ideo ille cecidit ut nos surgamus. *Et infra.* Non possumus enim negare plures esse malos, & tam plures ut inter eos prorsus boni appareant, quomodo non apparent grana in area Nam quisquis aream videt potest putare, quod sola palea sit. *T: 8. Enar: in psal: 47.*

Mali plures

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. Nunquid David de adulterio natus erat, de Jesse verò justo & conjuge ipsius? Quid est quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam? Etiam ipsum vinculum mortis cum ipsa iniquitate concretum est. Nemo nascitur nisi trahens pænam, trahens meritum pænæ. *In psal: 50.*

In omnibus qui ab initio generis humani nati sunt, in omnibus qui nunc sunt, in omnibus qui postea nascentur, Adam vapulat. Vapulat Adam id est genus humanum: & multi sic obduruerunt, ut nec plagas suas sentiant. *Enar: in psal: 122.* Ps. 50. 6.

Atavi puniuntur in posteris

In Adam omnes moriuntur, omnes enim nos duo homines aliquando fuimus: si noluimus obtemperare medico, ut non ægrotaremus, obtemperemus, ut ab ægritudine liberemur. Dedit nobis præcepta medicus sanis: dedit præcepta medicus, ne medico indigeremus. Non opus est inquit sanis medicus, sed ægrotantibus. Sani præcepta contempsimus, & experimento sensimus in quantam pernitiem nostram præceptum illud contempserimus. Ægrotare jam cæpimus, laboramus, in lecto infirmitatis sumus: sed non desperemus. Quia enim ad medicum venire non poteramus, ipse ad nos venire dignatus est. Non contempsit saucium, contemptus à sano. Non destitit dare alia præcepta languenti, qui prima custodire noluit, ne langueret: tanquam diceret: Certe experimento sensisti verum me dixisse, quando dixi. Noli tangere hoc: Sanare ergo tandem, & revivisce. *T: 10. de verb: Dom: ser: 18 de duobus cæcis.* 1. Cor. 15. 22.

Deus medicus & ægrotorum & sanorum.

Ubi erat totum, periit totum: sed venit unus sine peccato qui salvos faceret à peccato. Isti autem superbiendo, quod est pejus; & ægrotabant, sanos se esse credebant. Periculosius ægrotant, qui mentem febribus perdiderunt. Illi rident, & sani plorant. Ridet enim phreneticus: sed non est sanus. Porro autem qui mentis est sanæ, plorat phreneticum ridentem. *Ibid: de verb: Ap: ser: 9.*

Peccantium illusio: phrenesis.

Ipsa fides est, ipsa veritas, hoc est Christianæ fidei fundamentum, unus, & unus. Unus homo, per quem ruina, unus homo per quem structura. Per illum ruina, per hunc structura Cecidit qui non mansit, erigit qui non cecidit. *Ibid: ser: 12. in ps: 118.*

Ex prima transgressione primi hominis universum genus humanum natum cum obligatione peccati victor diabolus possidebat. Si enim sub captivitate non teneremur, Redemptore non indigeremus: venit ad captivos non captus: venit ad captivos redimendos, nihil in se captivitatis, hoc est iniquitatis habens, sed carne mortali pretium nostrum portans. Si enim carnem mortalem non haberet, unde in verbo sanguis, quem pro captivis funderet. *Ibid: serm: 20. in psal: 95.*

Incarnationis finis.

Iniquitas captivitas.

Respuendi sunt à corde Christiano, qui putant ideo dictum mul-

multas esse mansiones, quia extra regnum cælorum erit aliquid, ubi maneant beati innocentes, qui sine baptismo ex hac vita emigrarunt: quia sine illo in regnum cælorum intrare non potuerunt. Hæc fides non est fides: quoniam non est vera & catholica fides. Itane tandem stulti homines, & carnalibus cogitationibus excæcati, cum reprobandi essetis, si mansionem non dico Petri & Pauli vel cujuslibet Apostolorum, sed cujuscunq; parvuli baptizati, à regno cælorum separaretis: non vos putatis esse reprobandos qui donum Dei Patris inde separatis? Non enim ait Dominus in universo mundo aut in universa creatura, aut in vita vel beatitudine sempiterna mansiones multæ sunt: sed in Domo inquit Patris mei mansiones multæ sunt. *T: 9. in Evan: Ioan: Tract: 67. de c: 14.*

Patria cælestis neminem excludit.

PECCATUM.

VENIALE.

Dimitte nobis debita nostra, neq; enim nobis ea dimitti volumus, quæ dimissa non dubitamus in baptismo; sed illa utique quæ humanæ fragilitati quamvis parva tamen crebra subrepunt. Q[illegible] eim interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis [illegible]atur & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, im[illegible]at navem & submergat. *Tom: 2. epist: 108.*

Minima non temnenda.

De quotidianis brevibus levibusq; peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit, eorum enim est dicere: Pater noster qui es in cælis. Qui jam Patri tali regenerati sunt ex aqua & spiritu sancto. Delet omninò hæc oratio minima & quotidiana peccata, delet & illa, à quibus victa fidelium scelerate etiam gesta, sed pænitendo in meliùs mutata discedit. *Tom: 3. Enchirid: cap: 71.*

Quotidiani defectus quotidiana oratione tollantur.

Quæ sunt autem levia, & quæ gravia peccata non humano sed divino sunt pensanda judicio. *Ibid: cap: 78.*

Sicut non impediunt à vita æterna quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutē æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera; sine quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur. Verumtamen sicut in regno Dei, velut stella abs stella in gloria differunt sancti; sic & in damnatione pænæ sempiternæ, tolerabilius erit Sodomæ, quàm alteri civitati; & erunt quidam duplo amplius quibusdam gehennæ filij; ita ut nec illud in judicio Dei vacabit, quod in ipsa impietate damnabili magis alius alio minusvè peccaverit. *T.7.l: de spirit: & liter: c:28.*

Nullum opus bonum, impio est salutare.

Pro quotidianis peccatis, sine quibus hîc non vivitur, etiam cum bene vivitur, quotidianam remissionem, & ut petant, providenter instruit, & petentes clementer exaudit. *Tom: 7. lib: 4. ad Bonifac: cap: 12.*

Ingredi sine macula non absurdè illi dicitur, non qui jam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atq; ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis. Ingressum quippe, hoc est iter nostrum quo tendimus ad perfectionem munda mundat oratio. Munda autem est oratio, ubi veraciter dicitur: Dimitte nobis sicut & nos dimittimus. *Tom: 7. lib: Iustit: cap: 9.*

Oratio & eleemosyna est animæ lavacrum.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei. Capillos capitis
Ps. 36. 13. ad numeri multitudinem revocat. Quis numerat capillos capitis sui? multo minus peccata quæ excedunt numerum capillorum. Minuta videntur, sed multa sunt. Præcavisti magna, jam non facis adulterium, jam non facis homicidium, non rapis res alienas, non bla-

Multitudo illorum timenda.

blasphemas, non dicis falsum testimonium: moles istæ sunt peccatorum. Magna præcavisti de minutis quid agis? An non times minuta? Præcavisti molem, vide ne arenâ obruaris. *Tom: 8. in ps. 39.*

Impænitens thesaurizat sibi iram Dei. Tu autem secundum duritiam cordis tui & impænitentis, thesaurisas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei qui reddet unicuiq; secundum opera sua. Ille ergo auget longanimitatem, & tu auges iniquitatem. Erit illius thesaurus in sempiternum, misericordia in eos qui non contempserunt misericordiam: tuus autem thesaurus in ira invenietur, & quod ponis quotidie per modicum postea massam inventurus es. Minutatim ponis, sed cumulum invenies. Noli attendere minuta peccata tua quotidiana. De minutissimis guttis flumina implentur. *In psal: 93.* *Rom. 2. 5.*

Si contemnebas vel minus peccatum pœnæ magnitudine deterrere Sed dicis minora sunt, minuta sunt sine quibus non potest esse ista vita. Congere minuta & faciunt ingentem acervum. Nam & grana minuta sunt, & tamen massam faciunt: & guttæ minutæ sunt, & flumina implent, & moles trahunt. *Enar: in ps: 129.*

Cupiditas in ortu eliden- da. Qui sunt parvuli Babyloniæ? Nascentes malæ cupiditates. Sunt enim qui cum veteri cupiditate rixantur. Quando nascitur cupiditas antequam robur faciat adversum te mala consuetudo, cum parvula est. Ne enim cupiditas nequam pravæ consuetudinis robur capiat, cum parvula est elide illam. Sed times ne elisa non moriatur, ad Petram elide. Petra autem erat Christus. *Enarratione In psal: 136.* *Ps. 136. 9.*

Venialia delet humilitas & oratio. In istis ergo quotidianis peccatis omnibus quæ spes est nisi humili corde dicamus, in oratione Dominica, quæ jam in beneplacitis nostris est, non defendentium peccata nostra, sed confitentium. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris? *Expos: psal: 149.*

Stat Ecclesia in oratione, ut mundetur confessione: & quamdiu hic vivitur, sic stat: & cum de corpore exierit, unusquisque, dimittuntur ei peccata, quia talia habebat, ut dimitterentur debibita quia & quotidianis precibus dimittuntur: & tunc exit mundatus, & thesaurizatur Ecclesia in thesauros Domini aurum purum, ac per hoc in thesauros Domini Ecclesia est, sine macula & ruga. Et si ibi sine macula & ruga est, hic quid orandum est? Ut venia percipiatur. Qui dat veniam maculam extergit; qui ignoscit, rugam extendit. Et ubi extenditur ruga nostra? Tanquam in tendicula magni fullonis. In cruce Christi. In ipsa enim cruce, id est in ipsa tendicula pro nobis sanguinem fudit: & nostis fideles quale testimonium perhibeatis sanguini quem accepistis. *Et infra.* Non autem quia dico, quod non possumus hic esse sine peccato, homicidia facere debemus, aut adulteria, vel cætera mortifera peccata, quæ uno ictu perimunt. Talia non facit bonæ fidei, & bonæ spei Christianus: sed illa sola quæ quotidiano orationis peniculo terguntur. Humiles & devoti dicamus quotidie, Dimitte nobis debita nostra; sed si faciamus quod sequitur, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Sponsio hæc cum Deo, vera sponsio, & fixa conditio est. Tu homo es, & habes debitorem, & debitor etiam tu es *Et infra.* Oderimus ea fratres, & si non simus sine peccatis, oderimus tamen ea: & maximè à criminibus nos abstineamus, abstineamus quantum possumus à levibus peccatis. *Tom: 10. de verb: Apost: serm: 29.*

Oratio venialia tollit.

Crux tendicula Fullonis.

Nemo vivit sine veniali.

Matt. 6. 12.

Lavacra venialium peccatorum. Non me latet vitam istam mortalem, & in carne corruptibili constitutam sine peccatis esse non posse: sed illa quotidiana & levia habent etiam sua lavacra quotidiana: hoc est quod pectus tundi-

tundimus, & dicimus in oratione Domino Deo nostro, Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Non enim sine causa dicimus hoc. *Tom: 10. 50. Homil: Homil: 19. De exhortatione ad eleemosynas faciendas.* *Matt. 6. 12.*

Sicut sine minutis peccatis nullus unquam aut fuit, aut esse poterit; ita sine capitalibus criminibus donante & auxiliante Deo, omnimodo esse possumus & debemus. *Ibid: de Temp: serm: 56. feria 4. in cap: ieiunii serm: 2.*

Quamvis servi & amici Dei capitalia crimina vitaverint, & multa opera bona fecerint, tamen sine minutis peccatis eos fuisse non credimus, quia non mentitur ille qui dixit: Non est immunis à peccato nec infans cujus & unius diei vita super terram. *Ib: ser: 82.*

Sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapina, superbia, invidia, avaritia: & si longo tempore teneatur iracundia, & ebrietas si assidua sit, in eorum numero computatur. Quicunq; enim aliqua de istis peccatis in se dominari cognoverit, nisi dignè se emendaverit, & si habuerit spatium, longo tempore pænitentiam egerit, & largas eleemosynas erogaverit, & à peccatis ipsis abstinuerit, illo transitorio igne, de quo ait Apostolus, purgari non poterit, sed æterna illum flamma sine ullo remedio cruciabit. Quæ autem sint minuta peccata, licet omnibus nota sint, tamen quia longum est ut omnia replicentur, opus est ut ex eis vel aliqua nominemus. Quoties aliquis in potu, vel in cibo plus accipit, quàm necesse sit, ad minuta peccata noverit pertinere. Quoties plus loquitur quàm oportet, aut plus tacet quàm expedit. Quoties pauperem importunè petentem exasperat. Quoties cum corpore sit sanus, aliis jejunantibus prandere voluerit, aut somno deditus tardius ad Ecclesiam surgit. Quoties excepto desiderio filiorum, uxorem suam cognoverit. Quoties in carcere clausos; & in vinculis positos tardius requisierit. Quoties infirmos tardius visitaverit. Si discordes ad concordiam revocare neglexerit. Si plus aut proximum, aut uxorem, aut filium, aut servum exasperaverit quàm oportet. Si amplius fuerit blanditus, quàm expedit. Si cuicunque majori personæ aut ex voluntate, aut ex necessitate adulari voluerit. Si pauperibus esurientibus cibum non dederit, aut nimium deliciosa, aut sumptuosa sibi convivia præparaverit. Si se in Ecclesia, aut extra Ecclesiam fabulis otiosis de quibus in die judicij ratio reddenda est, occupaverit. *Et infra.* *Venialium variæ species & exempla.*

Quibus peccatis licet non occidi animam credamus, ita tamen eam velut quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie replentia deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius sponsi cælestis, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant. De quo scriptum est, aptavit sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. *Et infra.* Quidquid enim de istis peccatis à nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum est, de quo dixit Apostolus. Quia in igne revelabitur. Et si cujus opus arserit detrimentum patietur. Aut enim dum in hoc mundo vivimus, ipsi nos per pænitentiam fatigamus: aut certe volente aut permittente Deo multis tribulationibus pro istis peccatis affligimur, & si Deo gratias agimus, liberamur. *Tom: 10. ser: de San: ser: 41. die commem: fidel: defunct: ser: 4.* *Venialia pustulæ & deformitas animæ.* *Venialia rugæ sponsæ.* *1. Cor. 15.* *Purgatorium.*

Quibus tamen operibus minuta peccata redimantur, plenius vobis insinuare desidero. Quoties infirmos visitamus, in carcere clausos, & positos in vinculis requirimus, discordes ad concordiam revocamus, indicto Ecclesiæ jejunio jejunamus, pedes hospitibus abluimus, ad vigilias frequenter convenimus, eleemosynam ante ostium prætereuntibus pauperibus damus, inimicis nostris *Remedia contra venialia & satisfactiones.*

quoties

quoties petierunt, veniam indulgemus. Istis enim operibus, & his similibus minuta peccata redimuntur quotidie. Pro capitalibus verò criminibus non hoc solum sufficit, sed addendæ sunt lacrymæ, rugitus & gemitus, continuata longo tempore, ac protracta jejunia, largiores eleemosynæ erogandæ, ultro nos ipsos à communione Ecclesiæ removentes, in luctu & in tristitia multo tempore permanentes, & pænitentiam etiam publicè agentes: quia justum est, ut qui cum multorum destructione se perdiderit, cum multorum ædificatione se redimat. *Tom: 10. ibidem.*

Pro mortalibus satisfactiones.

Alios scandalizans ædificet alios.

Magnæ bestiæ uno morsu occidunt hominem: minutæ autem cum fuerint multæ congregatæ plerumque interimunt, & talem pernitiem inferunt, ut pænis hujusmodi gens superba Pharaonis judicari meruerit. Si ergo quamvis minuta sint ista peccata, tamen quia multa sunt & congregata, acervum faciunt, quo te premant, bonus est Deus qui etiam ipsa dimittit, sine quibus non potest ista vita duci. *Tom: 10. serm: de diver: serm: 34.*

Venialia feræ minutæ, & pæna Pharaonis.

Minuta plura peccata si negligantur, occidunt. Minutæ sunt guttæ quæ flumina implent, minuta sunt grana arenæ: sed si multa arena imponatur premit, atque opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens. Paulatim per sentinam intrat, sed diu intrando & non exhauriendo mergit navim. Quid est autem exhaurire nisi bonis operibus agere, ut non obruant peccata: gemendo: jejunando, tribuendo, ignoscendo. *Tom: 9. In Ioan: Evan: Tract: 12. de cap: 3.*

Mors minimis

Peccata & si sunt quotidiana, vel non sint mortifera antequam ad altare acceditis, attendite quid dicatis: Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si dimittis: dimittetur tibi: securus accede panis est venenum. Sed vide si dimittis: nam si non dimittis mentiris, & ei mentiris, quem non fallis. Mentiri Deo potes, Deum fallere non potes. *Tom: 9. in Evan: Ioan: Tract: 12. de cap: 3.*

Hypocrisis nulla apud Deum — *Matt. 6. 13.*

Si hospitio inquit recepit, si Sanctorum pedes lavit. Et apud Sanctos ubicunq; hæc consuetudo non est, quod manu non faciunt, corde faciunt, si in illorum numero sunt, quibus dicitur in hymno beatorum trium puerorum Benedicti sancti humiles corde Domino. Multo autem est melius & sine controversia verius, ut etiam manibus fiat: nec dedignetur quod fecit Christus, facere Christianus. Cum enim ad pedes fratris inclinatur, corpus etiam in corde ipso vel excitatur, vel si jam inerat, confirmatur ipsius humilitatis affectus. Sed excepto isto morali intellectu, ita nos hujus dominici facti altitudinem commendasse meminimus, quod lavando pedes jam lotorum atq; mundorum discipulorum, significaverit nobis Dominus propter humanos quibus in terra versamur affectus, ut quantumlibet profecerimus in apprehensione justitiæ, sentiamus nos sine peccato non esse: quod subinde abluit, interpellando pro nobis, cum oramus Patrem, qui in cælis est, ut debita nostra dimittat nobis, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Ibid: Tract: 58. de cap: 13.*

Humilitas operis melior quã solius cordis. — *1. Tim. 5. 10.*

Non potest homo quamdiu carnem portat non habere vel levia peccata. Sed ista levia quæ dicimus, noli contemnere. Si contemnis quando appendis, expavesce quando numeras. Levia multa faciunt unum grande. Multæ guttæ implent flumen: Multa grana faciunt massam. Et quæ spes est? Ante omnia confessio: ne quisquam se dicat justum, & ante oculos Dei, qui videt quod est, erigat cervicem suam homo qui non erat, & est, Ante omnia ergo confessio, deinde dilectio; quia de charitate quid dictum est;

Gravitas minimorum.

Chari-

Charitas cooperit multitudinem peccatorum. *Tom : 9. in epist : Ioan: Tract : 1. de cap : 1.*

Illa dico quotidiana peccata, quæ aut linguâ facile committuntur, ut est verbum durum, aut cum labitur aliquis in risum immoderatum, aut in hujusmodi nugas quotidianas. *Et infra.* Quotidiana sunt ista quæ dico : sed tamen peccata sunt, & non sunt levia, quia plura. Quia vero quotidiana & plurima, timenda est ruina multitudinis, & si non magnitudinis. Talia peccata dicimus fratres quotidianis eleemosynis posse mundari. *Tom : 9. lib : de 10 : chordis cap : 11.* *Malitia ex pluralitate levium crescit.*

Sunt venialia sine quibus ista vita non est. Propter omnia peccata baptismus inventus est? propter levia sine quibus esse non possumus, oratio inventa. Quid habet oratio? Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Semel abluimur baptismate, quotidie abluimur oratione. Sed nolite illa committere pro quibus necesse est, ut à Christi corpore separemini, quod absit à vobis. Illi enim quos videtis agere pænitentiam scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania : inde agunt pænitentiam. Nam si levia peccata ipsorum essent, ad hæc quotidiana oratio delenda sufficeret. *Tom: 9. in Evan: Ioan: Tract: 28. de cap: 7.*

PECCATUM
MORTALE.

Matt. 6. 13. ID erat peccatum insanabilibus, quo me peccatorem non esse arbitrabar, execrabilis iniquitas, & te Deus omnipotens à me ad perniciem meam, quàm me à te ad salutem malle superari. *Tom: I: 5. Confess: cap : 10.* *Quod insanabile peccatum*

Neq; enim ullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea, quæ ille contempsit, aut fugiuntur quæ ille sustinuit. *T. 9. lib : de ver: Rel: cap: 16.*

1. Tim. 5. 10. Est autem vitium primum animæ rationalis, voluntas faciendi ea, quæ vetat summa & intima veritas *T: 1. l: de ver: Rel: c: 20.*

Corporum & animorum decora si Deus pollere permittat, tunc indignatur graviùs: si hæc impunita dimittat, tunc punit infestiùs: Cum evertit subsidium vitiorum & copiosas libidines inopes reddit, misericorditer adversatur. *T: 2. ep. 5.* *Deus parcendo sævit sæviendo miseretur.*

Aliquando vitium vitio tollitur, ut amore laudis amor pecuniæ, aliquando unum cedit, ut plura succedant. *Ib: ep: 29.* *Quandoq; tollitur vitium ut plura succedant.*

Illud fidentissimè dixerim eum qui pro homine ad hoc intervenit, nè malè ablata restituat, & qui ad se confugientem quantùm honestè potest ad resistendum non compellit socium esse fraudis & criminis. *Ibid: epist: 54.*

Debuit nè quisquam stuprum perpeti potiùs quàm thurificare? si quæris quid debuerit? neutrum debuit. Sed si quæritur, quid horum potiùs debuit evitare, qui utrumq; non potuit sed alterutrum potuit; Respondebo, Suum peccatum potiùs quàm alienum, & levius potius quod suum, quàm graviùs quod alienum; ut enim concedam graviùs esse stuprum, quàm thurrificationem: illa tamen ipsius erat, illud alienum factum quamvis id pateretur: cujus autem factum, cujus & peccatum. Quamvis enim gravius sit homicidium quam furtum, pejus tamen est facere furtum quam pati homicidium. Cujus rei pulchram reddit supra rationem. Alienum (id est peccatum) quod meo præcepto extinguere non potui, meo malefacto impedire non debui. Non ergo peccantem, *Alienum peccatum propriè impediri non debet.*

Ffff appro-

approbat, qui pro alio non peccat, & neutrum placet ei, qui utrumque nollet admitti. Sed illud quod ad se pertinet, etiam potestate non perpetrat; quod autem ad alterum, sola voluntate condemnat. *Tom: 4. lib: de mendac: cap: 9.*

Peccatum nulla causa faciendum

Interest quidem plurimum, quâ causâ, quo fine, quâ intentione quid fiat. Sed ea quæ constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt. *Et infra.* Quis ista dicat? nisi qui res humanas omnesq; conatur mores legesque subvertere. Quod enim sceleratissimum facinus, quod turpissimum flagitium, quod impiissimum sacrilegium non dicatur posse fieri, rectè ac justè: nec impunè tantùm, verùm etiam gloriosè: si semel concesserimus in omnibus malis operibus hominum; ideo non quid fiat, sed quare fiat, esse quærendum, ut quæcunq; propter bonas causas facta inveniuntur, nec ipsa mala esse judicentur? Cujus rei vide exempla. *Tom: 4. lib: con: mendac: cap: 7. & 8.*

Non committendum minus ne alius majora committat.

Si hanc peccatis aperimus viam, ut committamus minora, nè alij majora committant, lato limite, imò nullo limite, sed convulsis & remotis omnibus terminis, infinito spatio cuncta intrabunt atq; regnabunt. *Et infra* Ubi dixerit inimicus, qui habuerit hujus mundi potestatem, nisi tu sceleratus fueris, ego sceleratior ero, aut nisi tu hoc scelus feceris, ego talia plura faciam, scelus nobis videamur admittere, si velimus à scelere temperare. Hoc sapere quid est, nisi desipere vel potius insanire? A mea quippe iniquitate, non ab aliena, sive in me, sive in aliis perpetracta, mihi cavenda est damnatio: anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur. *Ibid: cap: 9.*

Male peccato proprio, alteri consulitur.

Noli facere magnum scelus tuum, dum majus exhorrescis alienum. Quantumlibet enim distet inter tuum & alienum, hoc erit tuum, illud alienum *Ibid: cap: 9.*

In omnibus actibus nostris, maximè etiam bonos turbant compensativa peccata, ita ut nec peccata existimentur, si habeant tales causas, propter quas fiant, & in quibus videatur peccari potiùs si non fiant. Et præcipuè de mendaciis hoc in hominum opinione prævaluit. *Ibid: cap: 10.*

Faciat ergo homo, etiam pro temporali hominum salute, quod potest. Cum autem ad hunc articulum ventum fuerit, ut tali saluti consulere nisi peccando non possit, jam se existimet non habere quid faciat, quando id reliquum esse perspexerit, quod non rectè faciat. *Ibid: cap: 17.*

Non peccatum sed sequela peccati amatur.

Si diligenter consideratur, fortè ipsum peccare nemo velit, sed propter aliud fit, quod vult qui peccat. Omnes enim homines, qui scientes faciunt, quod non licet, vellent licere, usq; adeo ipsum peccatum nemo appetit propter hoc ipsum, sed propter illud, quod ex eo consequitur; Hæc si ita se habent, non sunt peccata nolentium, nisi nescientium: quæ discernunt à peccatis volentium *T: 4. lib: 4 super Num: quæst: 24:*

Omnis itaq; humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atq; utendis frui. Et rursus omnis ordinatio quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui & utendis uti. Fruendum autem est honestis, utendum verò utilibus. *Ibid: quæst: 30.*

Tribus impletur peccatum.

Tria sunt quibus impletur peccatum, suggestione, delectatione & consensione. *T: 4. lib: 1. de serm: in monte cap. 12.*

Dulciora scelera quæ fiunt in occulto.

Quæcunque peccata occultè fiunt, dulciora sunt, quamvis mortifera ista dulcedo sit; Inde est quod apud Salomonem, fallacis doctrinæ imagine sedens mulier scribitur dicere, Panes occultos

tos libenter edite, & aquam furtivam dulcem bibite. *Tom: 4. lib: exposit: quarund: proposit: ex epist: ad Rom: fol: 370.*

Rom 7 14. Venundatus sub peccato: intelligendum est, quod unusquisque peccando animam suam diabolo vendit, accepta tanquam pretio dulcedine temporalis voluptatis, unde & Dominus Redemptor noster dictus est, quia hoc modo, quo dictus est, venditi eramus. *Ibidem fol: 370.* *Vendit animam diabolo qui peccat.*

Est autem animæ fornicatio, aversio à fæcunditate sapientiæ, & ad conceptum illecebrarum temporalium, corruptionumque conversio. *Tom: 6. lib: con: Adim: cap: 7.* *Fornicatio animæ conversio ad terrena.*

Quod promittitur à Domino, etiam non facere licet: quod autem jubetur nisi fiat, peccatum est. *Ibid: cap: 20.*

Non est peccatum malæ naturæ appetitio, sed melioris desertio, & ideo factum est ipsum malum, non illa natura, quâ malè utitur peccans: Malum est enim malè uti bono: unde Apostolus damnatos quosdam Divino judicio reprehendit qui coluerunt & servierunt creaturæ potius quam Creatori. Neq; enim creaturas reprehendit: quod qui fecerit injuriam, sed eos qui malè usi sunt bono meliore deserto. *T: 6. l: 1. de Natura Boni; cap: 36.* *Non res sed rerum nocet abusus.*

PECUNIA.

Pecunia & à malis malè habetur, & à bonis tantò meliùs habetur quantò minùs amatur. *Tom: 2. epist. 54:*

Nec enim essent etiam homines amatores pecuniæ, nisi eo putarent se excellentiores, quo ditiores. *T: 3 l: 11. de Gen: ad lit: c: 15.* *Appetitus gloriæ amorem incendit divitiarum.*

Cum defecisset ærarium (intellige Romæ) in usus publicos opes venâre privatæ, adeò unoquoque id quod habuit conferente, ut præter singulos annulos aureos, singulasque bullas, miserabilia dignitatis insignia, nihil sibi auri senatus ipse quantò magìs cæteri ordines tribusque relinquerent. *T: 5. l: 3: de Civit: Dei cap: 19.*

PEREGRINUS.

Discite Christiani sine discretione hospites suscipere, nè fortè cui domum clauseritis, cui humanitatem negaveritis, ipse sit

Gen 14 19. Christus. Et paulò supra. Suscepit (loquitur de Loth) & obsecutus est eis tanquam peregrinis. Consuetudine hospitalitatis liberatus est à periculo Civitatis, & temporale evasit incendium, & æternum consecutus est præmium. *T: 6. lib: de quinq; hæresib: c. 4.* *Hospitalitas à malis liberat.*

Quamdiu sumus in hoc corpore inquit, peregrinamur à Domino. Si à Patre Tuo homine peregrinareris, miser esses: à Domino peregrinaris & felix es? *Tom: 8. in psal: 83.* *Vita nostra peregrinatio.*

2. Cor. 5. 6. Quia quamdiu in corpore sumus peregrinamur à Domino. Quodlibet hic abundet, nondum sumus in illa Patria quo redire festinamus. Cui peregrinatio dulcis est non amat Patriam: si dulcis est Patria amara est peregrinatio, si amara peregrinatio tota die tribulatio. Quando non est tribulatio? Quando in Patria delectatio. Delectationes in dextera tua usque in finem. Implebis me lætitia ait cum vultu tuo, ut contempler delectationem Domini. Ibi transiet labor & gemitus: ibi non oratio sed laudatio: ibi alleluia amen, ibi vox consona cum Angelis: ibi viso sine defectu & amor sine fastidio. *Tom: 8. In psal: 85.* *Visionis Dei solatia.*

PERICULUM.

Cur amentur tot & tanta pericula, vel certè, etiamsi non amantur, suscipiuntur. *Tom: 5. lib: 1. de Civitate Dei cap: 27.*

Oculi mei ſemper ad Dominum. Nec timeam periculoſa & *Pſ. 24.*
terrena dum terram non intueor, quoniam ille quẽ intueor evel- *15.*
let de laqueo pedes meos. *Tom: 8. in pſal: 24.*

Periclitabatur navigium in ſtagno, & dormiebat JESUS. Ten- *Matt.*
Fiducia in Deum languida. tationibus quotidianis hujus ſæculi propriè oppletur noſtrum na- *8. 24.*
vigium. Unde fit niſi quia dormit JESUS? Si non dormiret in te JEſus, tempeſtates iſtas non patereris, ſed tranquillitatem haberes interius, convigilante tecum JESU. Quid eſt autem dormire JESUM? Fides tua quæ eſt de JESU obdormivit *Præfat: in 2. Enar: pſ: 25.*

Dilexiſti omnia verba ſubmerſionis. Eripe ergo te ſi potes à *Pſ. 51.*
Crux Chriſti ſubmerſione. Naufragium fugis & plumbum amplecteris: ſi non *6.*
vis mergi tabulam apprehende, ligno portare, crux te perducat. *Expoſ: pſal: 51.*

Modicæ fidei ut quid dubitaſti? Mirum eſt quomodo probat Deus homines: ipſa pericula noſtra dulciorem nobis faciunt libertantem. *In pſal: 93.*

PERSECUTIO

Martyrum corpora rabiem coercent. Annus erat aut non multò ampliùs [intellige à converſione Sancti Auguſtini) cùm Juſtina Valentiniani pueri Mater, hominem tuum Ambroſium perſequeretur hæreſis ſuæ causâ, qua fuerat ſeducta ab Arrianis: Excubabat pia plebs in Eccleſia mori parata cum Epiſcopo ſuo ſervo tuo. *Oratio levamen tædii.* Tunc hymni & pſalmi ut canerentur ſecùndum morem orientalium partium, nè populus mæroris tædio contabeſceret, inſtitutum eſt. Tunc memorato Antiſtiti tuo per viſum aperuiſti, quo loco laterent Martyrum incorrupta corpora, Gervaſij & Protaſij, quæ de theſauro ſecreti tui opportunè promeres, & ad còercendam rabiem fæmineam ſed Regiam. Ubi in translatione Martyrum dicit facta miracula. *Tom: 1. lib: 9. Confeſſ: Cap: 7.*

Si ſemper eſſet laudabile perſecutionem pati, ſufficeret Domi- *Matt.*
Non patientia ſed cauſa illius laudabilis eſt. no dicere: Beati qui perſecutionem patiuntur, nec adderet pro- *5. 10.*
pter juſtitiam: Item ſi ſemper eſſet culpabile perſecutionem facere, non ſcriptum eſſet in ſanctis libris: Detrahentem proximo ſuo occultè hunc perſequebar. Aliquando ergo & qui eam patitur, injuſtus eſt, & qui eam facit, juſtus eſt, ſed planè ſemper & mali perſecuti ſunt bonos, & boni perſecuti ſunt malos, illi nocendo per juſtitiam, illi conſulendo per diſciplinam, illi ſervientes cupiditati, illi charitati. Nam qui trucidat, non conſiderat quemadmodum laniet; qui autem curat, conſiderat, quomodo ſecet: ille enim perſequitur ſanitatem, ille putredinem &c. Occiderunt impii Prophetas, occiderunt impios & Prophetæ. Flagellaverunt Judæi Chriſtum, Judæos flagellavit & Chriſtus In his omnibus quid attenditur, niſi quis eorum pro veritate, quis pro iniquitate, quis nocendi causâ, quis emendandi? *T: 2. epſt: 48.*

Perſecutio juſta. Si verum dicere vel agnoſcere volumus, eſt perſecutio injuſta, quam faciunt impij Eccleſiæ Chriſti, & eſt juſta perſecutio, quam faciunt impiis Eccleſiæ Chriſti *Ibid: epiſt: 50.*

Graviſſima ſanè & multum dolenda eſt illa captivitas fæminarum caſtarum atque ſanctarum, ſed non eſt captivus earum Deus, nec captivas deſerit, ſi novit ſuas. Sitifenſis ante paucos annos Severi Epiſcopi Neptis ſanctimonialis, à barbaris deducta eſt, & per mirabilem Dei miſericordiam ſuis Parentibus reſtituta eſt. Addit Domum illam barbarorum, ubi captiva ingreſſa eſt, ſubitâ cæpiſſe infirmitate jactari: oratione Virginis ſanatos ſalutis receptæ beneficium data libertate compenſaſſe. *Ib: ep: 122.* Epi-

Episcopum quendam dixisse audivimus, si Dominus nobis imperaverit fugam in eis persecutionibus, ubi potest fructus esse Martyrij quantò magìs debemus fugere steriles passiones, quando est barbaricus & hostilis incursus. Verum est quidem & acceptabile, sed his quos Ecclesiastici officij non tenent vincula. Nam premente persecutione fugiendum esse Christi ministris, quando ibi aut plebs Christi non fuerit, cui ministretur, aut etiam fuerit & potest impleri per alios necessarium ministerium, quibus non est eadem causa fugiendi, sicut in sporta submissus fugit Apostolus, cùm à persecutore propriè ipse quæreretur. Sic fugit Sanctus Athanasius Alexandrinus Episcopus, cùm eum specialiter apprehendere constantinus cuperet Imperator, nequaquam à cæteris ministris deserta plebe catholica, quæ in Alexandria commanebat. Cum autem plebs manet,& ministri fugiunt ministeriumq; subtrahitur, quid erit nisi mercenariorum illa fuga damnabilis? quibus non est cura de ovibus. *Ibid: ep: 180.*

In persecutione pastores fugere non debent.

Non cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroq; sexu, atq; omni ætate concursus: aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pænitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & sacramentorum confectionem, & erogationem, ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? si autem ministri adsint pro viribus, quas eis Dominus subministrat, omnibus subvenitur: alij baptisantur, alij reconciliantur, nulli Dominici corporis communione fraudantur, omnes consolantur, ædificantur, exhortantur, ut Deum rogent. *Tom: 2. Ibid:*

Talis est ista tempestas quando laicorum & Clericorum est commune periculum, sicuti navi una commune periculum est mercatorum atq; nautarum. Verùm absit, ut tanti sit hæc navis nostra, ut debeant eam nautæ, & maximè Gubernator periclitantem deserere, etiamsi in scapham transiliendo, vel etiam natando possit effugere. *Ibid: epist: 180.*

Gal.6. 17. Ego stigmata Domini nostri JESU Christi in corpore meo porto. Stigmata enim dicuntur notæ quædam pænarum servilium, ut si quis v. g: servus in compedibus fuerit propter noxam, id est propter culpam. vel hujusmodi aliquid passus fuerit, stigmata habere dicatur: & ideo in jure manumissionis inferioris est ordinis. Nunc Apostolus voluit stigmata appellare, quasi notas pænarum ex persecutionibus quas patiebatur. Propter culpam enim persecutionis, quâ persecutus erat Ecclesiam Christi, hæc sibi retribui cognoverat: sicut ab ipso Domino dictum est Ananiæ [videlicet de illo) Ego ostendam inquit, quæ opportet eum pati pro nomine meo. *Tom: 4. Galat: fol: 392.*

Cur Paulo Apostolo stigmata Dominus impresserit.

Etiam in Sanctis præteritæ culpæ puniuntur.

Act.9. 10.

Iob 38. 22. Aut thesauros grandinis vidisti, grando sunt illi iniqui, quam non solùm torpent, nullum fervorem spiritus habentes, sed etiam obstinatâ duritiâ persequendo vel irruendo contundunt. *Tom: 4. Annot: in Iob: fol: 412.*

Peccatores Ecclesiæ grando

Proinde nè illud quidem temerè puto esse dicendum sive credendum, quod nonnullis visum est, vel videtur non ampliùs Ecclesiam passuram persecutiones usque ad tempus Antichristi, quam quòd jam passa est, id est decem ut undecima eademque novissima sit ab Antichristo. Primam computant à Nerone quæ facta est. Secundam à Domiciano. Tertiam à Trajano, Quartam ab Antonino, Quintam à Severo, sextam à Maximiano, septimam à Decio, octavam à Valeriano, nonam ab Aureliano, decimam à Diocleciano

Persecutiones Ecclesiæ non decem sed innumeras fuisse dicit.

Persecutio Diocleciani plagæ Ægyptiorum.

cleciano & Maximiano, plagas enim Ægyptiorum ad hunc intellectum putant esse referendas, ut novissima Antichristi persecutio, similis videatur undecimæ plagæ, quâ Ægyptij dum hostiliter persesequærentur Hæbreos in mari rubro, populo Dei per siccum transeunte perierunt. Quid enim qui hoc sentiunt dicturi sunt de persecutione, quâ ipse crucifixus est Dominus; quid aient de illa, quæ postea quam Christus ascendit in cælum. Hierosolymis facta est ubi Beatus Stephanus lapidatus est, ubi Jacobus frater Joannis gladio trucidatus est. Quid respondent de Juliano, quem non numerant in decem, an Ipse Ecclesiam non est persecutus? qui Christianos liberales literas docere ac discere vetuit? Sub quo Valentianus major qui post eum tertius Imperator fuit fidei Christianæ confessor extitit militiâq; privatus est: Postremò nostra memoria, Valens supradicti Valentiani frater Arrianus nonne magna persecutione per Orientis partes Catholicam vastavit Ecclesiam? Nisi fortè non est persecutio computanda Rex Gotthorum in ipsa Gotthia persecutus est Christianos crudelitate mirabili, cùm ibi non essent, nisi Catholici, quorum plurimi martyrio coronati sunt. Quid modo in Perside hæc atq; hujusmodi mihi cogitanti non videtur esse definiendus numerus persecutionum, quibus exerceri opportet Ecclesiam. *T: 5. lib: 18. de Civit: Dei cap: 52.*

Neq; tunc Civitas Christi, quamvis adhuc peregrinaretur in terris & haberet tamen magnorum agmina populorum, adversus impios persecutores suos, pro temporali salute pugnavit, sed potiùs ut obtineret æternam non repugnavit; Ligabantur, includebantur, cædebantur, torquebantur, urebantur, laniabantur, trucidabantur, & multiplicabantur. Non erat eis pro salute pugnare, nisi salutem pro Salvatore contemnere. *Ib d: lib: 22. cap: 6.*

Nemo arguendus sceleris nisi probatur.

Quid perstrepit lingua antequam probetur vita? si schisma fecisti impius es, si impius es, ut sacrilegus moreris, cum pro impietate puniris: si ut sacrilegus moreris, quomodo tuo sanguine baptisaris? An dicis non feci schisma? hoc ergo quæramus, quid antea clamas, quàm probas. *T: 7. l: 2. con: lit: Petil: cap: 23.*

Cordis Martyrium.

Ipse persecutionem verè pro justitia patitur, non solum si tormentis corporalibus patiatur, hoc enim non semper: sed quod semper, quamdiu transeat iniquitas, patitur cruciatus, videlicet cordis, cum eum tædium detinet à peccatoribus relinquentibus legem Dei. *T: 7. lib: de unitate Ecclesiæ cap: 15.* Matt. 5.

Non omnis persecutio culpabilis.

De persecutione vestra (alloquitur hæreticos) querela sedabitur, si cogitetis & intelligatis priùs, non omnem persecutionem esse culpabilem, alioquin non laudabiliter diceretur; detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar. *Ibid: cap: 20.*

Persecutio justa.

Quid laudas pænam & non ostendis causam. Beati ait Dominus qui persecutionem patiuntur. Adde propter justitiam; & separâsti latrones, maleficos, separâsti adulteros, separâsti impios, separâsti sacrilegos, separâsti hæreticos. Tales persecutionem patiuntur, sed non propter justitiam. *Tom: 7. serm: ad Cesarien: Ecclesiæ plebem de Emerito.*

Hæreticos persequi opus est justitiæ.

Detrahentem proximo suo occultè hunc persequebar. Si rectè persequor occultè proximo suo detrahentem, nonnè rectiùs persequor Dei Ecclesiam publicè blasphemantem? quando dicit non est ipsa, quando dicit nostra est, quæ in parte est, quando dicit illa meretrix est. Ergo blasphemantem Ecclesiam non persequar? Persequar planè, quia membrum sum Ecclesiæ, persequar planè, quia filius sum Ecclesiæ, ipsius voce Ecclesiæ utor, ipsa Ecclesia pro me dicit in psalmo. Persequar inimicos meos, & comprehendam illos. Psal 100. 5.

los, & non convertar donec deficiant in malo, proficiant in bono. *Tom. 7. ibidem*:

Dentes peccatorum contrivisti. Possunt dentes peccatorum
Ps. 3. 7. accipi principes peccatorum, quorum authoritate quisque de societate rectè viventium, præciditur & quasi incorporatur male viventibus. His dentibus contrarij sunt dentes Ecclesiæ quorum authoritate ab errore gentillum variorumq; dogmatum præciduntur credentes, & in eam quæ Christi corpus est transferuntur. Et de his dentibus Ecclesiæ dicitur: Dentes tui sicut grex detonsarum, ascendentes de lavacro. *Tom 8. in psal: 3.* *Dentes, principes peccatorum.*

Ps. 9. 10. Infixæ sunt gentes interitu quem fecerunt. Animadvertite quemadmodum servetur pæna peccato de operibus suis. Nam interficere corpora cupiebant cum ipsi in anima morerentur. *Tom: 8 in psal: 9.* *Pæna persequentium.*

Tentatur corpus Christi una Ecclesia non patitur persecutionem, alia patitur. Non patitur furorem Imperatoris & patitur furorem mali populi. Quantæ vastationes à plebibus? quanta mala ingesta sunt Ecclesiæ à malis Christianis ab eis qui capti sunt in illo reticulo? tam multiplicati sunt ut premerentur naves in piscatione illa Domini ante passionem. Non ergo desunt pressuræ tentationis. Qui sibi pacem promittit securus invaditur. *Tom: 8. Con: 1. in psal: 30.* *Tribulationes Ecclesiæ ab intra.*

Ps. 36. 32. Considerat peccator justum & quærit mortificare eum. Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus. Quare ergo dereliquit Martyres in manibus impiorum? Quare fecerunt illis quæcunq; voluerunt? Postremo ipsum Filium suum quare dimisit in manibus Judæorum? Audi quid dicat alia scriptura Dominum prævidens passurum ab impiis. Terra tradita est in manus impij. Quid est terra? Caro tradita est in manus persequentium. Non ibi autem dimisit justum suum Deus, de capta carne educit animam invictam. Dimitteret Deus justum suum in manibus impij, si illum fecisset consentire impio. Contra quod malum orat in alio psalmo & dicit. Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori. *Et infra.* Capta terra spiritus evadit: spiritu evadente & terra resurget. Spiritus mutabitur ad Dominum, terra mutabitur in cælum capilli capitis vestri numerati sunt. Ergo est securitas sed si intus sit Deus. Si autem expellitur Diabolus, admittitur Deus. *Tom: 8. Con: 3. in psal. 36.* *Cum Martyribus in tormentis Deus.*

Hostis noster tunc Leo fuit cum apertè sæviebat, modo draco est cum occulte insidiatur. Persecutio tamen sive à Leone sive à Dracone nunquam cessat Ecclesiæ, & magis metuendus est cum fallit, quam cum sævit. Illo tempore cogebat Christianos negare Christum: isto autem tempore docet Christianos [loquitur de Hæreticis] negare Christum. *In psal: 39.*

Sicut novacula acuta fecisti dolum. Ecce quid faciunt Sanc-
Ps. 51. 4. ctis mali? capillos radunt. *Et infra.* Quid est factura illa novacula? capillos rasura calvum factura est. Et hoc ad Christum pertinet qui in loco Calvariæ crucifixus est. Qui quidem capilli non superflue facti sunt à Deo, in corpore hominum. Sed ad aliquod ornamentum: tamen quia sine sensu præciduntur, illi qui adhærent corde Deo, sic habent ista terrena tanquam capillos. *Et infra.* Ergo acuat novaculam linguam suam, acuat dolum quantum potest ablaturus est superflua temporalia. Nunquid necessaria sempiterna? *Tom: 8. Expos: psal: 51.* *Hostes novaculâ ornant caput.* *Bona temporalia capilli.*

Consilium inopis confudistis. Plerumq; ut devoretur populus Dei, hoc ipsum in illo contemnitur quia populus Dei est. Ra-

piam inquit & expoliem. Si Christianus est, quod mihi facturus est loquitur pro illo, qui loquitur pro parturiente; & minatur devorantibus, dicens: Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant populum meum in cibo panis? Quid addidit in cibo panis? tanquam panem manducabant populum meum. Cætera enim quæ manducantur possumus modo illa, modo illa, non semper hoc olus, non semper hanc carnem, non semper hæc poma, semper autem panem: sine intermissione sine cessatione devorant populum meum ut cibum panis. *In psal*: 52.

Potentes seculi devorant populum Dei

Ps. 52. 6.

Non desunt Ecclesiæ persecutiones etiam hoc tempore quando tranquillitas videtur Ecclesiæ quia verum est omnes qui volunt piè vivere in Christo persecutionem patientur. Non pateris persecutionem, non vis piè vivere in Christo. Incipe piè vivere in Christo. Quid est piè vivere in Christo? ut pertineat ad viscera tua quod ait Apostolus. Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis scandalisatur & ego non uror? Aliorum infirmitates, aliorum scandala persecutiones illi fuerunt. Nunquid ergo deest hoc tempore. *In psal*: 54.

2. Tim. 3. 12.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo & psallam. Ille paravit foveam ad decipiendum, ego cor non parabo ad perpetiendum? ille paravit foveam ad opprimendum, & ego cor non parabo ad tolerandum? Propterea ille incidet in eam, ego autem cantabo & psallam. Audi cor paratum in Apostolo qui imitatus est Dominum suum: Gloriamur inquit in tribulationibus: quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes vero non confundit. *In psal*: 56.

Promptitudo ad patiendum

Ps. 56. 8.

Odio habuerunt me gratis, hoc est injustè. Ipsa est vox Martyrum non in pœna sed in causa. Non persecutionem pati, non teneri, non flagellari, non includi, non proscribi, non occidi laus est; sed habendo causam bonam ista pati hæc laus est. Laus enim est in causæ bonitate non in pœnæ acerbitate. Nam quantacunque fuerint supplicia Martyrum, nunquid æquantur supplicio omnium latronum, omnium sacrilegorum, omnium sceleratorum? Quid enim? Et hoc odit mundus? odit planè & patiuntur multa mala sed non gratis. *Et infra*. Propter te sustinui opprobrium. Nihil magnum est quod dicitur sustinui. Sed quod dicitur propter te sustinui: si enim sustines quia peccasti, propter te sustines non propter Deum. Qui enim vobis gloria est ait Petrus, si peccatores punimini & suffertis. *In psal*: 68.

Causa facit Martyres.

Ps. 34. 19.

Quando Martyres occidebantur leo erat sæviens: quando hæretici insidiantur draco est subrepens. Vicisti leonem, vince & draconem: non te fregit Leo, non te decipiat Draco. *In ps*: 90.

Hæretici dracones.

Cum insurgerent homines super nos. Noli ergo mirari: victi sunt, homines enim erant. Dominus autem erat in nobis, non homo erat in nobis. Homines autem surrexerunt super nos. Sed tamen opprimerent homines alios homines nisi in his hominibus qui non potuerunt opprimi, non homo esset sed Dominus. *Et infra*. O immanes, crudeles, non sic absorbet Ecclesia! Petro macta & manduca dictum est, non vivos absorbe. Quomodo ergo Petrus id est Ecclesia mactat & manducat: & quomodo isti qui exsurrexerunt super nos forsitan vivos absorbuissent nos nisi quia Dominus erat in nobis? Quia in Ecclesiæ corpus nemo intrat nisi prius occisus. Moritur quod fuit, ut sit quod non fuit. *Tom. 8. Expos: psal*: 123.

Ps. 123. 2.

Conversio est mors iniquitatum.

Includuntur persequentibus Ægyptiis Hebræi inter mare & hostes, inter undas & gladios. Hinc mare spumat, inde arma coruscant.

coruscant. Hinc aquarum, inde armorum strepitus. Sic operari Deus suis assuevit, ut ubi defecit humanum consilium, illic intercedat divinum adjutorium. *Tom: 10. serm: de Temp: serm: 89. Feria 4.* Ps. 52. 6. *post 3. Dnicam Quadrag: serm: 2.*

Desperantibus de humanis auxiliis divina adsunt.

O stulta infidelitas persequentis! Si quæris exilium quo Christianus jubeatur ire, prius si potes, inveni unde Christus cogatur exire. De patria sua in alienam te arbitraris excludere hominem Dei, in Christo nusquam exulem, in carne ubique peregrinum. *Tom: 10 ser: decem & septem ser: 12, in Natali B. Cypriani.*

Christianis in exilio patria, exilium in patria.

2 Tim. 3. 12. Sicut novacula acuta fecisti dolum. Sic illi insultat spiritus Ps. 51. 4. Dei. Quid attendit in novacula? Non quia occidi homines de novacula possunt, sed ad quam rem facta est novacula? Facta est autem ad radendos capillos. Quid tam superfluum in corpore, quàm capilli? Quantâ instantiâ, quanto studio, quantâ cautela, quanta intentione acuitur, ut radat capillos. Sic & ego malus tollit se in parte, cogitat, recogitat, excogitat: ponit fraudem super fraudem quærit machinationem, ministros parat, falsos testes comparat, acuit novaculam. Quid facturus justo, nisi superflua rasurus? *T: 10 ser: de diver: ser: 20. de Monachia Goliæ & David.*

Persecutio novacula ornans Caput.

Ps. 36. 8. Indignæ sunt passiones hujus temporis ait Apostolus, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Si hæc ita sunt, modo nemo cogitet carnaliter, non est tempus. Concutitur mundus, excutitur vetus homo: premitur caro, liquescat spiritus. Jacet Petri corpus Romæ, dicunt homines, jacet Pauli corpus Romæ, Laurentij corpus Romæ, aliorum Sanctorum Martyrum sancta corpora jacent Romæ: & misera est Roma, & vastatur Roma, affligitur, conteritur, incenditur. Tot strages mortis fiunt: per famem, per Ps. 34. 19. pestem, per gladium. Ubi sunt memoriæ Apostolorum? Quid dicis? Ecce hoc dixi, tanta mala Roma patitur: ubi sunt memoriæ Apostolorum? Ibi sunt, sed in te non sunt. Utinam in te essent, quisquis ista loqueris, quisquis ista desipis, quisquis vocatus in spiritu carnaliter sapis. Prorsus adhuc patientiam doceo, nondum sapientiam. Patiens esto, Dominus vult. *Et infra.* Sicut habet historia eorum, sicut habent literæ ipsorum, incendium Romanæ Urbis, quod modo contingit, tertium est. Quæ modo semel arsit inter sacrificia Christianorum, jam bis arserat inter sacrificia Paganorum. Semel à Gallis sic incensa est, ut solus collis Capitolinus remaneret. Postea à Nerone nescio utrum dicam sæviente an fluente secundo igne Roma flagravit. Jussit Nero Imperator ipsius Romæ, servus idolorum, interfector Apostolorum, jussit & incensa est Roma. Quare putatis? qua causa? Homo elevatus, superbus, & fluidus, delectatus est Romano incendio. Videte inquit, volo, Ps 113. 2. quomodo Troja arserit. Arsit ergo sic semel, bis, tertio modo quid te delectat contra Deum stridere, pro ea quæ consuevit ardere? Sed in ea inquiunt passi sunt tanta mala tam multi Christiani. Excidit tibi quia Christianorum est pati mala temporalia, & bona sperare sempiterna. Tu quisquis Paganus es, habes quod plangas: quia temporalia perdidisti, & æterna nondum invenisti. Habet Iac. 1. 2. Christianus quod cogitet. Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis *Tom: 10. Parte 2. serm: de diver: serm: 106*

SS. Reliquiarum status inter urbium ruinas.

Quem diligit Deus, corripit, flagellat autem omnem filium Hebr 12. 6. quem recipit Du delicatus filius dominicus, & recipi vis, & flagellari non vis? ut tu fluas, ille mentiatur? Debuit ergo Apostolorum memoria per quam tibi præparatur cælum, servare tibi in terra theatra insanorum? Plane verum est. Ideo mortuus est Pe-

Non est Filius Dei sine flagello.

trus, & positus Romæ, ut lapides de theatro non caderent? Excutit Deus delicias puerorum, de manibus indisciplinatorum. Fratres, peccata minuamus & murmura. Hostes simus iniquitatibus nostris, murmuri nostro: nobis irascamur, non Deo. Irascimini, prorsus irascimini. Sed ad quos usus? Et nolite peccare. Ad hoc irascimini ne peccetis *Ibidem*.

Ira laudabilis

Tentatio ventilatio.

Quàm multi divites tunc contempserunt, quod habuerunt, quàm multi pauperes tunc in tentatione defecerunt? Ecce in tentatione illa tanquam in ventilatione divitibus non obfuit habere aurum, pauperibus quid profuit non habere aurum? Illi vicerunt, illi defecerunt. Non faciunt bonos mores nisi amores boni. Tollatur aurum de rebus humanis: imo adsit aurum, ut probet res humanas. Præcidatur lingua humana propter Dei blasphematores: & unde erunt Dei laudatores? Quid tibi fecit lingua? sit qui bene cantet, bonum est organum. Da mentem bonam ad linguam, bona dicuntur, discordes concordantur, lugentes consolantur, luxuriosi corripiuntur, iracundi refrenantur, Deus laudatur, Christus commendatur, mens ad amorem inflammatur, sed divinum, non humanum: spiritualem, non carnalem. Hæc bona facit lingua. *Ibidem sermone 115.*

Bonos mores dant, boni amores

Aurum lydius morum.

Bona lingua.

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Elige causam, & non cures pœnam. Si autem non eligis causam, & hic, & in futuro invenies pœnam. Non te commoveant supplicia, & pœnæ malefacientium, sacrilegorum, hostium pacis, & inimicorum veritatis. Non enim pro veritate illi moriuntur: sed ideo moriuntur, ne veritas annuntietur, ne veritas prædicetur, ne veritas teneatur: ne unitas ametur, ne charitas Domini diligatur, ne æternitas teneatur. O causa pessima! ideo pœna infructuosa. Non attendis, qui te de pœna jactas tres cruces fuisse, quando Dominus passus est. Inter duos latrones, passus est Dominus. Pœna non discernebat, sed causa discernebat. *Ibidem serm: nov: serm: 30.*

Matth. 5. 10.

Non pœna sed pœnæ causa gravis.

Pœna infructuosa.

Luc. 22 32.

Seducit turbas, clarius sonabant: bonus est, pressius susurrabant. Modo autem fratres quamvis nondum venerit illa gloria Christi quæ nos æternos factura est modo tamen ita crescit Ecclesia ejus, ita eam dignatus est per cuncta diffundere, ut jam susurretur, seducit turbas: & clarius personet, bonus est. *Tom: 9. in Evan: Ioan: Tract: 28: de cap: 7.*

Dilatatio Ecclesiæ.

Alij docebant bonus est, alij autem non, sed seducit turbas. Dictum enim hoc est ad eorum solatium, qui postea prædicantes verbum Dei, futuri erant ut seductores & veraces. Si enim seducere decipere est, nec Christus seductor, nec Apostoli ejus, nec quisquam seductor debet esse Christianus: si autem seducere aliunde aliquem ad aliud persuadendo ducere est: quærendum est unde & quo. Si à malo ad bonum, bonus seductor est; si à bono ad malum malus seductor est. In hanc ergo partem, qua seducuntur homines de malo ad bonum utinam omnes seductores, & vocemur, & simus. *Ibid: Tract: 29. de cap: 7.*

Ioh. 7. 12

Hæc omnia facient vobis propter nomen meum: non vestrum sed meum. Tanto igitur miseriores, qui propter hoc nomen ista faciunt, quanto beatiores qui propter hoc nomen ista patiuntur. *Ibid: Tract: 88. de cap: 15.*

PERSEVERANTIA.

Constanter Deo crede, eiq; te totum committe, quantum potes. Noli velle esse quasi proprius & in tua potestate, sed ejus clementissimi

mentissimi & utilissimi Domini te servum esse profitere. *Tom: 1. lib: 1. solil: cap: 14:*

Ubi est quod Deum rogavimus & rogamus, ut nobis non divitias, non corporis voluptates, non populares suggestus & honores, sed animam nostram, seq; ipsum quærentibus iter aperiat, ita nos deseret aut à nobis deseretur? alienissimum quidem ab ipso est, ut eos qui talia desiderant, deserat, unde à nobis quoq; alienum esse debet, ut tantum ducem deseramus. *Ibid: l: 2. c: 15.*

Homo agendi secum non est norma.

Sapere te oportet fili ut perseveres, quia sapuisti ut eligeres. *Tom: 2. epist: 208.*

Fuit apud nos puer qui in exordio pubertatis dolorem acerrimum patiebatur, medicis nequaquam valentibus quid illud esset agnoscere, & cum patiebatur, ejulabat vehementer, cum jactatione membrorum, mente sanissima: deinde inter voces suas abripiebatur ab omnibus sensibus, & jacebat patentibus oculis, neminem circumstantium videns, ad nullam vellicationem se movens. In omnibus suis pene visionibus duos dicebat videre, unum provectioris ætatis, alterum puerum, à quibus ei dicebantur, quæ se audisse & vidisse narrabat. Vidit quodam die horum piorum psallentium & lætantium in luce mirabili, & impiorum in tenebris, diversas & atrocissimas pænas: illis ducentibus & ostendentibus, felicitatis aliorum aliorumq; infelicitatis meritum insinuantibus: hoc vidit die Dominico Paschæ, cum per totam quadragesimam nihil doluisset; qui vix intervallo tridui antea patiebatur. Ab iisdem apparentibus sibi, mirabili præscriptione curationis sanatus reliquias morbi medicis curantibus & sanantibus. Post tot visiones [subdit Sanctus Augustinus] non permansit in proposito sanctitatis. *Tom: 3. lib: de Gen: cap: 17.*

Mali nec pœnâ visa damnatorum emendantur.

Luc. 22 32. Quando rogavit Christus, ne fides Petri deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem. Ecce quemadmodum secundùm gratiam Dei non contra eam libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratiâ potiùs libertatem, & ut perseveret, delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem. Mirandum est quidem, multumq; mirandum, quod filiis suis Deus quibusdam quos regeneravit in Christo, quibus fidem spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam, cum filiis alienis scelera tanta dimittat, atqs impertitâ gratiâ suâ faciat filios suos. Quis hoc non miretur? quis hoc non vehementissimè stupeat? sed etiam illud non minùs mirum est, & tamen verum, quod filios quosdam amicorum suorum hoc est regeneratorum bonorumq; fidelium, sine baptismo hinc parvulos exeuntes, alienat à regno suo, quo parentes mittit illorum, & quosdam filios inimicorum suorum, facit in manus Christianorum venire, & per hoc lavacrum introduci in regnum, à quo eorum parentes alieni sunt. *Ibidem: cap: 8.*

Perseverantia non tollit libertatem.

Quapropter bina ista quid in se differant, diligenter ac vigilanter intuendum est, posse non peccare, & non posse peccare, posse non mori, & non posse mori: potuit enim non peccare primus homo, potuit non mori, nunquid dicturi sumus non potuit peccare, aut non potuit mori. Prima immortalitas erat posse non mori, novissima erit multò major, non posse mori. Prima erat perseverantiæ potestas, bonum posse non deserere, novissima erit felicitas perseverantiæ, bonum non posse deserere. *Ibid: c: 12.*

Aliud est posse non peccare aliud non posse peccare.

Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, verum etiam ut patiamini pro eo: horum quippe unum

pertinet ad initium, alterum ad finem, utrumq; tamen est Dei donum, quia utrumq; dictum est esse donatum. Quod enim est initium verius Christiano, quàm credere in Christum? qui finis melior est quàm pati pro Christo? *Ibid: cap:* 2.

Perseverantiam nullus amittere potest. Perseverantiam usq; in finem, quoniam non habet quisquam, nisi perseveraverit usq; in finem, multi eam possunt habere, nullus amittere. Quomodo enim potest amitti, per quod fit ut non amittatur etiam quod posset amitti. *Ibid: cap:* 6.

Dilucide ostenditur & inchoandi, & usq; in finem perseverandi, gratiam Dei non secundum merita nostra dari; sed donari secundùm ipsius secretissimam, justissimam, beneficentissimam, sapientissimam voluntatem; quoniam quos prædestinavit, ipsos & vocavit, vocatione illa, de qua dictum est: sine pænitentia sunt dona & vocatio Dei. *Ibidem cap:* 13.

Videte jam à veritate quam sit alienum negare donum Dei esse perseverantiam usq; in finem hujus vitæ: cum vitæ huic quando voluerit ipse det finem: quem si dat ante imminenrem lapsum, facit hominem perseverare usq; in finem. Sed mirabilior est fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei, quod etiam parvulis, quibus obedientia non est illius ætatis ut detur, datur hæc gratia. Ita igitur sua dona quibuscunque Deus donat, proculdubio donaturum se esse præscivit, & in sua præscientia præparavit. *Ib: c:* 17.

Non relabamur unde jam transilivimus, nec remaneamus in illlis in quæ jam venimus. Curamus, intendamus in via sumus: nec tam sis securus ex eis quæ transisti, quàm solicitus pro eis ad quæ nondum pervenisti. Quæ retro inquit Apostolus oblitus in ea, quæ ante extentus secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Ipse est enim finis. Unum autem hoc est illud unum & sufficit nobis. *T:* 8. *in psal:* 38.

Hæc munera hæc spectacula dedit Deus. Clamat de cælo. *Deus Athletas suos spectat.* Specto vos, luctamini, adjuvabo, vincite, coronabo. *Ibidem.*

Qui perseveraverit usq; in finem hic salvus erit. Unde esset magnum perseverare nisi inter molestias & tentationes & turbationes & scandala esset perseverandum? Nemo enim jubetur bona tolerare. *In psal:* 52.

Qui perseveraverit usq; in finem hic salvus erit. Sed unde *Matt. 10. 22*
perseverabis? Quæ vires tuæ inter tanta scandala, inter tantas tentationes, inter tantas pugnas? Cooperiat in velamento alarum tuarum. Ecce quare securi sumus inter tantas tentationes. Donec *Ps. 60 5.*
veniat finis sæculi & suscipiant nos sæcula æterna quia cooperimur in velamento alarum ipsius. Æstus est sæculi sed magna umbra sub alis Dei. *Et infra.* Dedisti hereditatem timentibus nomen tu- *Ps. 60 6.*
Perseverantes, soli, hæreditant. um. Perseveremus ergo in timore nominis Dei: æternus Pater non nos fallit. Laborant filij ut suscipiant Parentum suorum hereditatem quibus mortuis successuri sunt: nos non laboramus accipere hereditatem ab illo Patre, cui non morienti succedamus sed cum illo in ipsa hereditate in æternum vivamus. *in psal:* 60.

Sic psallam Nomini tuo Deus in sæculum sæculi, ut reddam *Ps. 60 9.*
Laudes Dei nō ad tempus. vota mea de die in diem. Si psallis nomini Dei ne psallas ad tempus. Vis in sæculum sæculi psallere, vis in æternum psallere? Redde ei vota tua de die in diem. Quid est redde ei vota tua de die in diem? De die isto in diem illum. Persevera reddere vota in isto die, donec venias ad illum diem: Hoc est qui perseveraverit usq; in finem hic salvus erit. *Ibidem.*

Quantumcunq; hic vixerimus, quantumcunq; hic profecerimus, nemo dicat sufficit mihi, justus sum. Qui dixerit, remansit in via,

in via, non novit pervenire: ubi dixerit sufficit, ibi hæsit. Attende Apostolum cui non sufficit. Fratres inquit ego me non arbitror apprehendisse. Ille ergo currit tu hæsisti. Ille dicit nondum se perfectum, & tu jam de perfectione gloriaris? *In psal: 69.* *Proficiendum continuò* *Phil. 3 13.*

Nullus in hac vita pervenisse se dicat. Quis enim potest tam perfectus esse quàm Paulus? & tamen ait. Fratres ego me non arbitror apprehendisse. Unum autem quæ retro oblitus quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Vides Paulum adhuc currere, & te jam existimas pervenisse. *In psal: 83.*

Quid finem cæpti desperas? Omnipotens cæpit, omnipotens se promisit impleturum esse quod cæpit. *Expos: psal: 109.*

Qui statis in domo Domini? Quid est qui statis? Qui perseveratis. Quia dictum est de quodam qui Archangelus fuit: & in virtute non stetit. *Enar: in psal: 133.* *Ps. 133 2.* *Perseverantes, stant.*

Recedite, & exite inde, & immundum ne tetigeritis. Continendo se à consensu, non tetigit immundum: objurgando autem exiit liber in conspectu Dei; cui neq; sua Deus peccata imputat, quia non fecit, neq; aliena, quia non approbavit: neq; negligentiam, quia non tacuit, neq; superbiam quia in unitate permansit. *Tom: 10. de verb: Dom: serm: 18.* *Rev. 5 2. 3.* *A peccatis alienis libertas.*

Hodie laboramus, & lampades nostræ inter ventos sæculi hujus tentationesq; fluctuant: sed ardeat in robore flamma nostra, ut ventus tentationis augeat ignem potius, quàm extinguat. *Ibidem serm: 23.* *Tentatio roborat*

Manere in verbo Dei labor est, an non est? Si labor est attende magnum præmium: si labor non est, gratis accipis præmium. Maneamus ergo in eo qui manet in nobis. Nos si non manserimus in illo, cademus. Ille autem si in nobis non manserit, non ideo domum perdidit. Novit enim ille manere in se, qui nunquam deserit se. Absit autem ab homine, ut maneat in se, qui perdidit se. Ergo nos in illo manemus indigentia, ipse in nobis manet misericordia. *Ibid: serm: 48. Si manseritis in verbo meo, &c.* *Laboris & præmii nexus*

S. PETRUS & PAULUS.

Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo tanquam in Petra fundata est Ecclesia: sed scio me postea sæpissime sic exposuisse, ut super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus. non enim illi dictum est: Tu es Petra; sed Tu es Petrus, Petra autem erat Christus. Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior eligat lector. *T: 1. l: 1. Retract: c: 21.* *Ecclesia in petra.* *Matt. 16. 18.*

Miratus sum quomodo dicat Novatianus. Petrum baptisatum non fuisse; unde autem illi videatur, quod inter Apostolos baptisatus Petrus non fuerit, ignoro. Nam quoscunq; legimus in corpore Christi, quod est Ecclesia pertinere ad Regnum cælorum nonnisi baptisatos intelligere debemus, nisi fortè quos angustia passionis invenerit, & nolentes negáre Christum antequam baptisarentur occisi sunt: quibus ista passio pro baptismo deputata est. Sed nunquid hoc possumus de Apostolis dicere, qui usq; adeo longum tempus habuerunt, quo baptisarentur, ut alios etiam baptisarent. *Tom: 2. epist: 108.* *Apostoli baptisati*

Singillatim ab eo nomen & primus & solus Petrus accepit, nam filios Zebedæi non singllatim sed simul ambos appellavit filios tonitrui. *Tom: 4. lib: 2. de con: Evang: cap: 17.*

Dictum est [Petro] ergo, quod deinceps homines esset ca-

pturus, non dictum est, quod jam non esset capturus pisces. Unde datur locus intelligere eos ad capturam piscium ex more remeâsse. *Ibidem cap*: 17. *Luc.* 5. 10.

Magis peccat qui peccatum tuetur. Vos semper resistitis Spiritui sancto. In illo tamen numero Judæorum resistentium Spiritui sancto, & non ob aliud Stephanum vos ejus, nisi quod eo plenus erat, lapidantium etiam Paulus Apostolus erat, in manibus omnium, quorum vestimenta servabat: quod sibi postea & pænitendo increpitat, & eo ipso spiritu jam plenissimus, cui primò inanissimus resistebat, & paratus jam lapidari pro talibus dictis, qualium prædicatorem ipse lapidaverat. *Tom*: 4. *lib*: *exposit*: *Eplæ. ad Rom*: *inchoatæ folio* 364. *Act*: 7. 51.

De nullo desperandum *Et infra.* Simonem quoque Magum arguens Petrus Apostolus, quòd tam malè de Spiritu sancto senserit, ut eum venalem putans pecunia, sibi emendum poposcerit: non tamen ita de illo desperavit, ut veniæ locum nullum relinqueret; Nam benignè etiam ut eum pæniteret, admonuit. *Ibidem*.

Priores sunt cæteri Apostoli, per Christum adhuc ex parte hominem id est mortalem: novissimus est Paulus Apostolus per Christum jam totum Deum, id est omni ex parte immortalem. *Tom*: 4. *lib*: *exp*: *Eplæ*: *ad Galat*: *folio* 377.

Quis nostrûm Petro Apostolo comparari potest? quamvis nunquam gentes judaizare coëgerimus, quod ille faciebat, quando non rectè ingrediebatur ad veritatem Evangelij. Unde à suo posteriore Apostolo Paulo salubri admonitione correctus, utilius posteris humilitatis, præbuit exemplm, quàm si nihil in illo existeret corrigendum. *Tom*: 7. *lib*: 2. *con*: *Gaudentium c*: 8. *Prodest quandoque errasse.*

Petrus columna. Resurrexit Dominus firmavit columnam. Jam Petrus prædicat sine timore, & cum timore. Sine timore eorum qui corpus occidunt: cum timore ejus qui habet potestatem & corpus & animam occidendi in gehenna ignis. Timuit omnis homo. *In psal*: 63.

Petrus qui paulo ante eum confessus erat Filium Dei, & in illa confessione appellatus erat Petra supra quam fabricaretur Ecclesia, paulò post, Domino dicente de futura passione sua ait. Absit Domine propitius tibi esto, non fiet illud. Paulò ante Beatus es Simon Bariona: modo repente, redi post me Sathanas. Quid est redi post me? Sequere me. Præcedere me vis, consilium mihi dare vis. Melius est ut consilium meum sequaris, hoc est redi retro post me. *In psal*: 69. *Matt.* 16 23

Paulus humilis. Saulus postea Paulus, id est primò superbus, postea humilis. Ex Saulo factus est Paulus ex superbo modicus. Paulum enim modicum est. Non sum inquit dignus vocari Apostolus. Abstulit sibi omnem granditatem suam, minimus jam in se, grandis in Christo. *In psal*: 72.

Gratiâ Christi & fervore notissimus. Paulus notus sævitiâ famosissimâ, sed notior Christi misericordissimâ gratiâ. Prius rapiens persecutor ad mortem, postea pascens prædicator ad vitam. *In psal*: 78.

Petrus unicus Respondens Petrus pro omnibus, pro unitate unus. Tu es inquit Christus Filius Dei vivi: Non quomodo Filii Dei qui tibi non æquantur. *In psal*: 88.

Saule Saule quid me persequeris? Prostravit enim eum voce abjurgante, & levavit dextera miserante. Qui corpus Christi persequebatur, factus est membrum Christi: ut quod faciebat ipse ibi pateretur. *In psal*: 90. *Act*: 9. 4.

Dominus cum illo sic egit. Tanquam diceret. Ter me negasti timendo, ter me confitere amando. *In psal*: 90.

Non solum dimisit quodquod habeat, sed etiam quidquid habere

bere cupiebat. Quis enim pauper non turgescit in spe sæculi hujus? Quis non quotidie cupit augere quod habet? Ista cupiditas præcisa est. Ibat in immensum, accepit modum, & nihil dimissum est? Prorsus totum mundum Petrus accepit. Quasi nihil habentes & omnia possidentes. *Con: 3. de 2. parte psal: 103.*

Multum reliquit Petrus.

2. Cor 6. 10

Sicut quædam dicuntur quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videntur, nec tamen habent illustrem intellectum nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam, propter primatum quem in discipulis habuit, sicuti est: Tibi dabo claves Regni cælorum, & si quæ hujusmodi. Ita Judas personam quodammodo sustinet inimicorum Christi Judæorum qui & tunc oderant Christum, & nunc per successionem perseverante genere ipsius impietatis, oderunt. *In psal: 108.*

Petrus Ecclesia.

Matt. 26. 75. Non interrogemus de Petro nisi lacrymas Petri. Fideliores testes de illo non inveniemus. Flevit amare. *Expos: psal: 140.*

Lacrymæ Petri, testes sanctitatis.

Matt. 16. 18. Tu ergo inquit Petrus: & super hanc Petram, quam confessus es, super hanc Petram, quam cognovisti, dicens, Tu es Christus Filij Dei vivi, ædificabo Ecclesiam meam: id est super me ipsum Filium Dei vivi ædificabo Ecclesiam meam: super me ædificabit te, non me super te. *Et infra.* Domine si tu es jube me venire ad te super aquas. Si tu es, jube me. Non enim possum hoc in me, sed in te. Agnovit quid sibi esset à se: quid ab illo cujus voluntate credit, se posse, quod nulla infirmitas humana possit. Ergo si tu es, jube me, quia cum jusseris, fiet. Quod ego non valeo præsumendo, tu potes jubendo. *Tom: 10. de verb: Dom: serm: 13.*

Nihil inausum jubente Christo.

Act. 9. 4. Saule, Saule quid me persequeris? percussit phreneticum, erexit sanum, occidit persecutorem, vivificatorem prædicatorem. *Ibidem serm: 59.*

Vox Christi occidit & vivificat.

Sævis, & misereor. Quid me persequeris? Non enim timeo ne iterum crucifigas me: sed volo agnoscas me, ne occidas, non me, sed te. *Ibid: serm: de verb: Ap: serm: 15. de illo Apli. Nos enim sumus circumcisio &c.*

Deum offendens se offendit.

Cum Paulus Apostolus, prius Saulus crudelissimus esset, & immanissimus persecutor, nihil omnino boni merebatur: imo merebatur plurimum mali. Merebatur enim damnari, non eligi. Et ecce subito cum mala faceret, & mala mereretur, una cælesti voce prosternitur. Persecutor dejicitur, prædicator erigitur. *Tom: 10. 50. Homil: Homil: de illo Capillus de capite vestro &c.*

Inter offensas ipsas inserit se bonitas Dei

Vas paulo ante perditionis, efficitur vas electionis: divisiones escarum ejus quotidie recitantur. *Et infra.* Nolo recordari, imo recorder hominis nequitiam, ut aprpobem Dei misericordiam. A quo patiebatur Christus, patitur pro Christo: fit Paulus ex Saulo. Qui spargebat colligit: qui oppugnabat, defendit. Unde hoc Saulo quod dicimus? Ipsum audiamus. Quæritis inquit, unde hoc mihi? misericordiam consecutus sum. Non est inquit, mihi hoc à me, misericordiam consecutus sum. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Retribuit enim, sed non mala pro malis. Retribuit planè, sed non mala pro malis. Retribuit bona pro malis. *Ibidem.*

Psal 115. 3.

Retributio bonorum pro malis.

Act 9. 2. Accepit literas à Principibus sacerdotum, ut iret damascum, & quoscunque ibi inveniret Christianos vinctos adduceret. Et ibat. Hæc Pauli via erat, cujus via nondum erat Christus, adhuc Sauli, nondum Pauli. Ibat. Quid habebat in corde? Quid nisi malum? Date mihi merita ejus. Si merita quæris, damnationis sunt non liberationis. Ibat ergo sævire in membra Christi, ibat sanguinem fundere, ibat lupus, pastor futurus. *Tom: 10. eorund: Homil: 17. Pax Fratribus, & charitas in fide.*

Pastor ex lupo.

Ille

Ille Paulus Apostolus missus est minimus: ille factus magnus, non per se, sed per eum quem persequebatur. Missus est ad gentes, ex latrone pastor, ex lupo ovis. *Tom. 10. de Temp: 74. Dom: 2. Quadrag: serm: 1.*

Vitio Christi persecutores magnos facere

Medicus prædicebat, & ægrotus negabat. Sed ubi ad horam ventum est, falsum fuit quod promiserat homo, & verum apparuit quod prædixerat Deus. Quid enim homo sine Dei gratia possit, timor Beati Petri Apostoli evidenter ostendit. Per solum enim liberum arbitrium, non addito etiam Dei adjutorio promiserat se pro Domino moriturum. Sed quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus cum negaret Christum, & nisi quod ait Propheta, omnis caro fænum? Et ideo Beatum Petrum paululum Dominus subdeseruit, ut in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia prævalere, & ut Ecclesiæ Rectori futuro ignoscendi peccantibus quædam regula poneretur. Credendæ enim erant Petro Apostolo claves Ecclesiæ: imo creditæ sunt ei claves regni cælorum. Credenda quoq; ei erat populorum innumera multitudo, quæ esset pro suæ naturæ vitiis, passionibus, culpis involuta atq; peccatis. Deniq; sic ad eum Salvator dicit: Tibi inquit dedi claves regni cælorum. Deinde sequitur dicens: Quæcunq; ligaveris super terram, erunt ligata & in cælo: videlicet ut in clavibus fidelis janitor, in sententiis esset fidelissimus dispensator. Erat enim revera hic Petrus Paulò durior & severus, sicut ejus austeritatem truncata ob Christi injuriam servi principis sacerdotum declarat auricula. Hic igitur tam durus, tamq; severus, si donum non peccandi à Domino fuisset adeptus, quæ venia commissis populis donaretur? *Et infra* Totius corporis morbum in ipso capite curat Ecclesiæ, & in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem, in ipsa confessionis Christi crepidine, in ipso immobilis fidei fundamento. *Et infra.* Nescio hominem istum. Quid agis o Petre, futuræ Rector Ecclesiæ, quid loqueris? Intuere quid sis interrogatus, vel quid interroganti responderis. Vox tua repente mutata est: hoc est omne illud quod cito, sed cauto sermone promiseras Hoc est totum quod etiam omnibus negantibus, te usq; ad mortem perseverare juraveras: Nondum fidem tuam aliquis tentavit atq; discussit, nondum te ob Christi negationem adversarius traxit ad publicum, nondum es apud Reges & præsides propter nomen ejus exhibitus: non tibi flagella, nondum sunt admota tormenta. Quis porro est qui te interrogat, quod tam cito negasti? Non est servus, non liber, non Pharisæus, non scriba, non sacerdos, non miles, non centurio, non spiculator, nullus postremo eorum, qui authoritate sua posset formidinem incutere, confitenti: mulier te simplici voce interrogat, & fortasse nec proditura confessum - nec vero tantum mulier, sed puella: & non solum puella, sed ostiaria, vile proculdubio, objectumque mancipium. O res stupenda! Puella accedens fidem Petri discussit, & mirum si soliditatem Petri, non turbo, non imber, sed roris levissima gutta transfixit. Petrus labia puellæ non sustulit; sed ubi locuta est ille, turbatur. Processit sermo puellæ, & immobilis columna concussa est *Et infra.* Videte ergo fratres charissimi, quemadmodum exiguæ culpæ permittitur subjacere tantus Apostolus, ut emendatus elationis vitio atq; correctus, integro vestiatur moderationis & clementiæ indumento. Jam enim eruditus est & edoctus in Petro quemadmodum eum Dominus tui causa patitur circumscribi delicto, quemadmodum illum fidei pietatisq; signiferum & generis humani columnam permiserit metu dominante quassari, ut-

Præsumptio sine gratia periculosa.

Regula ignoscendi aliis.

Matt. 16. 19.

Rigidus in peccantes peccare permittitur.

Matt. 14. 71.

Petrus sibi [illegible] quam fragilis.

Clementiam in subditos lapsus præsidum suadens.

ri, ut populorum doctoribus & magistris esset exemplum, à Deo sibi non peccandi gratiam minimè condonatam, sicut dicit Apostolus Paulus, considerans, ne & tu tenteris. *Ibid: serm:* 124 *feria 4 post Dnicam: Palmarum serm:* 1.

Gal. 6. 1.

Amas me? Contristatus est Petrus. Quid contristaris Petre? Quia respondes amorem, oblitus tuum timorem *Et infra.* Noli tædio affici. Expecta: impletur numerus dilectionis: ut deleat numerum negationis: ubiq; tamen idem in ipso ternario numero interrogationis suæ Dominus JESUS respondenti amorem, commendat agnos suos, & dicit, Pasce oves meas: tanquam diceret: Quid retribues quia diligis me? dilectionem ostende in ovibus. Quid mihi præstas quia diligis me: quando ergo tibi præstiti, ut me diligeres? si dilectionem tuam erga me habes, ubi ostendas, habes, ubi exerceas habes: Pasce oves meas *Et infra.* Petrus impleto legitimo numero trinæ responsionis, professus se esse Domini dilectorem, commendatis sibi ovibus ejus, audit de sua futura passione. Hic demonstravit Dominus sic diligendas oves suas, ab eis quibus eas commendat, ut parati sint mori pro eis *Et infra* Sequere me, sit, patere pro me, patere quod ego. Crucifixus est enim Christus, crucifixus est & Petrus. Expertus est clavos, expertus est cruciatus. *Ibid: serm:* 149 *fer:* 4. *Paschæ serm:* 2.

Sit ad mensuram peccati satisfactio.

Amoris Dei argumentum amor proximi.

Matth. 16. 18.

Durum est tibi contra stimulum calcitrare: quia non stimulum sed pedes, quibus calcitras, vulnerabis. Quid mihi & tibi? Quare me persequeris? Quare te erigis contra me malo tuo, & te non potius humilias bono tuo? Sed contra tanta mala quæ committis in me, olim quidem debui perdere te, sed Stephanus servus meus oravit pro te Elisus est sæviens, erectus est credens. Elisus est lupus, erectus est agnus. Elisus est persecutor, erectus est prædicator. Dicam planius, dicam apertius. Elisus est filius perditionis, erectus est vas electionis. Elisus est Saulus, erectus est Paulus. Nam si Martyr Stephanus non sic orasset, Ecclesia Paulum hodie non haberet. *Tom:* 10. *serm: de San: serm:* 4. *In festo S Stephani serm:* 4.

Act. 9. 5.

Mutationes in cõversione peccatorum.

Matt. 14. 71.

Prostravit Christus persecutorem, ut faceret Ecclesiæ Doctorem. Percutiens eum & sanans, occidens, & vivificans. Occisus agnus à lupis, & faciens agnos de lupis *Et infra.* Jam parat se ad obediendum, qui prius sæviebat ad persequendum. Jam formatur ex persecutore prædicator, ex lupo ovis, ex hoste miles Audit quid facere debeat Cæcus sanè factus est, ut interiore luce fulgeret cor ejus. Exterior lux ad tempus subtracta est, persecutori, ut interior redderetur prædicatori: & tamen eo tempore quo cætera non videbat, JESUM videbat. Ita & ex ipsa cæcitate ejus informabitur mysterium credentium, quod qui in Christum credit, ipsum intueri debet. Cætera nec nata computare, ut creatura vilescat. & Creator in corde dulcescat. *Et infra.* Utilitas autem rei gestæ hujus hæc est. Apostolus ipse commemorat in epistolis suis. Dicit enim ad hoc sibi veniam datam peccatorum suorum, ut nemo de se desperet, qui fuerit magnis peccatis involutus, & in magnis sceleribus irretitus: quasi veniam non sit accepturus, si conversus fuerit ad Deum, qui pendens in cruce pro persecutoribus oravit dicens: Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. *T:* 10. *eorund: serm:* 14. *in festo conversionis S. Pauli:*

Act. 9

Cæcitas ad terrena Christum videt.

Venia Sanctis data pignus veniæ peccatorum.

Hostis fratres charissimi Beatissimum Petrum in Salvatoris passione suis erroribus profecisse, & posteaquam negavit Dominum, fuisse apud Dominum meliorem. Fidelior enim factus est posteaquam fidem se perdidisse deflevit; atq; ideo majorem gloriam reperit quàm amisit. Tanquam bonus enim pastor tuendum gregem

Ex peccatis profectus.

gem accepit, ut qui sibi antea iufirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum. *Et infra.* Ambulabat enim in mari Petrus magis dilectione quàm pedibus. Non enim videbat, ubi pedum vestigium figeret, videbat autem ubi figeret vestigium charitatis In navi enim positus considerat Dominum, & amore ejus ductus descendit in mare. Non cogitat labentes aquas, non fluentia currentia? & dum Christum respicit, non respicit elementum: dum credit fide etiam inter undas solidum invenit vestigium. Jactetur licet fluctibus mare, ventis pelagus conturbetur, non tamen turbabatur Petri semita, quæ ducit ad Dominum. Ambulat igitur super aquas Petrus, & sua pedibus ejus mollis unda non cedit. *Ibidem serm: 16. In Cathed: S. Petri, serm: 2.*

Intentio ad Deum, ardua & pericula non respicit.

Pasce agnos meos, pasce oviculas meas. In uno Petro figurabatur unitas omnium pastorum, sed bonorum, qui sciant oves Christi pascere Christo, non sibi. *Et infra.* Ter negaverat timor, ter confessus est amor. Trinitas negationis, desertio veritatis: trinitas confessionis, testimonium dilectionis. *Ibid: serm: 24 in Vigilia Petri & Pauli Apostolorum.*

Ioc 21. 16.

Proportio peccati & satisfactionis.

Patitur Paulus, quod fecerat Saulus. Saulus lapidavit, Paulus lapidatus est. Saulus Christianos virgis affecit, Paulus pro Christo quinquies quadragenas una minus accepit. Saulus persecutus est Ecclesiam Dei, Paulus submissus est in sporta. Saulus vinxit, Paulus vinctus est. Et dum Saulus sæviens quærit minuere numerum Christianorum, etiam ipse accessit ad numerum confessorum. *Ibid. serm: 25: in festo SS: Apostolorum.*

Peccatis utitur in bonum Deus.

Cum Petrus linea castra laxaret in freto, Christus retia misit in verbo. Cepit Christus, cepit & Petrus; Christus discipulum, Petrus pisciculum: & dum circumdat gentem squammeam, ipse venit in retia. Præteriens inquit JESUS, vidit duos fratres, Simonem qui dicitur Petrus, & Andream fratrem ejus, retia mittentes in mare. Erant enim piscatores. *Et infra.* Currunt itaq; uterq; ad palmam Martyrii, & uterq; perveniunt ad coronam, non quidem eodem temporis cursu, sed eodem anni vertentis occursu Petrus pro Christo capite deorsum verso, in ligno suspenditur, Paulus pro Christo gladio trucidatur. Ille propriis gressibus proficiscebatur ad Christum, oculisq; superiora respiciens beatum spiritum deducebat ad cælum: iste cervicem curvat ad pænam, & offerebat cervicem capitis ad coronam, Petrum crux necat, Paulum gladius immolat. Duo genera suppliciorum Domini & Christi, in duobus Apostolis Christi. Petrus patitur crucem, Paulus sentit pugionem. Piscatorem suspendit hamus, crucis, perseveratorem minuit mucro persecutionis. Nunc ad memoriam piscatoris flectuntur genua imperatoris. Ibi radiant gemmæ diadematis, ubi fulgent beneficia piscatoris. Ex piscatore fecit Dominus Apostolorum principem, ex persecutore fecit Apostolorum confessorem. Præstitit passio socios, quos fecerat fidei prædicatio copulatos. Veneremur ergo principes gregis nostri, si volumus caulas intrare pastoris *Tom: 10: in eodem festo serm: 4.*

Rete linea castra Rete verbum Christi.

Vis vocationis.

Mar. 1. 16.

Crux hamus.

Quærunt quos secum ad cælos attrahant piissimi animarum parentes, dispares partium studiis, operum meritis pares. Æquales enim illos ac similes per varia ac diversa virtutum genera dixerim. Nam & si cum Petro Christus vixit in terris, sed Paulum compellare non dedignatur è cælis, adhuc etiam persequentem. *Ibid: serm: 29. in eodem festo serm: 5.*

Hic est Beatus Petrus in illa celæstium discipulorum schola præcipuus, ac primus idoneus qui verba vitæ ex Christi ore suscipiens,

ſcipiens, per Evangelij poteſtatem Judæorum gentem perditam quæreret, ut abdicatos ad hereditatem vocaret, interpres legis, aſſertor gratiæ, deſtructor ſynagogæ, Eccleſiæ reparator: & ideo ſolus inter Apoſtolos meruit audire, Amen dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: dignus certè qui ædificandis in domo Dei populis lapis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clavis ad regnum. De hoc ait ſermo divinus. Et ponebat inquit infirmos ſuos, ut umbra ſaltem tranſeuntis Petri, obumbraret eos. Si tunc opem ferre poterat umbra corporis, quantò magis nunc plenitudo virtutis? Si tunc ſupplicantibus proderat aura quædam pertranſeuntis, quantò magis gratia nunc permanentis? Merito per omnes Chriſti Eccleſias auro pretioſius habetur ferrum illud pænalium vinculorum. Si tamen medicabilis fuit obumbratio viſitantis, quantò magis catena vincientis. *Et infra.* In illa itaq; cruce, imitari metuens ſacrificium Redemptoris, capite in terra demergi elegit. O virtus humilitatis ingenitæ! honorari etiam ſupplicii genere pertimeſcit, & qui non recuſat dominici tormenta patibuli, ſimilitudinem expaveſcit triumphi. *Ibid: ſerm: 29.*

Elogia S. Petri — *Act. 5. 15.* — *Luc. 21. 16.* — *Virtus ſacrarum Reliquiarum* — *Humilitas in ſupplicio etiam metuit honorari*

Saule, Saule, quid me perſequeris? Ego in cælo ſum, tu in terra, & tamen perſequeris me. Caput non tangis, ſed membra mea calcas. *Ibid: ſerm: decem & ſeptem ſerm: 4. feria 3. Paſchæ.*

Act. 9. 4. — *Chriſti in fidelibus perſecutio*

Tibi trado claves regni cælorum. Quæcunq; ligaveris in terra, erunt ligata & in cælis; & quæcunq; ſolveris in terra, erunt ſoluta & in cælo. Nunquid iſtas claves Petrus accepit, & Paulus non accepit? Petrus accepit, & Joannes & Jacobus non accepit, & cæteri Apoſtoli? aut non ſunt iſtæ in Eccleſia claves, ubi peccata quotidie dimittuntur? Sed quoniam in ſignificatione perſonarum, Petrus geſtabat Eccleſiæ, quod illi uni datum eſt. *Tom: 10. ſerm: de diver: ſerm: 26. de 4. quæſtionibus.*

Matt. 16. 19. — *Mat. 16.* — *Clavium poteſtas eadem in omnibus miniſtris.*

Apoſtolus Paulus ex perſecutore Chriſtianorum, annuntiator factus eſt Chriſti. Proſtravit enim Chriſtus perſecutorem, ut faceret Eccleſiæ Doctorem: percutiens eum ut ſanans, occidens, & vivificans. Occiſus agnus à lupis, & faciens agnos de lupis. *Et infra.* Ideo proſternitur ſuperbia, ut erigatur ſanctitas. *Et infra.* Quis jam deſperet de magnitudine criminis, aut de humilitate generis? Nam beatiſſimum Petrum piſcatorem modo genibus provoluta adorat excellentia imperatorum, immanem credentium perſecutorem Paulum veneratur multitudo gentium. *Ibid: ſerm: 35.*

Gratiæ metamorphoſis

Ego illi oſtendam quæ illum opporteat pati pro nomine meo. Ubi terror ibi ſalus. Qui faciebat contra nomen, patiatur pro nomine. O ſævitia miſericors! Vides illum præparare ferrum, ſecutus eſt, non peremptarus: curaturus eſt, non occiſurus. Chriſtus dicebat, Ego illi oſtendam quæ illum oporteat pati pro nomine meo. Sed quo fine ipſum qui patiebatur audi. Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis. *Ibidem ſerm: 35.*

Act. 9. 16. — *Sævitia miſericors.*

Beatus Petrus primus Apoſtolorum, Beatus Paulus noviſſimus Apoſtolorum: qui rite coluerunt eum qui dixit, Ego ſum primus, & ego ſum noviſſimus. Ad unum diem paſſionis ſibi occurrerunt, & primus, & noviſſimus. Petrus ordinator Sancti Stephani fuit. Quando ordinatus eſt Diaconus Martyr Stephanus, inter alios Apoſtolos eum ordinavit Beatus Petrus Apoſtolus Petrus illius ordinator, Paulus illius perſecutor. Sed prima Pauli non quæramus, de noviſſimis noviſſimi gaudeamus. *Ibid: ſerm: 41. de celebratione Natalis SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.*

Finis bonus mala initia exornat.

Domine, bonum eſt inquit nos hic eſſe. Tædium patiebatur

à turba, invenerat solitudinem mentis: ibi habebat Christum panem mentis. Ut quid inde discederet ad labores & dolores? Habens in Deum sanctos amores, & ideo bonos mores bene sibi volebat esse, unde & adjunxit: Si vis faciamus hic tria tabernacula, Tibi unum. Moysi unum, & Heliæ unum. *Tom: 10. parte 2. serm: de diver: serm: 69. Sabbatho post 1. Dnicam. Quadrag.*

Solitudinis amor. — *Matt. 17. 4.*

Et ego rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua; vade & conforta fratres tuos. Et plane confortavit nos per Apostolatum, per Martyrium, per epistolas suas. *Tom: 10. eorundem serm: 74. Sabbatho post 2. Dnicam Quadragesimæ.*

Luc. 22. 32.

Compensatio peccati sit ipso major.

Beatus Petrus Apostolorum primus, Domini nostri JESU Christi major amator, quam negator. *Ibid: serm: 106.*

Hodiernum nobis diem festum fecit sanguis Apostolorum. Hoc reddiderunt servi, quod pro eis impensum est sanguine Domini. *Et infra.* Concordem vitam ambo duxerunt, socium sanguinem ambo fuderunt, cælestem coronam ambo sumpserunt: diem hodiernum ambo consecrarunt. *Et infra.* Saule Saule quid me persequeris: Durum est tibi advesus stimulum calcitrare. Ita voce percussus, prostratus est persecutor, & erectus est prædicator: excæcatus est in carne, ut prædicaret ex corde. *Ibid: serm: 107.*

Vis & miracula vocis Christi. — *Act. 9. 4.*

Dominus JEsus discipulos suos ante passionem suam, sicut nostis elegit, quos Apostolos appellavit. Inter hos pæne ubiq; solus Petrus totius Ecclesiæ meruit gestare personam. Propter ipsam personam, quam totius Ecclesiæ solus gestabat, audire meruit, Tibi dabo claves Regni cælorum. Has enim claves non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiæ. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipsius universitatis & unitatis Ecclesiæ figuram gessit: quando ei dictum est: Tibi trado, quod omnibus traditum est. Nam ut non velitis. Ecclesiam accepisse claves regni cælorum, audite in alio loco quid Dominus dicat omnibus Apostolis suis, Accipite Spiritum sanctum. Et continuo, si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei, si cujus tenueritis, tenebuntur. *Et infra.* Domine tu scis ommia, tu scis quia amo te. Non enim quia omnia scis, hoc solum nescis. Noli tristis esse, Apostole, responde semel, responde iterum, responde tertio. Ter vincat in amore confessio, quia ter victa est in timore præsumptio: Solvendum est iter, quod ligaverat ter. Solve per amorem, quod ligaveras per timorem. Et tamen Dominus semel, & iterum, & tertio, oves suas commendavit Petro. Attendite, fratres mei. Pasce inquit oviculas meas, pasce agnos meos, pasce oves meas. Nunquid dixi tuas? Pasce bone serve, oves Dominicas, habentes Dominicum characterem. Nunquid enim Paulus pro vobis crucifixus est? Aut in nomine Petri & Pauli baptisati estis? Ergo pasce oves ejus, ablutas baptismo ejus, signatas nomine ejus, redemptas sanguine ejus. *Tom: 10. Eorundem serm: 108. de eodem.*

Matt. 16. 18. — *Unitas Ecclesiæ.* — *Io. 21. 15. 16.* — *Ad mensuram peccati mensura virtutis.*

Surgens Dominus commendat Petro oves illi negatori: Sed negatori, quia præsumptori, postea pastori, quia amatori: Nam quare interrogat amantem, nisi ut compungat ter negantem. Proinde profecit Petrus gratia Dei, quod primo non potuit, fiducia sui. *Ibid: serm: 4. in Natali Casti & Æmilii Mart.*

Peccata nostra in honorem nostrum vertit Deus.

Beatus es Simon Bariona, quia non tibi revelavit caro & sanguis; sed Pater meus qui in cælis est; Et ego dico tibi, quia tu dixisti mihi: Audi dixisti, dedisti confessionem, recipe benedictionem. Ergo & ego dico tibi, Tu es Petrus: non enim à Petro petra, sed à petra Petrus: quia non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus: Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.

Matt. 16. 17.

Non

Non supra Petrum quod tu es: sed supra Petram quam confessus es. Ædificabo autem Ecclesiam meam: ædificabo te, qui in hac responsione figuram gestas Ecclesiæ. *Tom: 10. serm: nov: serm: 22. In die Pentecostes 3.* *Petrus Ecclesiæ figura.*

Ego illi ostendam quæ illum oporteat pati pro nomine meo. Ubi terror, ibi salus. Quod faciebat contra nomen, patiatur pro nomine. O sævitia misericors! Vides illum præparare ferrum, secutus est, non pervempturus, curaturus, non occisurus. Christus dicebat, Ego illi ostendam, quæ illum opporteat pati pro nomine meo. Sed quo fine; ipsum qui patiebatur, audi, Non sunt condignæ passiones hujus temporis. *Ibid: serm: 24. de S. Paulo Apostolo.*

Rogavi inquit pro te, ne deficiat fides tua. Rogavi inquit pro
Luc. 22. 23. te, dicit Deus homini, Dominus servo, magister discipulo, medicus ægroto. Rogavi pro te: Quid? Ne deficiat. Quid? manus tua? oculus tuus? lingua tua? aliqua paralysi, id est dissolutione membrorum? Non: sed ne deficiat fides tua. *Tom: 10. ex frag: Op: S. Aug: frag: 1: Sermonis ad populum contra Pelagianos.* *Fidei cura per jacturam.*

Beatus es Simon Bariona, quia non tibi revelavit caro & sanguis, sed Pater meus qui est in cælo. Et ibi nominavit, & laudavit firmamentum Ecclesiæ in ista fide. *T: 9. in Evan: Ioan: Tract: 7. de cap: 1.* *Petrus firmamentum Ecclesiæ*

Respondit Petrus, petra illa voce omnium, Domine ad quem
Jo. 6. 68 ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Bene sapuit in ore ipsius caro Domini. Dominus autem exposuit eis, & dixit: Spiritus est, qui vivificat, caro autem non prodest quidquam. Cum dixisset: Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum non habebit in se vitam: ne carnaliter intelligerent, Spiritus est inquit qui vivificat. *Ibid: Tract: 11. de cap: 3.*

Respondit ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? Repellis nos à te, da nobis alterum te. Ad quem ibimus? Si à te recedimus ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Videte quemadmodum Petrus dante Deo, recreante Spiritu Sancto, intellexit. Unde nisi quia credidit? Verba vitæ æternæ habes. Vitam enim æternam habes in ministratione corporis & sanguinis tui. Et nos credidimus & cognovimus. Non cognovimus, & credidimus, sed credidimus & cognovimus. Credidimus enim ut agnosceremus: nam si prius cognoscere, & deinde credere vellemus, nec cognoscere nec credere valeremus. Quid credidimus, & quid cognovimus? Quia tu es Christus, Filius Dei vivi, id est quia ipsa vita æterna tu es, & non das in carne & sanguine tuo nisi quod es. *Ibid: Tract: 27: de cap: 6.*

Si quem delectat tam suaviter sanctum tale spectaculum intueri, Actus Apostolorum legat: ibi Beatum Petrum quem negantem doluerat, stupeat prædicantem. Ibi inquam illum videat ad fiduciam à diffidentia, & ad libertatem à servitute translatum, tot linguas inimicorum convertere ad Christi confessionem: quarum non valendo unam ferre, versa fuerat in negationem. Quid plura? Tantus in illo fulgor gratiæ, tanta Spiritus sancti plenitudo apparebat, tanta de ore prædicantis prætiosissimæ veritatis pondera procedebant: ut in gentis multitudinis adversarios interfectores Christi Judæos, faceret pro illo paratos mori, à quibus cum illo formidabat occidi. *Ibid: Tract: 29. de cap: 15.*

Jo. 21. 18. Et alius te cinget, & ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum. Hunc invenit exitum ille negator, & amator: præsumendo elatus, negando prostratus, flendo purgatus, confitendo probatus, patiendo coronatus: *Mutua petri pro Christo mors.*

Hhhh3 hunc

hunc invenit exitum, ut pro ejus nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo se moriturum perversa festinatione promiserat. Faciat ejus resurrectione firmatus, quod immature pollicebatur infirmus. Hoc enim opportebat, ut prius Christus pro Petri salute, deinde Petrus pro Christi prædicatione moreretur. Præposterum fuit quod audere cœperat humana temeritas, cum istum disposuisset ordinem veritas. Animam suam se positurum pro Christo putabat Petrus, pro liberatore liberandus: cum Christus venisset animam suam positurus, pro suis omnibus, in quibus erat & Petrus. *Et infra.* Redditur negationi trinæ, trina confessio, ne minus amori lingua serviat, quam timori: & plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quàm vita præsens. Sit amoris officium pascere dominicum gregem, si fuit timoris indicium negare pastorem. Qui hoc animo pascunt oves Christi, ut suas velint esse, non Christi, se convincuntur amare, non Christum: vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi, & subveniendi, & Deo placendi charitate. Contra hos ergo vigilat toties inculcata vox ista Christi: quos Apostolos gemit sua quærere, non quæ JEsu Christi: Nam quid est aliud si diligis me pasce oves meas: quàm si diceretur, si me diligis, non te pascere cogita, sed oves meas, & sicut meas pasce non sicut tuas: gloriam meam in eis quære, non tuam, dominium meum, non tuum: lucra mea non tua: ne sis in eorum societate, qui pertinent ad tempora periculosa seipsos amantes, & cætera quæ huic malorum initio connectuntur? Cum enim dixisset Apostolus, erunt enim homines seipsos amantes: secutus adjunxit. Amatores pecuniæ, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, irreligiosi, sine effectione, detractores incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, procaces, cæcati, voluptatum amatores magis quàm Dei: habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, hæc omnia mala ab eo velut fonte manant, quod primum posuit, seipsos amantes. *Ibid: Tract: 123. de c: 21.*

Peccatum mensura pænitentiæ. — *Io. 21. 15.* — *2. Tim. 3. 2.*

Ego enim sum minimus Apostolorum. Et mihi minimo omnium Sanctorum dicit alio loco. Sic erat inter Apostolos tanquam fimbria vestimenti: sed tetigit Ecclesia gentium, tanquam fluxum patiens, & sanata est. *T: 9: in Epist: Ioan: Tract: 8. de cap: 4.*

S. Petrus fimbria vestimenti. — *1. Cor. 15. 9.* — *Matt. 9. 20.*

Expectabatur ut ascenderet Salvator, & donaret dona. Quæ dona? Dona quæ acceperunt discipuli: quæ accepit Petrus ut moreretur, pro absente, quem desperando negaverat præsentem. *Tom: 9. lib: 2. de symbolo ad Cathechum: cap: 7.*

PÆNA.

Peccans à Deo placido ad iratum fugis.

TE nemo amittit, nisi qui dimittit: & qui dimittit, quò it, aut quò fugit, nisi à te placido, ad te iratum? nam ubi non invenit legem tuam in pæna sua? Et lex tua veritas, & veritas tu. *Tom: 1: lib: 4. confss: cap: 9.*

Peccator ipse sibi carnifex.

In se ipsis malæ voluntates habent interiorem suam, eandem ipsam iniquitatem suam. *T: 3. lib: de Gen: ad lit: cap. 23.*

Quales nos Deo tales n se nobis Deus præstet.

Quid hac pæna justius, quàm ut non ad omnem nutum serviat corpus, id est suus famulus animæ. Sicut Domino suo ipsa detrectavit servire. *T: 3. lib: 9. de Gen: ad lit: cap: 11.*

Et percussit Dominus populum propter facturam vituli, quem fecit Aaron; Non dictum est: quem fecerunt, sed quem fecit Aaron; Ita novit ille cui parcat, usq; ad commutationem in melius, & cui parcat ad tempus, quamvis eum præscierit in melius non mutari: *Ex. 32.*

mutari: & cui non parcat ut mutetur in melius, & cui non parcat ita, ut vitæ ejus mutationem expectet, & hoc totum ad id reddit, quod Apostolus dicit; exclamans: Quàm inscrutabilia sunt judicia ejus. *Tom: 4. lib: 2. quæst: in Exod: quæst:* 148.

Ps.50. Averte faciem tuam à peccatis meis; quia nisi avertit, evertit. Sicut enim cera fluit à facie ignis, sic pereunt peccatores à facie Dei. *Ibidem cap:* 151. — ***Peccator dum peccat Deus faciem ab eo avertit.***

Num. 16.45 Et locutus est Dominus ad Moysem & Aaron, dicens: Abscedite de medio Synagogæ istius. Notandum est tunc jubere Dominum, separationem fieri corporalem, cum jam vindicta imminet malis. Sic Noe cum Domo sua separatur à cæteris diluvio perituris, sic iste populus ab Ægyptiis marinis fluctibus obruendis; sic isti nunc à Synagoga, Chore, Dathan, & Abiron, cum quibus tamen sancti antea viventes, contaminari tamen ab eis minimè potuerunt, nec separari jussi sunt. *T: 4. l: quæst: super. Num: quæst:* 27.

Annotasti si quid invitus erravi. Etiam hoc annotasti. Invitum autem errare pœna peccati est. *Tom: 4. lib: Annot: in Iob. c:* 14. — ***Invitum errare pœna est peccati.***

Si nunc omne peccatum manifestâ plecteretur pœnâ, nihil ultimo judicio reservari putaretur; rursus nî nullum peccatum non puniret apertè divinitas, nulla esse providentia Divina crederetur. *Tom: 5. lib: 1. cap: 8.* — ***Cur nō omnia peccata, Deus palam punit.***

Tota progenies Caim diluvio deleta est. *Tom: 5. lib: 15. c:* 20.

Cum duo sint genera malorum, peccatum & pœna peccati. Peccatum ad Deum non pertinet, pœna peccati ad vindicem pertinet. *Tom: 6. lib: con: Fortunatum.*

Ego sum Deus zelans tribuens filiis tertiæ & quartæ generationis parentum peccata qui me oderunt, ex eo enim quod addidit; qui me oderunt intelligitur eos puniri peccatis Parentum, qui in eadem perversitate Parentum perseverare voluerunt. Tales enim non sævitiâ sed potiùs justitiâ Dei & sua iniquitate puniuntur, sicut Propheta ait sapient: 2. Corripietur à superveniente iniquitate. *Tom: 6. lib: con: Adiman: cap:* 7. — ***Qui filii puniantur peccatis parentum.***

Prov.5 Funiculus peccatorum suorum unusquisq; constringitur. Quibus testimoniis veteris testamenti de novo consentit Apostolus, dicens: Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum. Quâ concordiâ utriusq; testamenti satis ostenditur non esse sævum Deum, sed unumquemque in se sævire peccando. *Ibidem.*

Potest esse dilectio in vindicante, quod unusquisque in Filio suo probat, cùm eum in mores pessimos defluentem, severissima correctione constringit: & tantò magis, quantò magis eum diligit, atque in hoc modo corrigi posse arbitratur. *Tom: 6. lib: con: Adim: cap:* 17. — ***Diligitur sæpe qui castigatur.***

Deus qui novit quid unicuique tribuat, vindicat occidendo in quos voluerit sive per homines; sive occulto rerum ordine, non quia eos odit, inquantum homines sunt, sed inquantum peccatores sunt. Nam in ipsis veteribus libris legimus dictum Deo: & nihil odisti eorum quæ fecisti, sed omnia sive per pœnas, sive per præmia justitia moderate disponit. *Ibidem cap:* 17.

Qualis autem & quanta pœna cuique culpæ debeatur, divini judicij est non humani: quæ utiq; & cum conversis remittitur, magna est bonitas apud Deum; & cum debita redditur, nulla est iniquitas apud Deum: quia melius ordinatur natura, ut justè doleat in supplicio, quàm ut impunè gaudeat in peccato. *Tom: 6. lib: de Naa. boni: cap: 9.* — ***Pœna libenter ferenda.***

Tradidit eos in passiones ignominiæ: ut crimina criminibus vindi-

Obcæcatio quantum malum. vindicentur, & supplicia peccantium non sint tormenta, sed incrementa vitiorum. *T: 6. lib: 1. con: Adver: legis & Prophet: cap: 24.* Rom. 1. 26.

Tu propitius eras illis, & vindicans in omnes adinventiones eorum: in filios quippe damnationis vindicat iratus; in filios autem gratiæ vindicat propitius: dum quem diligit, corripit, & flagellat omnem filium quem recipit. *T: 7. l: 2. de peccat: merit: c: 16.* Ps. 98. 8. *Diligitur qui castigatur.*

Tradidit eos Deus in desideria cordis eorum. Cum ergo dicitur homo tradi desideriis suis; inde fit reus, quia desertus à Deo, cedit eis atque consentit, vincitur, capitur, traditur, possidetur: à quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est, & fit ei peccatum consequens præcedentis pæna peccati. An non est peccatum & pæna peccati ubi legitur. Dominus enim miscuit spiritum erroris, & seduxerunt Ægyptum in omnibus operibus suis, sicut seducitur ebrius. Non est peccatum & pæna peccati ubi Deo dicitur: quid errare fecisti nos Domine à via tua, obtudisti corda nostra, ut non timeremus te? Et multa alia commemorare possemus, in quibus liquido appareat, occulto judicio Dei fieri perversitatem cordis, ut non audiatur, quod verè dicitur, & deinde peccetur, & sit ipsum peccatum præcedentis etiam pæna peccati. *T: 7. lib: 5. con Iulian: cap: 3.* *Tradi in desideria quam perniciosum.* Rom. 1. 14. Is. 19. Is. 64. *Peccatum pœna peccati.*

Nullum elegit dignum, sed eligendo effecit dignum, nullum tamen punit indignum. *Ibidem.*

Tria ista discernas & scias aliud esse peccatum, aliud pænam peccati, aliud utrumque: id est ita peccatum, ut ipsum sit etiam pæna peccati. *Tom: 7. lib: 1. cap: 46.*

Invenimus aliqua peccata etiam pænas esse aliorum peccatorum, sicut sunt vasa iræ, quæ perfecta dicit Apostolus in perditionem: Sicut est induratio Pharaonis, cujus & causa dicitur, ad ostendendam in illo virtutem Dei: sicut est fuga Israelitarum à facie hostium de Civitate Hai. In animo enim factus est timor ut fugerent, & hoc factum est ut vindicaretur peccatum eo modo, quo fuerat vindicandum. *T: 7. lib: de graa: & lib: arb: c. 20.* Rom. 9. 22.

Quicunque præcepta Dei, jam tibi nota non facis, & corripi non vis etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis; Non vis enim tibi tua vitia demonstrari, non vis ut feriantur, fiatque tibi utilis dolor quo medicum quæras: non vis tibi tu ipse ostendi, ut cùm te deformem vides Reformatorem desideres, eique supplices, nè in illa remaneas fœditate. *Et infra.* Hæc est correptionis utilitas, quæ nunc major, nunc minor, pro peccatorum diversitate salubriter adhibetur, ut Deo miserante incremento charitatis adjutus, desinant agere pudenda & dolenda, & agat laudanda: & tunc est salubris quando supremus Medicus respicit. Et quis hoc dat, nisi qui respexit Apostolum Petrum negantem & fecit flentem: Unde & Apostolus Paulus posteaquam dixit cum modestia corripiendos esse diversa sentientes; protinus addidit: nè quando det eis Deus pænitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant de Diaboli laqueis *T: 7. de correp: & grat: cap: 5.* *Mali puniendi* 2. Tim. 25.

Illam tranquillitatem & ineffabile lumen Dei, sic peccata ordinare putemus, ut quæ fuerunt delectamenta homini peccanti, sint instrumenta Domino punienti. Ecce inquit parturivit injustitiam. Quid ergo ut in justitiam parturiret? Concepit inquit laborem. Hinc etiam illud. Venite ad me omnes qui laboratis Non enim poterit labor finiri, nisi hoc quisque diligat, quod invito non possit auferri. *Tom: 8. In psal: 7.* *Delectamenta peccati, instrumenta cruciatus.*

Bonum est mihi quod humiliasti me. Et humiliatus sum, & bonum est mihi. Et pæna est & gratia est. Quid servat post pænam qui per gratiam exhibet pænam. *In psal: 38.* Tra- *Pœna ex gratia.* Ps. 118. 71.

Rom. 1 24 Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum. Tam multa dicit Apostolus fieri ab eis, & tamen pœnas eas dicit. Ut adulter sit, jam pœna est: ut mendax, ut avarus, ut fraudulentus, ut homicida, jam pœnæ sunt. Cujus peccati pœnæ? Prioris Apostasiæ illius superbiæ. Initium peccati omnis, apostatare à Deo. Et. Initium omnis peccati superbia. *Peccatorum pœna, peccatum.*

Rom. 1. 21. Et obscuratum est insipiens cor eorum. Pœna est obscuratio. Sed unde contigit? Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt. Parva ista pœna est, ut de ista sola loquamur obscuratio cordis, excæcatio mentis, parva est pœna? Si quis furtum faciens statim oculum perdidisset, omnes dicerent Deum præsentem vindicasse: oculum cordis amisit & ei pepercisse putatur Deus? *In psal: 57.* *Superbia excæcat.*

Aliquando ad hoc vindicat Deus ut perficiat: aliquando ad hoc vindicat ut damnet. Ut perficiat flagellat omnem filium quem recipit ut damnet. Quando posuerit impios ad sinistram, & dixerit eis. Ite in ignem æternum. *Con: 2. in psal: 58.* *Punit Deus ut Pater, & judex.*

Ps 3. 11. Decidant à cogitationibus suis. Quid enim illis melius, quid utilius, quàm ut inde cadant ubi male stant: ut possint ipsi correcti dicere. Statuisti pedes meos super Petram *in psal: 61.* *Pœna corrigit.*

Ps.68. 25. Indignatio iræ tuæ comprehendat eos quasi fugientes agnoscimus. Quo autem sunt fugituri? In cælum? Tu ibi es. In infernum? Ades, pennas suas nolunt recipere ut volent in directum: comprehendat eos indignatio iræ tuæ, non eos permittat effugere. *Con: 2. in psal. 68.* *Pœnam Dei non effugimus.*

Ps 82. 14. Deus meus pone illos ut rotam. Convenienter quidem accipitur, ut non sint in eo quod cogitant stabiles, verumtamen etiam sic recte posse intelligi existimo. Pone illos ut rotam. Quod rota ut his quæ retro sunt extollitur, & his quæ ante sunt dejicitur: sic fiunt omnes inimici populi Dei. Non enim hæc optatio sed prophetatio est. *in psal: 82.* *Inimici fidelium cadunt.*

Gen 15 16. Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum: & expectabat Dominus, ut aut converterētur, & agerēt pænitentiam: aut certè si converti nollent crimina criminibus cumulantes, & peccandi mensuram implentes, justissimam Dei sententiam sustinerent. Quia ergo eos dupliciter invenit reos, divina censura, pro eo quod & terras alienas invaserant, & postea scelera & crimina inaudita commiserāt, justo judicio puniuntur, & Israelitico populo antiquorum Patrum possessio reformatur. *Tom: 10 serm: de Temp: serm: 105. Feria 6. post Dnicam: 4. Quadrag.* *Dum pœnam peccatorum differt Deus emendationē expectat.* *Pœna dilata judicium exaggerat.*

Ps. 73. 10 Irritavit Dominum peccator. Unde scis, quasi diceretur illi, unde scis quia Dominum irritavit peccator? Vidit felicem peccatorem quotidie mala facientem, & nihil mali patientem, & in Spiritu sancto horruit, & doluit, & dixit, irritavit Dominum peccator. Peccator iste quæ fecit tanta mala, & nihil mali patitur, irritavit Dominum. Provocat Dominum: præ magnitudine iræ suæ non exquiret. Ideo non exquiret, quia multum irascitur. Qui tollit correptionem, parat damnationem. Non exquiret. Nam si exquireret, flagellaret: & fortasse emendaret. Modo autem multum irascitur, cum non flagelletur. Nolite zelare illos, nolite velle esse, sicut illi infeliciter felices. Melius est ad tempus flagellari, quàm in æternum damnari. *T: 10. parte 2. ser: de diver: ser: 106.* *Peccata sine pœna irritant Deum.* *Ira Dei maxima non puniri* *Peccator impunitus infeliciter felix*

Fratres mei, iram Dei timeo: Deus non timet turbas. Quàm citò dicitur, quod populus fecit, fecerit. Quis est qui vindicet populum? Itanè quis est? Nec Deus. Timuit enim Deus universum mundum, quando fecit diluvium. *Ibid: serm: 111.* *Ira Dei formidabilis.*

Quare autem multa patimur mala à creatura quam fecit De-

us, nisi quia offendimus Deum? Nunquid hæc Angeli patiuntur? Fortassis & nos in vita ista illa non timeremus. De pæna tua peccatum tuum accusa, non judicem, nam propter superbiam instituit Deus istam creaturam minimam, & abjectissimam, ut ipsa nos torqueret: ut cum superbus fuerit homo, & se jactaverit adversus Deum: & cum sit mortalis mortalem terruerit: cum se erexerit pulicibus subdatur. Quid est quod te inflas humana superbia? Homo tibi dixit convicium & tumuisti, & iratus es: pulicibus resiste ut dormias. Cognosce qui sis. Nam ut noveritis fratres propter superbiam nostram domandam creata ista, quæ molesta nobis essent: populum Pharaonis superbum potuit Deus domare de Vrsis, de leonibus, de serpentibus. Muscas & ranas illis immisit: ut rebus vilissimis superbia domaretur. *Ibid: Tract: 1. de cap: 1.* Ex. 8. 9.

Causa pænæ peccatum.

Ut sciremus non Dei creaturam esse culpabilem, sed inobedientiam contumacem, & inordinatam concupiscentiam: non propter porcum, sed propter pomum mortem primus homo invenit, & Esau primatus suos non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit. *Ibid: Tract: 73. de cap: 14.*

Avaritia in parvis turpissima.

Productior est pæna quàm culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pæna. Ac per hoc vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pæna, etiam quem jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa. Hæc est istorum dierum quos in hac mortalitate agimus malos, quamvis in ea diligamus videre bonos dies, flenda quidem, sed non reprehendenda conditio. Veniet enim de ira Dei justa. *Ibid: Tract: 124. de cap: 21.*

Culpæ momentum pænæ æternitas.

PÆNITENTIA.

Jactabam voces miserabiles, quamdiu? quamdiu? cras & cras? Quare non modo, quare non hac hora finis turpitudinis meæ? dicebam hæc, & flebam amarissima contritione cordis mei, Et ecce audio vocem de vicina Domo, tolle, lege, tolle, lege, statimque mutato vultu arripui, aperui, & legi in silentio capitulum, quo primum conjecti sunt oculi mei. Non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induimini Dominum JESUM Christum, & carnis providentiam nè feceritis in concupiscentiis. Nec ultra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine hujusce sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt. *Tom: 1. lib: Confess: cap: 12.*

Sacrorum lectio, afflictæ mentis solatium.

Prætende mihi lumen tuum, revoca me ab erroribus, ut te duce in me redeam & in te. *Ibid: lib: 2. solil: cap: 6.*

Si autem quod veritas habet, & quod Ecclesia meritò tenet, rectè pænitentibus adulteris pax dabatur, illi qui in totum locum pænitentiæ contra adulteros claudebant, impiè utique agebant, & claves Ecclesiæ pulsantibus subtrahebant, & misericordissimæ patientiæ Dei dura crudelitate contradicebant. *Tom: 2. epist: 48.*

Error adulteros pænitentes ad ecclesiam non recipere.

Nec quenquam putes ab errore ad veritatem, vel à quocunque seu magno seu parvo peccato ad correctionem sine pænitentia posse transire, *Ibidem.*

Si res aliena propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pænitentia sed fingitur, si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum, sed ut dixi cum restitui potest. *Ibidem epist: 54.*

Non veddens quæ reddere potest non agit sed fingit pænitentiam.

Ps. 37. 19. Gemitus meus à te non est absconditus: rectè constituuntur ab iis, qui Ecclesiæ præsunt, opera pænitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata: Extra eam quippe non remittuntur: Ipsa namq; proprie Spiritum sanctum pignus accepit, sine quo non remittuntur ulla peccata, ita ut quibus dimittuntur, consequantur vitam æternam. *T: 3. Enchirid: c: 65* *Pænitentia imponitur etiam ad satisfaciendum Ecclesiæ.*

Non solùm cùm agitur pænitentia, verùm etiam ut agatur; Dei misericordia necessaria est, alioquin non diceret Apostolus de quibusdam: nè fortè det illis Deus pænitentiam: & ut Petrus amarè fleret, præmisit Evangelium, & ait: Respexit eum Dominus. *Ibidem cap: 81.* 2 Tim. 2. 29.

Ex. 8. 9.

Sanè renovatio [id est animæ] non momento uno fit ipsius conversionis sicut momento uno fuit illa in baptismo renovatio remissione omnium peccatorum; sed quemadmodum aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate, quæ febribus facta est, revalescere: ita prima curatio est, causam removere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum; secunda ipsum sanare languorem quod fit paulatim proficiendo in renovatione hujus imaginis. *T: 3. lib: 14. de Prin: cap: 17.* *Renovatio animæ labor.*

Quia ille Inspector cordis mutatam vidit quam laudavit, & ideo non ait: O canis magna est fides tua; sed ô mulier magna est fides tua, quia mutatum vidit affectum. *T: 4. l: de fide & opere c: 16.*

Peccavi Domino. Medico vulneratus videtur quodammodo, qui ut sanetur, se subdit manibus medici, ut in eo Medicinæ opus impleatur. *T: 4. lib: 5 in Deut: quæst: 55.*

Sperabas si à me discessisses, aliquid amplius te habituram [alloquitur animam) ex quo initio superbiæ, omnia peccata sylvescant, quæ tamen dimittuntur, cùm septuagies septies ignoscendum esse admonemur, ut intelligamus nullum peccatum excipi, quod pænitenti & veniam deposcenti per Ecclesiam, cujus personam Petrus gestat, non dimittatur. *Ibid: l: 2. quæst: Evang: qu: 6.* *Peccatori etiam maximo venia parata*

Luc. 15. 18. Surgam, quia jacebat, [dicit de Filio prodigo] & ibo quia longè aberat, ad Patrem meum, quia sub Principe porcorum erat. Intelligas hoc nunc accipiendum esse, venire ad Patrem, in Ecclesia constituti per fidem ubi jam possit esse peccatorum legitima & fructuosa confessio. *Ibid: quæst: 33.*

Luc 9. 12. Lucas cùm dixisset: Non veni vocare justos sed peccatores, addidit ad pænitentiam, quod ad explanandam sententiam valet, nè quisquam peccatores ob hoc ipsum, quia peccatores sunt, diligi arbitretur à Christo, cum & illa similitudo de ægrotis bene intimet, quid velit Deus vocando peccatores, tanquam Medicus ægrotos, utiq; ut ab iniquitate, tanquam ab ægritudine salvi fiant, quod fit per pænitentiam. *Ibid: l: 2: de Consen: Evang: c: 27.*

Quis est enim hominum, cui non occurrat in Deo cuncta præsciente pænitentiam esse non posse? Et certè tamen hæc duo verba sunt, pænitentia & præscientia, quorum quia unum congruè credimus in Deo, id est præscientiam, negamus in eo esse pænitentiam. Et post multa. Perficientes sanctificationem in timore Dei qui utiq; in Deo nullus est. Sicut ergo quædam laudabilia hominum non rectè dicuntur in Deo; sic quædam culpabilia hominum rectè intelliguntur in Deo: non ita ut in hominibus, sed vocabulis tantummodò communibus, longè aliâ ratione & modo. *Pænitere Deum quomodo intelligi debeat:*
2. Cor. 7. 1.

1 Reg. 15. 11 Nam paulo post idem Samuel cum dixerat Dominus: Pænitet me quod constituerim Regem Saul, ipsi Saul ait de Deo: Quoniam non est sic ut homo, ut pæniteat eum. Ubi videlicet satis ostendit, cùm Deus dicit: Pænitet me: non humano more accipiendum esse. *Ibid: ad simpl: qu: 2.*

Inveni David ſecundùm cor meum. quia licet ſecundum cor Dei non eſſet, quod ille peccavit: tamen ſecundum cor Dei fuit, quod pro peccatis ſuis congruâ pænitentia ſatisfecit. Si autem hoc propheticè dictum de Chriſto velimus accipere, nullus nodus quæſtionis occurret. Invenimus quippe apertiſſimè JESUM Chriſtum apud Prophetam Ezechielem. David eſſe appellatum. *Tom: 4: lib: de octo Dulcit: quæſt: 9.* *1. Reg. 13. 14* *Ezech. 34.*

Mali tolerandi. Hoc facit Deus etiam illis, quos novit in malitia perſeveraturos, dans pænitendi ſpatium, ut noſtram pænitentiam exerceat, & informet exemplo ſuo: quo noverimus, quantùm nos oporteat tolerabiliter malos ſuſtinere, cum ignoremus quales poſtea futuri ſunt, quando ille parcit & ſinit eos vivere, quem nihil futurorum latet. *T: 4. lib: de Catech: rud: cap: 19.*

Error de irremiſſibili peccato. Si qua fornicatione vel homicidio, vel ullo flagitio, aut facinore, poſt baptiſmum ſeſe maculaverit, non poteſt (ſed intellige ita ſenſerit) pænitendo curari. Quod qui ſenſerunt, excluſi ſunt à communione catholica: ſatiſq; judicatum eſt eos in illa crudelitate divinæ miſericordiæ participes eſſe non poſſe. *Tom: 4. in Epiſt: ad Rom: pag: 364.*

Quis enim præparavit corvis eſcam? pulli enim ejus ad Deum clamantes, & errantes ad eſcam quærentes; ut pſalm. Et pullis corvorum invocantibus eum. Nec in malo intelligi poſſunt, quia invocant eum, ſignificantur ergo nigri hoc eſt peccatores, nec dum dealbati remiſſione peccatorum. Sed ideo pulli, quia jam humiles, ideo errantes quia non cognoverunt veritatem, quam tamen piè quærunt, cum ad Deum clamant. Præparari autem corvo eſca poteſt, propter ejus præſcientiam, qui novit etiam nondum humilem quenquam converſum iri. *Ibid: fol: 414.* *Pſ 146. 9.*

Pænitentia Aſylum Romuleum. Remiſſio peccatorum quæ Cives ad æternum colligit Patriam, habet aliquid, cui per umbram quandam ſimile fuit Aſylum illud Romuleum, quo multitudinem, quâ illa Civitas conderetur quorumlibet delictorum, congregavit impunitas. *Tom: 5: lib: 5. de Civit: Dei cap: 17.*

Ille pænitens apud Prophetam vel ipſe Propheta quærens Deum peccatis ſuis habere propitium. Si voluiſſes inquit ſacrificium dediſſem, utiq; holocauſtis non delectaberis, ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Intueamur quemadmodum ubi Deum dixit nolle ſacrificium, ibi Deum oſtendit velle ſacrificium, non vult ergo ſacrificium trucidati pecoris, ſed vult ſacrificium contriti cordis. *T: 5. lib: 10. de Civit: Dei cap: 5.* *Pſ. 50.* *Cordis ſacrificium Deo placet.*

Uxor Loth in via retrò reſpiciens atq; in ſalem repentè converſa, magno admonuit ſacramento neminem in via liberationis ſuæ præterita deſiderare debere. *Ibid: lib: 10. cap: 8.* *Gen 19. 66.*

Excuſatio accuſat non excuſat. Mulier quam dediſti mihi &c. Nuſquam hic ſonat petitio veniæ, nuſquam imploratio medicinæ: ſuperbia quærit in aliud referre, quod perperam fecit. Superbia mulieris in ſerpentem, ſuperbia viri in mulierem, ſed accuſatio potiùs quàm excuſatio vera eſt, ubi divini mandati eſt aperta tranſgreſſio. *Tom: 5: lib: 14. de Civit: Dei cap: 14.* *Gen. 2. 12.*

Recidivi periculoſi. Quo pertinet quod prohibiti ſunt, qui liberabantur ab Angelis, retrò reſpicere, niſi quia non eſt animo redeundem ad veterem vitam, quâ per gratiam regenerati exuimur, ſi ultimum judicium evadere cogitamus? deniq; uxor Loth ubi reſpexit, remanſit: & in ſalem converſa hominibus fidelibus quoddam præſtitit condimentum, quo ſapiant aliquid, unde illud caveatur exemplum. *Ibidem lib: 16. cap: 30.* *Gen 19. 26.*

Legant

1. Reg. 13.14 Legant isti & videant in David plura Deum redarguisse, quàm Faustum: sed ibi est & pænitentiæ sacrificium, ibi est illa incomparabilis mansuetudo, usque ad immanissimum & atrocissimum inimicum: qui quoties illi est in manus fortissimas datus, toties ab illo est de manibus piissimis dimissus illæsus. Ibi immemorabilis humilitas sub flagello Dei, & Cervix Regia Dominico jugo ita subdita, ut armatus & comitatus armatis, amara ex inimiciore convitia patientissimè sustineret: Ubi post multa omninò legenda & dignissima subdit: Intelligebat enim vir altè sanctus, & non contra Deum, sed ad Deum levans animam suam, nisi Dominus esset confitenti pænitentique propitius, quantum pænarum æternarum ejus essent digna peccata; pro quibus cum temporalibus emendationibus ureretur, videbat erga se & manere veniam, & non negligi medicinam. Cur autem Saul per Samuelem correptus, cum diceret etiam ipse, peccavi: non meruit audire quod David, quod ei Dominus ignovisset. Num personarum acceptio est apud Deum? absit. Sed in simili voce quam sensus humanus audiebat, dissimile pectus erat, quod Divinus oculus discernebat. *Tom: 6. lib: 22. con: Faustum: cap: 66. & 67.*

Temporalis pæna medicina & spes veniæ

Ezech. 34.

1. Reg. 15. 25.

Nō verba sed cor Deus intuetur.

Ps. 146. 9.

Quid talibus docemur exemplis, nisi Regnum cælorum intra nos esse & de intimis nostris Deum colere nos debere. Neque judicare alter audeamus de hominibus, quorum interiora videre non possumus, quàm Deus qui hoc potest & falli aut corrumpi non potest: Quid aliud in Evangelio discimus, cum eadem vox Petri auditur confitentis Christum filium Dei, quæ etiam Dæmoniorum paria verba, sed longè impari corde emittentium? Quàm multi enim & alii homines dicunt Christum Filium Dei vivi, nec tamen Petri meritis comparantur: non solùm illi qui dicturi sunt in illo die, Domine, Domine, & audituri discedite à me: sed etiam illi, qui segregabuntur ad Dexteram, in quibus plurimi: nec unquam Christum vel semel negaverunt, nec ejus pro nostra salute passionem improbaverunt, nec gentes judaizare coegerunt, & tamen Petro, qui hæc fecit, sedenti in duodecim sedibus, & non solùm duodecim tribus, verùm & Angelos judicanti, impares apparebunt: deinde sequitur. Tantùm interest quid cuique in seipso, quantumque displiceat, ut penitus extirpetur: & quid pro eo fructiferum & opulentum ingenti feracitate consurgat: quia & agricolæ plùs placent agri, qui spinis etiam magìs eradicatis centenum proferunt, quàm qui nullas unquam spinas habuerunt, & vix ad tricenum perveniunt. *Ibidem cap: 67. & 68.*

Ps. 50.

Magis Deo in peccatore pænitentia, quā in iusto remissior placet iustitia.

Gen 19. 66.

Neque ullo modo dicenda est conversio cordis ad Dominum Deum, cum Dei sacramentum contemnitur. *Tom: 7. lib: 5: de baptism: con: Donat: cap: 25.*

Gen. 2. 12.

Quorundam exempla quos peccâsse legimus, non ideo scripta dicit, qui sanum sapit, ut ad desperationem non peccandi valeant, & securitatem peccandi nobis quodammodo præbere videantur; sed ut disceremus vel pænitendi humilitatem, vel etiam in talibus lapsibus, non desperandam salutem. *Tom: 7. lib: de natura & gratia cap: 35.*

Gen 19. 16.

Fateor me in populo & cum populo Dei, pectus, tundere & veraciter dicere: Dimitte nobis debita nostra: nec insultetis hinc nobis. Inde quippè estis hæretici, quia hæc displicent vobis, Nos in Dei vera misericordia, vos in falsa virtute confiditis. *Tom: 7 lib: 3 contra Iul: cap: 21.*

Pænitentiæ signa.

Io. 1. 29. Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Tollit autem & dimittendo, quæ facta sunt, ubi & originale comprehenditur; ad-

juvando nè fiant, & perducendo ad vitam ubi fieri omnino non possunt. *Ibid. lib: 2. cap: 84.*

Quid enim in veteri populo excellentiùs sacerdotibus sanctis; & tamen eis præcepit Deus sacrificium primitùs pro suis offerre peccatis. Et quid sanctiùs in novo populo Apostolis? & tamen præcepit eis Dominus in oratione dicere: Dimitte nobis debita nostra. Omnium igitur piorum sub hoc onere corruptibilis carnis, & in istius vitæ infirmitate gementium spes una est, quod advocatum habemus Patrem JESUM Christum, justum, & ipse est exoratio peccatorum nostrorum. *Tom: 7. lib 3. ad Bonifac: cap: 5.*

Sacrificate sacrificium justitiæ. Quid justius quàm ut suis unusquisque peccatis, quàm alienis potius irascatur, seque ipsum puniens mactet Deo. *In psal: 4.* *Ps. 4. 6.*

Et tu Domine usquequo. Quis non intelligat significari animam luctantem cum morbis suis; diu autem dilatam à Medico ut ei persuaderetur in quæ mala se peccando præcipitaverit? Quod enim facile sanatur non multum cavetur. Non ergo tanquam crudelis Deus æstimandus est cui dicitur; Et tu Domine usquequo: sed tanquam bonus persuasor animæ, quid mali sibi ipsa pepererit. Nondum enim tam perfecte orat hæc anima ut ei dici possit, adhuc loquente te dicam ecce adsum. Simul ut etiam illud agnoscat quanta pæna impiis præparetur, qui se nolunt convertere ad Deum, si tantam difficultatem convertentes patiuntur. *Et infra.* Convertere Domine. Et addidit: Et erue animam meam, tanquam inhærentem perplexitatibus hujus sæculi, & spinas quasdam dilacerantium desideriorum in ipsa conversione patientem. *Tom 8. In psal: 6.*

Deus aliquando non statim succurrit.

Non oportet ignosci nisi dicenti peccavi. *In psal: 7.* *Luc. 15. 19. 21*

Non sum dignus vocari filius tuus. Infelix per humilitatem impetrat felicitatem, & eo se ostendit dignum, quo confitetur indignum. *Expos: 2 psal: 18.*

Humilitas dignos facit veniâ.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Non in quibus non sunt inventa peccata, sed quorum tecta sunt peccata cooperta sunt, peccata, recta sunt, abolita sunt. Si texit peccata Deus noluit advertere, noluit animadvertere, si noluit enim animadvertere noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere. Nec sic intelligatis quod dixit peccata cooperta sunt, quasi ibi sunt & vivant *Et infra.* Deus ergo tegat vulnera non tu. Nam si tu tegere volueris erubescens, medicus non curabit. Medicus tegat & curet: emplastro enim tegit. Sub tegmine Medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati, celatur vulnus. Cui celas qui novit omnia? Itaq. hic fratres videte quid dixit. Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea, à clamando tota die. Si à clamando, quomodo tacuit. Tacuit quiddam non tacuit quiddam. Tacuit unde proficeret, non tacuit unde deficeret. Tacuit confessionem, clamabit præsumptionem. Tacui enim dixit non sum confessus Ibi oportebat ut loqueretur: taceret merita sua, clamaret peccata sua. Nunc autem perverse, tacuit peccata sua, clamavit merita sua. Et quid illi contigit? Inveteraverunt ossa ejus. Remansit in vetustate, qui noluit confitendo amare novitatem *Enar: 2. in psal: 31.* *Ps. 31. 1.* *Ps. 31. 3.*

Occultatio peccatorum.

Dixi pronuntiabo adversum me injustitias meas Domino. Et tu remisisti iniquitatem peccati mei. Magna res. Dixit pronuntiabo, non dixit pronuntiavi Et tu remisisti. Vox mea in ore nondum erat, sed auris Dei jam in corde erat. *Ibidem.* *Ps. 31. 5.*

Dei ad veniam celeritas.

Ego dixi Domine miserere mei, sana animam quoniam peccavi

cavi

cavi tibi. Hæc aqua confessionis peccatorum, hæc aqua humilia-
Ps. 140. 5. tionis cordis, hæc aqua vitæ salutaris abjicientis se, nihil de se præ- *Confessio aqua ablutiva.*
sumentis, nihil suæ potentiæ superbe tribuentis. Hæc aqua in nullis alienigenarum libris est, non in Epicureis, non in stoicis, non in Manichæis, non in platonicis. Via humilitatis hujus aliunde non manat, à Christo venit. Hæc via ab illo est, qui cum esset altus, humilis venit. Quid enim aliud docuit humiliando se, factus obediens usque ad mortem mortem autem crucis, nisi hanc humilitatem? *Ibidem*.

Ps. 4. 6. Exultatio mea redime me. Audio vocem gaudij exultatio mea. Audio gemitum redime me. Gaudes & gemis: Ita inquit & gaudeo & gemo, Gaudeo in spe, gemo adhuc in re. *Ibidem.*

Nemo currit ad remissionem peccatorum, nisi qui se confitetur peccatorem. Nemo se confitetur peccatorem, nisi humiliando se Deo. *in psal: 41.* *Confessio.*

Puniendum est peccatum: Si puniendum non esset nec peccatum esset. Præveni illum: non vis ut ipse puniat? tu puni. Ideo enim adhuc ipse parcit, differt, tenet manum, arcum intendit hoc est minas. Clamaret tantum feriturum se si vellet ferire? Differt ergo manum à peccatis tuis tu noli differre. Tu agnosce ut ille ignoscat. Attende exemplum pænitentiæ in alio psalmo. Averte faciem tuam à peccatis meis. Nunquid dixit à me. Alio enim
Ps. 50. loco aperte dicit. Ne avertas faciem tuam à me. Nolo videas peccata mea: quia videre Dei animadvertere est. *Enar: in ps: 44.* *Peccata puniamus ne puniamur*

Multi cadere volunt cum David, & nolunt surgere cum David. Non ergo cadendi exemplum propositum est, sed si cecideris resurgendi. Attende ne cadas. Non sit delectatio minorum lapsus majorum. sed sit casus majorum tremor minorum. Ad hoc propositum est, ad hoc spatium est, ad hoc in Ecclesia sæpe lectum atque cantatum. Audiant qui non ceciderunt ne cadant; audiant qui ceciderunt ut surgant. *Enar: in psal: 50.* *Sanctorum peccata non ad peccandi sed ad pænitendi exemplum.* Luc. 15. 19. 21

Ps. 31. 1. Sunt multi quos peccare non pudet, agere pænitentiam pudet. O incredibilis insania! De vulnere ipso non erubescis, de ligatura vulneris erubescis? nonne nudum fædius & putridius est?
Ps. 50. 4. Confuge ergo ad Medicum. Age pænitentiam, dic: iniquitatem meam ego agnosco, tibi soli peccavi. *In ps: 50.*

Prostraverunt se in lacrymis, in jejuniis in cilicio, & in cinere. Prostraverunt se, gemuerunt, fleverunt. Pepercit Deus stetit Ninive, conversa est Ninive. Alter quidem videtur hominibus, & alter visum est Deo. Ego autem puto quia eversa est. Eversa in malo, ædificata in bono: Sicut eversus Saulus persecutor, ædificatus Paulus prædicator. *Ibidem*. *Demissio pænitentialis, erigit.*

Ps. 31. 3. Auditui meo dabis gaudium. Gaudebo audiendo te, non
Ps. 50. 9. loquendo contra te. Peccasti quod defendis te loquendo? Commissum est, non defendatur. In confessionem veniat, non in defensionem. Adhibes te defensorem peccati tui, vinceris. Non innocentem Patronum adhibuisti, non est tibi utilis defensio tua. Paratus est Deus dare indulgentiam, claudis contra te. Ille paratus est dare nolo opponere obicem defensionis, sed aperi sinum confessionis. *Ibidem*. *Defensio peccati.*

Ps. 31. 5. Contrivit Dominus dentes eorum in ore ipsorum. Pharisæo displicuit Dominus illi qui ad prandium vocaverat, quod peccatrix
Luc. 28 39. mulier accesserit ei ad pedes. O tu non Propheta unde scis quod nescierit Dominus quæ mulier illi accessit ad pedes? Quia non servabat munditiam videlicet Judæorum, quæ à foris quasi custodiebatur in carne, & non colebatur ex corde. *Et infra.* Respondit

spondit confusus [intellige Pharisæus] exclusus est : admissa est illa ad percipiendum misericordiam, quæ irruperat in habitaculum alienum, sed non accesserat ad Deum alienum. *In ps: 57.*

Pænitentia hujus temporis salutaris. Pænitentia hujus temporis dolor medicinalis: pænitentia illius temporis dolor pænalis est. Non vis illas pati spinas, hic compungere spinis pænitentiæ: ut facias quod dictum est. Conversus sum in ærumna mea dum configitur spina. *Ibidem.*

Confessio laus maxima Dei. Confiteantur tibi populi Deus. Invenerunt vitam tuam, confiteantur. Ipsa cantatio confessio est, confessio peccatorum tuorum & virtutis Dei. Tuam iniquitatem confitere, gratiam Dei confitere. Te accusa illum glorifica. Te reprehende illum lauda, ut & ipse veniens inveniat te punitorem tuum, & exhibeat se tibi Salvatorem tuum. *Et infra.* Times confiteri qui non confitendo esse non potes occultus. Damnaberis tacitus qui posses liberari cõfessus. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. Et quia ista confessio non ad supplicium ducit, sequitur & dicit. Lætentur & exultent gentes. Si plangunt ante hominem confessi latrones, lætentur ante Deum confessi fideles. *Et infra.* Ad hoc exigit confessionem ut liberet humilem : ad hoc damnat non confitentem, ut puniat superbum. Ergo tristis esto antequam confitearis, confessus exulta : jam sanaberis. Non confitentis conscientia sanum collegerat, apostema timuerat, cruciabat te requiescere non sinebat. Adhibet medicus fomenta verborum, & aliquando secat, adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis. Tu agnosce medici manum, confitere, exeat in confessione & defluat omnis sanies. Jam exulta, jam lætare: quod reliquum est facile sanabitur. *Et infra.* Ecce illa meretrix malam famam habens in Civitate, irrupit in alienam domum, quo non erat invitata ab hospite, sed ab invitato vocata : non linguâ sed gratia. Noverat ægra habere ibi se locum, ubi medicum suum discumbere sciebat. Ingressa est quæ erat peccatrix, non audet accedere nisi ad pedes, irrigat lacrymis, tergit crinibus, ungit unguento. Quid miraris? Terra dedit fructum suum. *In ps: 66.*

Ps 66. 5. *Confessionis necessitas.* *Ps. 75. 1.* *Ps. 76 17.*

Pastor Bonus Christus. Vocem meam oves meæ audiunt. Nondum quærebat ovis illa pastorem, aberraverat a grege, & descendit ad eam. Quæsivit eam, reportavit in humeris suis. Contemnet te ô ovis quærentem se, qui prior quæsivit contemnentem se, & non quærentem se? Jam ergo quærere eum incipe, qui prior quæsivit te & reportavit in humeris suis. *In psal: 69.* *Jo. 18. 3.* *Ps. 81. 6.*

Donis Dei non superbiendum. Deus propitius esto mihi peccatori. Parum est ut illud quod in te est bonum agnoscas, quod à Deo sit, nisi etiam unde non te extollas super illum qui nondum habet : qui fortasse cum acceperit transiet te. Quando enim erat Saulus Stephani lapidator, quam multi erant Christiani quorum erat ille persecutor, tamen quando conversus est omnes qui se præcesserant superavit. *Enar: 1. partis psal: 70.* *Luc. 18. 13.* *Luc. 18 13.*

Conversionis lucra. Ex quo conversus sum ad te, innovatus à te qui factus à te, recreatus qui creatus, reformatus qui formatus: ex quo conversus sum didici merita mea nihil præcessisse, sed gratiam tuam mihi gratis venisse, ut memorarer justitiæ tuæ solius. *Con: 2. in ps: 70.*

Infideles & peccatores mortui sunt. Quid mirabilius inter Dei mirabilia quàm mortuos suscitare? Nunquid nam ego mortuus sum inquis? Si mortuus non esses non diceretur tibi. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Mortui sunt omnes infideles : omnes iniqui corpore vivunt, sed corde extincti sunt. Qui suscitat mortuum secundum corpus reddit eum luci huic videndæ. Anima exsuscitatur à *Eph. 5. 14.*

Deo

Deo quanquam & corpus exſuſcitatur à Deo. Sed Deus quando exſuſcitat corpus mundo reddit, quando exſuſcitat animam ſibi reddit. *Et infra.* Dicam audacter fratres ſed tamen verum duæ vitæ ſunt: una corporis altera animæ. Sicut vita corporis anima, ſic vita animæ Deus. Quomodo ſi anima deſerat moritur corpus: ſic anima moritur ſi deſerat Deus. Ipſa eſt enim gratia ejus ut reſuſcitet & ſit nobiſcum. *Ibidem.*

Propè eſt Dominus his qui obtriverunt cor. Tritum cordis, pietas humilitas. Qui ſe conterit iraſcitur ſibi. Se habeat iratum ut illum habeat propitium: ſe habeat judicem, ut illum habeat defenſorem. *Et infra.* Confitebimur tibi Deus, confitebimur tibi. Ipſa repetitio confirmatio eſt, ne te confeſſum eſſe pæniteat. Non enim alicui crudeli confeſſus es, non ultori, non inſultatori: confitere ſecurus. Confitemini Domino quoniam bonus eſt. Bonus eſt, ignoſcit confitenti. Fac confitendo propitium, quem negando non facis neſcium. *In pſal:* 74. *Contritio.*

Pſ. 75. 8. Quia factus eſt in pace locus ejus. Quamdiu enim non confiteris peccata tua quodammodo rixaris cum Deo. Quomodo enim non cum illo litigas, qui quod illi diſplicet laudas? Punit ille furem tu furtum laudas: punit ille ebrioſum tu laudas ebrietatem. Litigas cum Deo non feciſti illi locum in corde tuo, quia in pace factus eſt locus ejus. Et quomodo incipis pacem habere cum Deo? Incipis illi in confeſſione. Pſalmi vox eſt dicentis. Incipite Domino in confeſſione. *In pſal:* 75. *Confiteri nolens, cum Deo litigas.*

Pſ. 76. 17. Et conturbatæ ſunt abyſſi? Altitudines aquarum. Quis non turbatur in populis cùm conſcientiâ pulſatur? Quæris altitudinem maris? quid profundius humanâ conſcientia? Iſta profunditas turbata eſt, quando in brachio ſuo redemit populum ſuum Deus. Quomodo turbatæ ſunt abyſſi? Quando omnes conſcientias ſuas confitendo fuderunt. Et turbatæ ſunt abyſſi. Multitudo ſonitûs, aquarum. In laudibus Dei, in confeſſionibus peccatorum in hymnis in canticis in orationibus. *In pſ:* 76. *Conſcientiæ mare turbulentum.*

Pſ. 88. 6. Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine. Laudas quia reſurrexerunt mortui: plus lauda quia redempti ſunt perditi. Quæ gratia quæ miſericordia Dei? Vides hominem heri voraginem ebrioſitatis, hodie ornamentum ſobrietatis. Vides hominem heri cænum luxuriæ hodie decus temperantiæ. Vides hominem heri blaſphematorem Dei hodie laudatorem Dei. Vides hominem heri ſervum creaturæ, hodie cultorem creatoris. Ab iſtis omnibus deſperationibus ita homines convertuntur ut non reſpiciant merita ſua, fiant cæli: Confiteantur cæli mirabilia ejus. A quo facti ſunt cæli? Quoniam videbo inquit cælos opera digitorum tuorum. *Con:* 1. *in pſal:* 88. *Converſio ſceleratorum opus dexteræ excelſi.*

Luc. 18. 13. Domine propitius eſto mihi peccatori. Et ille peccator, & ille. Sed ille irridens, ille plangens: ille contemptor hic confeſſor peccatorum ſuorum. Veritas autem Dei quæ non perſonas accipit diſcernit pænitentiam à defendente; diſcernit humilem à ſuperbo: diſcernit de ſe ipſo præſumentem, à præſumente de Deo. *Expoſ:* 1. *partis pſal:* 90. *Peccator pænitens à non pænitente diſtat.*

Nunquid & hoc non pertinet ad laudem Dei, quando confiteris peccata tua? Imo verò maximè pertinet ad laudem Dei, quia tanto amplius laudatur medicus, quanto plus deſperabatur ægrotus. Confitere itaq; peccata tua quo magis deſperebas de te propter iniquitates tuas. Tantò enim major laus eſt ignoſcentis, quantò major exaggeratio eſt peccata confitentis. *In pſ:* 94.

Confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus. Pulchritudinem

amas?

Confessio pulchritudinem animæ restituit.

amas? Vis esse pulcher? Confitere. Non dixit, Pulchritudo & confessio, sed confessio & pulchritudo. Fædus eras, confitere ut sis pulcher. Peccator eras, confitere ut sis justus. Fædare te potuisti, formosum te facere non potes. Qualis autem est sponsus noster, qui fædam amavit, ut pulchram faceret? Quomodo ait aliquis fædam amavit? Non veni inquit vocare justos, sed peccatores. *In psal.* 95. *Ps. 95. 6.*

Desperatione veniæ augentur peccata.

Sed augent inquit homines peccata spe veniæ: imo augerent peccata desperatione veniæ. Nonne attendis quàm licentiosa crudelitate vivant gladiatores? Unde hoc nisi jam tanquam ad ferrum & victimam destinati, explere volunt libidinem antequam fundant sanguinem? Nonne hoc & tu tibi diceres? jam peccator sum, jam iniquus, jam damnandus, nulla veniæ spes est: cur jam non faciam quidquid libet, & si non licet; cur non impleam quantum possum quæcunque desidero si post hæc non restant nisi sola tormenta? *Et infra.* Nec in hoc tibi displiceat Deus, tanquam per istam indulgentiæ promissionem, securos fecerit peccatores. Etenim ne desperatione homines pejus viverent, promisit indulgentiæ portum. Rursus ne de spe veniæ pejus viverent fecit diem mortis incertum, prudentissime utrumque constituens, & revertentes quo recipiantur, & differentes unde terreantur. *Serm: 1. in 1. partem psal: 101.*

Venia ad peccandum non debet facilitare.

Cum audis hominem pænitere peccatorum suorum, jam revixit: cum audis hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulchro eductus est, sed nondum solutus est. A quibus solvitur? quæ solveritis inquit in terra, erunt soluta & in cælo. Merito per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest: suscitari autem ipse mortuus non nisi intus clamante Domino potest. Hæc enim Deus interius agit. Loquamur ad aures vestras, unde scimus quod agatur in cordibus vestris? Quod autem intus agitur non à uobis sed ab illo agitur. Prospexit ergo ut solvat filios mortificatorum. *Con: 2. de 2: parte psal: 101.* *Matt. 16.19.*

Conversio non procrastinanda.

Fratres non tardetis converti ad Dominum. Sunt enim qui præparant conversionem & differunt, & fit in illis vox corvina, cras, cras. Corvus de arca missus non est reversus. Non quærit Deus dilationem in voce corvina, sed confessionem in gemitu columbino. Missa columba reversa est. Quamdiu cras cras? Observa ultimum cras, quia ignoras quod sit ultimum cras. Sufficiat quod vixisti ad hodiernum peccator. Audisti. Sæpe soles audire, audisti & hodie: quàm quotidie audis tam quotidie non corrigeris. Tu enim secundum duritiam cordis tui, & cor impænitens thesaurizas tibi iram in die iræ. Non sic tibi videatur Deus misericors, ut non videatur & justus. *Enar: in ps: 102:* *Eccl. 3. 8.* *Gen. 8. 10.*

Animæ pulchritudo.

Quæ est ista quæ ascendit dealbata. Attendite quis sit ille, qui pro ea factus est non habens speciem neq; decorem, & intelligis illius claritatis honorem. Si miraris illius humilitatem propter hanc, noli mirari jam hujus celsitudinem propter illum. Quantæ felicitatis est ista dealbata ut cum esset nigra, pulchrum ad se deponeret, qui pro impiis moreretur. *Et infra.* Ante confessio postea decus. Confessio peccatorum, decus recte viventium & recte futurum. Confessionem & decorem induisti. *Concione 1. de 1. parte psal: 103.*

Non aliter pia est confessio peccatorum nisi non desperans, & pascens misericordiam Dei. *In psal: 105.*

Multi nec seipsos noverunt: quia & seipsum nosse, quemadmodum debet sibi innotescere non omnium hominum est. Quomodo

modo ergo diligit proximum tanquam seipsum, qui nescit & seipsum? Non enim frustra ille filius junior qui profectus est in regionem longinquam, ubi ita dissipavit substantiam suam vivens prodige, ut diceret. Surgam & ibo ad Patrem meum: prius reversus est in semetipsum, nisi quia tam longe peregrinatus est, ut relinqueret etiam semetipsum. *Con:* 8 *in psal:* 118.

Notitia sui.

Luc. 7. 39. Et si contractus corporis aliquid facit ô immunde Pharisæe: caro Domini posset pollui contactu mulieris, an mulier mundari contactu Domini? Permittebat autem Medicus ægrotantem tangere medicamentum, & illa quæ venerat noverat Medicum? & quæ solebat in sua fornicatione fortasse esse frontosa, frontosior facta est ad salutem *Expos: psal:* 125.

Magdalena tangēs Christum.

Ps. 129 8. Ipse redimet Israel. Ab illa iniquitate an ab illa? Ab omnibus iniquitatibus suis. Non ergo timeat accessurus ad Deum aliquas iniquitates suas: tantummodo accedat pleno corde, & desinat jam facere, quæ antea faciebat, & non dicat, Illa iniquitas non mihi dimittitur. Si enim hoc dixerit propter ipsam quam putat sibi non dimitti, non se convertit, & faciendo cætera, non illi dimittitur & illud quod non timebat. *Et infra.* Noli dicere. Ego non sum dignus propter peccata. Non es dignus: Sed multa apud illum redemptio. Et ipse redimet Israel ab omnibus iniquitatibus ejus. *Enar: in psal:* 129

Omnia peccata dimisit Deus.

Illa impudica quondam frontosa ad fornicationem, frontosior ad salutem irrupit in domum alienam. Sed ille qui ibi discumbebat non erat alienus. Non extranea quemlibet Convivam, sed ancilla Dominum suum secuta est. *Et infra* Ergo illa curari volebat conscientia magni vulneris: Sed nunquid magnum vulnus & parvus Medicus? *Expos: psal:* 140.

Impudentia sancta, Magdalenæ.

In peccatis nostris nota est confessio, & ita nota omni populo, ut quando auditum fuerit nomen confessionis in lectione, sive in laude dicatur, sive de peccatis dicatur, currant pugni ad pectus. *Enar: in psal:* 141.

Ps. 103 32. Ps. 119 4. Fumus confitentium peccatorum extorquebit & lacrymas humiliatorum superborum. Tange montes & fumigabunt Quamdiu non sunt tacti magni sibi videntur. *Et infra.* Sagittæ potentis acutæ præcepta tua, dicta tua feriant cor eorum, Emitte sagittas tuas & conturbabis eos. Vulnerentur male sani, & sanentur bene vulnerati: & dicant jam in Ecclesia & in corpore Christi constituti dicant cum Ecclesia: quoniam vulnerata charitate ego sum. *Expos: psal:* 143.

Præcepta Dei sagittæ.

Rom. 7 24. Quis agis? Contere cor, confitere: age dic sequentia. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus. Hoc enim dicere infelix homo, jam cor conterere est. Ille speret felicitatem. *Enar: in psal:* 146.

Contritio.

1. Cor. 6. 20. Empti enim estis pretio magno. Si contemnis corpus tuum, considera pretium tuum. Scio ego & mecum omnis homo qui paulò attentius consideraverit, neminem Deum timentem sub verbis ejus non se corrigere, nisi qui putat, quia plus habet vivere. Ipsa res est, quæ multos occidit, cum dicunt, cras, cras: & subito ostium clauditur. Remansit foris cum voce corvina: quia non habuit gemitum columbinū Cras, cras, corvi vox. Geme ut columbus, & tunde pectus: sed plagas tibi dando in pectus, cæsus correctus esto, ne non videaris conscientiam cædere: Sed malā conscientiam pugnis pavimentare, solidiorem reddere, non correctiorem. Geme non inani gemitu. *Et infra.* Ecce ego consentio, & concedo, & cognosco: quia indulgentiam Deus promisit tibi. Crastinum

Spes diuturnæ vitæ incorrigibilitatem operatur.

Cras periculosum.

Pænitentia sine emendatione solidat malitiam.

num autem diem quis tibi promisit? Ubi mihi legis indulgentiam te accepturum, si te correxeris: lege ibi mihi quantum victurus sis. Non lego inquis: Nescis ergo quantum victurus sis. Esto correctus, & semper paratus. *Et infra.* Quid differs in crastinum? Longa vita erit: Ipsa longa bona sit. Prandium bonum & longum nemo differt, & vitam malam longam vis habere? Utique si longa erit, melius bona erit. Si brevis erit, bene factum est, ut bona produceretur. Si autem homines negligunt vitam suam, ut nolint habere malam nisi ipsam. Villam emis, bonam quæris. Uxorem vis ducere, bonam eligis. Filios tibi vis nasci, bonos optas. Caligas locas, & non vis malas, & vitam amas malam? Quid te offendit vita tua, quam solam vis malam, ut inter omnia bona tua tu solus sis malus? *Tom: 10. serm: 16:*

Crastina pœnitentia dubia.

Omnia mala repudiantur mala vita toleratur.

Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem. Subito enim veniet ira ejus, & in tempore vindictæ disperdet te. Ergo noli differre, noli quod patet contra te claudere. Ecce indulgentiæ dator aperit tibi ostium. Quid moraris? Gaudere deberes, si aperiret aliquando pulsanti. Non pulsasti, & aperit, & foris remanes? Ne ergo differas. De misericordiæ operibus quodam loco scriptura dicit, Ne dixeris, vade, & revertere, cras ego dabo: cum possis continuo benefacere. Non enim scis, quid contingat sequenti die. Audisti præceptum non differendi, ut in alium sis misericors, & differendo in te es crudelis? Non debes differre panem daturus. & differs indulgentiam accepturus? Si miserando alterum non differs, miserere & animæ tuæ placens Deo. Exhibe & animæ tuæ eleemosynam. Non dicimus ut tu ei des, sed ne repellas manum dantis. *Ibid: serm: 59.*

Sera pœnitentia incerta. *Eccli 5. 8.*

Beneficentia erga seipsum.

Eleemosyna animæ

Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sine dubio pepercit infirmitati: & nescio quid gratius minus idoneis dicere tentavit. Ecce inquit hoc ideo, quod capere potestis, exhibuistis membra vestra deliciis illicitis: peccatorum suavitate ducti estis, ut illa faceretis: ducat vos ad recta facta suavitatis & dulcedo justitiæ. amate justitiam, quomodo amastis iniquitatem. Digna est justitia quæ à nobis impetret, ut exhibeatis illi, quod exhibuistis iniquitati: hoc est, quod humanum dico, hoc est quod infirmitas vestra tolerare adhuc potest. Quid ergo suspendit Apostolus? Quid distulit dicere? Quid distulit? Dicam si potero: Appende justitiam & iniquitatem. Tantumne digna est justitia, quantum digna fuit iniquitas? Sic amanda est ista, quomodo amata est illa? Absit ut sic, sed utinam vel sic. Ergo plus? plus omnino. In iniquitate secutus es voluptatem, pro justitia tolera dolorem. In injustitia inquam sectatus es delectationem, pro justitia tolera dolorem: hoc est plus. *T: 10. ser: de verb: Apost: ser: 17.*

Rom. 6. 19.

Saltem tantũ Deo quantum iniquitati.

Pro mensura peccati, dolor

Unde fieri potest, ut dies bonus sit, cum malus sit homo? Malos dies vis addere malis diebus? Rogo aliquantum inquit dimittatur mihi. Quare? Quia promisit mihi Deus indulgentiam. Sed crastino die te victurum nemo promisit tibi. Aut lege mihi quomodo legis Prophetam, Evangelium, Apostolum, quia cum te converteris, Deus delet omnes iniquitates tuas: lege mihi ubi tibi promissus est crastinus dies, & vive crastino die malè. Quanquam frater meus non tibi hoc debui dicere. Longa erit forte vita tua. Si longa erit, bona sit. Quare vis habere longam vitam & malam? aut longa non erit: & illa longa debet te delectare, quæ non habet finem. Aut longa erit: & quid mali erit quia diu bene vixisti? Tu male vis diu vivere, bene non vis: & tamen crastinum diem nemo tibi promisit. Corrige te, audi scripturam: Ne tardes converti

Conversio non differenda.

converti ad Deum. *Et infra.* O male dilector, ô crastini male appetitor, audi Dominum dicentem, audi scripturam sanctam prædicentem. De isto loco speculator sum, ne tardes converti ad Deum. *Tom: 10. 50. Homil: Homil:* 11.

Eccl. 5. 8.

Et infra. Dixi pronuntiabo adversum me injustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. Quomodo enim nobis peccatorum vulnera nunquam deesse possunt, sic & confessionis medicamenta deesse non debent. Non enim ideo vult Deus, ut confiteamur peccata nostra, quod ea ipse scire non possit: sed quia diabolus hoc desiderat, ut inveniat quod nobis ante tribunal judicis æterni abjiciat: ideo vult ut magis defendere, quàm accusare peccata nostra velimus. E contrario autem Deus noster quia pius est, & misericors, vult ut ea confiteamur in hoc sæculo, ne pro illis confundamur in futuro. Si enim nos confitemur, ille parcit. Si nos agnoscimus, ille ignoscit? Primo homini non dictum est, confitere peccatum, quia non fecerat quod fateretur: sed dictum est ei, ut non peccaret. Non obtemperavit, peccavit. Nati sumus mortales ex vinculo peccati: propagata est miseria nostra per successionem fragilitatis humanæ, & dicitur nobis, fatemini peccata vestra. *Et infra.* Quia scit non nos redire nisi per humilitatem, qui per superbiam lapsi sumus. Dux nobis ipse fuit ad superbiam modo ad humilitatem ducem Christum sequamur. *Tom: 19. eorundem Homil:* 12.

Confessionis necessitas.

Eccli. 5. 8.

Ps. 140. 5. Ego dixi, Domine miserere mei: sana animam meam, quoniam peccavi tibi. Sanat te Deus, confitere vulnus tuum. Jaces sub manibus medici, patienter implora auxilium. Fovet, urit, secat, æquanimiter tolera: tantum noli attendere nisi ut saneris. Sanaberis autem, si ostendas te medico: non quia ille non videt, si tu te abscondas: sed quia ipsa confessio initium sanitatis est. Emendabit me justus in misericordia, & arguet me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. *Et infra.* Nos vero fratres si vere spirituales medici sumus, & de animarum vestrarum remedio attentius cogitamus, non debemus palpare quenquam, nec vos, nec nos. *Ibidem.*

Confessio sanitas.

Ps. 114. 5.

Rom. 6. 19.

Pastor animarum.

Ps. 102. 11. Quantum distat oriens ab occidente: longe fecit à nobis iniquitates nostras. Quantum distat oriens ab occidente, convertere ab occidente, convertere ad orientem. Occidunt ibi peccata, oritur inde justitia. In occidente vetus, in oriente novus. In occidente Saulus, in oriente Paulus. Unde hoc Saulo, unde hoc crudeli, unde hoc persecutori, unde hoc non pastori? Ipse enim erat lupus rapax. *Ibid: Homil:* 14. *Capillus de capite vestro non peribit.*

Conversio peccatoris ad Deum.

Accessit ad Dominum immunda, ut rediret munda. Accessit ægra, ut rediret sana. Accessit confessa, ut rediret professa. *Ibidem Homil:* 23.

Conversionis ad Deum effectus.

Luc. 7. 48. 49 Deniq; cum dixisset mulieri: Dimittuntur tibi peccata tua: continuò illi. Quis est iste qui peccata dimittit? Quis est iste quem jam mulier peccatrix cognovit? Tu recumbens quasi sanus, medicum ignoras: quia majori forsitan febre mentem etiam perdidisti. Nam & phreneticus ridens ploratur à sanis. Tamen illud bene nostis, bene tenetis. Tenete quia homo non potest peccata dimittere. Illa quæ sibi à Christo peccata dimitti credidit, Christum non hominem tantum, sed & Deum credidit *Ibidem.*

Medicus animarum.

Io. 11. 43. Lazare prodi foras. Cessit voci misericordiæ moles sepulturæ: cessit mors vitæ, cessit infernus superno. Elevatus est Lazarus, processit de tumulo, & ligatus erat sicut sunt homines in confessione peccati agentes pænitentiam. Jam processerunt à morte: nam

Nativitas spiritualis.

non confiterentur, nisi procederent. Ipsum confiteri, ab occulto, & à tenebroso procedere est. Sed quid Dominus Ecclesiæ suæ. Quæ solveritis inquit, in terra, soluta erunt & in cælo. Proinde Lazaro procedente, implevit Dominus misericordiæ suæ bonum, perducere ad confessionem mortuum latentem, putentem, jam cætera implet Ecclesiæ ministeria: Solvite illum & sinite abire. *Et infra.* Solent inde Christianis Pagani insultare, de pænitentia, quæ instituta est in Ecclesia: & contra nonnullas hæreses tenuit Ecclesia Catholica istam veritatem de pænitentia agenda, fuerunt enim qui dicerent, quibusdam peccatis non esse dandam pænitentiam: & exclusi sunt de Ecclesia, & hæretici facti sunt. In quibuscunque peccatis non perdit viscera pia mater Ecclesia. *Et infra.* Si clauderetur aditus pænitentiæ, nonne illi peccator tantò magis adderet peccata peccatis, quanto magis sibi desperaret ignosci? Diceret enim sibi. Ecce peccavi, ecce scelus admisi, jam mihi veniæ nullus est locus: pænitenti infructuosa est! damnandus sum. Quare jam non vivo ut volo? Quia ubi non invenio charitatem; hic saltem pascam cupiditatem. *Ibid: Homil:* 27.

Matt. 16. 19

Io 11. 44.

Fructus pænitentiæ.

Ne desperando augeamus peccata, propositus est pænitentiæ portus: rursus ne sperando augeamus datus est dies mortis incertus. *Ibidem.*

Pænitentes, pænitentes, pænitentes, si tamen estis pænitentes, & non estis irridentes mutare vitam, reconciliamini Deo, *Tom: 10. eorundem Homil:* 41. *de vere pænitentibus.*

Sera pænitentia.

Experti sumus multos exspirasse, expectantes reconciliari. Deinde etiam dico in conspectu Dei timori vestro timorem meum. Qui autem non timet, timentem me contemnit, sed malo suo. Audi ergo Certus sum, quia homo baptisatus si vitam, non audeo dicere sine peccato; quis enim sine peccato? sed vitam sine crimine duxerit, & alia peccata habuerit, quæ quotidie dimittuntur in oratione dicenti. Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: quando diem finierit, vitam non finit, sed transit de vita in vitam, de laboriosa ad quietem, de misera ad beatam: sive iste voluntate sua currat ad baptismum, sive in periculo constitutus baptisetur, & exeat de hac vita, ad Deum vadit, ad requiem vadit. Baptisatus autem desertor, & violator tanti mysterii, si agat pænitentiam ex toto corde, si agat pænitentiam ubi Deus videt, qui vidit cor David quando increpatus est à Propheta, & graviter increpatus est post comminationes Dei terribiles exclamavit dicens, peccavi: & mox audivit, Dominus abstulit peccatum meum Tantum valent tres syllabæ: Tres syllabæ sunt, peccavi: Sed in his tribus syllabis flamma sacrificij coram Domino ascendit in cælum. Ergo qui egerit veraciter pænitentiam, & solutus fuerit à ligamento quo erat obstrictus; & à Christi corpore separatus, & bene post pænitentiam vixerit, sicut ante pænitentiam vivere debuit, post reconciliationem quandocunque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit, regno Dei non privabitur, à populo diaboli separabitur. Si quis autem positus in ultima necessitate ægritudinis suæ, voluerit accipere pænitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus, quia bene hinc exit. Non præsumo, non vos fallo, non præsumo. Fidelis bene vivens, securus hinc exit. Baptisatus ad horam, securus hinc exit. Agens pænitentiam & reconciliatus, cum sanus est, & postea bene vivens, securus hinc exit Agens pænitentiam ad ultimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Unde

Necessitas pænitentiæ.

2. Reg. 12. 13.

Sera pænitentia ram vera

Securus sum, securus sum, & do securitatem: unde non sum securus, pænitentiam dare possum, securitatem dare non possum. *Et infra.* Si enim agis veram pænitentiam, dum sanus es, & invenerit te novissimus dies, curre ut reconcilieris, si sic agis, securus es. Quare securus? quia egisti pænitentiam eo tempore, quo & peccare potuisti. Si autem tunc vis agere pænitentiam ipsam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Sed unde scis inquis, ne forte Deus dimittat mihi? Verum dicis. Unde? Nescio. Illud scio, hoc nescio. Nam ideo tibi do pænitentiam, quia nescio. Nam si scirem tibi nihil prodesse, non tibi darem. Item si scirem tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem. Duæ res sunt: aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quid horum tibi futurum sit, nescio. Ergo tene certum, dimitte incertum. *Tom: 10. Ibidem.* *Pænitentia sacramentalis.*

Luc. 7. 48. Dimittantur peccata: dimittantur præterita, cessent futura. Sed non potes hic vivere sine ipsis, vel minuta sint, vel levia sint. Sed ipsa levia vel minuta non contemnantur. De minutis guttis flumina implentur. Non contemnantur vel minora. Per angustas rimulas navis insudat aqua, impletur sentina: & si contemnatur sentina, mergitur navis. *Ibid: Homil: 42. de Oratione Dominica.* *Periculum in venialibus peccatis quibus imminuit Christum.*

Si erubui in conspectu populi confiteri peccata mea. Talis justus thesauri divini obryzi, tali camino probatus ista dicit, & resistit mihi filius pestilentiæ, & erubescit genu figere sub benedictione Dei, quod non erubuit imperator, erubescit nec senator, sed tantum curialis? Superba cervix, mens tortuosa, fortassis, imò quod non dubitatur, propterea Deus voluit, ut Theodosius imperator ageret pænitentiem publicam in conspectu populi, maxime quia peccatum ejus celari non potuit, & erubescit senator, quod non erubuit imperator? Erubescit nec senator, sed tantum curialis, quod non erubuit imperator. Erubescit Plebeius, sive negotiator, quod non erubuit imperator? Quæ ista superbia est? Nonne sola sufficeret gehenna etiamsi adulterium nullum esset. *Tom: 10. eorundem Homil: 49.* *Confessio humilis verecunda.*

1. Cor. 11. 32. Si enim nos judicaremus, à Domino non judicaremur. Ascendat itaq; homo adversum se tribunal mentis suæ: existimet illud, quod oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, ut illud recipiat unusquisque quod per corpus gessit, sive bonum, sive malum: constituat se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat. Nam minatur hoc Deus peccatori dicens: Arguam te, & statuam te ante faciem tuam. (Ps 49. 21.) Atque ita constituto in corde judicio adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis & sanguinis Domini, ut qui separari à regno cælorum timet per ultimam sententiam summi judicis; per Ecclesiasticam disciplinam à sacramento cælestis panis interim separetur, versetur ante oculos imago futuri judicij: ut cum alij accedunt ad altare Dei, quo ipse non accedit, cogitet quàm sit contremiscenda illa pæna, qua percipientibus aliis vitam æternam, alij in mortem præcipitantur æternam. *Ibid: Homil: 50.* *Examen conscientiæ.*

Ps. 138. 7. Quo abibo à spiritu ejus, & à facie ejus quo fugiam? Quo fratre nisi ad ejus misericordiam pænitendo, cujus potestatem peccando contempseras? Nemo enim recte fugit ab illo, nisi ad illum, ab ejus severitate ad ejus bonitatem. Quis enim locus te excipiet fugientem, ubi ejus præsentia te non inveniat? *Et infra.* Sed fac incertum esse utrum ignoscat Deus? Quid perdit cum supplicat Deo, *Vindex à tergo Deus.*

Qui

Certitudo quasi incertitudo veniæ

qui salutem perdere non dubitavit, cum offenderet Deum? Quis enim certus est quod etiam imperator ignoscat? Et tamen pecunia funditur, maria transmeantur, procellarum incerta subeuntur: & pæne ut mors evitetur, mors ipsa suscipitur. Supplicatur deinde per homines homini, sine dubitatione fiunt ista, cum sit dubium quo fine perveniant, & tamen certiores sunt claves Ecclesiæ quàm corda Regum: quibus clavibus quodcunq; in terra solvitur, etiam in cælo solutum promittitur. Et multo est honestior humilitas, qua se quisque humiliat Ecclesiæ Dei: & labor minor imponitur, & nullo temporalis mortis periculo mors æterna vitatur. *Tom: 10. eorundem Homilia eadem.*

Compendiosè pro peccatis satisfactio.

Bene tibi soli peccavi, quia tu solus es sine peccato. Bene tibi soli peccavi, quia nullus hominum sine peccato: & ideo tibi soli peccavi, quia nullus est sine peccato. Da Domine misericordiam misero, qui tamdiu pepercisti criminato. Inclinet ad remedium humilitas pænitentis, quem permovere non potuit diuturnitas peccantis peccatoris. Dic illi in fletu cordis, aspice infelicem pietas immensa, respice crudelem misericordia publica. Desperatus ad omnipotentē venio, vulneratus ad medicum curro. Serva pietatem mansuetudinis, qui tamdiu suspendisti gladium ultionis: dele universitatem criminum multitudine misericordiarum. Ista est filioli vera pænitentia, quando sic convertitur quis, ut non revertatur: quando sic pænitet, ut non repetat. *Ibidem: de Temp: serm: 7. in festo Nativitatis serm: 3.* *Ps. 50. 5.*

Pænitentiæ affectus.

Hoc est quod & illi Magi, non qua venerant redierunt. Via mutata via mutata est. Nobis cæli enarraverunt gloriam Dei, & nos ad Christum adorandum fulgens ex Evangelio veritas, tanquam de cælo stella perduxit. *Et infra.* Superest, ut cum evangelisantes novam viam carpamus, non qua venimus redeamus. *Ibidem serm: 32 in festo Epiphaniæ serm: 4.* *Matt. 2. 12.*

Magi tres via ad Christum exemplum.

Cum Deus velit misereri quia bonus est, & possit, quia omnipotent est: ipse contra se divinæ pietatis januam claudit, qui Deum sibi misereri, aut non velle, aut non posse credit, eumque aut bonum, aut omnipotentem esse diffidit. Nemo ergo nec post centum peccata, nec post mile crimina de misericordia divina desperet. Sic tamen non desperet, ut sine ulla mora Deum sibi repropitiari festinet: ne forte si consuetudinem peccandi fecerit, etiamsi velit de diaboli laqueis liberari, non possit. *Et infra.* Meretrix quoque illa, quæ pedes Domini lacrymis lavit, & capillis suis extersit, ubi cælestem medicum venisse cognovit, ultro se ingessit in domum ubi rogata nonfuerat: & quæ prius frontosa erat ad perditionem, postea frontosior facta est ad salutem: & ideo audire meruit, quod ei omnia fuerint peccata dimissa. *Et infra.* Multos adhuc in scripturis divinis poteramus invenire, qui post infinita crimina pænitentiam agentes, in se Dei misericordiam provocaverunt, & non solum ad pejorem sed etiam ad meliorem statum redierunt. *Et infra.* Nec erubescat pænitentiam agere, qui non erubuit pænitenda committere. *Ibid: ser: 58 in eadem feria ser: 2.* *Luc. 7. 38.*

Spes veniæ.

Magnum est salutis medicamentum, non iterare quæ impie gessimus, nec priorum cicatrices vulnerum resauciare. *Et infra.* Confessio opus est misericordiæ, salus ægroti, unicum est viribus medicamentum cum pænitentia. Cujus ipse Salvator in Evangelio virtutem ostendit, dicens: Pænitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum. Et Joannes Baptista, *Facite fructus dignos pænitentiæ.* Fructus dignus est pænitentiæ transacta flere peccata, & eadem iterum non agere. *Tom: 10. eorundem serm: 66. Dnica 1. in Quadrag: serm: 3.* *Luc. 3. 8.*

Constans pænitentia.

Non

Non enim nocent peccata præterita, si non placent præsentia. Sicut enim nulli justorum sufficit justitia sua, si non perseveraverit, usque in finem: ita nulli peccatorum nocere poterit iniquitas sua, si antequam de corpore isto discedat, ad eleemosynarum remedia, vel ad pænitentiæ medicamenta confugerit. *Et infra.* Quando generaliter omnes ad pænitentiam provocamus, aliquis intra se cogitet dicens: Ego juvenis homo uxorem habens, quomodo possum aut capillos minuere, aut habitum religionis assumere? Nec nos hoc dicimus fratres charissimi, non hoc prædicamus, ut juvenes, qui conjugia habere videntur, habitum magis, quàm mores habeant commutare. Quid enim homini uxorem habenti nocet, si mores perditos voluerit ad opera bona vel honesta convertere, si peccatorum suorum vulnera eleemosynis, jejuniis & orationibus ad sanitatem pristinam studeat revocare. Vera enim conversio sine vestimentorum commutatione sufficit sibi. Vestimenta verò religiosa sine bonis operibus non solum remedium habere non poterunt, sed etiam justum Dei judicium sustinebunt. *Ibid: ser: 67. feria 2. post 1. Dnicam: Quadrag:*

Omnibus per necessaria pænitentia.

Ps. 50. 5.

Noli differre ô homo, remedia salutis tuæ, quoniam nescis quando à te anima tua repetetur. Denique Samaritana ignara mysterii dicebat, Domine neque hauritorium habes, & puteus est altus. Ante adventum Domini & puteus altus erat, & sine hauritorio aquam sibi unusquisque haurire non poterat. Venit Dominus fons vivus, ut Pharisæorum corda dilueret, sitim extingueret, pectora satiaret, non quærens hauritorium, sed ultro se infundens mentibus singulorum. *Ibidem serm: 92 feria 6. post 3. Dnicam Quadrag: serm: 1:*

Is. 4. 11.

Dilatio emendationis quã periculosa.

Matt. 3. 18.

Utinam tam cito peccator homo resurgat ad pænitentiam, quàm cito Deus etiam definitam vult mutare sententiam. Audi ipsum Dominum per Prophetam, spem magnam humano generi promittentem: Repente inquit loquar ad gentem, ut pro peccatis suis faciam eis malum: & si pro iniquitatibus suis egerit pænitentiam agam super malo quod cogitavi ut facerem eis, & non faciam. Videte fratres, quanta sit circa nos pietas Dei nostri, & agnoscite utrum velit negare misericordiam, qui de conversione nostra suam dixerat mutare sententiam. Nolite tardè converti ad Dominum, nec differatis de die in diem, quia nescitis quæ superventura pariat dies. O homo quare differs de die in diem, forte hodie habiturus ultimum diem. *Ibid: serm. 102. fer: 4. post: 4. Dnicam Quadrag: serm: 1.*

Jer. 18 18.

Promptior Deus ad veniam quam homo ad pænitentiã

Luc. 7. 38.

Nunc est fructuosa pænitentia, quando correctio libera. Pæniteat te ad vocem scripturæ. Nam ad vocem præsentis judicis, sine causa pænitebit te. *Et infra.* Non enim te distulit, ut corrigeres te, quandoquidem latroni in cruce pendenti se mutare permisit. Tunc enim latro pendens cum Domino, credidit in Christum, quando de illo discipuli titubaverunt. Contempserunt Judæi mortuos suscitantem, non contempsit latro secum in cruce pendentem. *Ibid: ser: 109. fer: 3 post Dnicam Passionis.*

Procrastinatio pænitentiæ quam periculosa.

Nolo tecum computare prætetita. Ab hodierno die te muta, cras te alterum inveniat. Nos autem perversitate nostra sic volumus Deum esse misericordem, ut non sit justus. *Et infra.* Fratres, justum videtur vobis, ut ibi ponatur Judas ubi positus est Petrus? Et ipse ibi poneretur, si se correxisset, sed de venia desperans potius sibi collum ligavit, quàm Regis clementiam supplicavit. *Et infra.* Qui nos tanto pretio redemit, non vult perire quos emit. Non enim quos perdat, sed emit quos vivificet. Si peccata

Quam promptus Deus ad veniam etiam maximis peccatoribus largiendam

...c. 3 8.

nostra superant nos, pretium suum non contemnit: Deus pretium magnum dedit. Nec tamen nobis tantum de ipsius misericordia blandiamur, si non fuerimus conati adversus peccata nostra: nec si aliqua maxime capitalia fecerimus, speremus ita futuram esse misericordiam, ut ei conjungatur iniquitas. *Ibidem.*

Quā minuta Deus exigit ab homine pro peccatis gravibus. Nisi pænitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Et ideo qui solebat esse luxuriosus, fit castus; qui superbus, fit humilis; qui erat invidus, fit benignus; qui per fraudes vel calumnias solebat res alienas rapere, incipiat de suis largiores eleemosynas dare. Nimis delicatum est, quod à nobis requirit Dominus noster, fratres charissimi; non dixit nobis. Jejunate plus quàm potestis, & plus quam vires vestræ sufferunt, vigilate. Non nobis dicit. A vino vel à carnibus abstine. Non à nobis requiruntur, sed hoc dignatur injungere quod omnes homines possunt cum ipsius gratia *Scelera mortalium gravissima pænitentiæ facillima.* sine grandi labore complere. Sed quod pessimum est, multi sunt, qui durissimum & amarissimum avaritiæ jugum cum multis laboribus volunt ferre, & dulce jugum Christi, & onus ejus leve dissimulant humeris suis imponere: malunt cum multis peccatis, sub sarcina gravi succumbere, quàm jugum Christi, quod eos potest in cælum elevare, suscipere. *Ibid: serm: 111. feria 5. post Dnicam Passionis.*

Cognitio sui. met ipsius Prius tibi displiceat quod es, ut possis esse quod non es. *Tom: 10. eorundem serm: 151. feria 5. Paschæ serm: 2.*

Dixit ergo vidua illa, colligo duo ligna, ut faciam cibum, mi- *Corpus Christi mortem affert carnis ut animā vivificet.* hi & filio meo, & manducabimus, & moriemur. Verum est fratres dilectissimi. Nemo in Christum crucifixum credere merebitur, nisi huic sæculo moriatur. Nam quicunq; corpus Christi dignè manducare voluerit, necesse est ut moriatur præteritis, & vivat futuris. *Ibid: ser: 201 Dnica 3. post: festum S. Trinit: ser: 2.* 3 Reg. 17. 12.

Vis habere utilem pænitentiam? Modo habe. *Et infra.* Sed forte conversus ad Dominum, statim morieris, opera tua nulla forte invenientur in illo thesauro. Plane ibi invenies opera tua quia *Voluntas stat pro facto.* scriptum est, Pax in terra hominibus bonæ voluntatis. Deus non annotat facultatem, sed coronat voluntatem, Scit quia voluisti, & non potuisti, sic te annotat quasi feceris quod voluisti. *Ibidem ser: 220. Dnica 121 post diem festum serm: 2.*

Cum vis esse excusator tuus, triumphat de te accusator tuus. Vis ergo facere, quod doleat, & gemat accusator tuus, id est *Pænam peccatis debitam æqualiter temperat.* diabolus? Fac quod audisti, fac quod didicisti, & dic Deo tuo, Ego dixi Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi. Ego inquit, ego dixi: non diabolus, non fortuna, non fatum. Ego dixi. Non me excuso, sed accuso. *Et infra.* Si peccata tua confiteri vis, cui tutius quàm bono? Homini, quoniam malus est, confiteris, & damnaris: Deo, quoniam bonus est, confiteris, expurgaris. *Et infra.* Peccatum sine dubitatione puniendum est. Hoc debetur peccato, punitio, damnatio. Puniendum est peccatum, aut à te, aut ab ipso. Si punitur à te, tunc punietur sine te, si vero à te non punitur, tecum punitur. *Tom: 10. serm: de diver: serm: 3. de verb: psalm: Confitemini Domino.* Ps. 148. 1.

Gratia enim Dei salvi efficimur, à peccatis nostris, in quibus ægrotamus. Illius, illius medicina est quæ sanat animam: Nam seipsa vulnerare potuit, sanare non potuit. Namq; & in ipso corpore in potestate habet homo ægrotare, convalescere autem non ita habet in potestate. *Et infra.* Dulce peccatum est, per amaritudines ergo tribulationis pernitiosa dulcedo digeratur. Delectabat te, quando fecisti malū: sed incidisti in infirmitatem faciendo. A con-

contrario medicina est, fecit tibi ad tempus dolorem, ut recipias perpetuam sanitatem. Utere illâ, & noli repellere. *T: 10: eorund: serm: 34 de vocat: Apost: Pauli.*

Omnia præterita conversis dimittuntur: cætera autem hujus vitæ sunt quædam gravia & mortifera, quæ nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis, & contritionis spiritus, & tribulationis pænitentiæ non relaxantur. Hæc dimittuntur per Claves Ecclesiæ. Si enim tu te cæperis judicare, si tibi cæperis displicere, Deus veniet ut misereatur. Si tute punire volueris, parcet ille. Qui autem bene agit pænitentiam, suus ipse punitor est. Sit opportet in se ipse severus; ut in eum sit misericors Deus: quomodo dicit David, Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes *Facilitas pænitentiæ.*
Ps. 50 11 iniquitates meas dele. Sed quo meritò? ait in ipso Psalmo. Quoniam iniquitatem meam, ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. *Ibidem.*

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. *Ps. 50. 1.* Magnam misericordiam, magnus peccator implorat: magnam medicinam magnum vulnus desiderat. Ibi dicitur, Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus. Avertit ergo Deus faciem suam, à peccatis confitentis, & seipsum accusantis, deniq; auxilium & misericordiam deprecantis. Avertit enim faciem suam à peccatis ejus non avertendo ab ipso. *Et infra.* Si vis ut ille ignoscat, tu agnosce. Impunitum non potest esse peccatum. Impunitum esse non decet, non oportet, non est justum. Ergo quia impunitum non debet esse peccatum; puniatur à te, ne puniaris pro illo. Peccatum tuum judicem te habeat, non patronum. In tribunali mentis tuæ ascende contra te, & reum te constitue ante te. Noli te ponere post te, ne Deus te ponat ante se. *T: 10. ser: nov: ser: 3. de illo 50.*

Eccl. 5. 9 Ne differas de die in diem, subito enim veniet ira ejus. Sed videlicet homo sapiens times ne plus habeas biduo bonæ vitæ. Si erit crastinus dies, sit & hodiernus, & biduum sit. Si enim non erit crastinus dies, hodiernus securum te inveniet: si autem erit crastinus, addetur hodierno. Tu autem cupis habere longam vitam, & non times habere malam vitam? Diu vis vivere, & malè vivere. Longum malum quæris, quare non potius longum bonum? *Et infra.* Omnibus bonis tuis præponis vitam, & inter omnia bona tua solam vis malam. Nam omnia illa quæ bona requirebas, vestem domum, villam, & cætera paratus es dare pro vita tua. Si tibi quisquam dixerit, aut da mihi omnia bona tua, aut aufero vitam tuam: paratus es omnia bona tua dare: & illam etiam malam tenere. Quare non vis ut tibi sit bona, pro qua mala das omnia bona? Ecce ablata est excusatio: adsit accusatio ne inveniat damnatio. *Ibidem.* *Procrastinatio periculosa*

Ps. 149. 1.

Quid est pænitentia nisi sua in seipsum iracundia? Qui pænitet, irascitur sibi. Nam si non fictè fiat, unde est & pectoris tunsio? *Ibid: serm: 4: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* *Pænitētia & iracundia in seipsum.*

Cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Habes quod *Ps 50 16.* offeras. Non gregem circumspicias; non navigia præpares, & per mees ad extremas provincias, unde aromata deferas. Quære in *Ibid.* corde tuo, quod gratum sit Deo. Cor conterendum est. Quid times ne contritum pereat? Ibi habes. Cor mundum crea in me Deus. Ut ergo creetur mundum cor, conteratur immundum. *Ibidem.* *Ad manū sunt quibus iratū Deum placare possumus.*

5 Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? O admirabile Sacramentum! ô grande mysterium! Ergone timet inquinare pe-

Terra maculat corda.

des veniendo ad Deum, qui lavit suorum discipulorum pedes? Timet certè quia per terram venit ad eum qui etiam in terra est, quia suos hîc constitutos non deserit. *Ibid: Tract: 57. de cap: 13.*

Aversio à peccatis conversio Christi ad nos.

Talis est medicus ut nec cicatrices appareant: tu tantùm subde te dexteræ ipsius. *Et infra.* Averte faciem tuam à peccatis meis. Sed unde mereris ut ille faciem suam avertat à peccatis tuis, si tu non avertis faciem tuam à peccatis tuis? Ipsa enim vox dicit in psalmo. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum coram me est semper. Tu agnosce, & ille ignoscet. *Tom: 9. in epist: Ioan: Tract: 9. de cap: 4.*

Recidiva peccatorum.

Et statim surrexit & tulit grabatum suum, & abjit. O quam melius illi esset, si post acceptam remissionem peccatorum non de lecto ad peccandum iterum surgeret, sed de sepulchro ad veram vitam liber securusque surgeret. *Tom: 9. lib: 2. de symbolo ad Cathechumenos cap: 9. & 10.* *Mar. 2. 11.*

Solidat peccata qui non proponit vitare.

Qui tundit pectus & non corrigitur, solidat peccata, non tollit. Tundamus pectus ut cædamus nos, & corrigamur à nobis, ne ille postea nos cædat, qui magister est. *Tom: 9. lib: de disciplina Christiana cap: 10.*

Terrendo miseretur Deus.

Ante paucos annos Arcadio Imperatore Constantinopoli, quod, dico audierunt nonnulli, & forsitan noverunt, & sunt in hoc populo, qui & illic præsentes fuerunt, volens Deus terrere Civitatem, & terrendo emendare, terrendo convertere, terrendo mundare, terrendo mutare, servo cuidam suo fideli, viro ut dicitur militari, venit in revelatione, & dixit ei Civitatem venturo de Cælo igne perituram: eumq; admonuit, ut Episcopo diceret. Dictum est, non contempsit Episcopus, & allocutus est populum: conversa est Civitas in luctum pænitentiæ, quemadmodum quondam illa antiqua Ninive. Tum ne putarent homines illum qui dixerat vel falsitate deceptum, vel fallaciter decepisse, venit Dies quem Deus fuerat comminatus, intentis omnibus & exitum cum timore magno expectantibus, noctis initio tenebrante jam mundo, visa est ignea nubes ab Oriente, primò parva, deinde paulatim, ut accedebat super civitatem ita crescebat: donec toti urbi ingens terribiliter immineret. Videbatur horrenda flamma pendere, nec odor sulphuris deerat: omnes ad Ecclesiam confugiebant, non capiebat multitudinem locus, baptismum extorquebat quisq; à quo poterat. Non solum in Ecclesia, sed etiã per domos, per vicos ac plateas, salus Sacramenti exigebatur, ut fugeretur ira, non præsens utiq; sed futura. Attamen post magnam illam tribulationem ubi exhibuit Deus fidem verbis suis, & revelationi servi sui, cæpit ut creverat minui nubes, paulatimq; consumpta est Populus securus paululum factus, iterum audivit omnino esse migrandum: quod Civitas esset proximo Sabbatho peritura, migravit cum Imperatore tota Civitas. Nemo in domo remansit, nemo domum clausit: longè recedens à mænibus, & dulcia tecta respiciens, relictis clarissimis sedibus, voce miserabili valefecit. Et aliquot millibus tanta illa multitudo progressa, uno tamen loco fundendis ad Deum orationibus congregata magnum fumum subitò vidit, & vocem magnam emisit ad Deum: tandemq; tranquillitate conspecta, missis qui renuntiarent solicita, quæ prædicta fuerat hora transacta, & renuntiantibus quod salva universa mænia & tecta consisterent, omnes cum ingenti gratulatione redierunt. Nemo de domo sua quidquam perdidit patente, omnis homo sicut dimisit, invenit. Quid dicemus? Utrum ista ira Dei an potius misericordia fuit? Quis dubitet misericordissimum Patrem corrigere voluisse,

terren-

terrendo non perdendo punire, quando nihil hominum, nihil domorum, nihil mænium tanta impendens præsentia calamitatis, læsit? Prorsus sicut solent manus erigi ad feriendum, & consternato illo qui feriendus erat, miseratione revocari: ita factum est illi Civitati. *T: 9. lib: de urbis excidio. Tract: 11. de cap: 7.*

Fateor heu fateor, non solum quæ postulo, non debentur dona, sed multa exquisita supplicia. Animant tamen me publicani, meretrices, & latrones, qui à faucibus hostis momentaneè eruti, sinibus excipiuntur Pastoris. Tu enim factor omnium Deus licet in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen crederis esse in operibus pietatis. *T. 9. lib: Meditationum cap: 2.*

Mar. 9. 11.

POPULUS.

Cui populo erêandi magistratus, non adimenda potestas

SI populus sit bene moderatus & gravis, communisq; utilitatis diligentissimus custos, in quo unusquisq; minoris rem privatam, quàm publicam pendat, nonne tum lex rectè fertur, quia huic ipsi populo liceat creare sibi Magistratus per quos sua res, id est populi administretur? Porro si paulatim depravatus idem populus rem privatam Reipub: præferat, atque habeat venale suffragium, corruptusq; ab eis qui honores amant, regimen in se, flagitiosis consceleratisq; committat; nonnè item rectè, si quis tunc extiterit vir bonus, qui plurimum possit, adimat huic populo potestatem dandi honores, & in paucorum bonorum, vel etiam unius redigat arbitrium, & id rectè. Vide ibi plura. Appellemus istam legem si placet, temporalem, quæ quamvis justa sit, commutari tamen per tempora justè potest. *Tom: 1 lib: 1 de lib: arb: cap: 6.*

Prædicatori ratio temporis & auditoris spectanda.

A magnis & spiritualibus viris, Ecclesiæ Catholicæ alumnis video certissimè provideri, nè quid populariter agant, quod nondum esse temporis, ut cum populo agatur, intelligunt. Sapientiam enim loquuntur inter perfectos, carnalibus verò & animalibus, qvamvis novis hominibus, adhuc tamen parvulis, nonnulla obtegunt, sed nulla mentiuntur. *Ibid: lib: de Relig: c: 28.*

Tributorum onera subditos etiam in patriam armant

Sævitiis [intellige Patrum) plebs Roman: & maximè fænoris onere oppressa plebs, cum assiduis bellis tributum simul & militiam toleraret, armata montem sacrum atq; Aventinum insedit. Tumq; Tribunos plebis & alia sibi jura paravit, discordiarum & certaminis utrinq; finis fuit secundum bellum Punicum. *Tom: 5. lib: 2. de Civit: Dei cap: 18.*

Beata gens cujus Dominus Devs eorum. Una gens beata est pertinens ad cælestem civitatem, quæ sibi Dominum non nisi Deum suum elegit. Populus quem elegit Dominus in hereditatem sibi. Neq; hæc à seipsa sed Dei munere electa est, ut possidendo, eam incultam & miseram esse non sinat. *In psal: 32.*

POTENTIA SÆCULI

Potētia sequi debet justitiam non præire

POtentia adjuncta justitiæ vel justitia accedens potentiæ, judiciariam potestatem facit: pertinet autem justitia ad voluntatem bonam, potentia verò sequi debet justitiam non præire. Optandum est itaq; ut potestas nunc detur, sed contra vitia, propter quæ vincenda potentes nolunt esse homines, & volunt propter vincendos homines; ut quid hoc? nisi ut verè victi falsò vincant, nec sint veritate sed opinione victores; velit homo prudens esse, velit justus, appetat ut potens sit in se ipso, & miro modo adversus se ipsum pro se ipso. Quæ est igitur justitia, quâ victus est Diabolus;

Victor vitiorū verè victor

quæ? nisi justitia Jesu Christi? & quomodo victus est? quia cum in eo nihil morte dignum inveniret, occidit eum tamen. Et utiq; justum est, ut debitores quos tenebat, liberi dimittantur, in eum credentes, quem sine ullo debito occidit, hoc est quod justificari dicimur in Christi sanguine. *T: 3. lib: 13. de Trinit: c: 14.*

Indignis collatus honor civilis belli fomes est.

Plurimæ turbæ [loquitur de Romanis) seditiones, & ad postremùm bella civilia orta sunt, dum paucos potentes, quorum in gratiam plerumque concesserant sub honesto Patrum, aut plebis nomine, dominationes affectabant, boniq; & mali cives appellati, non ob merita in Rempub: omnibus pariter corruptis, sed uti quisque locupletissimus & injuriâ validior, quia præsentia defendebat, pro bono ducebatur. *T: 5. lib: 3. de Civit: Dei c: 17.*

Principes falsò possidentes regna. Dæmonibus comparantur.

Sicut Dæmones nisi eos quos fallendo deceperint, possidere non possunt; sic & homines principes non sanè justi, sed & Dæmonum similes, ea quæ vana esse noverant Religionis nomine, populis tanquam vera suadebant, hoc modo eos Civili societati, velut arctius alligantes quo similiter subditos possiderent. Quis autem infirmus & indoctus evaderet simul fallaces, & Principes Civitatis & Dæmones. *Ibid: lib: 4. c: 33.*

Tyranni & persecutores piorum.

Quæres locum ejus & non invenies. Ardet palea ut aurum purgetur: sic sævit impius ut justus probetur, modo quære locum peccatoris, invenies. De peccatore fecit Deus flagellum, dedit ei & honorem, dedit ei & potestatem. Aliquando enim facit hoc, dat peccatori potestatem, flagellantur inde res humanæ, emendantur inde pij. Factum est de illo unde proficiat pius, unde deficiat impius. Quæres locum & non invenies. Mansueti autem hereditate possidebunt terram. In æternum vivent cum Deo, & de Deo. Quæ erunt deliciæ ipsorum? Et delectabuntur in multitudine pacis. Delectetur hîc impius ille in multitudine auri, in multitudine argenti, in multitudine mancipiorum, in multitudine postremò opum diversarum, vinolentiæ latissimorum & luxuriosorum conviviorum. Hæc est potentia cui invides, iste flos est qui te delectat? Nonne & si semper sic esset, plangendus esset? Quæ erunt autem deliciæ tuæ? Et delectabuntur in multitudine pacis. Aurum tuum pax, argentum tuum pax, prædia tua pax, vita tua pax, Deus tuus pax, Quidquid desideras pax tibi erit. Quia hîc aurum quod est, non potest tibi esse argentum: quod vinum est non potest tibi esse panis: quod tibi lux est non potest esse potus. Deus totus, totum tibi erit. Manducabis eum ne esurias, bibes eum ne sitias, illuminaberis ab eo ne sis cæcus, fulcieris ab eo ne deficias, possidebit te totum integrum totus integer. Angustias non tibi patieris cum eo cum quo totum possides. Totum habebis, totum & ille habebit, quia tu & ille unum eritis, quod unum totum & ille habebit qui vos possidet. Hæ sunt reliquiæ homini pacifico! & noli putare quia finita est ista vita finitus est homo, quia sunt reliquiæ homini pacifico. *Con: 1. in psal: 36.*

Ps. 36. 10. *Ps. 36. 11.* *Ps. 36. 37.*

Res creatæ non satiant.

Refugium ad potentes mundi vanum.

Deus noster refugium & virtus. Sunt quædam refugia ubi non est virtus, quò quisque cum fugerit magis infirmatur, quam infirmatur. Confugis verbi gratia ad aliquem in sæculo magnum, ut facias tibi potentem amicum, refugium tibi videtur. Tanta tamen hujus sæculi incerta sunt, & ita potentum minæ quotidianæ crebrescunt, ut cum ad tale refugium confugeris plus ibi timere incipias. Antea enim causæ tuæ timebas tantùm, cum vero ad talem confugeris, & de illo tibi timebis. *In psal: 45.* *Ps. 45. 1.*

Gloriatio in malis operibus

Quid gloriaris in malitia qui potens es? Attendite fratres gloriam malignitatis, gloriam hominum malorum. Quæ est gloria? *Ps. 50. 3*

Qui

Qui in malitia potens est quod gloriatur? opus est potentem esse sed in bonitate non in malitia. Aliquid malum est gloriari in malitia. Ædificare domum paucorum est, destruere multorum. Unâ scintillâ omnem segetem incendere quivis potest. Suscipere infantem natum nutrire educare, ad juvenilem ætatem perducere magnum officium est, occidere vero illum uno puncto temporis quis potest? Ergo ea quæ ad destructionem fiunt, facillimè fiunt. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Qui gloriatur, in bonitate glorietur. Gloriaris, quia potens es in malo: quid facturus ô potens quid facturus es? Multum te jactas. Occisurus es hominem: hoc & scorpius, hoc & una febris, hoc & fungus malus. Huccine redacta est omnis potentia tua, ut uni malo fungo coæquetur? Hoc ergo faciunt boni Cives Hierusalem qui non in malitia, sed in bonitate gloriantur. Primo ut non in se sed in Domino glorientur, deinde ut ea quæ ad ædificationem faciunt studiosè faciant, & alia faciant. quæ valeant ad permanendum. Quæ autem faciunt ad destructionem, faciant propter disciplinam proficientium non propter oppressionem innocentium. *Expos: ps: 51.*

2. Cor. 1. 31. — *Gloriatio in malo fungus.*

Nescis quia potestatem habeo occidendi, & dimittendi te? At ille qui venerat & eum docere à quo judicabitur: Non haberes inquit in me potestatem, nisi desuper esset tibi data. Et homo & diabolus, & quælibet dæmonia non nisi accepta potestate nocent, sed proficientibus non nocent. Malis ita sunt tanquam ignis fæno, bonis ita sunt tanquam ignis auro. Manducatus est Judas ut fænum, probatus est Job ut aurum. *Con: 2. de 3. parte ps: 103.*

Ps 36. 10. — *Potestas etiam nocendi à Deo*

Aliquando injusti perveniunt ad honores sæculi. Cum pervenerunt & facti fuerunt vel Judices, vel Reges quia hoc facit Deus propter disciplinam plebis suæ, propter disciplinam populi sui, non potest fieri nisi ut exhibeatur illis honos debitus potestati. Ordinavit enim sic Deus Ecclesiam suam, ut omnis potestas ordinata in sæculo habeat honorem, & aliquando à melioribus. *Tom. 8. Exposit: psal: 124:*

Iniqui in officiis & dignitatibus.

O homo ô Princeps inter filios hominum. Vis esse inter principes quibus non est salus? Ideo ergo habeo salutem, quia tu mihi das. Tuum est enim quod das. Aut vero etiam tu das? vel hoc dicendum est quia tu das? Dicat & fistula quia & ipsa dat aquam: dicat canalis quia & ipse manat. Dicat & præco quia & ipse liberat. Ego in aqua attendo fontem, in voce præconis attendo judicem. Non eris tu plane author salutis meæ. Ille erit de quo securus sum, de te incertus sum. Si non sis arrogans non solum ego de te incertus sum, sed & tu de te. Ab illo ergo mihi salus qui est super omnia: quia Domini est salus: tu inter filios hominum, tu inter principes. *Enar: in psal: 145.*

Ps 36. 11. — *Deus dat omnia, licet per alios.*

Sicut novacula acuta fecisti dolum. Quare dolum potentis malæ novaculæ comparavit? quia non admittitur nisi ad superflua nostra. Sicut capilli in corpore nostro tanquam superflui videntur, & sine detrimento carnis raduntur: sic quidquid potest tibi facere iratus potens, inter superflua tua numera. Tollit paupertatem tuam: nunquid tollit divitias tuas? Paupertas tua, divitiæ tuæ. in corde tuo. *Et infra.* Para capillos, novaculam acuit: ablaturus est superflua tua, rasurus quidquid relicturus es. Tollat quidquid permanebit, si potest. Quid tulit potens nocens? Quid magnum tulit? Quod fur, quod effractor, ut multum sæviat quod latro. Si ad ipsum corpus occidendum permissus fuerit, quid tollit nisi quod latro? Honoravi, cum dixi, latro. Nam qualiscunque latro homo est. Quod febris, quod scorpius, quod fungus malus.

Ps 36. 37. — *Ps. 51. 4.* — *Ps. 45. 1.* — *Ps. 50. 3* — *Quam parum homini etiam totus mundus nocere possit.*

Ista

Ista tota potentia sævientium est, facere quod fungus. Manducant homines fungum malum & moriuntur. Ecce in qua fragilitate est vita humana, quam quandoq; relicturus es: noli pro illa sic pugnare, ut tu relinquaris. *T. 10. serm: de verb: Domini ser: 6. de puero Centurionis.*

POTESTAS.

Episcopis etiã brachium seculare advocandum.

Paulus Apostolus non vitæ suæ transitoriæ consulebat, sed Ecclesiæ Dei, quando contra illos qui eum occidere conspiraverant. Romanas etiam leges implorare minimè dubitavit Civem Romanum se esse proclamans: Cæsaris quidem poposcit auxilium, Romani quidem sed non Christiani. Ubi satis ostendit quid facere deberet postea Christi desponsatores [intelligit Episcopos] quando Imperatores Christianos periclitante Ecclesia reperirent. *Tom: 2. Epist: 50.* *Act. 12. 29.*

Omnis qui sine ulla legitimæ potestatis authoritate hominem occidit, homicida est: quamvis se ipsum occidit non sit homicida. Si non homo est. *T: 2. epist: 61.*

Cum amantur vana, perpetrantur mala, pauca quidem à te, sed multa propter te, & cum timentur, quæ ad exiguum tempus nocent, committuntur ea, quæ verè in æternum noceant. *Tom: 2. epist: 70.*

Ecclesia cogere potest ad bonũ.

Omnes gentes servient ei, quod utiq; quantò magis impletur, tantò majore utitur Ecclesia potestate, ut non solùm invitet, sed etiam cogat ad bonum. *Ibidem epist: 204.* *Ps. 71. 11.*

Judicia illis & publicas potestates & militares impetus, tanquam executores Apostolicæ sedis sententiam rumores creberrimi comminantur: non sinas ista fieri obsecro te per Christi sanguinem, per Apostoli Petri memoriam, qui Christianorum præpositos populorum monuit, nè violenter dominentur inter fratres. *Tom: 2. epist: 262.*

Si quis putat quoniam Christianus est, non sibi esse vectigal reddendum, aut non esse exhibendum honorem debitum eis, qui hæc curant, potestatibus in magno errore versatur. Item si quis putat se esse subdendum, ut & in fide sua habere potestatem arbitretur eum, qui temporalibus administrandis, aliqua sublimitate præcellit, in majorem errorem labitur. Sed modus iste servandus est, quem Dominus ipse præscribit, ut reddamus Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt. *Tom: 4. in epla: ad Roman: fol: 375.* Reconde gladium tuum; qui enim gladio usus fuerit, gladio cadet. Ille utitur gladio, qui nulla superiori ac legitima potestate, vel jubente vel concedente in sanguinem alicujus armatur. Nam utiq; Dominus jusserat, ut ferrum Discipuli ejus ferrent. *Tom: 6. lib: 22. con: Faustum: cap: 70.*

Quomodo intelligi debet dictum Christi de non resistendo malo.

Si fieri potest ut aliquando rectè per vim corporalem resistatur violentis, nec ideo præceptum violetur quod audivimus à Domino: ego autem dico vobis non resistere malo: cur non etiam hoc fieri potest, ut per ordinatas & legitimas potestates de sedibus quæ illicitè usurpantur, vel ad injuriam Dei retinentur, pius expellat impium, & justus injustum? Neq; enim eo modo persecutionem passi sunt pseudoprophetæ ab Helia, quomodo ipse Helias à Rege nequissimo: Aut quia flagellatus est Dominus à persecutoribus, propterea passionibus ejus comparandi sunt, quo ipse de Templo flagellatos ejecit. *T: 7. lib: 2: con: lit: Petil: c: 14.*

Devorant populum meum sicut cibum panis. Id est quotidie:

Ps. 36. 10. die: cibus enim panis quotidianus est. Devorant autem populum qui sua commoda ex illo capiunt, non referentes ministerium suum ad gloriam Dei, & ad eorum, quibus præsunt salutem. *In ps*: 13. *Sæva.*

Judex esse vis? Potes meritis, vel pecunia: nondum reprehendo. Fortasse enim prodesse cupis rebus humanis, & emis, ut sis, ut servias justitiæ, non parcis pecuniæ. Prius propter te, esto judex in te prius judica te de te, ut de penetrali conscientiæ securus procedas ad alterum. In te ipsum redi, te attende, te discute, te audi. Ibi te volo probare integrum judicem, ubi non quæris testem. Procedere cum potestate, ut alter tibi dicat de altero quod tu nescis. Prius intus judica. Nihil tibi de te dixit conscientia tua? *T*: 10. *de Temp*: *ser*: 94. *sab*: *post*: 3. *Dnicam Quadrag*: *ser*: 1. *Iudicia temeraria.*

PRÆCEPTUM DEI.

ITa peccantem hominem Deus ordinavit turpem, non turpiter. Turpis enim factus est voluntate, universum amittendo, quod Dei præceptis obtemperans possidebat, & ordinatus in parte est, ut qui legem agere noluit, à lege agatur. *T*: 1. *l*: 6. *Music*: *c*: 11. *Peccatum sui pœna.*

Ex quo incipit homo præcepti esse capax, ex illo incipit posse peccare. *Ibid*: *lib*: 3. *de lib*: *arbit*: *c*: 24.

Mandatum Dei est, de quo non judicandum, sed ei obtemperandum fuit. *Tom*: 4. *lib*: 2 *Exod*: 9 6.

Idem præceptum timentibus lex est, amantibus gratia est. Inde est illud in Evangelio: Lex per Moysen data, gratia & veritas per JESUM Christum facta est *T*. 4. *l*: 1. *ad simplic*: *c*: 1. *ad finem*. *Præceptum timori lex est. Amori gratia*

Nec mirum est, quod dantur præcepta majora, propter Regnum cælorum, & minora data sunt præcepta propter Regnum terrenum, ab eodem uno Deo qui fecit cælum & terram. *Tom*: 4. *lib*: 1. *de serm*: *in mont*: *cap*: 1.

Divino intonante præcepto obediendum non disputandum. *Tom*: 5: *lib*: 16 *de Civit*: *Dei cap*: 32.

Sicut æger non debet reprehendere medicinalem doctrinam, si aliud illi hodie præceperit, aliud cras, prohibens etiam quod antea præceperat, sic enim se habet, sanandi ejus corporis ratio: ita genus humanum ab Adam usq; in finem sæculi: quamdiu corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, ægrum atq; saucium, non debet divinam reprehendere medicinam, si in quibusdam hoc idem, in quibusdam verò aliud prius, aliud posterius observandum esse præcepit, præsertim quia se aliud præcepturum promisit. *Ibid*: *lib*: 32. *cap*: 14: *Novæ & antiquæ legis præcepta*

Deus non impossibilia jubet, sed jubendo admonet & facere, quod possis, & petere quod non possis. *T*: 7. *l*: *de naa*: *& graa*: *c*: 43.

Cur præciperetur quod fieri omnino non posset: Respondetur. Consultissimè homini præcipi: ut rectis passibus ambulet, ut cum se non posse perspexerit, medicinam requirat, quæ interioris hominis, ad sanandam peccati claudicationē, gratia Dei est, per JESUM Christum Dominum nostrum. *T*. 7. *l*: *de perf*: *Iust*: *c*: 3. *Difficillima præcipit.*

1. Cor. 6. Præcipit ut habeatur charitas, corripit quia non habetur charitas: orat Apostolus ut abundet charitas. O homo in præceptione cognosce quid debeas habere, in correptione cognosce tuo te vitio non habere: in oratione cognosce unde accipias quod vis habere. *Ibid*: *lib*: *dá correp*: *& graa*: *c*: 3. *Præcepta correptio oratio.*

Experimento disce quod noluisti præcepto. Si vincit cupiditas cur non potius veritas? *In psal*: 57.

Hæc inquit fecisti & tacui. Quid est tacui? Nunquam tacet

Toleratio Dei in peccatis. præcepto sed interim tacet supplicio. Quiescit à vindicta, non profert in damnatum sententiam. *In psal*: 74. *Ps. 49. 21.*

Quia præceptum ipsi Israel est, & judicium Deo Jacob. Ubi præceptum, ubi judicium. *In psal*: 80.

In quo corrigit junior viam suam? In custodiendo verba tua. *Ps. 118. 9.* *Præcepta Dei observanda à juventute.* Interrogat se & respondet sibi. In quo corrigit junior viam suam? hucusq; interrogatio est, deinde responsio, in custodiendo verba tua. Sed hoc loco custoditio verborum Dei intelligenda est operatio præceptorum. Frustra enim custodiuntur memoria, si non custodientur & vita. *Et infra*. An forte admonitio qua ætate potissimum fieri debeat: secundum illud quod alibi scriptum est. Fili à juventute tua excipe doctrinam, & usq; ad canos invenies sapientiam. *Et infra*. Tertius quoq; intellectus mihi occurrit quem quidem ego quantum pro modulo meo sapio duobus superioribus antepono. Ut senior agnoscatur vetus homo, & novus senior. Senior qui portat imaginem terreni hominis, junior qui cælestis: quia non prius quod spirituale est, sed quod animale postea spirituale. Sic ergo licet quilibet quantum ad ætatem pertinet corporis annosa vetustate decrepitus, junior erit apud Deum præcepta gratiæ novitate conversus. *Con*: 5. *in psal*: 118.

Ne abscondas à me mandata tua. Sed qui tandem sunt à quibus Deus abscondat mandata sua? Nonne illa ubiq; Deus voluit prædicari? Utinam quàm multis clara sunt, tam multis chara sint. *Con*: 8. *in psal*: 118. *Ps. 118. 19.*

Ut promissio ex fide JESU Christi daretur credentibus. Ita Domine ita fac misericors Domine, impera quod non possit impleri, imo impera quod nonnisi per tuam gratiam possit impleri, ut cum homines per suas vires adimplere nequiverint, omne os obstruatur, & nemo sibi magnus videatur. Sint omnes parvuli & reus fiat omnis mundus tibi, quia non justificabitur ex lege omnis caro, coram te Deo: per legem enim cognitio peccati *Concione* 27 *in psal*: 118.

Mandata Dei facilia Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in commune posse servari. *Tom*: 10. *de Temp*: *ser*: 191. *in festo S*: *Trinitatis serm*: 3.

Si vis venire ad vitam, serva mandatum? Quis est qui nolit vitam? & tamen quis est qui velit servare mandatum? Si mandata servare non vis, quare vitam quæris? Si ad opus piger es, quare ad mercedem festinas? *Ib*: *ser*: 205. *Dnica* 5. *post festum S. Trinit*: *ser*: 1. *Matt. 19. 17.*

O homines stulti, quid mali imperat Deus? ut non mereatur audiri: Sic enim dicit, Primitias areæ tuæ, & torcularis tui non tardabis offerre mihi Si tardius dare peccatum est, quantò pejus est non dedisse? *Ibid*: *ser*: 218. *Dnica* 12. *post festum S. Trinit*. *Ex. 22. 29.*

Servus amicus. Vos inquit amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Magna dignatio? Cum servus bonus esse non possit, nisi præcepta Domini sui fecerit: hinc amicos suos voluit intelligi, unde servi boni possunt probari. Sed ut dixi ista dignatio est, ut Dominus quos novit servos suos, dignetur dicere amicos suos *Tom*: 9. *In Evan*: *Ioan*: *Tract*: 85 *de cap*: 15. *Io. 15. 14.*

Decalogus legis decem præcepta habet: quæ decem præcepta sunt sic distributa, ut tria pertineant ad Deum, septem pertineant ad homines *T*. 9. *l*: *de* 10. *chordis cap*: 15.

Honor parentum Honora Patrem tuum & Matrem tuam, hoc est primum mandatum Quomodo primum quando quartum mandatum est: nisi quia septenario numero est primum. Ad dilectionem proximi primum *Ex. 20. 12.*

primum est, in secunda tabula: nam ideo duæ tabulæ legis datæ sunt. *Ibidem cap:* 6.

PRÆDESTINATIO,

QUis enim nos discernit. Ex eadem massa, vasa in honorem, ex qua & alia sunt facta in contumeliam. *T:* 1. *l:* 19. *conf: c:* 14. *Prædestinatio abyssus.*

Cur ad eam [intellige prædestinationem) alij pertineant, alij non pertineant? occulta causa esse potest, injusta non potest, nunquid enim iniquitas apud Deum? absit. *Ibid: ep:* 59.

Cur autem illum potius quàm illum liberet, aut non liberet? scrutetur qui potest judiciorum ejus tam magnum profundum; verumtamen caveat præcipitium. Nunquid enim est iniquitas apud Deum? absit; & in majoribus duntaxat ætatibus meritò dici potest, hi noluerunt intelligere, ut bene agerent: hi quod gravius est, intellexerunt, & non obedierunt. *Ibid: ep:* 105. *Reprobatio, hominis opus est.*

Quid diligebat in Jacob, antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ donum? & quid oderat in Esau antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum: nam neque in illo diligeret justitiam, quam nullam ille fecerat, neq; in illo odisset naturam, quam bonam ipse perfecerat. *Ibidem.* *Rom. 9 13.*

Ergo cujus vult miseretur, & quem vult obdurat: profectò neutrum aliqua iniquitate, sed utrumq; misericordia & veritate. *Ibidem epist:* 106. *Rom. 9 18.* *Electio & reprobatio.*

Aliud vas in honorem, aliud in contumeliam: Hæc massa si esset ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam. Cum verò per liberum arbitrium primi hominis, in condemnationem universa defluxerit; proculdubio quod ex ea vasa fiunt in honorem, non ipsius justitiæ, quæ gratiam nulla præcessit; sed Dei misericordiæ: quod verò in contumeliam, non iniquitati Dei, quæ absit ut sit apud Deum, sed judicio deputandum est. Hoc quisquis cum Ecclesia sapit, non contra gratiam pro meritis disputat, sed misericordiam & judicium Domino cantat, ut nec misericordiam recuset ingratus, nec judicem accuset punitus. *Ibidem epist:* 106. *Electus misericordiam cantet, judicium non accuset punitus.*

Ubi ergo liberatur indignus, tantò debetur major gratiarum actio, quantò pœna justior debebatur; ubi autem damnatur dignus, nec misericordia nec veritas impeditur. *Ibid: ep:* 106.

Vult omnes homines salvos fieri: tanquam diceretur, nullum hominem fieri salvum, nisi quem salvum fieri ipse voluerit: non quod nullus sit hominum, nisi quem salvum fieri velit; sic intelligimus in Evangelio scriptum, qui illuminat omnem hominem: non quia nullus est hominum, qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur: aut certè sic dictum est; qui omnes homines vult salvos fieri, non quod nullus hominum esset, quem salvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit acturos fuisse pænitentiam, si fecisset: sed ut omnes homines, omne genus humanum intelligamus per quascunq; differentias distributum, Reges, privatos, Nobiles, ignobiles, sublimes, humiles, doctos, indoctos, integri corporis, debiles, ingeniosos, fatuos, divites, pauperes, mares, fæminas, pueros, juvenes, senes in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in professionibus omnibus, in voluntatum omnium & conscientiarum varietate innumerabili constitutos, & si quid aliud differentiarum est in omnibus. *Tom:* 3. *Enchirid: c:* 103. *1. Tim. 2. 4.* *Quomodo vult omnes salvos.*

Prædestinatorum nemo cum Diabolo peribit, neque usque ad mortem sub Diaboli potestate remanebit. *T. 3. l: 13. de Trin: c: 16.*

Vocatio occulta. Ubi eum posuistis? Vocationem nostram, quæ fit in occulto arbitror significari. Prædestinatio enim vocationis nostræ occulta est : cujus secreti signum est interrogatio Domini quasi nescientis, cùm ipsi nesciamus. *Ibid quæst: 65.* *Io. 11. 34.*

Ad illam enim cænam quam Dominus dicit in Evangelio præparatam, nec omnes qui vocati sunt venire voluerunt: neque illi qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur ; Itaque nec illi sibi debent tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt : nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantùm sibi, quoniam ut venirent, vocati erant, in libera voluntate, vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. *Ibid: lib: 83. qu. 68.*

Et infra. Multos loquendo incitavit ad fidem , multi nec suscitatis mortuis crediderunt: De cruce atq; morte ejus conterriti etiam discipuli titubârunt, & tamen latro tunc credidit , cum eum non præstantiorem videret in operibus, sed consortio crucis æqualem. *Et infra.* Hoc est verbum consummans & brevians quod fecit Dominus super terram , quâ consummatione & breviatione latro justificatus est , qui defixis in Cruce omnibus membris , & habens libera hæc duo, corde credidit ad justitiam, ore confessus est ad salutem. Ex latrocinio fixus in cruce, ex cruce in Paradisum translatus est. Et concludit. Nunquid iniquitas est apud Deum ? exigentem à quo placet , donantem cui placet : qui nequaquam exigit indebitum , nequaquam donat alienum. Quare tamen & huic ita, & huic non ita ? Homo tu quis es ? debitum si non reddis, habes quod gratuleris : si reddis non habes quod queraris. *Tom: 4. lib: 1: ad simpl: cap: 2. per totum usq; ad fin. fusè, doctè, verè.*

Porro si audiam quod aliquid futurum erat, sed Deus fecit nè fieret : fidelissimè respondebo, illud potius futurum erat, quod Deus fecit, non illud, quod si futurum esset, hoc fecisset : nam Deus quod facturus erat, utiq; sciebat, & ideo simul sciebat, illud futurum non fuisse, quod ne fieret facturus erat : & proculdubio potiùs verum est, quod scit Deus, quàm quod opinatur homo : Vnde, tam non possunt futura non fieri, quàm non fuisse facta præterita : quoniam non est in Dei voluntate, ut eò sit aliquid falsum, quò verum est. Quapropter omnia quæ verè futura sunt, sine dubio fient, si autem facta non fuerint, futura non erant ; ita omnia, quæ verè præterita sunt, sine dubio præterierunt. *Tom: 6. lib: 26. con: Faustum: cap: 4.*

Peccata electionem Dei non impediunt. Sunt quidam ex eo numero, qui adhuc nequiter vivant, aut etiam in hæresibus, vel in gentilium superstitionibus jaceant ; & tamen etiam novit illic Dominus, qui sunt ejus. Namq; in illa ineffabili præscientia Dei , multi qui foris videntur, intus sunt ; & multi, qui intùs videntur, foris sunt. *T. 7. l: 5. con: Donatist: c: 27.*

Electi triticum sunt. Quicunq; boni in æternum futuri sunt , & si ad tempus mali sunt, non zizania sed triticum sunt in præscientia Dei. *Tom: 7. lib: de unitate Ecclesiæ cap: 19.*

Electi non ex operibus præcognitis sed ex gratia Dei fiunt. Reliquiæ per electionem gratiæ factæ sunt? Et nè fortè ante constitutionem mundi ex operibus præcognitis putarentur electi: *Rom. 11.* secutus est & adjunxit : si autem gratia, jam non ex operibus ; alioquin gratia jam non est gratia. Ex isto numero Electorum & Prædestinatorum , etiam qui pessimam duxerunt vitam , per Dei benignitatem adducuntur ad pænitentiam , per cujus patientiam non sunt huic vitæ in ipsa scelerum perpetratione subtracti : ut ostendatur & ipsis & aliis cohæredibus eorum, de quàm profundo malo

malo possit Dei gratia liberare: ex his nemo perit, quacunque ætate moriatur. Absit enim ut prædestinatus ad vitam sine Sacramento Mediatoris finire permittatur hanc vitam. Propter hos Dominus ait: hæc est autem voluntas ejus, qui me misit, Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo. Cæteri autem mortales, qui ex isto numero non sunt, ex eadem quidem massa, ex qua & isti, sed vasa iræ facti sunt, ad utilitatem nascuntur istorum. Istorum neminem adducit ad pænitentiam salubrem & spiritualem, quâ homo in Christo reconciliatur Deo, sive illis ampliorem patientiam, sive non imparem præbeat. *Ibid: lib: 5: con: Iulian: c:* 14.

Electus sine Sacramento non moritur.

Io. 11. 34.

Si quisquam duos habeat debitores, ut alteri vellet dimittere debitum, alterum exigere: cui vult donat, sed neminem fraudat. Nec acceptio personarum dicenda est, quando iniquitas nulla est. *Et infra.* Hic tota justitia est, hoc volo, tibi inquit reddidi, huic donavi: neque ut huic donarem, tibi aliquid abstuli, aut quod debebam vel minui, vel negavi, an non licet mihi facere quod volo. *Ibid: lib: 2. ad Bonifac: cap:* 7.

Electio Dei.

Matt. 20. 15

Præscientia Dei, eos quos sanaturus est peccatores prænoscit non facit. *Ibid: lib: 1: de anim: cap:* 7.

Scientia Dei sanandos prænoscit, non facit.

Quos autem prædestinavit, eos & vocavit, & ex illis nullus perit, quia omnes electi sunt: electi sunt autem, quia secundùm propositum vocati sunt, propositum autem non suum sed Dei, de quo alibi dicit ut secundùm electionem, propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocatione dictum est ei, quia major serviet minori, *Ibid: lib: de corrept: & gratia: c:* 6.

Rom. 2. 30.

Hîc si à me quæratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit? quibus eam qua Christianè viverent, dilectionem dedit; me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum audio dicentem Apostolum: o homo tu quis es, qui respondeas Deo. & Altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus. *Ibidem cap:* 8:

Cur nō omnes perseverent ratio est iudicium Dei.

Patiantur homines se corripi quando peccant, ut si is qui corripitur, ad prædestinatorum numerum pertinet, sit ei correptio salubre medicamentum, si autem non pertinet, sit ei correptio pænale tormentum. Sub isto ergo incerto ex charitate adhibenda est, cujus exitus ignoratur, & pro illo cui adhibetur orandum est, ut sanetur. *Ibid: cap:* 14.

Correptio non recusanda.

Omnes homines vult salvos fieri, ut intelligantur prædestinati: potest etiam sic intelligi, quod omnes homines vult Deus salvos fieri, quoniam nos facit velle. *Ibidem c:* 15

Quomodo intelligendum. Omnes homines vult salvos.

2. Reg. 5. 1.

Omnes viri bellatores dirigentes arcum corde pacifico, venerunt in Hebron, ut constituerent David super omnem Israel: sua voluntate utiq; isti constituerunt Regem David, quis non videat? & tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum, quod voluerit, operatur, intùs egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit: si ergo cùm voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas: quis alius facit, ut salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correctio, ut cælesti constituatur in Regno. *Ibidem.*

1 Tim. 2. 4.

Correptio ut prosit, Deus facit.

Rom. 11.

Quantùm ad nos pertinet, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, & ob hoc omnes salvos fieri velle debemus: omnibus nè pereant vel nè alios perdant, adhibenda est à nobis medicinaliter severa correptio, Dei autem est illis eam facere utilem quos ipse præscivit & prædestinavit conformes imaginis Filij sui. Si enim aliquando timore non corripimus, nè aliquis

Superiorū est corripere, Dei salutarem efficere correptionem.

quis inde pereat; cur non etiam timore corripimus, nè aliquid inde plùs pereat. *Ibid: cap: 16.*

Prædestinatio & gratia diversa sunt

Si discutiatur & quæratur unde quisq; sit dignus? Non desunt qui dicunt voluntate humana. Nos autem dicimus gratiâ vel prædestinatione divina, inter gratiam porrò & prædestinationem hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia verò ipsa jam donatio. *T: 7. l: 1. de Prædestinatione c: 10.*

Etiam Christus fuit prædestinatus.

Est præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ, ipse salvator, ipse Mediator Dei & Hominum Homo Christus Jesus: qui hoc ut esset, quibus tandem suis vel operum vel fidei præcedentibus meritis, natura humana, quæ in illo est comparavit. *Et infra.* Cur diversa est gratia ubi natura communis est? *Et infra.* Nam & ipsum Dominum gloriæ, in quantum Homo factus est Dei Filius, prædestinatum esse didicimus. Clamat Doctor gentium in capite Epistolarum suarum, Factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei, in virtute secundùm spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum. *Ibid: c: 15.* Rom. 1

Prædestinatio homines prævenit, non sequitur.

Non vos elegistis me, sed ego vos elegi. Non ob aliud dicit, nisi quia non elegerunt eum, ut eligeret eos; sed ut eligerent eum elegit eos: quia misericordia ejus prævenit eos; secundum gratiam, non secundum debitum. *Ibid: cap: 17.* Io. 15. 16.

Regni possessio, divinæ, cælum humanæ subest voluntati.

Crediderunt quotquot erant ordinati in vitam æternam. Cogitate quale sit ut credamus? ad constituenda Regna terrena hominum voluntates operari Deum, & ad capessendum Regnum cælorum homines operari voluntates suas. *Ibid: c: 20.*

Sive reprobat sive eligit misericodia Dei est.

Itaq; misericordiam ejus in his qui liberantur, & veritatem in his qui puniuntur, sine dubitatione credamus. Neq; inscrutabilia scrutari, neq; investigabilia vestigare conemur. *Tom: 7. lib: 2. de dono perseveran: cap: 11.*

Etiam Deus cum reprobat bonus est.

Bonus in beneficio certorum, justus in supplicio cæterorum; & bonus in omnibus, quia bonum est cum debitum redditur, & justus in omnibus, quoniam justum est, cum debitum sine cujusquam fraude donatur. *Ibid: c: 12.*

Quid est prædestinatio.

Prædestinatio Sanctorum nihil aliud est, quàm præscientia, scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunq; liberantur. Cæteri autem ubi nisi in massa perditionis, justo divino judicio relinquuntur? Ubi Tyrij relicti sunt & Sidonij, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent; sed quoniam ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum. *Ibid: c: 14.* Matt. 11. 21.

In nullo gloriandum.

In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est. *Ibid: c: 15.*

Prædestinationi cooperandũ esse illustratur exempla.

Fuit quidam in nostro monasterio, qui corripientibus fratribus, cur quædam non facienda faceret, & facienda non faceret? Respondebat. Qualiscunque nunc sim, talis ero, qualem me Deus futurum esse præscivit: qui profectò ut verum dicebat, & hoc vero non proficiebat in bono; sed usq; adeo profecit in malum, ut deserta monasterij societate, fieret canis reversus ad vomitum, & tamen adhuc qualis sit futurus, incertum est. Nunquid ergo propter hujusmodi causas, ea quæ de præsentia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt, vel tacenda? tunc scilicet quando si non dicatur, in alios itur errores. *Et infra.* Cum autem res vera ita se habet, ut fiat pejor nobis eam dicentibus ille qui capere non potest; nobis autem tacentibus, ille qui potest quid putamus esse faciendum? Nonnè potius dicendum est verum, ut qui potest capere capiat, quam tacendum, ut non solùm id ambo non capiant, verùm etiam qui est intelligentior ipse sit pejor. Qui si audiret & caperet, per

per illum etiam plures discerent. Quò enim est capacior ut discat, eò magis est idoneus ut alios doceat. *Ibid: c: 15. & 16.*

In sua, quæ falli mutariq; non potest, præscientia; opera sua futura disponere; id omnino nec aliud quidquam est prædestinare. *Ibidem cap: 17.*

Et si qui sunt nondum vocati pro eis ut vocetur oremus: Fortassis enim sic prædestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur, accipiant eandem gratiam, quâ velint atque efficiantur electi. Deus enim qui omnia quæ prædestinavit, implevit, ideo & pro inimicis fidei orare nos voluit; ut hinc intelligeremus, quod etiam ipse infidelibus donet ut credant, & volentes ex nolentibus faciat. *Ibidem cap: 22.*

Prædestinatus si non es, ora ut fias.

An verò timendum est, nè tunc de se homo desperet, quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo, non autem desperaret, si eam in se ipso superbissimus & infelicissimus poneret. *Ibidem.*

Ex ignorãtia prædestinationis non est desperandum.

Rom 11 Ad hoc profundum secretum, altumq; silentium cum venisset
33. Apostolus, exclamavit: quasi quodã ipsius altitudinis horrore perculsus. O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei. *In ps: 7.*

In manibus tuis sortes meæ. In potestate tua sunt sortes meæ.
Ps. 30. Non enim illum video meritum quo de universa impietate generis
16. humani me potissimum elegisti ad salutem, & si est apud te justus & occultus ordo electionis meæ, ego tamen, quem hoc latet ad tunicam Domini mei sorte perveni. *T. 8. præfat: in psal: 30:*

Electio ad gloriam, gratuita est.

Ps. 57. Alienati sunt peccatores à vulva. Quid est hoc quæramus dili-
4. gentius, fortassis enim illud dicit quia præcognovit homines peccatores etiam in uteris matrum. *In psal: 57.*

Præscientia Dei.

Quia solis prædestinatis ad æternam salutem, non autem omnibus hominibus, nec ipsis inter quos facta sunt, ejus bona opera profuerunt, ideo consequenter adjecit: nunquid mortuis facies mirabilia? *In psal 87.*

Novit Dominus qui sunt ejus. Et si in hoc sæculo non potest ab injustis recedere, recedat ab injustitia omnis qui nominat nomen Domini. *In psal: 104*

Inter iniquos quomodo versandum.

1. Io. 2. Si ex nobis fuissent, permansissent utiq; nobiscum, sed si forte
19. nostri sunt in occulta præscientia Dei, necesse est ut redeant. Quàm multi non nostri adhuc quasi intus, & quam multi nostri adhuc quasi foris? Novit enim Dominus qui sunt ejus. Et illi non nostri qui intus sunt quando occasiones invenerint, exeunt: & illi nostri qui foris sunt, quando occasiones invenerint, redeunt. *In ps: 104.*

Electi etiam ex pessimis.

Salutare tuum secundum eloquium tuum. Ab eo quippe hoc promissum est, qui vocat ea quæ non sunt tanquam sint. Nondum enim erant quibus promitteretur, ne quisquam de meritis gloriaretur. Et quibus promissum est, etiam ipsi promissi sunt: ut totum corpus Christi dicat: gratia Dei sum id quod sum. *Concione 13. In psal: 118.*

Prædestinatã gratia.

De nondum natis erit major serviet minori Apostolus dixit.
Gen. 25 Quod meritum habere nondum nati potuerunt, antequam quisquã
23. eorum egisset boni vel mali. Non ergo se extollat Jacob, non glorietur, non suis meritis tribuat. Ante est præcognitus, ante prædestinatus, ante electus: non suis meritis electus, sed gratia Dei inventus & vivificatus. Sic & omnes gentes. Nam ut insereretur, quod meruit oleaster? amaritudine baccarum sterilitate sylvestri? Lignum quippe erat sylvæ, non agri Domini, & tamen ille per misericordiam suam, & oleastrum inseruit in olivam. *Enar: psal: 134.*

Elegit nos ante merita nostra.

Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis inquit
Ps 147 omnia vocans. Sunt stellæ quædam, lumina in Ecclesia, consolan-
4.

Electi Dei, stellæ.

tia no-

tia noctem nostram, omnes de quibus dicit Apostolus. In quibus apparetis tanquam luminaria in mundo. In ista inquit natione tortuosa & perversa, in quibus apparetis tanquam luminaria in mundo, verbum vitæ habentes. Istas stellas numeret Deus. Omnes secum regnaturos, omnes aggregandos corpori unigeniti sui numeratos habet, & numerat eos. Qui indignus est nec numerabitur. *Enar: in psal:* 146.

S. Paulus crystallum. Nihil nobis in isto viro notius, nihil suavius nihil in scripturis familiarius est. Et si fuerint qui ex tanta duritia convertantur in quanta ipse fuit, panis fient. Ipso proposito ad exemplum omnes occurrant, ut explicetur sensus iste. Mittit crystallum suum sicut frusta panis. *Ps. 147 6.* Ecce crystallus erat Apostolus Paulus, durus obnitens veritati, clamans adversus Evangelium, tanquam indurans adversus solem. Iste quam durus fuit crescens in lege eruditus ad pedes Gamalielis legis doctoris, Non audiebat Moysen & Prophetas Christum prædicantes, Magna duritia! *Et infra.* Quia ergo crystallum erat, nitidus videbatur & candidus: sed durus & nimium gelidus. *Et infra.* Inter lapidatores Sancti Stephani Martyris, ubi erat iste durus, & forte cæteris durior. Omnium enim lapidantium vestimenta servabat, ut omnium in manibus lapidaret. *Et infra.* Sed licet sint inter prædestinatos durissimi, & multo quasi tempore congelaverint, & crystallus facti fuerint: non erunt duri misericordiæ Dei. Emittet verbum suum & tabefaciet ea. *Ps. 147 18.* *T. 8. Exposit: psal:* 147.

Mitte retia: in dexteram partem. Miserunt, cæperunt: certus est numerus, nemo est ibi super numerum. *Io. 21. 6.* Modo autem quanti super numerum accedunt ad altare, qui in populo Dei videntur, & in libro vitæ non scribuntur. Ibi ergo certus numerus est. *Electi Dei omnes magni.* De quibus piscibus & vos esse affectate: non audiendo tantum & laudando, sed intelligendo, & bene vivendo. Mittuntur ergo retia, capiuntur pisces magni: Quis est enim ibi tunc parvus, quando erunt æquales Angelis Dei? Capiuntur ergo pisces magni centum quinquaginta & tres. *Tom:* 10 *serm: de Temp: serm:* 132: *feria* 4 *Paschæ serm:* 1.

Numeratos habet suos Deus. Alius est numerus: alij super numerum. Numerus est de quibus dicit Apostolus: Novit Dominus qui sunt ejus. Super numerum autem: Quoniam in magna domo non solum vasa sunt aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: alia quidem in honorem, alia in contumeliam. Numerus ergo vasa in honorem: super numerum vasa in contumeliam. *Et infra.* Eundem aspectum habet justus & injustus. Uterq; homo, sed non uterque domus Dei. Et si ambo Christiani appellantur, utrumq; vas, sed non utrumque in honorem: Sed aliud in honorem, aliud in contumeliam. *Rom 9 29.* Nunquid propter mala vasa deserenda est domus magna: Novit uti Deus, id est Dominus magnæ domus, & vasis in honorem, & vasis in contumeliam. Sicuti est malorum male uti etiam bonis; sic è contra Dei bene uti etiam malis. *Et infra* Aut quis prior dedit illi, & retribuetur illi? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula sæculorum. Nobis consideratio, admiratio, tremor, exclamatio: quia nulla penetratio. Ipsi autem quid? Gloria in sæcula sæculorum Sive de vasis in honorem, sive de vasis in contumeliam: ipsi gloria in sæcula sæculorum. Alios coronat, alios damnat, nusquam erat. Alios probat, alios de aliis probat; omnes ordinat. *Ibid: serm:* 254. *In dedicat: templi serm:* 3.

Cum esses sub arbore ficu, vidi te, tanquam diceret: cum esses *Io. 1. 48.* in umbra peccati prædestinavi te. *T:* 10. *de diver: serm:* 9.

Sed

Sed quid putamus? Qui audierunt oves erant? Ecce audivit Judas, & lupus erat: sequebatur sed pelle ovina tectus pastori insidiabatur. Alioqui verò eorum, qui Christum crucifixerunt, non audiebant: & oves erant: ipsos enim videbat in turba, quando dicebat. Cum exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia
Io. 18. 3. ego sum. Quomodo ista solvitur quæstio? Audiunt non oves, & non audiunt oves: sequuntur vocem pastoris quidam lupi, & ei quædam contradicunt oves, postremò pastorem occidunt oves. Solvitur quæstio: respondit enim aliquis & dicit: Sed quando non audiebant oves nondum erant, tunc lupi erant: vox audita eos mutavit, & ex lupis oves fecit. *Et infra.* Quàm multi modo luxuriantur casti futuri, quam multi blasphemant Christum, credituri in Christum, quàm multi se inebriant futuri sobrij, quàm multi rapiunt res alienas donaturi suas! Verumtamen modo vocem alienam audiunt, alienos sequuntur. Item quàm multi intus laudant blasphematuri, casti sunt fornicaturi, sobrij sunt, se vino postea sepulturi; stant casuri non sunt oves. De prædestinatis enim loquimur. De his loquimur quos novit Dominus qui sunt ejus *Tom: 9. in Evan: Ioan: Tract: 45. de cap: 10.*

Hypocrysis lupi oves.

Deum præscium futurorum, per Prophetam prædixisse infidelitatem Judæorum: prædixisse tamen non fecisse. Non enim propterea quenquam Deus ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata jam novit: ipsorum enim præscivit peccata non sua, cujusquam alterius, sed ipsorum. Quapropter si ea quæ ille præscivit ipsorum, non sunt ipsorum, non verè ille præscivit. Sed quia illius præscientia falli non potest: sine dubio non alius sed ipsi peccant, quos Deus peccaturos esse præscivit. Fecerunt ergo peccatum Judæi, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet, sed facturos esse prædixit, quem nihil latet. Et ideo si non malum sed bonum facere voluissent, non prohiberentur: & hoc facturi præviderentur ab eo, qui novit, quid sit quisq; facturus, & quid ei sit pro ejus opere redditurus. *Et infra.* Nunquid iniquitas est apud Deum? Absit. Si ergo absit ut sit iniquitas apud Deum: sive quando adjuvat misericorditer facit, sive quando non adjuvat, justè facit, quia omnia non temeritate, sed judiciò facit. Porro si judicia Sanctorum justa sunt, quantò magis sanctificantis, & justificantis Dei? Justa ergo sunt, sed occulta. Ideo cum quæstiones hujusmodi in medium venerint, quare alius sic, alius autem sic, quare ille Deo deserente excæcetur, ille Deo adjuvante illuminetur, non nobis judicium de judicio tanti judicis usurpemus,
Rom. 11 33. sed contremiscentes exclamemus cum Apostolo. O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Unde dictum est in psalmo, judicia tua abyssus multa. *Ibid: Tract: 53. de cap: 12*

Deus neminem cogit ad peccandum.

Deus sive adjuvat, sive non, misericors

Et infra. Quid ergo elegit in non nobis? Non enim electi sunt quia boni fuerunt, qui boni non essent, nisi electi essent: alioquin gratia jam non est gratia, si præcessisse contendimus merita. Hæc quippe electio gratia est. *Et infra.* Audi ingrate, ingrate audi: non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Non est ut dicas ideo electus sum, quia jam credebam: si enim credebas in eum, jam elegeras eum. *Ibidem Tract: 86. de cap: 15.*

Omnis nostra bonitas ex Deo est.

PRÆDICATIO.

Ps. 167 24. Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Vigilant enim & latrant boni canes, & pro domo, & pro Domino, & pro grege, & pro

Lingua canũ concionatores

pro Pastore: dixit ex inimicis, id est, ut qui erant inimici tui, fierent canes tui & latrarent pro te, qui sæviebant in te. Addidit autem ab ipso, ut non à seipsis hoc factum intelligerent, sed ab ipso id est misericordia ejus & gratia. *T. 2. ep: 59.*

Prædicationis viam conferat

O eloquentia! tantò terribilior, quantò purior, & quantò solidior, tantò vehementior. ô verè securis concidens petras! *Tom: 3. lib: 4. de Doctrin: Christian: c: 14.*

Non ex voce sed ex fletu cognoscitur prædicatio.

Non si dicenti crebrius & vehementius acclametur, ideo granditer putandus est dicere; Grande genus plerumque pondere suo voces premit, sed lacrymas exprimit. Cum apud Cæsaream Mauritaniæ populo dissuaderem pugnam Civilem, quam catervam vocabant, neq; enim Cives tantùm, verùm etiam propinqui & fratres, postremò parentes ac filij lapidibus inter se, in duas partes divisi, per aliquot dies continuos certo tempore anni, solenniter dimicabant, & quisq; ut quemq; poterat, occidebat: egi quidem granditer quantùm valui; ut tam crudele atque inveteratum malum de cordibus & moribus eorum avellerem, pelleremq; dicendo, non tamen egisse aliquid me putavi, cùm eos audirem acclamantes, sed cum flentes viderem. Quod ubi aspexi immanem illam consuetudinem devictam, antequam re ipsa id ostenderent, credidi: moxque sermone finito, ad agendas Deo gratias corda atq; ora converti Et ecce jam fermè octo vel ampliùs anni sunt propitio Christo, ex quo illic nihil tale tentatum est. *Ibidem c: 24.*

Efficaciam in prædicando auditoris fletus est indicium.

Habet autem, ut obedienter audiatur, quantâcunq; granditate dictionis majus pondus vita dicentis. *Ibid: cap: 27.*

Pontificem in fide errare nõ posse probat similitudine.

Super Cathedram Moysis sederunt: illa cathedra non eorum sed Moysis cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes, agebant ergo sua in vita sua; dicere autem sua, cathedra eos non permittebat aliena. *Ibid: cap: 27.* *Matt. 23. 2.*

In præcipiente docta non facta spectanda.

Abundant qui malæ vitæ defensionem ex Doctoribus quærunt, dicentes: quod mihi præcipis, cur ipse non facis? ita fit ut eum non obedienter audiant, qui se ipse non audit, & Dei verbum quod eis prædicatur: simul cum ipso prædicatore contemnant. *Ibidem cap: 27.*

Hoc est evangelizare Christum, non solum dicere quæ sunt credenda in Christo, sed & quæ observanda ei qui accedit ad compagem corporis Christi. *T. 4. l: de fide & operib: c: 9.*

Veritas Evangelij verbo Dei, quod supra omnem creaturam, æternum atque in commutabile permanet, per creaturam temporalibus signis & linguis hominum dispensato, summum culmen authoritatis obtinuit, non nos debere arbitrari, mentiri quenquam [intellige Evangelistam] si pluribus, rem quam audierunt vel viderunt reminiscentibus, non eodem modo, atq; iisdem verbis, eadem tamen res fuerit explicata. *Ibid: l: 2. de consen: Evang: c: 12.*

Prædicator quid quærere debeat.

Sicut autem omnes militantes accipiunt annonam & stipendium; sic omnes Evangelizantes accipiunt victum & tegumentum. Sed non omnes propter salutem Reip. militant, sed propter illa quæ accipiunt: sic & non omnes propter salutem Ecclesiæ ministrant Deo, sed propter hæc temporalia. Sed supra jam dictum est. Non potestis duobus Dominis servire. *Tom: 3. lib: 2. de ser: Dni: in mon: cap: 17.*

In ore duorum vel trium stabit omne verbum. Alioquin & unus testis plerumq; verum dicit, & plures plerumq; mentiuntur, *Deut. 17.* potiùsq; creditum est in exordia fidei gentium uni Apostolo Evangelisanti, quam populis errantibus, à quibus ipse persecutionem patiebatur. *Tom: 6. lib: 16. con: Faustum: cap: 13.*

Dicunt

Dicunt quæ Dei sunt, faciunt autem quæ sua sunt. *Tom: 2. lib: 2. con: liter: Petil: cap: 6.*

Si cui diligentia medicinæ hujus impensa non prodest, sufficit ad rationem Deo reddendam, quod non cessavit impendi. Sicut enim malignus suasor peccati, etiamsi non persuaserit, meritò pœnam deceptoris incurrit; ita fidelis justitiæ prædicator etiamsi ab hominibus respuatur, absit ut apud Deum sui officij mercede fraudetur. *Prædicatori merces sua semper constat*

Dominus dixit in Evangelio, cùm ingressi fueritis,
Luc 10 dicite: Pax huic Domui. Nunquid eos certos fecit, quod essent
5. eorum pacem suscepturi, quibus eam prædicarent; certos tamen eos fecit, ut eam sine cunctatione prædicarent. *Tom. 7. lib: 1. con: Crescon: Gramm: c: 9.*

Eloquia Domini eloquia casta. Argentum igne examinatum
Ps. 11 purgatum septuplum per timorem Dei, per pietatem, per scienti-
7. am, per fortitudinem, per consilium, per intellectum, per sapientiam. *Tom. 8. in psal: 11.*

Macta & manduca. O Ecclesia, hoc est Petre quia super hanc *Petrus Eccle-*
Act 10 Petram ædificabo Ecclesiam meam. Macta & manduca. Prius ma- *sia immutat*
13. cta & sic manduca. Occide quòd sunt, & fac quod es. *malos.* Cum ergo prædicatur Evangelium, & videt qui prædicat, non proficere homines quare non clamet? Defecit in dolore vita mea & anni mei in gemitibus. *Con: 2. in psal: 30.*

Benedictus Dominus quoniam mirificavit misericordiam su-
Ps. 30. am in Civitate circumstantiæ. Mirificasti quidem Domine mise- *Evangelium*
22. ricordiam tuam in Civitate Hierusalem. Ibi passus est Christus ibi *ad gentes* resurrexit, ibi ascensum in cælum, ibi multa mirabilia fecit: sed major tua laus est, quia mirificasti misericordiam tuam in Civitate circumstantiæ, id est in omnibus gentibus diffudisti misericordiam tuam, nec unguentum tuum in illa Hierusalem, quasi in vase tenuisti, sed tanquam confracto vase unguentum per mundum diffusum est, ut impleretur quod dicitur in scripturis sanctis: Unguentum effusum est nomen tuum. Impleti Spiritu sancto discipuli cæperunt prædicare magnalia Christi, lapidati, occisi, fugati sunt. Et cum inde tanquam ex uno loco fugarentur, quasi ligna ardentia, igne divino, tanquam sylvam mundi, accensam fervore spiritus, & lumine veritatis impleverunt. *Con: 3. in psal: 30.*

Revera fratres, sunt nubes prædicatores verbi veritatis. Quando minatur per prædicatores Deus, tonat per nubes, quando mira- *Prædicatores, sunt nubes.*
Ps. 77. cula facit per prædicatores Deus, coruscat per nubes. Terret per
23. Ps. 107 nubes & irrigat per pluviam. Ergo impletum est mandabo nubi-
5. bus meis ne pluant super eam. Usq; ad nubes veritas tua venit, ideo nobis per nubes potuit nuntiari misericordia Dei, quæ in cælo est & non in terra. *In psal: 35.*

Infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia: & non
1. Cor. de oratore piscatorem, sed de piscatote lucratus est oratorem, de *SS. Apostoli*
1. 27. piscatore lucratus est senatorem, de piscatore lucratus est Impera- *ex vilibus* torem. *Con: 2. in psal: 36.* *principes.*

Peccatori dicit Dominus: ut quid tu assumis testamentum
Ps. 49. meum per os tuum. Dicat Dominus hoc peccatori. Forte est ge- *Concionans*
16. nus peccatorum cui hoc rectè dicat Dominus: sed in quolibet di- *peccator.* cat hoc Dominus, ideo dicit quia peccatori non prodest, quando legem Dei loquitur nunquid & auditoribus non prodest. *Con: 3. in psal: 36.*

Accingere gladium tuum. Quid nisi verbum tuum? Illo gla- *Verbum Dei*
Ps. 44. diô stravit inimicos, illo gladiô divisit filium à Patre, filiam à ma- *gladius.*
4. tre, nurum à socro. *Et infra.* Placet juveni alicui Deo servire di-

Vocationi invitis parentibus parēdum. ſplicet Patri: ille promittit terrenam humilitatem, ille amat cæleſtem. Aliud iſte pollicetur, aliud ille eligit. Non ſibi putet factam injuriam Pater, Deus ſolus illi præfertur, & tamen litigat cum filio volente ſervire Deo. Sed fortior eſt ille gladius ſpiritualis ſeparans, quàm copulans natura carnalis. Fit hoc & de filia adverſus matrem multo magis, & de nuru adverſus ſocrum. *Enar: in pſ:* 44.

Vis audiri? audi. Quicunq; dicis, & qui vis te audiri, prior te audi, & dic quod dicit in alio pſalmo quidam. Audiam quid loquitur in me Dominus Deus. Qualis ergo ego qui non audio quod in me loquitur, & volo ut alij audiant, quod me loquitur? *Et infra.* Ut quid tu enarras juſtitias meas? Ut quid tu quod non prodeſt tibi? Admonet illum ut audiat: non ut deponat prædicationem, ſed aſſumat obedientiam. *In pſal:* 49. *Pſ. 84. 9.*

Concionatori auditores feliciores. Feliciores ſunt qui audiunt quam qui loquuntur. Qui enim dicit humilis eſt, qui autem docet laborat ne ſit ſuperbus. Credite cordi noſtro, quod videre non poteſtis. Scit ipſe qui miteſcit nobis qui propitius ſit nobis cum quanto ſub illo tremore ad nos loquimur. *In pſal:* 50.

Prædicator nō ſua aufert. Annuntiabo veritatē tuam in ore meo. Si non obſequor, ſervus non ſum. Ergo ut & abs te dicam & ego dicam, duo quædam ſunt. Unum tuum, unum meum. Veritas tua os meum. *In pſ:* 88. *Pſ. 88. 2.*

Evangelium uſque ad fines terræ. Quo nondum porrectum eſt Romanum imperium jam Chriſtus poſſidet. Quod adhuc clauſum eſt eis, qui ferrô pugnant, non eſt clauſum illi, qui lignô pugnat. Dominus enim regnavit à ligno. Quis eſt qui lignô pugnat? Chriſtus de cruce ſua vicit Reges, & *Crux Chriſti.* ſubjugatis eis ipſam crucem in fronte fixit, & gloriantur de illa, quia ibi eſt ſalus eorum: hoc agitur, ſic creſcit domus ſic ædificatur. *In pſal:* 95.

Perſecutorum ſucceſſores Prædicatores. Tranſeuntes ad Eccleſiam Chriſtiani facti ſunt: perierunt perſecutores creverunt prædicatores. *In pſal:* 98.

Infallibilitas dogmatum fidei Chriſtianæ. Licet ſi nos aut Angelus de cælo Evangeliſaverit vobis, præterquam quod accepiſtis, anathema ſit. Principes ſunt, docti ſunt, magni ſunt, lapides pretioſi ſunt. Quid adhuc dictum eſt? nunquid Angeli ſunt? Et tamen ſi Angelus de cælo vobis annunciaverit, præterquam quod accepiſtis anathema ſit: quia & ipſe Diabolus Angelus de cælo lapſus eſt. *In pſal:* 106. *Gal. 1. 8.*

Fides palam prædicanda. Credidi propter quod locutus ſum, hoc eſt perfectè credidi. Non enim perfectè credunt, qui quod credunt loqui nolunt. Ad ipſam enim fidem pertinet etiam illud credere quod dictum eſt. Qui me confeſſus fuerit coram hominibus confitebor eum coram Angelis Dei, ex hoc enim eſt appellatus fidelis ille ſervus non tantum quia accepit, ſed quia impendit atq; lucratus eſt. *Expoſ: pſ:* 105. *Pſ. 115. 1.*

Verba Dei ſagittæ. Sagittæ potentis acutæ verbi Dei ſunt. Ecce jaciuntur & transfigunt corda: ſed cum transfixa fuerint corda ſagittis verbi Dei, amor excitatur non interitus comparatur. Novit Dominus ſagittare ad amorem: & nemo pulchrius ſagittat ad amorem, quam qui vero verbo ſagittat. Imo ſagittat cor amantis ut adjuvet amantem, ſagittat ut faciat amantem. *Expoſit: pſal:* 119. *Pſ. 119. 4.*

Chriſtus porta cœli. Et quis eſt qui prædicat in porta? Qui prædicat in Chriſto. Quia Chriſtus eſt porta qua intramus ad illam civitatem. Mentior ſi non ipſe dixit, ego ſum janua. Si janua eſt & porta eſt. *Expoſit: pſal:* 126. *Pſ. 72. 28.*

Prædicatorum calumniatores. Quæ dicunt facite: quæ autem faciunt facere nolite. Non habes tu unde te excuſes quando ſermo Dei loquitur, tibi loquitur. Quia non potes interficere ſermonem Dei, criminari quæris eos per quos loquitur tibi ſermo Dei. *Enar: pſal:* 128. *Mat. 23. 3.*

Gau-

Gaudium tibi ſit in auditione Dei, neceſſitas tibi ſit in locutione tua: & non eris vir languoſus ne non dirigaris. Quare vis loqui audire non vis? ſemper foras exis, intro redire detrectas. Qui enim te docet intus eſt: quando tu doces tanquam foras exis ad eos qui foris ſunt. Ab interiore enim audimus veritatem, & ad eos qui foris à noſtro corde ſunt loquimur. *Expoſ: pſ:* 139.

Audire magis minus loqui ſalutare eſt.

Venit Deus Chriſtus prodeſſe omnibus, ſed elegit prodeſſe Imperatori de piſcatore, non piſcatori de Imperatore: & elegit ea quæ nullius momenti erant in mundo. Ipſos implevit Spiritu ſancto, dedit eis frameas bis acutas, prædicare præcepit Evangelium, & ire per totum orbem terrarum. Fremuit mundus, erexit ſe Leo adverſus agnum: ſed fortior leone inventus eſt agnus. Leo victus eſt ſæviendo, agnus vicit patiendo. Converſa ſunt corda hominum ad timorem Chriſti, cæperunt Reges, cæperunt nobiles miraculis commoveri, prophetiæ ad impletione turbari, videre in unum nomen concurrere genus humanum. Et quid facerent? Multi elegerunt ignobilitatem, & dimittentes domos ſuas, & ſubſtantias ſuas diſtribuentes pauperibus, cucurrerunt ad perfectionem. Tali
Pſ. 149. enim imperfecto dicitur à Domino. *Et infra.* Ut alligent Reges
8. eorum in compedibus, & nobiles eorum in vinculis ferreis. Quare ergo vincula ferrea & non aurea? Ferrea ſunt quamdiu timent, ament, & aurea erunt. Attendat charitas veſtra quid loquar. Audiſtis modo Apoſtolum Joannem. Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas mittit foras timorem, quia timor tormentum habet. Hoc eſt vinculum ferreum. Et tamen niſi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem: Initium ſapientiæ timor Domini. Incipit ergo à vinculis ferreis, finitur ad torquem auream. Dictum eſt enim de ſapientia. Et torquem auream circa cervicem tuam. *Et infra.* Quam multi ſunt qui propterea nolunt malefacere, quia gehennas timent, quia cruciatus timent, & nondum amant juſtitiam. Si illis promitteretur impunitas, & diceretur eis: Facite quod vultis ſecuri, impunitum erit vobis, emitterent progreſſus libidinum ſuarum in quæq; nequiſſima. Et maxime fratres mei, maxime Reges & nobiles, quibus non facile dicitur: Quid feciſti? Nam pauper homo & ſi non timeat Deum, quia nullarum virium eſt, nullarum facultatum, ne cum ſe commoverit in ſupplicium rapiatur: ceſſat timore hominis ſi non Dei. Potentes autem mundi Reges nobiles niſi Deum timeant, quid timebunt? Sed prædicatur illis: Et percutiuntur framea bis acuta. Dicitur illis quia eſt qui ponat alios ad dexteram alios ad ſiniſtram: ut dicat eis qui à ſiniſtris ſunt. Ite in ignem æternum. *Expoſ: pſ:* 149

S. Petrus ex piſcatore ſupremus Eccleſiæ Imperator.

Vocatio religioſa.

Timor dux amoris.

Potentes mundi, feliciores ad peccandū.

Matt. Eſto conſentiens adverſario tuo citò, cum es cum illo in via.
5. 25. Adverſarius tuus ſermo Dei eſt. Verbi cauſa, forſitan delectat te inebriari, dicit tibi, noli. Delectat te ſpectare & nugari, ille dicit tibi, noli. Delectat te adulterari, dicit tibi ſermo Dei, noli. In quibuſcunq; peccatis volueris facere voluntatem tuam, dicit tibi, noli. Adverſarius eſt voluntatis tuæ, donec fiat author ſalutis tuæ. O quàm bonus adverſarius, quàm utilis adverſarius! non quærit noſtram voluntatem, ſed utilitatem. Adverſarius eſt nobis, quamdiu tu inimicus es, inimicum habes ſermonem Dei. Eſto tibi amicus, & concordas cum ipſo. Non homicidium feceris: audi & concordaſti. Non furtum facias, audi & concordaſti. Non mæchaberis, audi & concordaſti. *T: 10. de verb: Domini ſerm:* 1.

Quam bene nobis adverſus Deus.

Suaviter imperat Deus.

Aliquando homines inde ſibi plurimum nocent, cum alios offendere timent. Multum valent boni amici ad bonum, & mali amici ad malum. Ideo Dominus ut pro ſalute noſtra potentium amicitias

Sæpe tibi noces cum offendere times.

amicitias contemnens, noluit prius eligere senatores, sed piscatores. Magna artificis misericordia. Sciebat enim quia si eligeret Senatorem, diceret Senator, Dignitas mea electa est. Si eligeret divitem, diceret dives: Opulentia mea electa est. Si prius eligeret Imperatorem, diceret Imperator, Potestas mea electa est. Si prius eligeret oratorem, diceret orator, Eloquentia mea electa est. Si eligeret Philosophum, diceret Philosophus, Sapientia mea electa est. Interim inquit, differantur superbi isti, multum tument. Distat autem inter magnitudinem & tumorem. Utrumq; grande est: sed non utrumq; sanum est. Differuntur ergo inquit isti superbi, aliqua soliditate sanandi sunt. Da mihi inquit prius istum piscatorem. Veni tu pauper, sequere me, nihil habes, nihil nosti, sequere me. Idiota pauper sequere me. Non est quod in te expavescatur, sed multum est quod in te impleatur. Tam largo fonti vas inane admovendum est. Dimisit retia piscator, accepit gratiam piscator, & factus est divinus orator. *Ibid: serm: 59.*

Cur vilia mundi elegerit Deus.

Silentium si præbeatis, auditis. Non invenit locum sapientia, ubi non est patientia. Nos loquimur, sed erudit Deus: nos loquimur, sed Deus docet. Non enim beatus dictus est, quem docet homo, sed quem tu erudieris Domine. *Ib: de verb: Ap: ser: 4.*

Sapientia omnis desuper.

Audi salutem, Quæ dicunt facite. Securum te fecit. Quid? Quæ dicunt facite. Mala faciunt, quæ facere nolite. Bona faciunt, non in via salutent, non per occasionem Evangelium annuntient. Imitatores eorum estote, sicut & ipsi Christi. Bonus tibi prædicat, carpe uvam de vite. Malus tibi prædicat carpe uvam pendentem de uite. Botrus implicite in capite inter spinas crevit, de spinis non germinavit. Planè quando tale aliquid vides, & esuris, solicitè carpe, ne cum ad uvam manum mittis, lacereris à spinis. Hoc est quod dico, sic audi quod bonum est: ne malos mores imiteris. *Tom. 10. de Sanctis serm: 42: in festis SS. Apostolorum serm: 1.*

Mar. 23 3.

Observatio doctrinæ non doctoris.

Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Ergo si bene de me sentis, laudas me: si malè sentis accusas me, sed non excusas te. Quomodo enim te excusabis, si in malum prædicatorem, veritatis verbum Dei tibi dicentem, & sua mala opera facientem contorqueas accusationem, cum Dominus tuus, Redemptor tuus, effusor pretij, aggregans te militiæ suæ, & faciens de servo suo fratrem suum, non te desinat commonere, & dicat. Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite? *Ibidem serm: 27 de verb: B. Iacobi estote factores verbi &c.*

Mar. 23. 3.

Ab homine quærit testimonium Deus, & Deus testem habet hominem. Habet Deus testem hominem sed propter hominem. Jam infirmi sumus. Per lucernam quærimus diem: quia lucerna dictus est ipse Joannes, Domino dicente: Ille erat lucerna ardens & lucens. *Tom: 9 in Evan: Ioan: Tract: 2. de c: 1.*

Testimonium ab homine requirit Deus.

Desertus aliquis Pater si sit tantus orator, ut linguâ illius fora concrepent, & tribunalia concutiantur: si habeat parvulum filium, cum ad domum redierit, seponit forensem eloquentiam, quo ascenderat, & in lingua puerili descendit ad parvulum. Audi uno loco ipsum Apostolum ascendentem & descendentem in una sententia. Sive enim inquit mente excessimus Deo: sive temperantes sumus vobis. Quid est mente excessimus Deo? ut illa videamus quæ non licet homini loqui. Quid est temperantes sumus vobis? Nunquid judicavi me aliquid scire inter vos, nisi JESUM Christum, & hunc crucifixum? Si ipse Dominus ascendit & descendit: manifestum est, quia & prædicatores ipsius ascendunt imitatione, descendunt prædicatione. *Ibid: Tract: 7. de cap: 1.*

2. Cor. 5. 13.

Jam

Jam in Judæa messis parata erat meritò ubi tanquam matura seges fuit, quando tot hominum millia, pretia rerum suarum afferebant: & ad pedes Apostolorum ponentes, expeditis humeris à sarcinis sæcularibus Christum Dominum sequebantur. Verè matura messis Quid inde factum est? De ipsa messe ejecta sunt pauca grana, & seminaverunt orbem terrarum, & surgit alia messis

Ps 125 6. quæ in fine sæculi metenda est De ista messe dicitur: Qui seminant in lacrymis in gaudio metent Ad istam ergo messem non Apostoli sed Angeli mittentur. Messores inquit Angeli sunt. Ista ergo messis crescit inter zizania, & expectat purgari in fine. *Ibid: Tract: 15. de cap: 4.*

Nō omnis De oblatio placet

Tutius veritas auditur quàm prædicatur, quoniam cum auditur humilitas custoditur: cum autem prædicatur vix non subrepit cujusvis hominum quantulacunq; jactantia, in qua utiq; inquinantur pedes.

Io. 3 29. *Et infra.* Amicus autem sponsi stat, & audit eum, & quando gaudet propter vocem sponsi. Fruamur auditu sine strepitu nobis loquente intrinsecus veritatem. *Ibid: Tract 57 de c: 13.*

Et notum facies inquit nomen tuum, & notum faciam. Notum feci per fidem, notum faciam per speciem: notum feci cum fine peregrinantibus, notum faciam sine fine regnantibus *Ibidem. Tract: 111. de cap: 17*

Mat. 23 3. Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite: dicunt enim & non faciunt: Docent sermonibus quod solvunt moribus. *Ibid: Tract: 122 de cap: 21.*

PRÆSENTIA DEI.

ET ubi ego eram, quando te quærebam, & tu eras ante me, ego autem & à me discesseram, nec me inveniebam, quantò minus te. *Tom: 1. lib: 5 confess: cap: 2.*

Peccator & à Deo & a se elongat.

Cogitabam hæc & aderas mihi: suspirabam & audiebas me,

Mat. 25.34. ibam per viam sæculi latam, nec deserebas me Inhiabam honoribus, lucris, conjugio, & tu irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amarissimas difficultates, te propitio, tantò magis, quantò minùs sinebas mihi dulcescere, quod non eras tu. *Ib: l: 6. c: 5 & 6.*

Deus peccantem non deseret.

Hier 23. Cælum & terram impleo. Utiq; præsentiâ sua, omnis homo advena est nascendo, incola vivendo, quoniam compellitur migrare moriendo. *T: 4 lib: 3. quæst: sup: Levit: quæst 91*

Homo mundi advena.

Ut visus oculorum si fuerit vitiatus, quidquid videre non poterit, adesse non putat; frustra enim circumstat oculos præsens imago rerum, si oculis integritas desit; ita & Deus qui nusquam deest, frustra pollutis animis præsens est, quem videre mentis cæcitas non potest. *T: 4 lib: 8 trium quæst: quæst: 12.*

Præsentia Dei nil confert malis.

Ps 29 6. Vespere demorabitur fletus, Vesper fit quando sol occidit Occidit sol ab homine, id est lux illa justitiæ, præsentia Dei. Ideo quando expulsus est Adam quid dictum est in Genesi. Ad vesperam deambulabat Deus Jam ille peccator nolebat videre faciem Dei, ad quam gaudere consueverat. Occiderat illi sol justitiæ, non gaudebat ad præsentiam Dei. Inde inchoata est omnis vita ista

2. Cor. 5. 13. mortalis. Vespere demorabitur fletus. Diu eris in fletu o genus humanum, nasceris enim de Adam. Et sic est factum. *Tom: 8. Enarr. 2. in psal: 29.*

Præsentia Dei lux animæ.

Ps 138 8. Si descendero in infernum ades. Quocunq; iero, ibi te inveniam. Et si irasceris ultorem te invenio: si placatus es adjutorem, nihil mihi ergo restat nisi ad te refugere, non à te. Ut evadas hominem Dominum, quicunq; servus es, fugis in ea loca, ubi non est

Deus ubique.

Domi-

Dominus tuus: ut evadas Deum non est quò fugias Deum. Præsto sunt omnia & nuda omnipotentis oculis. *Con*: 1 *in ps*: 30.

Non proposuerunt Deum ante conspectum suum. Quando enim ponet ante conspectum suum Deum ante cujus conspectum non est nisi sæculum? Quomodo sit numus super numum, quomodo augeantur greges, quomodo impleantur apothecæ quomodo dicatur animæ, habes multa bona, jucundare, epulare, satiare. Si & ipsi ponerent Deum ante conspectum suum invenirent quemadmodum me adjuvat Deus & Dominus susceptor est animæ meæ. *In psal*: 53. *Ps* 53. 3.

Divinæ præsẽtiæ vis auxiliaris.

Non regionibus longe est quisquam à Deo sed affectibus. Amas Deum prope es: odisti Deum longe es. *In psal*: 84.

Quantum accedis ad similitudinem, tantum proficis in charitate, & tantũ incipis sentire Deum. Et quem sentis? Qui venit ad te, an ad quem tu redis? Nam ille nunquam discessit à te Deus, cum tu recedis à Deo. Præsentia sunt cæcis omnia Sicut videntibus: uno loco stans cæcus & videns, iisdem formis rerum uterq; circumfunditur, ille est præsens rebus absens. *Et infra*. Ubi enim non est sensus ejus, rectè, dicitur absens. Hoc est enim absentem esse, sensu abesse. Sic & Deus præsens est, ubiq; totus est. *Enar*: *In psal*: 99.

Deus à solis recedentibus recedit.

Quò ibo à spiritu tuo? Et quò à facie tua fugiam? Locum quærit quo fugiat ab ira Dei. Quis est locus recepturus fugitivum Dei? Homines qui suscipiunt fugitivos quærunt ab eis à quo fugerint, & quem servum invenerint alicujus Domini minus potentis, tanquam sine ullo timore suscipiunt dicentes in corde suo. Non habet iste talem Dominum, à quo possit investigari. Cum autem audierint Dominum potentem, aut non suscipiunt aut cum magno timore suscipiunt: quia homo potens falli potest. Ubi non est Deus? Quis fallit Deum? Quem non videt Deus? à quo fugitivum suum non repetit Deus? Quo ergo ibit fugitivus iste à facie Dei? *Et infra*. Possum fugere à facie tua, ad faciem tuam, à facie irati ad faciem placati. *Exposit*: *psal*: 138. *Ps* 138. 7.

Effugere Deum non possumus.

Non enim absens est à nobis, & non est cui dicamus, cum ipse dicat. Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. *Expos*: *psal*: 140.

Cælum & terram ego impleo. Ergo si cælum & terram ipse implet, & quò fugias ab illo non est: noli laborare. Fuge ad præsentem, ne sentias venientem. Præsumo te viturum benè vivendo, à quo videris, & male vivendo. Male enim vivendo, videri potes, videre non potes: bene autem vivendo, & videris, & vides. Quanto enim te familiarius videbit qui coronat dignum, qui misericorditer vidit, ut vocaret indignum? *Tom*: 10. *serm*: *de verb*: *Domini serm*: 10.

Vita præsens oculis Dei imposita.

Quocunq; ieris, Jesus videt te, qui fecit te, & perditum redemit te, & pro mortuo, mortuus est pro te. Tu te non cognoscis: sed ille à te oculos non convertit, non ad adjuvandum, sed ad puniendum Oculi enim Domini super justos, & aures ejus ad preces eorum. *Ibid*: *de verb*: *Apost*: *Nescitis quia corpora vestra membra &c.*

Opus est ut hic timor mentes possideat, opus est, ut ille qui peccare non vult, præsentem Deum sibi cogitet, non in publico solum, sed etiam in domo: non in domo solum, sed & in cubiculo, in nocte, in lecto suo, in corde suo. *T*: 10. 50. *Homil*: *Homil*: 77.

Quò fugies fugiens ab illo, qui nullo locô continetur, & nusquam absens est? Qui conversum liberat, punit aversum. Habes judicem fugiens, Patrem habeto rediens. *Ibid*: *Homil*: 34.

Fugientem se prius à tergo Deus.

Magna

Magna est cautela peccati. Dei semper præsentiam timere. *Et infra.* Qui erubescit in conspectu hominis peccare, quantò magis dignum est, quòd erubescat in conspectu Dei iniquitatem agere, qui non solum opera, sed & corda considerat. Qui timore sancto Deum metuunt, inquirunt quæ bene placita sunt illi. Alius est timor filiorum, alius est timor servorum. Servi enim propter tormenta Dominos timent, filij verò propter amorem Patris timent. Si filij Dei sumus timeamus illum ex charitatis dulcedine, non de timoris amaritudine. *Ibid: serm: de Temp: serm: 21. Dominica 1. post Festum S. Trinitatis serm: 1.*

Ps. 53. 3. — *Timor filialis.*

Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero ad infernum ades. Ubi ergo non est Deus, quem tu fugis? Malus es tu, qui bonum fugis. Mors es tu, qui vitam fugis. Involvere te vis tenebris ubi te abscondas, sed illum latere non potes, cujus oculi omnia vident. Ait enim Apostolus. Quem fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis? Sequitur vox judicis dicens: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus. *Ibidem serm: 233.*

Ps. 138. 8. — *Vindex Deus.*

Nunquid Deus Continetur loco, quem præsentem habet omnis Angelica & humana conscientia, non solum bonorum, sed etiam malorum. Verum hoc interest, quòd bonis conscientiis adest ut Pater, malis ut judex: quomodo scriptum est, Dominus interrogat justum & impium. Item scriptum est: In cogitationibus impij interrogatio erit. *Ibid: de diver: ser: 16. Tract: 3. contra Manich.*

Ps. 138. 7. *Ps. 10. 6.* — *Conscientiæ præsentiæ Dei testis.*

Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt: Ergo fratres quomodo homo positus in sole cæcus, præsens est illi sol, sed ipse soli absens est: sic omnis stultus, omnis iniquus, omnis impius cæcus est corde. Præsens est illi Sapientia, sed cum cæco præsens est, oculis ejus absens est: non quia ipsa illi absens est, sed quia ipse ab illa absens est. *Tom: 9. in Evan: Ioan: Tract: 1. de cap: 1.*

Io. 1. 13. — *Impietas excæcat.*

Lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt. Ecce hic est, & modo hic erat, & semper hic est: & nunquam recedit, & nusquam recedit. Opus est ut habeas unde videas quod tibi nunquam recedit. Opus est ut tu nón recedas ab eo, qui nunquam recedit. Opus est ut tu non deseras, & non deserêris. Noli cadere & non occidet. Si tu feceris casum, ille tibi fecit occasum. Si autem tu stas, præsens est tibi. *Ibid: Tract: 2. de c: 1.*

Io. 1.

Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. O homines nolite esse tenebræ, nolite esse infideles, injusti, iniqui, rapaces, avari, amatores sæculi. Hæ sunt enim tenebræ. Lux non est absens, sed vos estis absentes à luce. Cæcus in sole præsentem habet solem, sed absens est ipse soli. Nolite ergo esse tenebræ. *Ibid: Tract: 3. de cap: 1.*

Io. 1. — *Tenebræ peccata.*

Deus tuus ubique totus est: si non ab illo facias casum, nunquam à te ipse facit occasum. Qui ergo me inquit sequitur, non ambulabit in tenebris sed habebit lumen vitæ. *Ibid: Tr: 34. de c: 8:*

Qui non vult aberrare sequatur lumen.

Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationẽ sæculi: & abijt, & hic est, & rediit, & nos non deseruit: corpus enim suum intulit cælo. Majestatem non abstulit mundo. *Ib: Tr: 50. de c: 12:*

Matt. 28. 20.

Quo ibo à spiritu tuo, & à facie tua quo fugiam? Quærebat quà fugeret ut evaderet judicium Dei, & non inveniebat. Ubi enim non est Deus? Si ascendero inquit in cælum ubi es: si descendero in infernum, ades. Quò iturus es? Quò fugies? vis ab illo fugere, ad ipsum fuge. Ad ipsum fuge confitendo, non ab ipso latendo: latere enim non potes, sed confiteri potes. Dic illi refugium

Ps. 138. 7. 8. — *Iudicium inevitabile.*

fugium meum es tu, & nutriatur in te dilectio, quæ sola perducit ad vitam. Perhibeat tibi testimonium conscientia tua, quia ex Deo est. Si ex Deo est, noli illam velle ante homines jactare: quia nec laudes hominum te levant in cælum, nec vituperationes inde te deponunt. Ille videat qui coronat: ille sit testis, à quo judice coronaris. *T: 9: in epist: Ioan: Tract: 6: de cap: 3.*

Nihil mihi tam dulce quàm cum Domino meo esse. Mihi autem adhærere Deo bonum est. *T: 9. lib: Meditat: cap: 37.*

PROEMIUM.

OMnes nos Dominus consolatur, qui & hæc temporalia mala prædixit, & post hæc bona, æterna promisit, nec debet cùm præliatur infringi, qui vult pro præmio coronari, vires illo subministrante certantibus, qui præparat dona ineffabilia victoribus. *Tom: 2. epist: 133.*

Magnitudo præsentis boni à Deo futuri præmii mensura.

Quibus verbis dici, aut qua cogitatione capi potest præmium, quod ille in fine daturus est; quando ad consolationem hujus itineris tantum dedit de spiritu suo, quô in adversis vitæ hujus fiduciam charitatemq; tantam ejus, quem nondum videmus, habeamus, & donat unicuiq; propria ad instructionem Ecclesiæ suæ, ut id quod ostendit esse faciendum, non solùm sine murmure, sed etiam cum delectatione faciamus. *T: 3. l: 1. de doct: Christ: c: 15.*

Præceptum in terra præmium in cælo.

Hîc præceptum est, ut non peccemus, ibi præmium non posse peccare. Hîc præceptum est ut desideriis peccati non obediamus, ibi præmium, ut desideria peccati non habeamus. Hîc præceptum est: exultate Deo Adjutori nostro: ibi præmium est: exultate per- *Ps. 82. 1.*
fecto & ineffabili gaudio. Postremò in præcepto positum est: Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, in præmio, autem; quoniam ipsi *Matt. 36.*
saturabuntur. Unde quæso saturabuntur? nisi quod esuriunt & sitiunt. Quis igitur ita, non solùm à Divino, sed à sensu quoq; abhorret humano, qui dicat in homine tantam esse posse justitiam, cum ab illo esuritur & sititur, quanta erit, cum ex illa saturabitur? quando esurimus autem sitimusq; justitiam, si fides Christi vigilat in nobis, quòd nos nisi Christum esurire ac sitire credendum *1. Cor. 1.*
est; qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia & sanctificatio, & redemptio. *Tom: 7. lib: 3. ad Bonifac: c: 7.*

Operarii Dei sumus, mercedem nonnisi post laborem divinum habebimus.

O homo operarius es Dei, postea est tempus mercedem accipiendi. Quid jam flagitas mercedem antequam opereris? Si veneris operarius ad domum tuam nunquid dabis mercedem ante, nisi perfecerit opera sua? Quod tibi promisit daturus est. Non fallit, quia veritas est qui promisit. Sed times ne forte non habeat quod det? Omnipotens est noli timere, ne non sit quod det. Immortalis est, non timeas ne succedatur ei. Perpetuus, securus esto. Si vis in te præsumere tota die operarium tuum, crede & tu Deo tota vitâ tua: quia vita tua momentum temporis est ad Deum. *In ps: 35:*

Ipse & exemplum nobis vivendi proposuit in hac vita, & præmium videndi dabit in futura vita. *In psal: 56.*

Cur bona temporalia dat Deus justis & iniquis.

Alia sunt dona quæ dat Deus & inimicis suis, alia quæ non servat nisi amicis suis. Permixta temporalia Deus esse voluit; quia si bonis solis ea daret, putarent & mali propter hoc colendum esse Deum. Rursus si ea solis malis daret, timerent boni infirmi converti, ne ista illis forte deessent. Rursus bonis aufert ea quando vult, ut interrogent se de viribus suis, & inveniant se qui fortè latebant, se utrum jam possint dicere Dominus dedit, abstulit Dominus, sit nomen Domini benedictum. Subtraxit data, non sub-

traxit datorem. Anima benedicta non hærens terrenis rebus, nec
visco implicatis pennis jacens, sed alis geminæ dilectionis exultat *Vox justi in jactura bonorũ temporalium.*
in auras libertatis, & videt sibi subtractum esse quod calcabat, non
Iob. 1. 21. ubi incumbebat & dicit secura: Dominus dedit & abstulit. Dedit
& abstulit. Manet qui dedit, & abstulit quod dedit: sit ergo nomen ejus benedictum. *Et infra.* Quid te ergo differs à conversione? Si bonus ea perdideris adest consolator qui abstulit. Arca exinanita est auro, cor plenum est fide. Foris pauper es, sed intus dives es. Divitias tecum portas, quas non amitteres etiamsi de naufragio nudus exires. *In psal: 66.*

2. Tim. 4. 8. Quam reddet mihi Dominus in die illo justus Judex. Indulgentiam donavit, coronam reddet: donator est indulgentiæ debitor coronæ. *Et infra.* Parvæne divitiæ ipsa innocentia? Si arcam plenam auro habueris dives eris: Si cor habueris plenum innocentiâ pauper eris? sed hæc dona desiderans modo in egestate, in tribulatione, in convalle plorationis, in pressura in tentationibus, serva innocentiam. Erit enim postea etiam bonum tuum quod desideras requies, æternitas, immortalitas, impassibilitas erit postea, ipsa sunt bona quæ servat Deus justis suis. Nam bona quæ modo desideras, desideras pro magno, propter quæ vis esse nocens & non innocens: attende illos quid habeant qui talibus abundant. Vides divitias apud latrones, apud impios, apud sceleratos, apud turpes, apud flagitiosos & facinorosos vides divitias, dat illis Deus ista propter communionem generis humani, propter abundantiam affluentiæ bonitatis suæ, qui etiam solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Tanta dat & malis, & tibi nihil servat? falsum est, quod tibi promisit servat, securus esto. Qui misertus est tui cum esses impius, deserit te cum factus es pius? Qui peccatori donavit mortem filij sui: quid servat salvato per mortem filij sui? Securus ergo esto. Tene debitorem quia credidisti in promissorem. *Ibidem.*

Innocentia divitiæ maxime

Iniqui cur divites?

Ps. 82. 1. Matt. 36.

Quanta justos expectant?

Peccatoribus blasphemantibus eum, quotidie dat cælum & terram, dat fontes, fructus, salutem, filios, copias, ubertatem. Hæc omnia bona non dat nisi Deus. Qui talia peccatoribus dat, quid eum putatis servare fidelibus suis? Servat non terram sed cælum. Vilius fortè aliquid dico cum dico cælum, sed se ipsum qui fecit cælum. Pulchrum est cælum sed pulchrior est fabricator cæli. *In psal: 85.*

Quanta justis Deus præparavit?

1. Cor. 1.

Ps. 117 5. In tribulatione invocavi Dominum & exaudivit me in latitudine. Angustia nostræ tribulationis finitur: latitudo autem quo transimus non habet terminum. *Expos: psal: 117.*

Gloria amplior tribulationibus.

Ps. 188 Retribuo servo tuo vitam & custodiam verba tua. Quatuor enim sunt retributiones. Aut enim mala pro malis retribuuntur: sicut Deus ipse ignem æternum retributurus est impiis. Aut bona pro bonis: sicut regnum æternum retributurus est justis. Aut bona pro malis: sicut Christus per gratiam justificat impium. Aut mala pro bonis, sicut Judas & Judæi per malitiam persecuti sunt Christum. Harum quatuor retributionum, duæ priores pertinent ad justitiam, ut retribuantur mala pro malis, bona pro bonis. Tertia pertinet ad misericordiam ut retribuantur bona pro malis. Quartam Deus nescit: nulli enim malum pro bono retribuit. Hæc autem quam terno loco posui præmittis necessaria est. Nisi enim Deus retribueret bona pro malis, nullo modo essent quibus retribueret bona pro bonis. *Con: 1. in psal: 118.*

Retributio quadruplex.

Ps. 148 6. Statuit in ea sæculum & in sæculum sæculi præceptum posuit & non præteribit. Quale præceptum putatis habere cælestia & Angelos

gelos Sanctos. Quale præceptum dedit illis Deus? Quale nisi ut laudent illum: Beati quorum hoc est negotium laudare Deum. Non arant, non seminant, non molunt, non coquunt, Opera enim sunt ista necessitatis, ubi necessitas non est. Non furantur non deprædantur, non adulterantur. Opera enim sunt ista iniquitatis ubi iniquitas non est. Non frangunt panem esurienti, non vestiunt nudum, non suscipiunt peregrinum, non visitant ægrotum, non concordant litigiosum non sepeliunt mortuum. Opera enim sunt ista misericordiæ, ibi autem nulla miseria est in qua fiat misericordia. O Beati! Putamus erimus non sic? Eija suspiremus de suspirio gemamus. Et quid sumus ut ibi simus? Mortales, projecti, abjecti, terra, & cinis, sed qui promisit omnipotens est. Si ad nos attendamus quid sumus? Si ad illum, Deus est omnipotens. Non est facturus Angelum ex homine qui fecit hominem ex nihilo: Aut vero pro minimo habet Deus hominem, propter quem mori voluit unicum suum? *In psal*: 148.

Beatorum negotium in cælo.

Ad mercedem alacer, ad opus piger. *Tom*: 10 *serm*: *de verb*: *Domini serm*: 39.

Nec illud quod tibi pro magna præstat Deus, præponas illi qui præstitit. Et cum voluerit tibi subtrahere, non tibi vilescat, quia gratis amandus est Deus. Quod enim dulcius à Deo præmium, quàm ipse Deus? *Tom*: 10. *de Temp*: *serm*: 72. *Feria 6. post 1. Dnicam Quadrag*: *serm*: 2.

Amor Dei absque spei proximus.

Breviter præmium nostrum definitum est per Prophetam. Ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs. Ero illorum Deus. Præmium nobis seipsum promisit. Quære aliud, si invenies? Si dives Deum non habet, quid habet? Nolite aliquid à Deo quærere, nisi Deum. Gratis amare se, solum ab illo desiderate. Nolite timere inopiam, dat seipsum nobis, & sufficiat nobis. Dat seipsum nobis, & sufficit nobis. Philippum Apostolum audite in Evangelio, Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Quid ergo miramini fratres, si amatores Dei Martyres tanta pertulerunt, ut acquirerent Deum. Amatores auri videte quanta patiantur. *Tom*: 10. *parte* 2. *serm*: *de diver*: *serm*: 100.

Laborum corona.

Inopia dives Deo.

Quid est gloriosiùs homini, quam sua vendere, & Christum emere, offerre Deo acceptissimum munus incorruptam virtutem mentis, incolumem laudem devotionis, Christum comitari cum venire cæperit vindictam de inimicis recepturus, lateri ejus assistere cum sederit judicaturus, cohæredem Christi fieri. Angelis adæquari, cum Patriarchis, cum Apostolis, cum Prophetis, cælestis regni possessione lætari? Has cogitationes quæ persecutio potest vincere, quæ possunt tormenta superare? Dura fortis, & stabilis religiosis meditationibus fundata mens, & adversus omnes zabuli terrores, & minas mundi animus immobilis perstat: quem futurorum fides certa & solida corroborat. Clauduntur oculi in persecutionibus: sed patet cælum Minatur Antichristus, sed tuetur Christus Mors infertur, sed immortalitas sequitur. Occiso mundus erigitur, sed restituto paradysus exhibetur. Vita temporalis extinguitur, sed æterna reparatur. Quanta est dignitas & quanta securitas exire hinc lætum, exire inter pressuras, & angustias gloriosum: claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus: aperire eos statim ut Deus videatur, etiam feliciter migrando? Quanta velocitas? Terris repente retraheris, ut regnis cælestibus reponaris Hæc oportet mente & cogitatione compleri: hæc die ac nocte meditari. Si talem persecutio invenerit Dei militem, vinci non poterit virtus ad prælium prompta. *Ibidem serm*: 123.

Paupertas Christum emit

Sanctorum contribulis pauper.

Persecutio cæli clavis.

Sua

Sua quærentes non quæ JESU Christi. Quid est sua quærentes? Non Christum gratis diligentes, non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda sectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes. Hæc quando amantur à præposito, & propter hæc servitur Deo: quisquis est talis, mercenarius est, inter filios se non computet. De talibus enim & Dominus dicit, Amen dico vobis receperunt mercedem suam. *Tom: 9. In Evan: Ioan: Tract: 46. de cap: 10.*

Servitus mercenarij.

Matt. 6. 2.

PROMISSIO DEI.

Promissa tua sunt, & quis falli timeat, cum promittit veritas. *Tom: 1. lib: 12. confess: cap: 1.*

Ita est, quia ita promissum est, ita erit quod restat sicut promissum est. *Tom: 2. epist: 77.*

Quod promisit Deus, non facit nisi Deus: habet namque aliquid rationis & veritatis, ut homo promittat & Deus faciat, ut autem homo se facere dicat, quod promiserit Deus, superbæ impietatis est reprobus sensus. Commendans ergo filios promissionis, hoc primum significatum ostendit per Isaac Filium Abrahæ, quem non genuit usitatus ordo naturæ, ut in filijs Dei, qui pronunciabuntur, hoc esset signum Divini operis non humani. *Ibid. ep: 105.*

Promisit etiam huic vitæ necessaria Deus: sed alia sunt solatia miserorum, alia gaudia beatorum. Non ergo murmuremus, in necessitatibus nostris, nè perdamus latitudinem hilaritatis, de qua dicitur: spe gaudentes, quia sequitur in tribulatione patientes. *Ibid: epist: 119. cap: 14.*

Filij ergo promissionis, sunt filij beneficij: hæc est gratia quæ gratis datur, non meritis operantis, sed miseratione donantis. *Ibid: epist: 120: cap: 19.*

Filius promissionis filius beneficij.

Si volunt invenire quod omnipotens non potest, habent prorsus, ego dicam, mentiri non potest. Credamus ergo quod potest, non credendo quod non potest. Non ita credentes quod mentiri possit, credant esse facturum, quid se facturum esse promisit; Et sic credant sicut credidit mundus, quem crediturum esse prædixit, quem crediturum esse laudavit, quem crediturum esse promisit, quem credidisse jam ostendit. *T: 5. l: 22. de Civit: Dei: c: 25.*

2. Cor. 8. 9. Habemus ergo & fidelem Deum. Distinguamus potius fidelem Deum à fideli homine. Fidelis homo est credens promittenti Deo: fidelis Deus est exhibens quod promisit homini. Teneamus fidelissimum debitorem, quia tenemus misericordissimum promissorem. *Et infra.* Quid est. Rectus est sermo Domini? Non te fallit, tu eum noli fallere, imo tu te noli fallere. Quis enim fallet omnia scientem. *Con: 1. in psal: 32.*

Deus debitor fidelis.

Psal. 6. 3 Turbatus est præ ira oculus meus. Quis oculus nisi fidei? Interroga oculum fidei tuæ, credidisti in Christum. Quare credidisti quod tibi promisit? Si felicitatem sæculi hujus tibi promisit Christus, murmura adversus Christum, murmura adversus illum quando vides infidelem felicem. Quid tibi promisit felicitas? Quid nisi in resurrectione mortuorum? Quid autem in hac vita pateris quod non ipse? In qua magis dedignaris serve, discipule, quàm Dominus, quàm Magister. Nonne ab ipso audis. Non est servus major Domino suo. Et. Non est discipulus supra Magistrum. Ille pro te dolores, flagella, opprobria, crucem, mortem passus est. Et quod horum justo debebatur? Quid non tibi peccatori debebatur? Ergo tene directum oculum tuum, ne turbetur præ ira. *Concione 1. In psal: 36.*

Fides oculus.

Ærumnæ sæculi tolerandæ.

Matt. 10. 24.

Promissa à Deo expectanda patienter. Sustinens sustinui Dominum qui promissa non aufert, sed differt. Exhibebit profectò, exhibebit. Quam multa jam exhibuit, & nihil de Dei veritate formidare deberemus, etiamsi nihil adhuc exhiberet. Non vides teneros agnos pulsare ubera matrum, ut lacte satientur. Sustinens inquit sustinui Dominum. Et quid ille? An avertit se à te, an sustinentem contempsit, an forte non videt? Non planè ita. Sed quid? Et attendit mihi, & exaudivit deprecationem meam. Attendit & exaudivit. Ecce non frustra sustinuisti: super te oculi ejus, ad te aures ejus. *In psal: 36.* *Ps 39. 1.*

Spes nostra certa. Omni homini converso ad Deum mutantur deliciæ, non subtrahuntur. Omnes autem deliciæ nostræ in hac vita non sunt in te: sed ipsa spes tam certa est ut omnibus hujus sæculi deliciis præponenda sit: Sicut scriptum est, delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui. *Et infra.* Omnia quæ in via occurrerint, transeantur ut perveniantur ad finem. Quando acceperint humiles, quod irrident superbi tunc etiam dicent. Transierunt omnia tanquam umbra. Quia de corruptibilibus præsumpserunt, spes eorum corrumpetur. Nostra vero spes tunc erit res. *In ps: 74.* *Ps. 36. 4.*

De promissionibus ejus præterita credamus, præsentia ignoscamus, futura speremus. *Con: 2. in psal: 88.*

Spes arcet à peccato. Et si forte teneant fluctus concupiscentiæ, intuere quid promisit Deus? & dulcedo promissorum faciet te contemptorem dulcedinum sæculi. *Et infra.* Promisit requiem, patere molestiam. Minatur ignem æternum, contemne dolores temporales. *In psal: 93.*

Certitudo gloriæ cælestis, et pænarum inferni. Sicut verum est quod promisit, sic certum est quod minatur. Jam certus debes esse de requie de felicitate, de æternitate, de immortalitate, si feceris præcepta ipsius, quàm certus esse debes de interitu, de ardore ignis æterni, de damnatione cum diabolo, si contempseris præcepta ejus. *In psal: 94.*

Promissiones divinæ in scripto. Fidelis Deus qui se nobis debitorem fecit: non aliquid à nobis accipiendo, sed tanta nobis promittendo. Parum erat promissio etiam scripto se teneri voluit, veluti faciens nobis chirographum suorum: ut cum ea quæ promisit solvere inciperet in scriptura, promissorum consideraremus ordinem solvendorum. *Ibid: In psal: 109.*

Promissiones Dei non solum scripto sed etiā pignore firmatæ. Illi in morte de animabus suis pertimescebant, ille ipsis securitatem etiam de capillis dabat. Itane vero anima perit cujus capillus non perit? Verumtamen fratres quia incredibile videbatur hominibus, quod promittebat Deus ex hac mortalitate, corruptione, abjectione, infirmitate, pulvere & cinere futuros homines æquales Angelis Dei, non solum scripturam cum hominibus fecit, ut crederent, sed etiam fidei suæ posuit mediatorem, non quemlibet principem, aut quemlibet Angelum vel Archangelum, sed unicum filium suum: ut quâ via nos perducturus esset, ad illum finem, quem promisit, per eum ipsum filium suum & ostenderet & præberet. Parum enim erat Deo ut filium suum faceret demonstratorem viæ: cum ipsum viam fecit, ut per illam ires regentem te, ambulantem per se. Promisit ergo quia venturi essemus ad eum, id est ad illam ineffabilem immortalitatem, & cum Angelis ejus æqualitatem. Quàm longè eramus? Quàm ille sursum? Quàm nos deorsum? quàm ille in summo, quàm nos in imo desperati jacebamus? *Enar: in ps: 109.* *Luc 20. 36.*

Æterna promisit æternus, si credidero, ex mortali fiam æternus. Quid strepis o munde? Immunde quid strepis? Quid avertere conaris? Tenere vis periens: quid faceres, si maneres? Quem non deciperes dulcis, si amarus alimenta mentiris. *Tom: 10. serm: de verb: Domini serm: 29.*

Non

Non enim quidquid Deus tibi promittit, valet aliquid præter ipsum Deum. Omnino me non satiaret Deus, nisi promitteret mihi seipsum Deum. Quid est tota terra? Quid est totum mare? Quid est totum cælum? Quid sunt omnia sidera? Quid sol? Quid luna? Quid exercitus Angelorum? Omnium istorum Creatorem scio, ipsum esurio, ipsum sitio, ipsi dico: Quoniam apud te est fons vitæ. Qui mihi dicit: Ego sum panis vitæ, qui de cælo descendi. Esuriat, & sitiat peregrinatio mea, ut satietur præsentia tua. Arrideat mundus multis rebus pulchris, fortibus, variis, pulchrior est ille qui fecit, suavior ille est qui fecit. Satiabor cum manifestabitur gloria tua. Fides ergo quæ per dilectionem operatur, si est in vobis jam pertinetis ad prædestinatos, vocatos, justificatos: ergo crescat in vobis. Fides enim quæ per dilectionem operatur, sine spe esse non potest. *T: 10. de verb: Ap: serm: 16:*

Solus Deus satiare potest.

PROPHETIA.

O Res gestas sed propheticè gestas: in terra, sed cælitus; per homines sed divinitùs. *T: 5. l: 16. de Civit: Dei: c: 37.*

Eodem tempore nonnulli regnante Romulo, li et hoc sub Trojano quidam scripserint, sybillam Erithræam (sive ut alij volunt humanam) vaticinatam ferunt, sybillas autem, Varro prodidit plures fuisse non unam; hæc sanè manifesta de Christo conscripsit: ut in eorum numero deputanda videatur, qui pertinent ad Civitatetem Dei; ostendit quodam loco in capitibus versuum græcè ordinem literarum ita se habentem, ut in eo verba legerentur, quod est latinè JESUS Christus Dei Filius Salvator. Hi autem versus hæc continent. Judicij signa, tellus sudore madescet; è cælo Rex adveniet, per sæcula futurus: scilicet in carne præsens ut judicet orbem; & inseruit etiam Lactantius quædã de Christo vaticinia Sybillæ, quamvis non expressit cujus. In manus iniquas, inquit: infidelium postea veniet. Et dabunt Deo alapas manibus incestis & impuro ore exspuent. Dabit ad verbera simpliciter sanctum dorsum, & colaphos accipiens tacebit, nè quis agnoscat quod verbum. Ad cibum autem fel, & ad sitim acetum dederunt, in hospitalitatis hanc monstrabunt mensam; Ipsa enim insipiens gens, tuum Deum non intellexisti, sed & spinis coronasti, & horridum fel miscuisti: Templi verò velum scindetur, & medio die nox erit tenebrosa nimis, in tribus horis. Et morte morietur, tribus diebus somnô suscepto; Et tunc ab inferis regressus ad lucem lævam veniet primus, resurrectionis principio revocatis ostenso. *Ib: l: 18 c: 23*

Capita versuum Erithrææ hæc nomina denotant Iesus Christus Dei Filius Salvator.

Ezaias Propheta non est in libro duodecim Prophetarum. qui propterea dicuntur minores, quia sermones eorum breves sunt in eorum comparatione; qui majores ideo vocantur, quia prolixa volumina condiderunt. *Ibid: lib: 18. cap: 29.*

Cur majores & minores Prophetæ vocantur.

Nòé Prophetam non immeritò dixerim: siquidem ipsa Arca quam fecit, & in qua cum suis evasit, prophetia nostrorum temporum fuit. Quid Enoch septimus ab Adam? nonne etiam in canonica Epistola Apostolo Judæ prophetasse prædicatur. *Ibid: c: 38.*

Sybilla porro vel sybillæ & Orpheus, & nescio quis Hermes, & si qui alij vates vel Theologi, vel sapientes, vel Philosophi gentium de Filio Dei, aut de Patre Deo vera prædixisse aut dixisse perhibentur. *Tom: 6. lib: 13 con Faustum c: 15:*

Sybillæ et a Ethnici de Christo prophetarunt.

Caiphas etiam nesciens potuit prophetare. Hoc quippe in eo egit Propheticum Chrisma, ut prophetaret: hoc autem vita impia, ut nesciens prophetaret. Quo itaque ore dicitur nihil de Christo

Chrisma etiam malos fecit prophetare.

Christo prophetâsse Moyses, à quo illud Chrisma cæpit, unde Christi nomen innotuit, & unde Christum etiam persecutor Christi vel nesciens prophetavit. *Ibid: lib. 16. c: 23.*

Usque adeo quidquid per hujusmodi figuras prophetabatur, impletum est, ut jam per illas non prophetetur. Ad hoc pertinet etiam quod ipse Dominus ait: Lex & Prophetæ usque in Joannem. *Ibidem lib: 19. cap: 8.*

Mitiùs ageretis traijciendo ferrum per viscera Prophetarum, quàm quod linguâ interficere conamini verba Prophetarum. *Tom: 2. lib: 2 con: lit: Petil: cap: 14.*

Prophetæ nubes. Tenebrosa aqua in nubibus àëris. In Prophetis enim atque omnibus divini verbi prædicatoribus obscura doctrina est. *Et infra.* Et revelata sunt fundamenta orbis terrarum, & revelati sunt Prophetæ qui non intelligebantur, super quos ædificaretur orbis terrarum credens Deo. *In psal: 17.* Ps. 17. 12.

Prophetæ fundamenta.

Obscurius Prophetæ dixerunt de Christo quàm de Ecclesia, puto propterea quia videbant in spiritu contra Ecclesiam homines facturos esse particulas & de Christo non tantam litem habituros, de Ecclesia magnas contentiones excitaturos. *Con: 2. in ps: 30.*

Deus de se loquebatur in prophetis. Ipse se in Prophetis prædicabat, quoniam ipse & verbum Dei: nec illi tale aliquid dicebant nisi pleni verbo Dei. Annuntiabant ergo Cgristum pleni Christo: & illi eum venturum præcedebant, quos præcedentes non deserebat. *Enar: in psal: 142.*

Propheta insani & arreptitii crediti. Tempore illo quo Beatus Helisæus in Judæa fuit, tam ille, quàm reliqui Prophetæ, non solùm non honorabantur ex maxima parte populi, sed etiam irrisui & opprobrio habebantur, & velut insani atque arreptitij credebantur, in tantùm ut eo tempore, quô Beatus Helisæus unum de filiis Prophetarum mitteret, ut Jehu ungeret in Regem, Principes qui sedebant in Jehu dixerunt: Quid ad te venit insanus iste? Prophetam Domini videbant, & eum esse arreptitium blasphemabant. *Tom: 10. ser: de Temp: ser: 204. Dnica 4. post festum S. Trinit: ser: 3.*

Meruerunt priora tempora Prophetas afflatos, & impletos verbo Dei: meruimus nos Prophetam ipsum verbum Dei. Sic autem Propheta Christus Dominus Prophetarum: sicut Angelus Christus Dominus Angelorum. *Tom: 9. in Evan: Ioan: Tract: 24. de cap: 6.*

Æternitas. Primo per multam seriem temporum, & annorum prædicendus fuit: non enim aliquid parvum venturum fuit, diu fuerat prædicendus, semper tenendus. Quantò major Judex veniebat, tanto præconum longior series præcedebat. Deniq; ubi venit plenitudo temporis, venit & ille qui nos liberet à tempore: liberati enim à tempore venturi sumus ad æternitatem illam, ubi non est tempus. Nec dicitur ibi, quando veniet hora, dies est enim sempiternus, qui nec præceditur hesterno, nec clauditur crastino. *Ibid: Tract: 31. de cap: 7.*

Christi omniscientia. Prudens Dominus Jesus Christus impios quosdam futuros, qui miraculis ejus calumniarentur magicis artibus & tribuendo, Prophetas ante promisit. Nunquid enim si magus erat, & magicis artibus fecit ut coleretur, & mortuus erat magus antequam natus? Prophetas audi o homo mortue, & vermescendo calumniose. *Ibid: Tract: 35. de cap: 8.*

Prædicaverunt Prophetæ Christum: sed divinitatem Christi & in Prophetis & in ipso Evangelio nec hæretici intelligunt. *Ibidem Tract: 48. de cap: 10.*

PRO-

PROSPERITAS TEMPORALIS.

CUpere sine metu vivere non tantùm bonorum, sed etiam malorum omnium est.? verùm hoc interest., quod id boni appetunt, avertendo amorem ab iis rebus, quas sine periculo amittendi nequeunt habere: mali verò ut his fruendis cum securitate incumbant, removere impedimentum conantur, & propterea facinorosam sceleratamque vitam, quæ mors melius vocetur, gerunt. *Tom*: 1. *lib*: 1 *de lib*: *arbit*: *cap*: 4.

Ps. 17. 12. Temporalia & antequam sint non sunt, & cum sunt fugiunt, & cùm fugerint non erunt. Itaq; cum futura sunt, nondum sunt, cum autem præterita sunt, jam non sunt. Quomodo igitur tenebuntur ut maneant, quibus hoc est incipere ut sint, quod est pergere ut non sint. *Ibid*: *lib*: 3: *c*: 7. *Temporalia nunquã sunt.*

Nulla res in via tenere nos debet, quando nè ipse Dominus inquantum via nostra esse dignatus est, tenere nos voluerit; sed transire nè rebus temporalibus quamvis ab illo pro salute nostra susceptis & gestis hæreamus infirmiter; sed per eas potius curramus alacriter. *T*: 3. *lib*: 1: *de Doctr*: *Christ*: *c*: 34.

Scriptum est de Isaac, benedixit autem eum Dominus & exaltatus est homo, ut sana fide intelligamus, & ista temporalia dona, nec dari posse nec sperari debere, etiam cum ab infirmioribus appetuntur, nisi ab uno Deo. *Tom*: 4, *lib*: 1. *quæst*: *in Gen*: *quæst*: 76.

Quibus non erat Deus daturus vitam æternam, cum Sanctis Angelis suis in Civitate sua cælesti [loquitur de Romanis) si neq; hanc eis terrenam gloriam excellentissimi Imperii concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, id est virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur, de talibus enim Dominus ait: Amen dico vobis perceperunt mercedem suam. *T*: 5. *lib*: 5. *de Civit*: *Dei cap*: 15. *Terrenis rependit bonis quibus non est daturus cælestia*

Ps. 8. 9 Pisces maris qui perambulant semitas maris, id est inquirunt in profundo hujus sæculi temporalia, quæ tanquam semitæ in mari tam cito evanescunt & intereunt, quam rursus aqua confunditur. postquam transeuntibus locum dederit vel navibus vel quibuscunq; ambulantibus, aut natantibus. Non enim tantum ambulant semitas maris, sed perambulant dixit, ostendens pertinacissimum studium inania & præterfluentia requirentium. *in psal*: 8. *Cupidi bonorũ temporalium, pisces maris.*

Ps. 36. 7. Qui iniqua gerit, benedicitur. Nemo gratuletur homini qui prosperatur in via sua: cujus peccatis deest ultor, & adest laudator. Major hæc ira Domini est, irritavit enim Dominum peccator, ut ista patiatur: idest ut correptionis flagella non patiatur. Irritavit enim Dominum peccator secundum multitudinem iræ suæ non exquiret. Multum irascitur Dominus dum non exquirit dum quasi obliviscitur, & non attendit peccata, & per fraudes & scelera, ad divitias honoresq; pervenitur: quod maxime in illo Antichristo eventurum est, qui usq; adeo beatus videbitur hominibus, ut etiam Deus putetur, sed quanta ista ira sit Dei docent sequentia. Non est Deus in conspectu ejus. Quantum malum sit à luce deseri veritatis, cum magnum malum homines putent oculorum cæcitatem qua lux ista retrahitur. *In psal*: 9 *Pro peccatis non puniri maior pœna est*

Trepidaverunt timorem ubi non erat timor. Hoc de omni-
Ps. 13 5. bus temporalibus commodis intelligendum, quorum amissionem cum timent homines ad æterna non veniunt. Quoniam Deus in gene- *Dives injustus*

generatione justa est, id est non est in eis qui diligunt sæculum. Injustum est enim relinquere sæculorum conditorem, & diligere sæculum, & servire creaturæ potius quàm Creatori. *In psal*: 13.

Noli sub æmuleris eum qui prosperatur in via sua. Prosperatur sed in via sua, laboras sed in via Dei. Illi prosperitas in via est, in perventione infelicitas, tibi labor in via in perventione felicitas quoniam iter impiorum peribit. Via impiorum felicitas transitoria finita, via peracta est felicitas. *Con*: 1. *in psal*: 36. Ps 36. 7.

Periculosior est res prospera animo, quàm adversa corpori. Prius corrumpit prospera ut inveniat quod frangat adversa. Fratres mei adversus felicitatem acrius vigilandum est. *In ps*: 50.

Impiorum interitus. In veritate tua disperde illos. Isti florent felicitate sæculi pereunt in virtute Dei. Non enim quomodo florent sic pereunt: florent enim ad tempus pereunt in æternum. Florent falsis bonis, pereunt veris tormentis. *In psal*: 53.

Felicitas temporalis vana & brevis Sicut flos agri ita efflorebit. Totus splendor generis humani, honores, potestates, divitiæ, typhi, minæ, tumores flos fæni est. Ps 102. 13 Floret illa domus & magna domus: floret illa familia & quàm multis floret, aut quàm multis annis vivunt? Multi anni tibi, breve tempus Deo: Deus non sic numerat quomodo numeras. In comparatione longorum & longe viventium sæculorum omnis flos cujuscunq; domus sic est quomodo flos agri. Vix est annua omnis pulchritudo anni. Quidquid tibi viget, quidquid tibi candet, quidquid tibi pulchrum est non perennat, imo per totum annum duci non potest. Quàm exiguo tempore transeunt flores, & hoc est pulchrum in herbis. Hoc quod valde pulchrum est, hoc cito cadit. Omnis caro fænum & claritas hominis ut flos fæni. *In psal*: 102.

Iustis cur Deus largitur bona temporalia. Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt. Non ut propter ista eum colant sed ut ea quoq; ad bonum æternum referant atq; convertant, id est ut custodiant justificationes ejus, & legem ejus requirant. Ps 104. 44. Quæcunq! igitur alia dona dat Deus referenda sunt ad gratuitum cultum ejus non est referendus ad alia bona quæ dat Deus. Tunc enim erit gratuitus. *In psal*: 104.

Sinistra nostra dicitur quidquid temporaliter habemus. Dextera nostra dicitur quidquid æternum & incommutabile Dominus nobis pollicetur. Si autem ille qui dabit æternam vitam ipse & de istis temporalibus consolatur præsentem vitam ipse fecit dexteram & sinistram. *Expos*: *psal*: 120.

Felices seculi difficulter boni. Homines qui prosperantur in hoc sæculo felicitate falsa atq; ventosa prorsus seductoria: ubi nihil aliud nutriunt quàm superbiam, & cor eorum congelascit adversus Deum & fit durum adversus imbrem gratiæ ipsius ne fructum ferat. Præsumentes enim omnia sibi abundare quæ videntur huic vitæ necessaria, & ultra quam necessaria, extolluntur. Et cum sint homines per iniquitatem inferiores omnibus hominibus, per superbiam superiores se putant omnibus hominibus. *Enar. In psal*: 124.

Filia Babylonis infelix ipsa exultatione tua, ipsa præsumptione tua & inimicitiis suis. *Enar*: *in psal*: 136.

Mundi sectatorum inanis arca, inanior conscientia. Terrena sectantes, terrena desiderantes, in terrenis spem ponentes, cum ista velint, nolint, perdiderint, quid tenebunt? ubi remanebunt? Foris nihil, intus nihil, inanis arca, inanior conscientia. Ubi requies? Ubi salus? Ubi spes? *Tom*: 10. *serm*: *de verb*: *Domini serm*: 29.

O qui ad cœnam Domini venitis, nolite diligere mundum, 1. Io. 2. 25.
nec

nec ea quæ in mundo sunt? Non dixit: nolite habere, sed nolite diligere Habuisti, possedisti, dilexisti. Amor rerum terrenarum, viscum est spiritualium pennarum. Ecce concupisti, hæsisti. Quis dabit pennas, ut columbæ? Quando volabis, ibi verè requiesces, quando hîc ubi malè hæsisti, perversè requiescere voluisti? Nolite diligere mundum, tuba divina est. Continuo hujus tubæ verbis orbi terrarum, & universo dicitur mundo: Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt. ***Ibid: serm:*** 33.

Amor terrenarum viscum est spiritualium.

Perversa requies mundi amatorum.

Mihi autem adhærere Deo bonum est Colat eum gratis. Colat quando ista dat, & quando aufert, & quando non dat: & nihil sic timeat, quàm ne ipse se auferat. Itaq; Christianus populus, fratres, qui dicit in corde suo, quidquid vult auferat, seipsum mihi non auferat: Beatus est populus, cujus est Dominus Deus ipsius. ***Tom: 10. serm de diver: serm:*** 20.

Deus gratis colendus.

Agamus Domino Deo nostro gratias, quia hujus vitæ ultimum diem, brevem esse voluit & incertum. A prima infantiæ usque ad decrepitam senectutem breve spatium est. Qui tamdiu vixerat, quid ei profuisset, si Adam hodie mortuus est? Quid diu est, ubi finis est? Hesternum diem nemo revocat, hodiernus à crastino, urgetur ut transeat. Ipso parvo spatiô bene vivamus, & illo eamus, non transeamus. Et modo cum loquimur transimus. Verba currunt, ex ore volant. Sic actus nostri, sic honores nostri, sic miseria nostra, sic ista felicitas nostra. Totum transit: sed non expavescamus. Verbum Domini manet in æternum. ***Ibidem.***

Vita etiam diuturna brevis

Bene vivendo non transitur cum tempore.

Omnia in mundo transitoria.

Quàm multis infirmis meritum ejus etiam temporalia beneficia præstitit, quæ ille contempsit. Concessæ sunt enim, non ut peccantium permaneret infirmitas; sed ut deterioribus concessis amor fieret ad impetranda meliora. Quædam enim plerumque parva & ludicra concedit pater parvulis filiis, quæ maximè nisi acceperint, plorant. Benigna & paterna indulgentia hæc impertit, hæc donat, quæ non vult permanere in filiis suis jam grandiusculis, jam proficientibus. Donat ergo pueris nuces, quibus servat hæreditatem. ***Ibid: serm:*** III.

Beneficia temporalia movere debent ad petenda meliora.

Non de prosperitate aliqua hujus sæculi inflemur, sed noverimus felicitatem nostram non esse nisi cum ista transierint. Modo gaudium nostrum fratres mei in spe sit: nemo gaudeat quasi in re præsenti: ne hæreat in via. Totum gaudium de spe futura sit, totum desiderium vitæ æternæ sit. Omnia suspiria Christo anhelent. Ille unus pulcherrimus, qui & fædos dilexit ut pulchros faceret, desideraretur. Ad illum unum curratur, illi ingemiscatur: & dicant semper Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus. ***Tom: 9. in Evan: Ioan: Tract: 10. de c:*** 2.

PROVIDENTIA.

Fieri enim non potest Divina providentiâ, ut Religiosis animis seipsos ad Deum suum id est veritatem, piè, castè & diligenter quærentibus inveniendi facultas desit. ***T: 1. l: de quant: ani: c:*** 14.

Sæpe etiam sinit divina providentia per nonnullas nimiùm turbulentas hominum seditiones, expelli de congregatione Christiana etiam bonos viros. Quam contumeliam vel injuriam suam cum patientissimè pro Ecclesiæ pace tulerînt, neque ullas novitates vel schismatis, vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines, quàm vero affectu & quanta sinceritate charitatis Deo sæviendum sit. ***T: 1. lib: de ver: Relig: cap:*** 6.

Iusti cum affliguntur docent quo affectu Deo serviendum sit.

Hæc enim est lex divinæ providentiæ, ut nemo à superiori-

bus adjuvetur, ad cognoscendam & percipiendam Dei gratiam, qui non ad eandem puto affecta inferiores adjuverit. *Ibid: c: 28.*

Beneficium magnes est alterius.

Sicut niger color in pictura fit pulcher, sic totum istum agonem decenter edit, incommutabilis Divina providentia, aliud victis, aliud certantibus, aliud victoribus, aliud spectatoribus, aliud quietis & solum Deum contemplantibus tribuens, cum in his omnibus non insit malum, nisi peccatum & pœna peccati, id est defectus voluntatis à summa essentia, & labor in ultimo non voluntarius. Quod alio modo dici potest libertas à justitia & servitus sub peccato. *Ibid: cap: 41.*

Diversitas mũdi ornatus.

Habet Deus in se ipso absconditas quorundam factorum causas, quas rebus conditis non inseruit. easq; implet, non illo opere providentiæ, quo naturas constituit, ut sint, sed eo quo eas administrant, ut voluerit, quas ut voluit, condidit; ibi est & gratia per quam salvi fiunt peccatores. *T: 1. l: 9. c: 18.*

Nonne duo passeres asse veneunt, & unus eorum non cadit super terram, sine voluntate Patris vestri. Hoc dixit volens ostendere quidquid vilissimum homines putant omnipotentiâ Domini gubernari. *T: 3. lib: de agon: Christ: c: 8.* *Matt. 10. 19.*

Etiam vilissima, Deus gubernat.

Et dixit Gedeon ad Dominum, Non irascatur indignatio tua in me & loquar adhuc semel in vellere. Iram quippe Dei metuebat, quia noc uerat tentando se peccare, quod Deus in lege sua manifestissimè prohibet: Hoc tamen peccatum ejus, & mirabilis signi evidentia, & magnæ victoriæ prosperitatis, liberationisq; populi consecuta est. Jam enim Deus statuerat afflicto populo subvenire, atq; hujus ducis, quem ad hoc opus assumpserant, utebatur animo non solùm fideli & pio; verùm etiam sub deficiente & relinquente. *Et infra.* Agit enim spiritus Domini, & per bonos & per malos, & per scientes, & per nescientes, quod agendum novit & statuit; Qui etiam per Caipham acerrimum Domini persecutorem, nescientem quid dixerit, insignem protulit Prophetiam, quod oportet Christum mori pro gente. *Ibidem lib: 7. super: Iudic: quæst: 49.* *Jud. 6. 39.*

Cur Gedeon in vellere iram Dei fuerit deprecatus.

Etiam per malos Deus bona operatur.

Fieri potest ut per malum hominem divina providentia & puniat & opituletur. Nam Judæorum impietas & Judæos supplantavit, & gentibus saluti fuit. Item fieri potest divina providentiâ per hominem bonum & damnet, & adjuvet, sicut ait Apostolus. Aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis autem odor mortis in mortem. *Ibid: lib: 8. trium quæst: quæst: 27.* *2. Cor. 1. 16.*

Ut per bonos ita & malos, Deus quandoque mala & bona operatur

Quærite primo Regnum Dei &c. Quandoquidem ista sunt adjutoria novit ille medicus, cui nos semel tutos commisimus, & à quo habemus promissionem vitæ præsentis & futuræ, quando apponat, quando detrahat, sicut nobis judicat expedire: quos consolandos & exercendos in hac vita & post hanc vitam in perpetua requie stabiliendos atq; firmandos gubernat ac dirigit. Non enim & homo, cum plerumq; jumento suo cibaria detrahit, deserit illud cura sua ac non potiùs curando hæc facit. *Ibid: c: 17.* *Matt. 6. 33.*

Deus novit quid cui expediat.

Placuit Divinæ providentiæ præparare in posterum bona justis, quibus non fruentur injusti: & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni; Ista verò temporalia bona & mala utriusque voluit esse communia, ut nec bona cupidiùs appetantur, quæ mali quoq; habere cernuntur: nec male turpiter evitentur, quibus & boni plerumq; afficiuntur. *T: 5. lib: 1. de Civit: Dei c: 8.*

Justis & injustis bona & mala communia.

Qui nec herbæ flosculum, nec arboris folium, sine suarum partium convenientia, & quadam veluti pace dereliquit; nullo modo est credendus Regna hominum, eorumque dominationes & ser-

& servitutes à suæ providentiæ legibus alienas esse voluisse. *T*: 5. *lib*: 5 *de Civit*: *Dei cap*: 11.

Si providentia Dei non præsidet rebus humanis, nihil de religione fatagendum est. *T*: 6. *lib*: *de utilitate creden*: *c*: 16.

Ps. 110 1. Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Non in toto corde confitetur Deo qui de providentia ejus in aliquo dubitat. Et quemadmodum omnes cruciatus qui corporaliter inferuntur aut ut exerceant conversos ad Deum, aut ut convertantur admoneat, aut ut justè damnationi ultimæ præparet obduratos & sic omnia ad divinæ providentiæ regimen referantur, quæ stulti quasi casu & *Ps.* 9. 2. temerè & nulla divina administratione fieri putant ait: Narrabo omnia mirabilia tua. Narrat omnia mirabilia Dei qui ea non solum in corporibus palam. Sed in animis quidem invisibiliter sed longe sublimius & excellentius fieri videt. Nam terreni homines & oculis dediti magis mirantur resurrexisse in corpore mortuum Lazarum quam resurrexisse in anima persecutorem Paulum. Sed quoniam visibile miraculum ad illuminationem, animam vocat, invisibile autem eam quæ vocata venit, illuminat: omnia narrat mirabilia Dei, qui credens visibilibus ad intelligenda invisibilia transitum facit. Lætabor & exultabo in te. Non jam in hoc *Ps.* 9. 3. sæculo, non in voluptate contrectationis corporum, nec in palati & linguæ saporibus, nec in suavitate odorum, nec in jucunditate sonorum transeuntium, nec in formis corporum variè coloratis, nec in vanitatibus laudis humanæ, nec in conjugio & prole moritura, nec in superfluis temporalium divitiarum, nec in conquisitione hujus sæculi sive quæ locorum spatiis tenditur, sive quæ successione volvitur sed lætabor & exultabo in te, videlicet in occultis filij ubi signatum est in nobis lumen vultus tui Domine. Etenim abscondes enim inquit in abscondito vultus tui. *T*: 8. *In psal*: 9.

Affictiones cur à Deo immittuntur.

Miraculum

Deo solo beati erimus.

Ps. 31. 8. Obfirmasti super te oculos meos. Non à te auferam oculos meos quia & tu non auferes à me oculos tuos: jam justificatus jam post remissionem peccatorum leva oculos tuos ad Deum. *Enar*: 2. *in psal*: 31.

Qui habuit tui curam antequam esses, quomodo non habebit curam, cum jam hoc es quod voluit ut esses. Jacta te in illum. Noli putare inane esse ut quasi præcipiteris. Non ita tibi videatur. Ille dixit: Cælum & terram ego implebo. Nunc nusquam tibi deest, tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse. *In psal*: 39.

Deus habet curam nostri.

Ps. 36. 25. Nunquam vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem: habeo enim panem meum quem tu non nosti. Quem panem? Audi Dominum. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei. Putasnè Verbum Dei non sit panis? Si non esset panis non diceret verbum Dei per quod facta sunt omnia. Ego sum panis vivus qui de cælo descendi. *In psal*: 90.

Verbum Dei cibus.

In servum venundatus est Joseph. Nempe quando factum est *Ps.* 104 17. peccatum erat fratrum, & tamen Deus misit Joseph in Ægyptum. Intuenda est ergo res magna & pernecessaria: quomodo Deus bene utatur malis operibus hominum sicut illi contra male utuntur bonis operibus Dei. *In psal*: 104.

Deus peccatis nostris bene utitur.

O homo quomodo te Deus factum non computavit qui ut fieres ante curavit? Cum te in ordine rerum creatarum numerari non putas, nulli crede seductori: Capilli tui numerati sunt à Conditore. *in psal*: 109.

Deo omnia & singula creata præsentia.

Ps. 89. 1. Domine refugium tu factus es nobis, in generatione, & generatione. In prima generatione, & altera generatione, refugium

Sive blanditur, sive corripit bonum hominis spectat.

tu factus es nobis. Tu refugium ut nasceremur, qui non eramus: tu refugium ut renasceremur, qui mali eramus: tu refugium ut pasceres desertores tuos: tu refugium ut erigas & dirigas filios tuos: tu refugium factus es nobis. *Et infra.* Bona das: blandiris, nè fatigemur in via: Corripis, cædis, percutis, dirigis, nè aberremus à via. Sive ergo blandiris nè fatigemur in via, sive castigas nè aberremus à via Domine refugium tu factus es nobis. *Tom: 10. ser: de verb: Domini serm: 4*

Capillus de capite vestro non peribit. Times ergo nè pereas, cujus capillus non peribit? Si sic custodiuntur superflua tua, in quanta securitate est anima tua *T: 10 Homil: Homil: 14.* *Luc. 21 18.*

Subvenit necessitati, non cupiditati.

Qui administrat semen seminanti, & panem in escam subministrabit. Operarius enim Dei es, quando das egenti: seminas hyeme, quod metas æstate. Quid ergo metuis infidelis, ne in hac magna domo tantus paterfamilias non pascat operarium suum? Erit & ibi, sed quod sufficiat tibi. Dabit Deus totum necessitati, non cupiditati. Operare ergo intrepidus, extende manus. *Tom: 10 Eorundem Homil: 27. De illo Prophetæ in Psalmo: Averte faciem tuam à peccatis meis, &c.*

Deus iustissimé aliqua agit.

Si nescis qua ratione fiat, crede non injustè fieri, quod fecit, aut facit Deus. Humana ratione ducebaris, divina authoritate revocare, & crede aliquid ibi esse quod te latet. Nam Deum perversum, & iniquum esse non posse, fide certissima credendum est. *Tom: 10 serm: de Temp: serm. 236 Dnica 19. post festum S Trinit: serm: 1.*

Deus malis ad bona utitur.

Malus erat, sed bene usus est illo, qui malus esse non potest. Sicut enim mali homine, malè utuntur creaturis bonis: Sic Creator bonus bene utitur hominibus malis. Novit quid tamen agat, qui creavit totum genus humanum. Aurifex portat, appendit, aurifex librat. Pictor novit ubi ponat nigrum colorem, ut sit decora pictura, & Deus nescit ubi ponat peccatorem, ut sit ordinata creatura, nisi Deus antiquioribus seculis servaret sua patientia peccatores, unde nascerentur hodie tot fideles? Alij mali servantur, ut boni inde nascantur. Boni gratia Dei, nam tota damnata est massa peccati. *Tom: 10. Parte 2. serm: de diver: serm: 110. de Machabæis.*

Mali à Deo servantur, ut boni inde nascantur.

PULCHRITUDO

Tarda conversio.

SErò te amavi pulchritudo tam antiqua & tam nova, serò te amavi. Ecce intus eras & ego foris, & ibi te quærebam, & in ista formosa quæ fecisti deformis irruebam &c: Fragrasti & duxi spiritum, & anhelo tibi. Gustavi & esurio, & sitio. Tetigisti me & exarsi in pacem tuam. *T: 10. lib: 10. confess: c: 27.*

Fecisti ea qui pulcher es, pulchra sunt enim: qui bonus es, bona sunt enim; qui es, sunt enim; nec ita pulchra, nec ita bona, nec ita sunt, ut tu Conditor eorum, cui comparata, nec pulchra sunt, nec bona sunt, nec sunt. *Ibid: lib: 11 c: 4*

Spes videndi Deum est fomes amoris.

Et hoc mihi bonum in dies crescit, nam quantò augetur spes videndæ illius, cuius vehementer æstuo pulchritudinis, tantò ad illam totus amor voluptasq; convertitur. *T: 1. lib: solil: c: 10.*

Est pulchritudo creaturæ per hæc tria inculpabilis, damnatione peccatorum, exercitatione justorum, perfectione beatorum. *Ibid: lib. de ver; Relig: cap: 23.*

Illa bonitas à summo ad extremum, nulli pulchritudini, quæ ab ipso solo potest esse invidet, ut nemo ab ipsa veritate dejiciatur, qui non excipiatur ab aliqua effigie veritatis. *Ibid: c. 39.*

Nascitur corpus quod formosum vocatur, & à suis dilectoribus

bus amatur acerrimè; non tamen in eo plùs placet forma, quæ movetur, quàm vita quæ movet. Nam si non amat, illicit violentius: si oderit succensemus, & ferre non possumus, etiamsi forma ipsam præbeat fruenti. Hoc totum est voluntatis Regnum, & prima pulchritudo, subjacet enim corruptioni. quodsi non esset summa putaretur. *Ibid: cap:* 40. *Plus vita quam forma*

Cum proposuero ante qualescunq; oculos cordis mei intelligibilem illius [scilicet Dei) pulchritudinem de cujus falsi nihil ore procedit, quamvis ubi radians magìs magìsq; clarescit veritas, ibi palmitans mea reverberatur infirmitas; tamen sic amore tanti decoris accendor, ut cuncta quæ inde me revocant, humana contemnam. *T: 4. lib: con. Mendac: c:* 18. *Luc. 11 18.*

Nulla est pulchritudo corporalis, sive in statu corporis, sicut est figura, sive in motu sicut est cantilena, de qua non animus judicet. Quod profecto non posset, nisi melior esset in eo hæc species sine tumore molis, sine strepitu vocis, sine spatio vel loci vel temporis. *T: 5. lib. 8. de Civit: Dei c:* 6.

Omnis temporalis pulchritudo vicibus suis atq; in suo genere peragitur, quasi morientibus atq; orientibus syllabis, quæ per morarum certa intervalla tenduntur, donec ad finem suum tota perducatur oratio. *Ibid: lib: con: secundin: c:* 15.

Fit decedentibus & succedentibus rebus temporalis quædam in suo genere pulchritudo, ut nec ipsa quæ moriuntur vel quod erant esse desinunt, turpent aut turbent modum & speciem & ordinem universæ creaturæ: sicut sermo bene compositus utique pulcher est, quamvis in eo syllabæ atq; omnes soni tanquam nascendo & moriendo transcurrant. *T. 6. l: 1. de nat: bon: c:* 8. *Pulchritudinem universi non turpant non pulchra*

Nobis ergo jam credentibus ubiq; sponsus pulcher occurrit. Pulcher Deus verbum apud Deum: pulcher in utero Virginis, ubi non amisit divinitatem & sumpsit humanitatem. Pulcher natus infans Verbum: quia & cum esset infans, cum sudaret, cum manibus portaretur, cæli locuti sunt, Angeli laudes dixerunt. Magos stella direxit, adoratus est in præsepi cibaria mansuetorum. Pulcher ergo in cælo, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro, pulcher in cælo, pulcher in intellectu. Audite canticum. Neq; oculos vestros à splendore pulchritudinis illius avertat carnis infirmitas. Summa & vera pulchritudo justitia est. Ibi illum non videbis pulchrum ubi deprehendes injustum. Si ubique justus ubique decorus. *T: 8. in psal:* 44. *Deus homo pulcherrimus.*

Quædam est pulchritudo justitiæ quam videmus oculis cordis, & amamus & exardescimus: quam multum dilexerunt homines in ipsis Martyribus, cum eorum membra bestiæ laniarent. Nonnè cum sanguis fædaret omnia, cum morsibus belluinis viscera scinderentur non habebant oculi nisi quod horrerent. Quid ibi erat quod amaretur nisi quia erat in illa feritate dilaniatorum membrorum integra pulchritudo justitiæ? Ista sunt bona domus Dei, his te para satiari. Sed ut inde satieris cum perveneris, hoc te opportet esurire & sitire cum peregrinaris. Hoc siti, hoc esuri: quia erunt bona Dei. Audi illum Regem cui ista dicuntur, qui venit ut te reducat & se tibi fecit viam. Quid dicit. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam quoniam saturabuntur. *In psal:* 64. *SS Martyres* *Matt. 5. 6*

Ergo si nobis promisit ostendere se nobis, qualis est pulchrichritudo ejus? Fratres cogitate. Omnia ista quæ videtis pulchra quæ *Deus quam pulcher.*

quæ amatis ipse fecit. Si hæc pulchra sunt quid est ipse; Si hæc magna sunt quantus est ipse? Ergo ex istis quæ hic amamus illum magis desideremus, & contemnentes ista illum diligamus: ut ipsa dilectione per fidem cor mundemus, & mundatum cor nostrum inveniat aspectus illius *In psal*: 84.

Corporis hujus, id est exterioris hominis ornamenta quantò magis appetuntur, tantò sunt interioris majora detrimenta: quanto autem minus appetuntur ornamenta exterioris hominis, tantò magis moribus pulchris homo interior adornatur. *Tom*: 10. *de verb: Apost: serm*: 18: *Nescitis quia corpora vestra, &c*.

PURGATORIUM.

Ignis purgatorii excolit terram animæ.

QUi fortè agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, & post hanc vitam habebit, vel ignem purgationis, vel pænam æternam, ita nemo evadit istam sententiam. Sed agendum est, ut saltim in hac tantum vita sentiatur. *Tom*: 1. *lib*: 2. *de Gen: con Manich*: *cap*: 20.

Vivens mereri debet ut suffragia prosint.

Neq; negandum est defunctorum animas, pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cum viverent, ut hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt. *Tom*: 3. *Enchirid*: *cap*: 109.

Sacrificiorum effectus.

Cum sacrificia sive altaris, sive quarumcunq; eleemosynarum pro baptisatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis, gratiarum actiones sunt; pro non valde malis propitiationes sunt: pro valde malis, etsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt: Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio. *Ibid*: *cap*: 110:

Neq: in ira tua emendes me ut in hac vita purges me, & talem me reddas cui emendatorio igne non sit opus. *Et infra*. *Ipse autem salvus erit sic tamen quasi per ignem. Et quia dicitur salvus erit contemnitur ille ignis. Ita planè quamvis salvi per ignem gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita. *T*: 8. *Titulo psal*: 37.

Ps. 37. 2. 1. Cor. 3. 15.

Purgatorius ignis minuta purgat peccata.

Illo transitorio igne de quo dixit Apostolus: Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, non capitalia, sed minuta peccata purgantur. *Tom*: 10 *serm*: *de Sanctis serm*: 41. *die commemorationis animarum serm*: 4.

1. Cor. 3. 25.

Purgatorius ignis, omni durior sæculi pæna.

Omne tempus etiam brevissimum in purgatorio gravissimum & longissimum.

Minuta peccata bonis operibus à purgatorio redimenda.

Ille purgatorius ignis durior erit, quàm quid potest in hoc seculo pænarum videri, aut cogitari, aut sentiri. Et cum de die judicij scriptum sit, quod erit dies unus tanquam mille anni & mille anni tanquam dies unus, unde scit unusquisq; utrum diebus an mensibus, an fortè etiam & annis per illum ignem sit transiturus? Et qui modo nec unum digitum suum in ignem vult mittere, timeat necesse est, vel tunc parvo tempore cum anima & toto corpore cruciari: & ideo totis viribus unusquisq; laboret, ut capitalia crimina possit evadere, & minuta peccata ita operibus bonis redimere, ut de ipsis nihil videatur remanere, quod ille ignis possit absumere. *Ibidem*. *Vide plura*. *Vbi de distinctione peccati mortalis à veniali*.

QUIES

QUies est apud te valde, & vita imperturbabilis. Qui intrat in te, intrat in gaudium Domini sui, & non timebit, & habebit se optimè in optimo. *Tom: 1. lib: 2: confess: c: 10.*

Requiescite in eo & quieti eritis. Quò itis in aspera? quò itis? bonum quod amatis, ab illo est, & quantum est ad illum, bonum est & suave sed amarum erit justè; quia injustè amatur, deserto illo, quidquid ab ipso est. Non est requies ubi requiritis eam. Beatam vitam quæritis in regione umbræ mortis, non est illic. Quomodo enim beata vita, ubi nec vita. *Ibid: lib: 4. c: 12.*

O tortuosas vias! Væ animæ audaci quæ speravit, si à te recessisset; se aliquid melius habituram. Versa & reversa in tergum & in latera, & in ventrem, dura sunt omnia, & tu solus requies. *Ibid: lib: 6. cap: 16.*

Gen. 1. 2. Spiritus ferebatur super aquas. Non ferebatur ab eis, tanquam in eis requiesceret. In quibus enim requiescere dicitur spiritus tuus bonus, hos in se requiescere facit. *Ibid: l: 3: c: 4.* *Requies Spiritus sancti, requies nostra.*

Gen. 2. 3. Et sanctificavit Dominus diem septimum. Amant enim requiem sive piæ animæ, sive iniquæ, sed quâ perveniant ad illud quod amant plurimæ nesciunt: nec aliquid appetunt etiam ipsa corpora ponderibus suis, nisi quod anima amoribus suis. *Tom: 2. epist: 119. cap: 10.*

Requies ubiq; amatur, sed in solo Deo certa & sancta invenitur. *Ibidem cap: 3.*

Multa quidem per corpus delectant, sed non est in eis æterna requies, nec saltim diuturna, & propterea magìs sordidant animam, & aggravant potiùs, ut sincerum ejus pondus, quo in superna fertur impediant. Cum ergo anima in se ipsa delectatur, & ideo adhuc superba est, quia se pro summo habet, cum superior sit Deus. Nec in tali peccato impunita relinquitur, quia Deus superbis resistit: cum autem Deo delectatur, ibi veram certam invenit requiem, quam in aliis quærebat nec inveniebat. Proinde admonetur in psalmo. Delectare in Domino & dabit petitiones cordis tui. *Ibid: epist: 119. cap: 10.* *Superbia appetit munus superiorum.*

Ps. 36. 4.

Sicut rectè dicitur Deus facere, quidquid ipso in nobis operante fecerimus; ita rectè dicitur requiescere, cum ejus munere requiescimus. *T: 3. lib: 4. de Gen ad liter: c: 9.*

Bona facere si non posset, nulla esset potentia; si autem posset nec faceret, magna esset invidentia. Quia ergo est omnipotens & bonus, omnia valde bona fecit; quia verò à se ipso bono perfectè beatus est à nobis, quæ fecit in seipso, requievit: ea scilicet requie à qua nunquam recessit. *Ibid: cap: 16.*

Requies Dei rectè intelligentibus ea est, quâ nullius indiget bono: & ideo certa & nobis in illo est, quia & nos beatificamur bono quod ipse est, non ipse bono quod nos sumus. Nam & nos aliquod bonum ab illo sumus, qui fecit omnia bona valde, in quibus fecit & nos. *Ibid: c: 16.*

In quodam quippe incommutabili bono requiescere debemus, quod ille nobis est, qui nos fecit. Hæc erit igitur summa, minimeq; superba & verè pia requies nostra: ut sicut ipse requie-

Gen. 2. 2. vit ab omnibus operibus suis, quia non ei opera sua, sed ipse sibi bonum est, quo beatus est: ita & nos ab omnibus operibus non nisi in illo requieturos nos esse speremus, quæ [intellige opera] in nobis agnoscimus illius potius esse quam nostra: ut etiam

sic ipse in nobis requiescat. Magnum est enim ab illo extitisse, sed majus erit in illo requievisse. *Ibid: cap: 17.*

Quid tam humile ac facile effatu, & quid tam sublimè atq; arduum cogitatu, quàm Deus requiescens ab omnibus operibus suis, quæ fecit? Et ubi requiescens, nisi in se ipso, quia beatus non nisi in se ipso? quando, nisi semper. *Ibid: cap:17.*

Quies creaturæ nullum habet terminum nullum initium. Quies Dei nec initium habet nec terminum: Creatura autem habet initium, sed non habet terminum, & ideo septimus dies eidem creaturæ cæpit à mane, sed vespere terminatur. *Ibid. c:18.*

Quoniam rei cujusq; perfectio, non tam in universo, cujus pars est, quàm in eo à quo est, in quo & ipsum universum est, pro sui generis modulo stabilitur, ut quiescat, id est ut sui momenti ordinem teneat. *Ibid: cap: 18*

Valdè tibi gratulor & gaudeo de te, quod in tantis ac tam periculosis hujus sæculi tempestatibus, de aliqua vera & & certa securitate cogitasti. Nam & in hac vita homines laboribus magnis requiem quærunt, sed pravis cupiditatibus non inveniunt. Volunt enim requiescere in rebus inquietis & non permanentibus. Et quia illæ tempore subtrahuntur & transeunt, timoribus & doloribus eos agitant, nec quietos esse permittunt. Sive enim in divitiis homo velit requiescere, magis superbus efficitur quàm securus. An non videmus, quàm multi eas subitò perdiderint; multi etiam propter illas perierint, aut cum eas habere cupiunt, aut cum eis oppressis à cupidioribus auferuntur? Quæ si & per totam vitam cum homine permanerent, & non desererent dilectorem suum, ipsa illas sua morte desereret. Quanta est enim vita hominis, etiamsi senescat? Aut cum sibi homines optant senectutem, quid aliud optant, nisi longam infirmitatem? Sic & honores hujus sæculi quid sunt nisi typhus, & ruinæ periculum? quia sic scriptura sacra dicit, omnis caro fænum, & claritas hominis ut flos fæni. Ideo qui veram requiem & veram felicitatem desiderat, debet tollere spem suam de rebus mortalibus & prætereuntibus, & eam collocare in verbo Domini, ut hærens ei quod manet in æternum. *Tom: 4. de cathechisan: rudib: cap: 16.*

Senectus lõga infirmitas.

Requies Dei requiem significat eorum, qui requiescunt in Domino, sicut lætitia Domûs, lætitiam significat eorum qui lætantur in domo. Quantò magis si eadem domus pulchritudine sua lætos faciet habitatores: convenientissimè itaque cùm Deum requievisse Prophetica narrat authoritas, significatur requies eorum, qui in illo requiescunt, & quos facit ipse requiescere. *Tom: 5. lib: 11. de Civit: Dei cap: 8.* *Gen. 2.*

Fecit Deus omnia, & ecce omnia bona valde. Et requievit Deus, in die septimo ab omnibus operibus suis quæ fecit. Requiescere vis & tu? Fac primo opera bona valde. *Tom: 10. serm: nov: serm: 22. in die Pentecostes 3.*

RAPINA.

Rapiens perdis. ET in rapinam ne concupiscatis. Non es dives & rapere vis. Quid invenis? Quid perdis? O lucra damnosa! Invenis pecuniam perdis justitiam. Pauper sum non habeo. Ideo rapere vis? Quid rapias vides à quo rapiaris non vides? Præda illa quam vis rapere in muscipula est. Tenes & teneris. Pascet te qui fecit te. Qui pascit latronem non pascit innocentem? Si pascit damnandos, non pascet liberandos? *T: 8. In psal: 61.* *Ps. 61. 11.*

Locusta est malitia ore lædens, infideli scilicet testimonio.

Grando est iniquitas res alienas auferens, unde furta, rapinæ, prædationesq; nascuntur: plus autem vitiosus vastatur ipse vastator. Pruina significatur vitium quo charitas proximi stultitiæ tenebris velut nocturno frigore congelascit. Ignis vero si non ille hic commemoratur qui erat in grandine ex fulgurantibus nubibus, quoniam hic dixit. Tradidit possessionem eorum igni ubi eam significat utiq; incensam, quod ignis ille fecisse non legitur: immanitatem ergo iracundiæ mihi videtur significare, quia & homicidium admitti potest. *In psal: 77.*

Locusta grando, pruina, ignis quid moraliter?

Ps. 77. 48.

Diximus contra unum vitium rapinarum, quo res humanæ usquequâq; vastantur: diximus, & nemo nobis contradicit. Quis enim audet apertissimè loquendo contradicere veritati? Non ergo facimus quod Apostolus monuit, non contradicentes redarguimus, obedientes alloquimur, laudantes instruimus, non contradicentes redardarguimus. Ita verò non contradicunt linguâ sed vitâ. Moneo, rapit; doceo, rapit; præcipio rapit; arguo rapit Quomodo non contradicit? Dicam ergo quod de hac re sufficere existimo. Abstinete vos fratres, abstinete vos filij, abstinete vos à consuetudine rapiendi, & vos qui sub manibus raptorum gemitis, abstinete vos à cupiditate rapiendi. Alius potens est, & rapit; tu in manu raptoris gemis, quia rapere non potes, ideo non facis. Habeto facultatem, & ibi laudabo domitam cupiditatem. *Et infra.* Si quisquam verbi gratia in via inveniat alienum sacculum solidorum, deberet reddere, sed nescit cui. Non se excusat ignorantia, si non dominetur avaritia. Dicam vestræ charitati, quoniam dona Dei sunt: & sunt in populo Dei, qui non frustra audiunt verbum Dei. Dicam quod fecerat pauperrimus homo, nobis apud Mediolanum constitutis, tam pauper, ut proscholis esset grammatici, sed planè Christianus, quamvis ille esset Paganus grammaticus, melior ad velum, quàm ad cathedram. Invenit sacculum, nisi forte me numerus fallit, cum solidis fermè ducentis: memor legis proposuit pitacium publicè. Reddendum enim sciebat; sed cui redderet ignorabat, proposuit pitacium publicè. Qui solidos perdidit, veniat ad locum illum, & quærat hominem illum. Ille qui plangens circumquaque vagabatur, invento & lecto pitacio, venit ad hominem: & ne forte quæreret alienum, quæsivit signa, interrogavit sacculi qualitatem, sigillum, solidorum etiam numerum. Et cum omnia illi fideliter respondisset, reddidit quod invenerat. Ille autem repletus gaudio, & quærens vicem rependere, tanquam decimas obtulit solidos viginti, qui noluit accipere. Obtulit vel decem, noluit accipere. Saltem rogavit vel quinq; acciperet, noluit ille. Stomachabundus homo projecit sacculum: Nihil perdidi ait. Si non vis aliquid à me accipere, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen fratres mei, quale certamen, qualis pugna, qualis conflictus! theatrum mundus, spectator Deus. Victus tandem ille, quod offerebatur accepit. Continuo totum pauperibus erogavit, unum solidum in domum suam non dimisit. *Et infra.* Nam quod invenisti, & non reddidisti, rapuisti. Quantum potuisti, fecisti, quia plus non potuisti, ideò non plus fecisti. Qui alienum negat, si posset, & tolleret. Quod non tollis timor prohibet, non bonum facis, sed malum metuis. Quid est magnum, timere malum? Magnum est non facere malum, magnum est amare bonum. Nam & latro timet malum, & ubi non potest, non fuit, & tamen latro est. Deus enim cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ovile ovium, quærit evadere, quærit jugulare, quærit devorare. Vigilant pastores, latrant canes,

Raptor alieni monenti non cõtradicit linguâ sed vitâ.

Pauper mediolanensis in restituenda Domino suo re inventa.

Qui invenit rem alienam, & non restituit, rapit.

canes, nihil poterit, non aufert, non occidit; sed tamen lupus venit, & ovis rediit? *Tom: 10. serm: de verb: Apost: serm: 19. De constituendis Episcopis apud Apost: ad Titum.*

Sed hæc fortè rides, quia pecuniam rapis? Ride, ride, & contemne: ego erogem veniet qui exigat. *Ibid: serm: 24.*

Si pænale est clanculo auferre, multò majoris pænæ est violenter eripere. *Tom: 10 Ex fragmentis operum S. Augustini fragmento sermonis de decalogo ad populum.*

REGNUM REX.

SI duæ naturæ sunt ut affirmitatis (alloquitur Manichæos) Regnum lucis, & regnum tenebrarum: quoniam Regnum lucis Deum esse fatemini, confitemini necesse est istam naturam, quam summum bonum non negatis, esse incommutabilem, incorruptibilem, inviolabilem: tali autem naturæ noceri nullo modo potest. Nocere enim bono privare est. Nec Regno tenebrarum noceri potest, quia nihil ibi boni est: cui igitur nocebit quod dicitis malum? *Tom: 1. de morib: Manich: cap: 3.*

Scio non deesse homines, qui te secundùm vitam mundi hujus diligunt, & secundùm ipsam tibi dant consilia, aliquando utilia, aliquando inutilia, quia homines sunt. Secundùm autem Deum, nè pereat anima tua, non facilè tibi quisquam consulit, non quia desunt, qui hoc faciant, sed quia difficile est invenire, quando tecum ista possum loqui. *Tom: 7. ep: 70.*

Intestina bella in Regno diaboli. Duæ quippè gentes sunt & duo Regna, unum scilicet Christi, alterum Diaboli: de quibus dici potuit. Exurget gens contra gentem &c. *Matt. 24. 7.* Nunc ista mala tanquam summa & extrema creduntur utriq; genti & utriq; Regno, & Christi videlicet & Diaboli videntur esse communia. Pariter quippe his & boni affliguntur & mali, nec est qui dicat, pax & securitas ubiq; contingunt, vel metuitur nè contingant. Inter quæ tamen mala adhuc usquequaque frequentantur luxuriosa convivia; fervet ebriositas, avaritia grassatur, perstrepunt lascivi cantus, organa, tybiæ, lyræ, cytharæ, tesseræ, multa & varia genera sonorum, atq; ludorum. Hoccine est arescere præ timore an potius madescere præ libidine? *Ib: ep: 80.*

Pharao non hominis nomen est sed Regiæ potestatis. *Tom: 3. de Gen: lib: 1. quæst: in Gen: quæst 32.*

Encomium mediocæ staturæ. Ut magnum esset imperium, cur esse deberet inquietum: nonne in corporibus hominum satiùs est modicam staturam, cum sanitate habere, quam ad molem aliquam Giganteam pervenire perpetuis afflictionibus? nec cùm perveneris requiescere, sed quantò grandioribus membris, tantò majoribus agitari malis? *Tom: 5. lib: 3 de Civit: Dei cap: 10.*

Hæc fuit Romanorum vita sub Regibus laudabili tempore illius Reip: usq; ad expulsionem Tarquinii superbi, per ducentos fermè quadraginta & tres annos, cum illæ omnes victoriæ tam multo sanguine & tantis emptæ calamitatibus, ut vix illud imperium intra viginti ab urbe milliaria dilataverit. *Ibid: c: 15.*

Singulus quisq; homo, ut in sermone una litera, ita quasi elementum est Civitatis & Regni, quantalibet terrarum occupatione latissimi. Duos constituamus homines, pauperem unum vel potiùs mediocrem, alterum prædivitem cogitemus, sed divitem timoribus anxium, mæroribus tabescentem, cupiditate flagrantem, nunquam securum, semper inquietem, perpetuis inimicitiarum contentionibus anhelantem: mediocrem verò illum, re familiari

miliari parva atque succincta sibi sufficientem, charissimum suis, dulcissima pace gaudentem, pietate religiosum, benignum mente, sanum corpore, moribus castum, conscientiâ securum. Nescio utrumquisquam ita desipiat ut audeat dubitare quem præferat. Ut ergo in his duobus hominibus, ita in duabus familiis, ita in duobus populis, ita in duobus Regnis regula sequitur æquitatis. Qua vigilanter adhibita si nostra intentio corrigatur, facillimè videbimus, ubi habitet vanitas & ubi felicitas. *Ibid: c: 3.*

Utile est ut boni longè latèque diu regnent. Neque hoc tam ipsis, quàm illis utile est quibus regnant Nam quantùm ad ipsos pertinet pietas & probitas eorum, quæ magna Dei dona sunt, sufficit eis ad veram felicitatem, qua & ista vita bene agatur & postea percipiatur æterna. *Ibidem.*

Justis quidquid malorum, ab injustis Dominis irrogatur, non est pœna criminis sed virtutis examen. Proinde bonus etiamsi serviat, liber est: malus autem etiamsi regnet, servus est: nec unius hominis, sed quod est gravius tot Dominorum quot vitiorum. A quo enim quis, [inquit scriptura) devictus est, huic & servus addictus est. *Ibid: cap: 3*

Metamorphosis Regnorum in latrocinia per injustitiã.

Remotâ justitiâ quid sunt Regna, nisi magna latrocinia? quia & ipsa latrocinia quid sunt, nisi parva Regna? eleganter enim & veraciter Alexandro illi magno quidam comprehensus Pirata respondit; nam cum idem Rex hominem interrogâsset, quid ei videretur, ut mare haberet infestum? ille libera contumacia, quid tibi inquit ut orbem terrarum? Sed quia id ego exiguo navigio facio, latro vocor: quia tu magna classe Imperator. *Vide ibi plura Ibidem cap: 4.*

Matth. 24. 7.

Prorsus divinâ providentiâ Regna constituuntur humana. Quæ si propterea quisquam fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat. *Ibid: lib: 5 cap: 1.*

Fatum providentia

Qui contemptor gloriæ, dominationis est avidus, bestias superat sive crudelitatis vitiis, sive luxuriæ. Tales quidam Romani fuerunt Etiam talibus tamen dominandi potestas non datur nisi summi Dei providentia, quando res humanas judicat talibus Dominis dignas. Loquente Dei sapientia: Per me Reges regnant, & Tyranni per me terram tenent. *Ibid: c: 19*

Illi autem qui vera pietate præditi, bene vivunt, si hac scientiâ regendi populos confectati sunt, nihil est felicius rebus humanis, quàm si Deo miserante habeant potestatem. *Ibid: c: 19.*

Neq; nos Christianos quosdam Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutiùs imperârunt, vel Imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes Reip: domuerunt, vel inimicos Cives adversus se insurgentes, & cavere & opprimere potuerunt. Hæc enim & alia vitæ hujus ærumnosæ, vel munera, vel solatia quidam etiam cultores Dæmonum accipere meruerunt, sed felices eos dicimus si justè imperant: si inter linguas sublimiter honorantium & obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, sed se homines esse meminerunt, si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum, majestati ejus famulam faciunt: si Deum timent, diligunt, colunt: si tardius vindicant, facilè ignoscunt: si luxuria tantò eis castigatior, quantò posset esse liberior: si malunt cupiditatibus pravis, quàm quibuslibet gentibus imperare. [tandem post multa præclara) ita concludit. Tales Christianos Imperatores dicimus esse felices interim spe, postea re ipsa futuros, cum id quod expectamus advenerit. *Ibid: c: 24.*

In Regno Juda pertinente ad Hierusalem piorum sanè Regum, merita ibi non parva laudantur. In Israel autem Reges alios magìs, alios minùs, omnes tamen reprobos legimus. *Ib: l: 17. c: 23.*

Diluviorum in orbe pluralitas. Temporibus Odiidii diluvium magnum factum est: non illud maximum, quo nulli homines evaserunt, nisi qui in arca esse potuerunt: sed tamen majus, quam postea tempore Deucalionis fuit. Nota duo fuêre diluvia, utrumq; in Græcia, alterum quidem Odiidis in Regione Attica, quod multis sæculis Noæticum secutum est, alterum Deucalionis in Thessalia à Græcis & Romanis scriptoribus celebrata. *Ibid: lib: 18. cap: 8.*

Reprobato Saule, David successit. Tunc Athenienses habere deinde Reges post Codri interitum destiterunt, & Magistratus habere cœperunt administrandæ Reip. Cujus tempore apud Latinos condita est Alba; ex qua deinceps non Latinorum, sed Albanorum Reges appellari, in eodem tamen Latio cœperunt. *Ibid: lib: 18. cap: 20.*

Imperant qui consulunt. Imperant qui consulunt: sicut vir uxori, Parentes filiis, Domini servis Obediunt autem, quibus consulitur: sicut mulieres maritis, filij parentibus, servi Dominis Sed in domo justi viventis ex fide, & adhuc ab illa cælesti civitate peregrinantis etiam qui imperant serviunt eis, quibus videntur imperare. Neq; enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi: nec principandi superbiâ, sed providendi misericordiâ. *Ibid: lib: 19. c: 14.*

Nonne Reges terræ vides qui antea persequebantur Christianos, nunc esse Christianos? Nonne vides eos, qui humiliabant Ecclesiam, humiles introire in Ecclesiam? Nonne ipsos habere defensores, quos ante habuit persecutores? Ego inquit anteibo & gloriosos humiliabo. *Tom: 6. l: de quinq; hæresib: c: 7.*

Non decet Regiæ Virgæ severitatem luxuriæ mollitudo. *Ibid: contra faust: lib: 15. cap: 5.*

Ibi sunt Regna felicia, ubi omnium pleno consensu Regibus obeditur. *Ibid: lib: 21. cap: 14.*

Non est potestas nisi à Deo, sive jubente, sive sinente. *Ibid: lib: 22. contra faust: cap: 75.*

Dedi eis Regem in ira mea. Injustum enim non est, ut improbis accipientibus nocendi potestatem, & bonorum patientia probetur, & malorum iniquitas puniatur: nam per potestatem Diabolo datam, & Job probatus est, ut justus appareret: & Petrus tentatus est, nè de se præsumeret: & Paulus colaphizatus, nè se extolleret; & Judas damnatus, ut se suspenderet. *Tom: 6. lib: de natura boni cap: 32.* Os. 13.

Methodus qua Reges debeant suos punire. Hanc vobis dilectionem (loquitur de hæreticis) debent Christiani catholici imperatores, ut sacrilegia vestra, & propter Christianam mansuetudinem non pro merito punienda decernant, & propter Christianam solitudinem non omnino impunita dimittant. Hoc in eis Deus operatur, cujus misericordiam etiam in his molestiis, de quibus conquerimini non vultis agnoscere. *Tom: 7. lib de unit: Eccle: cap: 20.*

Non mundanæ militiæ Deus expectat auxilium, quando Regibus largitur potius beneficium, qui eis inspirat, ut in Regno suo curent fieri Domini sui præceptum: quibus enim dictum est: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram, servite Domino in timore: sentiunt suam potestatem, ita Domino servire debere, ut ea potestate plectantur, qui nolunt ejus voluntati servire. *Tom: 7. lib: I. con: Gaud: c: 34.*

Cor Regis cum esset infidele, aut exercentur aut probantur

boni;

boni; cùm verò est infidele aut corriguntur aut plectuntur mali.
Ibidem cap: 39.

Absit à Christianis potestatibus terrenæ Reip: ut de antiqua Catholica fide dubitent, & ob hoc oppugnatoribus ejus locum & tempus examinis præbeant; ac non potiùs in ea certi atq; fundati, talibus quales vos estis inimicis ejus disciplinam correctionis imponant. *Tom: 7. lib: 1. imperfec: con Iulian: c: 10.*

De Domino nostro JESU Christo hoc est homine dominico
Ps. 1. 2. accipiendum est, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Noluit regnum terrenum cum superbia. Quæ ideo cathedra pestilentiæ recte intelligitur, quia non fere quisquam est qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam. Pestilentia est enim morbus late pervagatus, & omnes aut pænè omnes involvens. *T: 8. In psal: 1.* — *Dominari quilibet concupiscit.*

Non salvus fiet Rex per multitudinem virtutis suæ. Ad Do-
Ps. 32. 16. minum omnes, in Deo omnes. Spes tua Deus sit, fortitudo tua Deus sit, firmitas tua Deus, exoratio tua ipse sit, laus tua ipse sit, finis in quo requiescas ipse sit, adjutoriũ cum quo laboras ipse sit. *Et infra.* Ecce oculi Domini super timentes eum non de meritis suis, non de virtute, non de fortitudine, non de equo sed de misericordia ejus. *Con: 2. in psal: 32.*

Inclinata sunt regna jam non erecta ut superbirent, sed inclinata ut adorarent. Quod prædictum est in alio psalmo. Adorabunt eum omnes gentes terræ. Quæ res fecit ut inclinarentur regna? Audi: Dedit vocem suam Altissimus & mota est terra. Arreptitij idolorum tanquam ranæ de paludibus personabant tanto tumultuosius quantò sordidiùs de luto & cæno. Et quid strepitus ranarum ad tonitrua nubium? inde enim dedit vocem suam. Tonuit de nubibus suis. Quæ sunt nubes ejus? Apostoli ejus, Prædicatores ejus de quibus intonabat præceptis, corruscabat miraculis. Ipsi nubes qui & montes: Montes propter altitudinem & firmitatem: nubes propter pluviam & ubertatem. Irrigaverunt enim terram nubes istæ. *In psal: 45.* — *Reges & regna adorans Christum.*

Rex à regendo dicitur, non autem regit qui non corrigit.
Ps. 2. 9. *Et infra.* Reges eos in virga ferrea. Virga enim ferrea est illa inflexibilis, alios regit, alios conterit: regit spirituales, conterit carnales. *Enar: In psal: 44.* — *Rex qui corrigit, punit.*

Posuisti tribulationes in dorso nostro. Imposuisti homines su-
Ps. 65. 12. per capita nostra. Hæc omnia passa est Ecclesia variis & diversis persecutionibus: passa est hoc & singulatim & modo patitur etiam: Non enim quisquam est qui se in hac vita ab his tentationibus possit dicere immunem. Ergo imponuntur & homines super capita nostra. Toleramus quod volumus, patimur superiores aliquando quos novimus pejores. Peccata autem si desint bene superior est homo, quanto autem plura adsunt tantò inferior est. Et bonum est ut consideremus nos peccatores esse, & sic toleremus impositos super capita nostra: ut & nos Deo confiteamur quia digna patimur. Quid enim indigne pateris? Quid facit qui justus est? Posuisti tribulationes in dorso nostro. Imposuisti homines super capita nostra. Sæverus videtur Deus cum ista facit: ne metuas quoniam pater est: Nunquam sic sævit ut perdat. Quando male vivis, si parcit plus irascitur. Omnino istæ tribulationes flagella sunt corrigentis ne sit sententia punientis. *In psal: 65.* — *Dominantes iniqui.*

Ps. 75. 13. Terribilis apud Reges terræ. Terribiles Reges sunt terræ sed ille super omnes qui terret reges terræ. Esto Rex terræ, & erit tibi terribilis Deus. Quomodo inquies ero Rex terræ? Rege terram — *Rex quilibet esse potest.*

ram

ram & eris rex terræ. Noli ergo aviditate imperandi ponere tibi ante oculos provincias latissimas qua tuto regna diffundas: Terram quam portas rege. *In psal:* 75:

Reges impiè vulpes. Partes vulpium erunt. Reges quippe impios vulpes appellavit scriptura dolosos & tumidos quos terret vulpes aliena. *Con:* 2. *In psal:* 88. *Ps.* 62: 9.

Christus lapis confringens. Lapis quem reprobaverunt ædificantes hic factus est in caput anguli. Lapis iste præcisus de monte sine manibus confregit omnia regna terrarum. Videmus confracta ab illo lapide omnia regna terræ. Quæ erant omnia regna terræ? Regna idolorum regna dæmoniorum facta sunt: Regnabat Saturnus in multis hominibus. Ubi est regnum ejus? Regnabat Mercurius in multis hominibus: ubi est regnum ejus? Fractum est, redacti sunt illi in regnum Christi in quibus ille regnabat. Regnum Veneris quale erat Carthagini: ubi nunc est regnum cæleste? Lapis ille fregit omnia regna terrarum, lapis præcisus de monte sine manibus. Quid est præcisus de monte sine manibus? Natus de gente Judæorum sine opere hominum. Omnes enim qui nascuntur de opere maritali nascuntur. Ille de Virgine natus sine manibus natus est. Per manus enim opus humanum significatur. *In ps:* 98. *Ps.* 117: 21.

Quid expavescis quia pereunt regna terrena? Ideo tibi cæleste promissum est, ne cum terrenis perires. Nam ista peritura prædicta sunt, prædicta omnino. Non enim negare possumus, quod prædictum est. Dominus tuus quem expectas, dixit tibi: Exurget gens contra gentem, & regnum adversus regnum. Habent mutationes terrena regna: Veniet ille de quo dictum est. Et regni ejus non erit finis. Qui hoc regnis terrenis promiserunt, non veritate ducti sunt: sed adulatione mentiti sunt. Poëta illorum quidam induxit Jovem loquentem, & ait de Romanis,

Adulatio regnis terrenis æternitatem falsò adstruit.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi: - - - -

Non planè ita respondet veritas. *Et infra.* Cælum & terra transibunt. Transibunt quæ fecit ipse Deus, quantò citiùs quod condidit Romulus? *T:* 10. *serm: de verb: Dom: serm* 29. *Matt.* 24. 15.

RELIGIO.

Religionis antiquitas. Res ipsa quæ nunc Christiana Religio nuncupatur, erat apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousque ipse Christus veniret in carne, unde vera religio, quæ jam erat, cæpit appellari Christiana. *T:* 1. *lib:* 1: *retract: cap:* 13.

Est enim religio vera, qua se uni Deo anima, unde se peccato abruperat, reconciliatione religat. *T:* 1. *l: debeat animæ c:* 36.

Religio vera nunquam defuit. Salus religionis hujus per quam solam veram, salus vera veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit. Et ab exordio propagationis humanæ usq; in finem quibusdam ad præmium, quibusdam ad judicium prædicatur. *T:* 2. *epist:* 49. *qu:* 1.

Nobis prodest colere Deum non ipsi Deo; Cum ergo inspirat & docet quando colendus sit, non solùm suâ ullâ indigentiâ facit, sed nostra maxima utilitate. *Ibid: qu:* 3.

Quemadmodum unus idemq; homo, si Deo manè aliud offerat, aliud vespere pro congruentia diurni temporis, non Deum mutat, non religionem: ita universo tractu sæculorum, cum aliud oblatum est, ab antiquis sanctis, aliud ab eis qui nunc sunt offertur, non Deus aut religio commutatur. *Ibid: ep:* 49.

Reli-

Religionis summa, imitari quem colis. *Tom: 5. lib: 8. de Civitate Dei cap: 17:*

Religionis summa.

Si proavi eorum multùm errando, circa Deorum rationem, incredulitate & aversione animi à cultu ac Religione divina, invenerunt artem, quâ Deos efficerent: quid mirum si hæc ars detestanda, aufertur, Religione divina? cùm veritas emundet errorem, fides redarguat incredulitatem, conversio corrigat aversitatem? Nam quod instituit multitudo erroris, abstulit via veritatis: quod instituit incredulitas, abstulit fides: quod instituit à cultu divino Religionis aversio, abstulit ad unum Deum sanctumque conversio. *Ibid: cap: 24:*

Huic nos [intellige Deo) servitutem, quæ latria græcè dicitur, sive in quibusdam sacramentis, sive in nobis ipsis debemus. Hujus etiam templum simul omnes & singuli templa sumus; quia & omnium concordiam, & singulos inhabitare dignatur: non in omnibus quam singulis major: quoniam nec mole distenditur, nec partitione minuitur. Cum ad illum sursum est; ejus est Altare cor nostrum: ejus unigenito cum sacerdote placamus: ei cruentas victimas cædimus: quando usque ad sanguinem pro ejus veritate certamus: ei suavissimum adolemus incensum; cum in ejus conspectu pio sanctoq; amore flagramus: ei dona ejus in nobis nosq; ipsos vovemus & reddimus: *Et infra.* Sic complentur duo illa præcepta à quibus tota lex pendet & Prophetæ: Diliges Dominum Deum tuum & diliges proximum tuum. Ut enim homo esset diligere nosset, constitutus est ei finis, quo referret omnia, quæ ageret; ut beatus esset. Non enim qui se diligit, aliud esse vult quàm beatus. Hic autem finis est adhærere Deo. Jam igitur scienti diligere se ipsum, cum mandatur de proximo diligendo sicut se ipsum: quid aliud mandatur, nisi ut ei quantùm potest commendet diligendum Deum? hic est Dei cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas, hæc tantum Deo debita servitus. *Ibid: lib: 10. de Civit: Dei cap: 4.*

Quilibet sancta Sanctorum

Finis hominis

RELIGIOSUS.

Nihil de iis dicam, qui secretissimi penitus ab omni hominum aspectu, pane solo & aqua contenti, desertissimas terras incolunt perfluentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, & ejus pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi Sanctorum intellectu percipi non potest. Nihil inquam de his loquar, videntur enim nonnullis, res humanas plùs quàm oportet deseruisse, non intelligentibus, quantum eorum nobis animus in orationibus prosit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur. *Et infra.* Qui contemptis atq; desertis mundi illecebris in commune vitam castissimam sanctissimamq; congregati, simul ætatem agunt, &c: modesti, verecundi, pacati. Nemo quidquam possidet proprium. *Et infra.* Conveniunt autem diei tempore extremo de suis quisq; habitaculis, dum adhuc jejuni sunt, conveniunt ad singulos Patres, terna ut nimium hominum millia, nam etiam multò numerosiores sub uno agunt. *Vide nobilem veterum illorum Patrum descriptionem: Ibidem Tom: 1. lib: 1. de morib: Cathol: Eccl: cap: 31.*

Vita occulta

Antiquorum Patrum mores.

Distribuatur unicuiq; vestrum victus & tegumentum à Præposito vestro, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed potiùs unicuique sicut cuique opus fuerit. *Tom: 1. in Reg: ad initium.*

Qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt monasterium libenter velint, illud esse commune. Qui autem non habebant, non ea requirent in monasterio, quæ nec foris habere potuerunt *Ibidem*.

Nimis dolendum est, si ad tam ruinosam superbiam Monachos surrigamus, & tam gravi contumelia clericos dignos putemus, in quorum numero sumus dicentes: Malus Monachus, bonus clericus est, cùm aliquando etiam bonus monachus vix bonum clericum faciat; si adsit ei sufficiens continentia, & tamen desit instructio necessaria, aut personæ regularis integritas. *T: 2 ep:76.*

Obligatio Ecclesiæ serviendi.

Nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiæ præponatis, cui parturienti, si nulli boni ministrare velent, quomodo nasceremini, non inveniretis. *Ibid: epist: 81.*

Simpliciter fateor charitati vestræ coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo servire cæpi, quomodo difficile expertus sum meliores, quam qui in monasterio profecerunt; ita non sum expertus pejores, quàm qui in monasterio ceciderunt; ita ut hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum, justus justior fiat, & sordidus sordescat adhuc. Quapropter etsi contristamur de aliquibus purgamentis, consolamur etiam de pluribus ornamentis *Ibid: epist: 137.*

Ad Religionis statum cuivis aditus patere debet.

Veniunt plerumque ad hanc professionem servitutis Dei, & ex conditione servili, & ex vita rusticana, & ex opificum exercitatione & plebeio labore, tantò utiq; felicius, quantò fortius educati, qui si non admittantur, grave peccatum est: multi enim ex eo numero verè magni & imitandi extiterunt. Nam propterea & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & stulta mundi, ut confunderet sapientes. Hæc itaque quia & sancta cogitatio facit: ut tales admittantur, qui nullum afferant mutatæ in meliùs vitæ documentum. Neque enim apparet utrum ex proposito servitutis Dei venerint, an vitam inopem & laboriosam fugientes vacui, pasci atque vestiri cupientes, & insuper honorari ab eis, à quibus contemni conterique consueverant. *Tom: 3. lib: de opere Monach: cap: 22.*

1. Cor. 1, 27.

Non otiandū in religione

Qui relictâ vel distributâ, sive amplâ, sive qualicunque opulentâ facultate inter pauperes Christi, pia & salubri humilitate numerari voluerunt: si corpore ita valent, & manibus operentur, ut pigris ex vita humiliore, & ob hoc exercitatiore venientibus auferant excusationem: multò misericordius agunt, quàm cum omnia sua indigentibus diviserunt. Quod quidem si nolunt, quis audeat cogere? quibus tamen invenienda sunt opera in monasterio à corporali functione liberiora, ut nec ipsi panem suum, quoniam jam communis factus est, gratis manducent. Illi autem qui etiam præter istam sanctam societatem, vitam labore corporis transigebant, ex quorum numero plures ad monasterium veniunt, quia & in ipso humano genere plures sunt, si nolunt operari non manducent. Neq; enim propterea in militia Christiana ad pietatem divites humiliantur, ut pauperes ad superbiam extollantur: nullo modo enim decet, ut in ea vita ubi fiunt senatores laboriosi, ibi fiant opifices otiosi: & quo veniunt relictis deliciis suis, qui fuerant prædiorum Domini, ibi sunt rustici delicati. *Ibid: c: 25*

Deus Æconomus hominis.

Nolite solliciti esse animæ quid manducetis, &c: Non ut ista non procurent, quantùm necessitati satis est: sed ut non ista intueantur, & propter ista faciant, quidquid in Evangelij prædicatione facere jubentur. *Et infra* Neque enim quia dixit Deus: invoca me in die tribulationis & eximam te, & glorificabis me: propte-

propterea non debuit fugere Apostolus & per murum in sporta submitti, sicut ergo quisquis persecutionem fugientibus discipulis Christi objiceret, cur non stetissent potiùs, & invocato Deo per ejus mirabilia sic eruerentur, ut Daniel à leonibus, & Petrus ex vinculis: responderunt non se opportuisse tentare Deũ: sic etiam servis Dei vacantibus & valentibus & exemplo, & præcepto Apostolico manibus suis victum transigere; si quis ex Evangelio moverit quæstionem de volatilibus cæli facilè respondemus. Si & nos per aliquam infirmitatem vel occupationem non possumus operari, sic ille nos pascet & vestiet, quemadmodum aves & lilia: cum autem possumus, non debemus tentare Deum nostrum, quia & hoc quod possumus, ejus munere possumus. *Ibid: c: 26. & 27.*

Providentiæ Dei non cooperari est tentare Deum.

Nam & hoc quo pertinet quæso tam apertè contra Apostoli præcepta conari. An ita vocandum est, ut nec tonsores operentur? An quia Evangelicas volucres imitari se dicunt, quasi depilari timent, nè volare non possint? *Et infra.* Illi venalem circumferentes hypocrysin timent, nè vilior habeatur tonsa sanctitas quàm comata. Ut videlicet qui eos videt antiquos illos quos legimus cogitet Samuelem, & cæteros qui non tondebantur. Nec cogitat quid intersit inter illud propheticum velamentum, & hanc Evangelij revelationem, de qua dicit Apostolus: Cùm transieritis ad Christum auferetur velamen. *Ibid: cap: 31.*

Non debent religiosi comam alere.

Ad quamcunq; professionem te converteris para te pati fictos: alioquin si te non paraveris invenies quod non sperabas, & deficies aut perturbaberis. Ad omnia ergo te paratum facit qui tibi loquitur cum tempus est, & illi loquendi nondum judicandi, & tibi audiendi nondum frustra pænitendi. Est enim modo non frustra, erit tunc frustra. *T: 8. Con: 1. in psal: 36.*

Multi subdoli.

1. Cor. 11, 17.

In omni congregatione multitudinis necesse est ut inveniantur mali. Deus enim qui novit exercendos nos miscet nobis & non perseveraturos, aut certe ita simulatos, ut nec inchoaverint in quo perseverare debeant. *Et infra.* Diligamus inimicos corripiamus castigemus, & excommunicemus, cum dilectione nobis etiam separemus. *Ibid: In psal: 54.*

Mali in omni statu reperiuntur.

Turbabuntur à facie ejus Patris orphanorum & judicis viduarum. Desolatos enim putant, à quibus plerumque gladio verbi Dei & parentes à filiis, & mariti ab uxoribus separantur. Sed habent consolationem destituti atq; viduati Patris orphanorum & judicis viduarum. Habent ejus consolationem qui ei dicunt. Quoniam Pater meus & Mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me, & qui speraverunt in Domino persistentes in orationibus nocte ac die: à cujus facie illi turbabuntur cum viderint se nihil proficere, quoniam totus mundus post eum abiit. Nam de his orphanis & viduis, id est spei sæcularis societate destitutis Dominus sibi templum fabricat, de quo consequenter dicit: Dominus in loco sancto suo. *Ibid: In psal: 67.*

Hinc falluntur homines ut non suscipiant meliorem vitam vel temere aggrediantur, quia & cum laudare volunt, sic laudant, ut non ibi dicant mala quæ mixta sunt: & qui vituperare volunt tam invido animo & perverso vituperant & claudant oculos adversus bona & sola mala quæ ibi vel sunt vel putantur exaggerent. Inde fit ut unaquæq; professio male laudata id est non caute laudata cum invitaverit homines laude sua inveniant illi qui illuc veniunt aliquos quales ibi esse non credebant, & offensi à malis resiliant à bonis. *Et infra.* Paucorum hominum molestia imitatus dum non perseveraverit implere quod vocat, fit desertor tam

Religiosos quomodo laudent & vituperent homines.

sancti propositi, & reus voti non redditi. Et quod est amplius ructat indignationes, malum odorem unde absterreat intraturos. quia ipse cum intrasset perdurare non potuit. Quales illi? invidi, ligatores, neminem sustinentes, avari. O male quare taces bonos? Quos tolerare non potuisti jactas, qui te malum toleraverunt taces. Merito illud fratres charissimi magnificum in Domini Evangelio, ex ore Domini, duo in agro unus assumetur & unus relinquetur. Quid sunt duo in agro dicit Apostolus Dei agricultura estis In agro, laboramus. Duo in agro clerici sunt unus assumetur & unus relinquetur. Assumetur bonus, relinquetur malus. *Et infra.* Nemo vos fallat fratres. Si non vultis falli & vultis amare fratres, scitote omnem professionem in Ecclesia habere fictos. Non dixi omnem hominem esse fictum, sed omnes professiones habere fictas personas. Sunt Christiani mali sed sunt & boni. *Tom: 8. Expos: psal: 99.*

Tacentur boni proclamantur, molesti.

Matt. 24 40.

1. Cor. 3 9.

Noli timere Domini servitutem, non erit tibi gemitus non murmur non indignatio. Magna felicitas est fratres esse in ista domo magna servum etsi cum compedibus. Noli timere serve compedite, confitere Domino. Meritis tuis attribue compedes tuas, confitere in compedibus tuis, si vis ut in ornamenta vertantur. Non frustra nec sine exauditione dictum est: Intret in conspectu tuo gemitus compeditorum. Libera servitus est apud Dominum. Libera servitus ubi non necessitas sed charitas servit. Vos inquit in libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem carnis detis, sed per charitatem spiritus servite invicem. Servum te charitas facit quia liberum te veritas facit. Et veritas inquit liberabit vos, simul es & servus & liber. Servus quia factus es liber quia amaris à Deo à quo factus es: imò etiam inde liber quia amas eum à quo factus es. Noli servire cum murmure: non enim id agunt murmura tua, ut non servias, sed ut malus servus servias. *Ibidem.*

Religiosum esse magna felicitas.

Libera servitus.

Utrum de omnibus Christianis dictum sit, quam bonum & quam jucundum sit habitare fratres in unum: an aliqui sint certi atq; perfecti qui habitant in unum nec ad omnes pertineat ista benedictio sed ad quosdam, à quibus tamen descendat ad cæteros. Ista enim verba psalterij, iste dulcis sonus ista suavis melodia tam in cantico quam in intellectu etiam monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt fratres qui habitare in unum concupierunt. Iste versus fuit tuba ipsorum: sonuit per omnem orbem terrarum, & qui divisi erant congragati sunt in unum. Clamor Dei clamor Spiritus sancti, clamor propheticus non audiebatur in Judæa: & auditus est in toto orbe terrarum. *Et infra.* Tam sunt Monachi falsi, quàm & Clerici falsi, & fideles falsi. Omnia ista tria genera fratres mei quæ aliquando vobis commendavimus, & ut puto non semel, habent bonos suos, habent malos suos: De tribus enim ipsis generibus dictum est. Duo in agro unus assumetur, & unus relinquetur: & duo in lecto unus assumetur, & unus relinquetur: & duæ in molendino una assumetur & una relinquetur. *Enar: In psal: 132.*

Concordia melodia.

Matt. 24 40.

Ecce quam bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum: *monos* enim unus dicitur: & non unus quomodocunque, nam & in turba est unus, sed unà cum multis unus dici potest: *monos* non potest id est solus: *monos* enim unus solus est. Qui ergo sic vivunt in unum, ut unum hominem faciant ut sit illis vere quod scriptum est: Una anima & unum cor. Multa corpora sed non multæ animæ, multa corpora sed non multa corda: recte dicitur

Ps 132. 1.

Religiosi sunt qui unum sunt per charitatē.

monos id est unus solus. Unde & ille unus sanabatur in piscina. *Et infra.* Merito illis displicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in unum cum fratribus, sed sequentes Donatum, Christum dimiserunt. *Enar. In psal:* 132.

Non ergo habitant in unum nisi in quibus perfecta fuerit charitas Christi. Nam in quibus non est perfecta charitas Christi, & cum in uno sint, turbulenti sunt, anxietate sua turbant cæteros, & quærunt quid de illis dicant. Quomodo junctura inquietum jumentum non solum non trahit, sed & frangit calcibus quod junctum est. Si autem habet rorem hermon qui descendit super montem Sion quietus est, placatus humilis tolerans pro murmure precem fundens. *Enar: In psal:* 132. *Sanctitas facit unitatem.*

Vivunt nobiscum in societate communi, & nemo eos distinguit ab eis, qui aliquid attulerunt. Charitatis unitas præponenda est terrenæ commodo hereditatis. *Et infra.* Nihil ad domum societatis nostræ attulerunt, nisi ipsam qua nihil charius est, charitatem. *Tom:* 10. *serm: de diver: serm:* 50. *de communi vita clericorum sermone* 2. *Bonitas religiosa omnes æquat pauperes ac divites.*

REPROBATIO.

PAratur enim voluntas à Deo. Quod autem personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credant quod sine ullis meritis præcedentibus, cujus vult miseretur, & quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit, parum attendunt, quod debita reddatur pæna damnato, indebita gratia liberato, ut nec ille se indignum quæratur, nec dignum se iste glorietur: atq; ibi potiùs acceptionem nullam fieri personarum, ubi una eademq; massa damnationis & offensionis involuit, ut liberatus de non liberato discat, quod etiam sibi supplicium conveniret, nisi gratia subveniret. *Tom:* 2. *epist:* 105.

Si omnis homo liberaretur, utique lateret quid peccato per justitiam debeatur, si nemo, quid gratia largiretur? ubi quia universa ista massa meritò damnata est, contumeliam debitam reddit justitia, honorem donat indebitum gratia, non meriti prærogativâ, non fati necessitate, non temeritate fortunæ; sed altitudine divitiarum sapientiæ Dei, quam non aperit, sed clausam miratur Apostolus clamans O Altitudo divitiarum. *Ibidem.* *Magna gloria Deo resultat ex damnatis.* *Rom.* 8. 33.

Merito namq; peccati universa massa damnata est, nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam, quibus enim non impertitur, nec digni sunt nec merentur. Quærimus autem meritum misericordiæ, nec invenimus, quia nullum est, nè gratia evacuetur, si non gratis donatur, sed meritis redditur: quid enim habet quod non accepit. *Ibidem.*

Cur in Regnum Cælorum non accepto regenerationis lavacro parvulus nullus intrabit? nunquid nam ipse sibi Parentes infideles vel negligentes de quibus nasceretur, elegit? Quid dicam de inopinatis & repentinis innumerabilibus mortibus? quibus sæpe etiam religiosorum Christianorum præveniuntur, & baptismo præripiuntur infantes? cum è contrario sacrilegorum & inimicorum Christi, aliquo modo in Christianorum manus venientes, & ex hac vita non sine sacramento regenerationis emigrant, quid hîc dicturi sunt, qui ut gratia dari possit, nonnulla præcedere merita hominum contendunt, nè sit personarum acceptor Deus. Si etiam his consideratis nondum dignantur exclamare nobiscum; O Altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! *Ibidem.* *Occulta Dei judicia, cum damnat.* *Rom.* 8. 33.

Ut huic ad percipiendum baptismum non consulat, dicunt

aliqui Deum futura opera eorum prævidere. Quomodo enim futura dicuntur, quæ nulla erunt? deinde si eis ad percipiendum baptismatis consulitur sacramentum, quos novit Deus si viverent bene fuisse victuros? cur non omnes tenentur in vita, quam bonis operibus ornaturi sunt? Quid deniq; præstatur ei, qui rapitur, nè malitia mutet intellectum ejus, si justè etiam illa puniuntur, quæ licet non fecerit, fuerat tamen vivendo facturus? Postremo cur non ad recipiendum regenerationis lavacrum eò magìs consulitur morituro, qui malè victurus fuisset, si viveret, ut ei peccata, quæ fuerat commissurus remittantur in baptismo. *Ibidem.*

Major numerus prædestinatorum. Tam multos autem creando nasci voluit, quos ad suam gratiam non pertinere præscivit, ut in multitudine incomparabili plures sint illis quos in sui Regni gloriam filios promissionis prædestinare dignatus est: ut etiam ipsa rejectorum multitudine ostenderetur, quam nullius momenti sit, apud Deum justum, quantalibet numerositas justitiæ damnatorum. Atq; ut hinc quoq; intelligant, qui ex ipsa damnatione redimuntur hoc fuisse debitum massæ illi universæ. Tota quippe ista massa justæ damnationis reciperet debitum, nisi ex ea non solum justus, sed etiam misericors figulus alia vasa in honorem secundùm gratiam, non secundùm debitum faceret. *Ibid: ep: 157.*

Homo in manibus Dei veluti massa figuli. Cum ergo meritum peccando amiserimus, & misericordia Dei remota nihil aliud peccantibus, nisi æterna damnatio debeatur, quid sibi vult homo de hac massa, ut Deo respondeat & dicat, quare me sic fecisti. Si vis ista cognoscere, non sis lutum, sed efficere Filius Dei per Dei misericordiam, qui dedit potestatem filios Dei fieri credentibus in nomine ejus. *Tom: 4. lib: 8. trium quæst: quæst: 68.*

Neq; hoc movere debet, quia multi Diabolo consentiunt, & pauci Dominum sequuntur, quia & frumentum in comparatione palearum valde pauciorem habet numerum. Sed sicut agricola novit, quid faciat de ingenti acervo paleæ, sic nihil est Deo multitudo peccatorum, qui novit quid de illis agat, ut administratio Regni ejus ex nulla parte turbetur atq; turpetur. Nec ideo putandus est vicisse Diabolus, quia secum plures cum quibus à paucis vinceretur attraxit. *T: 4. l: de cathech: san: rudib: c: 19.*

Quem vult obdurat, cujus enim miseretur, facit eum bonum operari, & quem obdurat, relinquit eum, ut mala operetur. Sed & illa misericordia procedenti merito fidei tribuitur, & ista obdu- Rom 9. 18.
Liberum arbitrium est mors & vita. ratio procedenti impietati, ut & bona per donum Dei operemur, & mala per supplicium. Cùm tamen homini non auferatur liberum arbitrium, sive ad credendum Deo ut consequatur nos misericordia, sive ad impietatem ut consequatur nos supplicium. *T: 4. lib: exposit: quorund: proposit: ex Epla: ad Rom: fol: 374.*

Universa massa pœnas debet. Etsi omnibus debitum damnationis redderetur, non injustè proculdubio redderetur. Qui ergo inde per gratiam liberantur, non vasa meritorum suorum sed vasa misericordiæ nominantur. Quis igitur usq; adeo dementissimè insaniat, ut non agat ineffabiles gratias misericordiæ, quos voluit miserantis, qui rectè nullo modo posset culpare, universos omninò damnantis. *Et infra.* Quia Dominus Lazarum suscitavit, sine

Gravitatem manus divinæ fugit mors. dubio potuit, qui verò Judam non suscitavit, nunquid dicendum est non potuit? Potuit ergo sed noluit. Nam si voluisset, eadem etiam hoc potestate fecisset, quia & filius quos vult vivificat. *T: 7. lib: de natura & gratia. c: 5: & 7.*

Non deserit si non deseratur, ut piè semper justèq; vivatur. Sicut

Sicut enim oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere: sic homo etiam perfectissimè justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non potest vivere. *Ibid: cap: 26.*

Profecto universa massa perditionis facta est professio perditionis. Nemo itaq; nemo prorsus inde liberatus est, aut liberatur, aut liberabitur, nisi gratiâ Redemptionis. *T: 7. l: 2. con: Pelag: c: 29.*

Cujus vult miseretur, & quem vult obdurat. In eo quem se duci permittit, vel obdurari mala ejus opera credite; In eo verò cujus miseretur gratiam Dei non reddentis mala pro malis, sed bona pro malis, fideliter & indubitanter agnoscite. *Tom: 7. lib: de gratia & liber: arbitr: c: 28.*

Terribilis est in consiliis super filios hominum. Machinati *Ps. 65. 5.* sunt filij hominum consilium ad crucifigendum Christum, crucifixus excæcavit crucifigentes. Quid ergo fecistis filij hominum machinando acuta consilia adversus Dominum vestrum in quo latebat Majestas, & apparebat infirmitas? Vos machinati estis consilia perdendi, ille excæcandi & salvandi: excæcandi superbos salvandi humiles. Ad hoc autem superbos istos excæcandi, ut cæcati humiliarentur, humiliati confiterentur, confessi illuminarentur. *T: 8. in psal: 65.*

Ps. 68. 29. Deleantur de libro viventium. Aliquando enim illic scripti erunt, fratres non sic accipere debemus; quod quenquam Deus scribat in libro vitæ & deleat illum. Si homo dixit quod scripsi, scripsi de titulo ubi scriptum erat REX JUDÆORUM: Deus quenquam scribit & delet? Præscius est prædestinavit omnes ante constitutionem mundi regnaturos cum filio suo in vita æterna. Hos quos conscripsit ipsos continet liber vitæ. Deniq; in Apocalypsi quod ait Spiritus Dei cum de pressuris ab Antichristo futuris loqueretur eadem scriptura? Consentient illi inquit omnes qui non sunt scripti in libro vitæ. Proinde sine dubitatione non erunt consensuri qui scripti sunt. Isti ergo quomodo inde delentur ubi nunquam scripti sunt? Hoc dictum est secundum speciem ipsorum quia ipsi se scriptos putabant. Quid est deleantur de libro vitæ? Et ibi constet non illos ibi esse. Ex hac locutione dictum est in alio psalmo. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: id est multi scandalisabuntur & ex eo numero qui se sperabant sessuros tecum, & ex eo numero qui se sperabant staturos ad dexteram tuam ipsi casuri sunt. *Et infra.* Dixi ergo deleantur secundum speciem eorum: secundum autem æquitatem tuam quid dico? Non scribantur. Non est tamen stomachatio maledicentis, sed prædictio prophetantis. *Con: 2. in psal: 68.*

Præscientia Dei de electis, & de reprobis

Hanc iniquissimam & malignissimam obstinationem Deus cum facere dicitur non instigando & inspirando, sed deserendo facit ut illi operentur in filiis diffidentiæ, quod Deus debite justèque promittit. Nam & illud quod Esaias Propheta dicit: Domine ecce tu iratus es & nos peccavimus, propterea erravimus, & facti sumus sicut immundi omnes, eâ ratione intelligitur. Præcessit enim aliquid unde Deus justissimè iratus, ab eis suum lumen auferret, ut in peccata quæ nulla tergiversatione defendi possunt non esse peccata cæcitas humanæ mentis offenderet ab itinere justitiæ deviando, & errando. *In psal: 77.*

Peccatorum pæna, lapsus in alia.

Homo cum datur in reprobum sensum in interiore sinu accipit suppliciorum meritum futurorum. Ut vindicta quæ in hac vita agitur in occulto, post innotescat in nationibus ante oculos nostros. Hoc eis redde septuplum in sinus eorum. *In psal: 78.*

Sensus reprobus pæna maxima.

Disso;

Pœna maxima si Deus non curet ut homo emendetur.

Dissoluisti eum ab emundatione. Quid est hoc? Inter omnia mala magnus hic terror. Quantumcunq; enim cædat Deus, quantumlibet irascatur, quantumlibet verberet, flagellet ligatum, tamen flagellet quem mundet, non dissolvet ab emundatione. Si enim dissolvit ab emundatione, jam non habet mundandum, sed projiciendum. *in psal:* 88. *Ps. 88: 45.*

Aliquando dimissis omnibus omnino directe eunt ad Deum: & quando peccant dicunt: Deus hoc voluit, & si nollet Deus, non peccarem. Ergone ad hoc monet Deus ut non solum non audiatur, ut non pecces, sed accusetur quia peccas? *In psal:* 91.

Novit Dominus viam justorum & via impiorum peribit. Non dixit viam impiorum non novit: novit viam justorum & via impiorum peribit. Quod enim non novit peribit. Multis locis scripturæ invenimus quia Dei agnoscere servare est, Dei agnoscere custodire est: non autem agnoscere damnare est. Unde enim qui novit omnia dicturus est in fine: Non novi uos. Non inde gaudeant & dicant: Non puniemur, quia non novit Judex. Impuniti sunt si eos non novit Judex. *Enar: in psal:* 141.

Reprobi sunt etiam in Ecclesia.

Annuntiavi & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Sunt ergo in populis & supernumerarij quodammodo. Quid est supernumerarij? Plusquam ibi futuri sunt. Intra parietes istos plures sunt, quam futuri sunt in regno Dei, in illa Hierusalem cælesti. Ipsi super numerum sunt. Animadvertat quisq; utrum luceat in tenebris, utrum in iniquitate sæculi tenebrosa non seducatur? Si non fuerit seductus nec victus, tanquam stella erit, quam jam numerat Deus. Et omnibus inquit eis nomina vocans: ibi est totum præmium. Habemus nomina quædam, nomina apud Deum: ut noverit Deus nomina nostra, hoc optare debemus hoc agere, hoc satagere quantum possumus, non de aliis rebus gaudere, nec donis quibusdam spiritualibus. *Enar: in psal:* 146. *Ps. 39. 6.*

Quod unus eligatur, alter reprobetur, Dei potestatis, & inscrutabilium Dei judiciorum.

Duo parvuli nati sunt: si debitum quæras, ambo tenent massam perditionis. Sed cur mater alium portat ad gratiam, alium mater dormiens suffocat? Dicturus es mihi: quid ille meruit qui portabatur ad gratiam? quid ille meruit quem mater dormiendo suffocat? Ambo boni nihil meruerunt. Sed habet figulus luti potestatem ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Disputare vis mecum? Imo mirare mecum, & exclama mecum, O Altitudo divitiarum! Ambo expavescamus, ambo clamemus, O Altitudo divitiarum! Ambo in pavore concordemus, ne in errore pereamus. O Altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Scrutare inscrutabilia, fac impossibilia, corrumpe incorruptibilia, vide invisibilia. Inscrutabilia sunt judicia ejus, audisti, sufficiat tibi; & investigabiles viæ ejus. *Tom: 10. serm: de verb: Apostoli sermone 11. de versu psalmi 49. Ploremus ante Dominum qui fecit nos, &c.*

Nunquid iniquitas apud Deum? Latere te æquitas potest; esse ibi iniquitas non potest. Expectas à me fortasse ut dicam tibi, quare cui vult miseretur, & quem vult obdurat? Expectas à me homo? Si & tu homo, & ego homo, ambo audiamus. O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Melior est enim fidelis ignorantia, quàm temeraria scientia. *Ibid: serm: 20. de psal:* 95. *Ps. 95. 20.*

Judicia Dei inscrutabilia.

Ille dicit inscrutabilia sunt judicia ejus: & tu scrutari venisti? Ille dicit: investigabiles sunt viæ ejus: & tu investigare venisti: si inscrutabilia scrutari venisti, & investigabilia investigare venisti: crede, jam peristi. Tale est velle scrutari, inscrutabilia, & investiga-

vestigabilia investigare: quale est velle invisibilia videre, & ineffabilia fari. *Ibid: serm: eodem.*

Ps. 88. 45. Hinc excæcantur & indurantur, qui negando divinum adjutorium, non adjuvantur. *Tom: 9 in Evan: Ioan: Tract: 53 de cap: 12.*

Io. 18. 9. Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex his periit nisi filius perditionis, ut scriptura impleatur. Filius perditionis dictus est traditor Christi perditioni prædestinatus. *Ibid: Tract: 107 de c: 17:*

RESPUBLICA

SCio excellentiam tuam quorundam perpeti obstinatissimas contradictiones, qui propterea putant vel putari volunt Christianam doctrinam utilitati non convenire Reip: quia nolunt stare Remp: firmitate virtutum sed impunitate vitiorum; Non autem sicut Regi homini, vel cuilibet Principi Civitatis, ita etiam Deo quidquid à multis peccatur inultum est. *Tom: 3. ep: 2.* *Lex Christi augeт Rempub.*

Quid autem est Respub: nisi res populi? res ergo communis, res utiq; Civitatis. Quid autem est Civitas nisi multitudo hominum in quoddam vinculum redacta concordiæ. *Ibid: 5.*

Ps. 39. 6. Qui doctrinam Christi adversam dicunt esse Reip: dent exercitum talem, quales doctrina Christi esse milites jussit, dent tales Provinciales &c. tales Dominos, tales Reges, tales Judices, quales esse præcipit doctrina Christiana, & audeant eam dicere adversam esse Reip: imò verò dubitent eam confiteri magnam, si ei obtemperetur, salutem esse Reip: *Ibidem.*

Longè antequam Christi lumen eluxisset in terris dictum est [Salustius] O urbem venalem! & maturè perituram, si emptorem invenisset: quando ergo nec hominibus, nec ipsis etiam, quos Deos putabant morum corruptorum & perditorum avaritia rapacitasq; parcebat, tunc cœpit perire laudabile illud decus salusque Reip: *Ibidem.*

Deus ostendit in opulentissimo & præclaro Imperio Romanorum, [ubi crimina plura essent quàm numina, quæ ipsi die sibi exhiberi habebant libenter) quantùm valerent Civiles etiam sine vera Religione virtutes, ut intelligeretur hac addita fieri homines Cives alterius Civitatis, cujus Rex veritas, cujus lex charitas, cujus modus æternitas. *Ibidem.* *In imperio Romanorũ plura crimina quàm numina.*

Adhuc ergo laudent Reip: luxuriosam, planèq; sacrilegam felicitatem, quæ Deorum probra confinxit &c. quasi non si omninò per istos esset temporalis obtinenda felicitas quælibet potius fuerit infelicitas eligenda. *Ibidem.*

Quoniam Reip: te scimus amatorem, non aliunde esse beatum hominem, aliunde Civitatem vide quàm sit in illis sacris literis clarum: beatum dixerunt populum, cui hæc sunt: Beatus populus cujus Dominus Deus ipsius *Ibid: ep: 52.*

Omnium Christianorum una Resp: est; & ideo quisquis Christianis necessaria ubilibet erogaverit, undecunq; etiam ipse quod sibi necessarium est accepit, de Christi bonis accepit: quia ubicunque & ipse talibus dedit; quis nisi Christus accepit. *Tom: 3. lib: de Opere monach: cap: 25.* *Eleemosyna de Christi bonis.*

Ps. 93. 20. Deletâ Carthagine, magno scilicet terrore Romanæ Reip: depulso & extincto, tanta de rebus prosperis orta mala continuò subsecuta sunt, ut corrupta diruptaq; concordia priùs sævis cruentisq; seditionibus, deinde mox malorum connexione causarum, bellis etiam Civilibus strages ederentur, tantus sanguis effunderetur, tanta cupiditate proscriptionum ac rapinarum ferveret immanitas, *Fortunæ inconstantia.*

manitas, ut Romani illi qui vita integriore mala metuebant ab hostibus, perdita integritate vitæ, crudeliora paterentur à civibus: ea quæ ipsa libido dominandi, quæ inter alia vitia generis humani immoderatior inerat universo populo Romano posteaquam in paucis potentioribus vicit, obrutos fatigatosq́; cæteros, etiam jugo servitutis oppressit. *T: 5. lib: 1. de Civit: Dei c: 30.*

O mentes amentes quis est hic tantus non error sed furor, ut exitium vestrum [sicut audivimus) plangentibus orientalibus populis & maximè Civitatibus in remotissimis terris publicum luctum, mærorem dicentibus, vos theatra quæreretis, intraretis, impleretis, & multò insaniora, quàm fuerant antea faceretis; *Et infra.* Neq; enim in vestra securitate [alloquitur Romanos) pacatam Remp: sed luxuriam quæritis impunitam, qui depravati rebus prosperis nec corripi potestis adversis. *Ibid: c: 33.*

Gloriosior Romæ veteris ruina quam res prospera. Romam curâ partam veterem, auctamq́; laboribus, fœdiorem stantem fecerunt quàm ruentem, quandoquidem in ruina ejus, lapides & ligna; in istorum autem vita; non murorum sed morum munimenta atq; ornamenta ceciderunt, cùm funestioribus eorum corda cupiditatibus, quàm ignibus tecta illius urbis arderent. *Ibid: lib: 2. cap: 2.*

Post deletam Carthaginem majorum mores non paulatim ut antea sed torrentis modo præcipitati, adeo juventus luxu atque avaritiâ corrupta est. *Ibid: c: 19.*

Judicia Reip: deploratæ Nullo modo curant pessimam & flagitiosissimam esse Remp: tantùm stet inquiunt, tantùm floreat copiis referta, victoriis gloriosa: vel quod est felicius pace secura sit. Divites pauperibus, ad Clientelas & ad ministerium sui fastus abutantur. Populi plaudant, non consultoribus utilitatum suarum, sed largitoribus voluptatum. Non jubeantur dura, non prohibeantur impura: Reges non curent quàm bonis sed quàm subditis regnent. Regibus non tanquam rectoribus morum; sed tanquam rerum dominatoribus, & deliciarum suarum provisoribus serviant, eosq; non sinceriter honorent, sed nequiter ac serviliter timeant. Quid alienæ vineæ potiùs quàm suæ vitæ noceat legibus advertatur. De suis vel cum suis faciat quisq; quodlibet. Abundent publica scorta, exstruantur amplissimæ atq; ornatissimæ domus, diu noctuq; ludatur, bibatur, vomatur, diffluatur, saltationes undique concrepent; theatra inhonestæ lætitiæ vocibus atq; in omni genere sive crudelissimæ, sive turpissimæ voluptatis exæstuent; Et ille sit publicus inimicus, cui hæc felicitas displicet &c: Quis hanc Rempup: sanus non dicam Imperio Romano, sed domui Sardanapali comparaverit. *Ibid: lib: 2. cap: 20.*

Concordia musicus concentus. Quæ Harmonia à Musicis dicitur in cantu, eam esse in Civitate concordiam: arctissimumq; atq; optimum omni in Repub: Vinculum incolumitatis, eamq; sine justitia nullo pacto esse posse. *Ibid: cap: 21.*

Nostra ætas cùm Remp: sicut picturam accepisset egregiam, sed evanescentem vetustate non modo eam coloribus iisdem, quibus fuerat renovare neglexit, sed nè id quidem curavit, ut formam saltem ejus & extrema tanquam lineamenta servaret. *Ib: c: 21*

Vitia Remp. præcipitant. Nostris vitiis non casu aliquo Remp: verbo retinemus, re ipsa verò jam pridem amisimus. *Ibidem.*

Vera justitia non est nisi in ea Repub: cujus Conditor Rectorque Christus est, etsi ipsam Rempub: placet dicere, quoniam eam rem populi esse negare non possumus. *Ibidem.*

Nolite inquit existimare majores nostros [allegat Catonem) armis

armis Rempub: ex parva magnam fecisse. Quippe sociorum atq; Civium præterea armorum & equorum major copia nobis, quàm illis est, sed alia fuêre, quæ illos magnos fecerunt, quæ nobis nulla sunt, domi industria, foris Imperium justum, animus in consulendo liber, neq; libidini neq; delicto obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atq; avaritiam, publicè egestatem, privatim opulentiam: laudamus divitias; sequimur inertiam, inter bonos & malos discrimen nullum, omnia virtutis præmia ambitio possidet. Neq; mirum, ubi vos separatim, sibi quisque consilia capitis ubi domi voluptatibus, hîc pecuniæ aut gratiæ servitutis. Eo fit ut impetus fiat in vacuam Rempub. *Ibid: lib: 5. c: 12.* *Dilatandæ Reip. ars.*

Scipio breviter definit Rempub: esse rem populi. Quæ definitio si vera est, nunquam fuit Romana Respub: quia nunquam res populi fuit, populum enim esse definivit cætum multitudinis juris consensu & utilitatis communione sociatum. Per hoc ostendens geri sine justitia non posse Rempub; falsum esse quod à quibusdam non rectè sentientibus dici solet, id esse jus, quod ei qui plus potest, utile est. *Ibid: lib: 19. c: 21.*

RESURRECTIO.

Caro & sanguis Regnum Dei non possidebunt. Quisquis ea sic accipit, ut existimet corpus terrenum quale nunc habemus, in corpus cæleste resurrectione mutari, ut nec membra ista nec carnis sit futura substantia: proculdubio corrigendus est, commonitus de corpore Domini, qui post resurrectionem, in eisdem membris non solùm conspiciendus oculis, verùm etiam manibus tangendus apparuit: carnemq; se habere etiam sermone firmavit. Unde constat Apostolum non carnis substantiam negâsse in Regno Dei futuram; sed aut homines, qui secundùm carnem vivunt, aut ipsam carnis corruptionem, quæ tunc utique nulla erit. Nam continuò subdidit: neq; corruptio incorruptionem possidebit. *Tom: 3: lib: de Fide & symbolo in Prologo.* *Post resurrectionem caro & sanguis regnum Dei possidebunt.*

Resurgent Sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate. In quibus tanta felicitas, quanta felicitas erit, propter quod & spiritualia dicta sunt: sed sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus non anima est; ita tunc spirituale corpus erit, corpus tamen non spiritus erit. *T: 3. Enchirid: c: 19.*

1. Cor. 15.44. Resurget corpus spirituale: quoniam tanta erit tunc concordia carnis & spiritus vivificante spiritu, sine sustentaculi alicuius indigentia subditam carnem, ut nihil nobis repugnet ex nobis, sed sicut foris neminem, ita nec intùs, nec ipsos patiemur inimicos. *Ibidem.*

Quicunq; ab illa perditionis massa, quæ facta est per hominem primò non liberantur per unum Mediatorem Dei & hominum, resurgent quidem etiam ipsi unusquisq; cum sua carne; sed ut cum Diabolo & Angelis ejus puniatur: neq; fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa & sempiterna damnatio *Ibid: c: 92.* *Perditionis massa in clibano inferni excoquetur.*

Quæri solet quomodo post resurrectionem, quæ sanctis promittitur, cogitationes nostras videre possemus. Conjectura capienda est ex parte corporis nostri, quæ plùs habet lucis. Et quoniam Angelica corpora, qualia nos habituros speravit, lucidissima atq; ætherea esse credendum est & multi motus animi nostri nunc cognoscuntur in oculis, probabile est, quod nullus motus a-

nimi latebit, cum totum corpus fuerit æthereum, in cujus comparatione isti oculi caro sunt. *T: 4. l: 8. trium qu: qu: 47.*

Ex te ipso crede futurum te esse cum fueris, quando cum ante non fueris, nunc esse te vides Ubi enim erat ista moles corporis tui, & ista forma compagesque membrorum ante paucos annos, priusquam natus, vel etiam priusquam in utero Matris conceptus esses? Nunquid ergo difficilius est Deo reddere istam quantitatem corporis tui, sicut erat qui eam facere potuit, cum non erat. *Ibid: l: de cathech: rudib: c: 24*

Corpus reformatum. Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale. Quia spiritui summa & mirabili obtemperandi facilitate subdetur, usq; ad implendam immortalitatis indissolubilis securissimam voluntatem, si molestiæ sensu omni corruptibilitate & tarditate detracta; non solùm enim non erit tale, quale nunc est in optima quavis valetudine, sed nec tale quidem, quale fuit in primis hominibus ante peccatum. *T: 5 lib: 13. de Civit: Dei c: 20.* 1. Cor. 15. 44.

Quare Christus post resurrectionem cum discipulis manducavit: Fides Christiana de ipso Salvatore non dubitat, quod etiam post resurrectionem, jam quidem in spirituali carne, sed tamen vera: cibum ac potum cum discipulis sumpsit. Non enim potestas, sed egestas edendi atq; bibendi talibus corporibus auferetur, unde & spiritualia erunt, non quia corpora esse desistent, sed quia spiritu vivificante subsistent. *Ibid: c: 22.*

Sicut duæ sunt regenerationes, una secundum fidem, quæ nunc fit per baptismum, alia secundùm carnem, quæ fit in ejus incorruptione atque immortalitate per judicium magnum atque notissimum. Ita sunt & resurrectiones duæ, una prima quæ & nunc est & animarum est, quæ venire non permittit in mortem secundam. Alia secunda quæ nunc non est, sed in sæculi fine futura est, nec animarum sed corporum est. Quæ per ultimum judicium alios mittit in secundam mortem, alios in eam vitam, quæ non habet mortem. *Ibidem lib: 20. cap: 6.*

Homo morietur ut resurgat. Deinde nos viventes qui reliqui sumus, simul cum illo rapiemur in nubibus, obviam Christo in àëra, & sic semper cum Domino erimus. Sed quæri solet utrum illi quos hîc viventes inventurus est Christus, nunquam morituri sunt? *& respondet infra.* Idem sanctus Doctor. Nec ab illa sententia, quâ homini dictum est, terra es & in terram ibis, futuros illos sanctos arbitremur immunes, eorum morientium in terram non recident corpora: sed sicut in ipso raptu morientur, ita & resurgent, dum feruntur in àëra, in terram quippe ibis, & in hoc ibis amissâ vitâ, quod eras antequam sumeres vitam, id est hoc eris exanimis, quod eras antequam esses animatus. Terræ quippè insufflavit Deus in faciem flatum vitæ, cum factus esset homo in animam vivam, tanquam diceretur terra eris animata, quod non eras terra exanimis sicut eras *Ibid: cap: 20.* 1. Thess. 4. 16.

Terrena corpora sanctorum virtus levabit in aëra. Quid faciunt in àëre terrena tot corpora, cum à terra sit àër tertius? nisi fortè qui per plumarum & pennarum levitatem donavit avium terrenis corporibus, ut portentur in àëre immortalibus factis corporibus hominum, non poterit donare virtutem, quæ etiam in summo cælo valeant habitare. *T: 5. l: 22. c: 11.*

Restat ergo ut suam recipiat quisq; mensuram, quam vel habuit in juventute etiamsi senex mortuus est, vel fuerat habiturus, si antea est defunctus. Atq; illud commemoravit Apostolus de mensura ætatis plenitudinis Christi. Circa triginta quippe annos definierunt esse etiam sæculi hujus doctissimi homines juventutem. Item & ideo non esse dictum in mensuram corporis, vel in mensuram

suram staturæ, sed in mensuram ætatis, plenitudinis Christi. *Et infra.* Resurgent itaq; omnes tam magni corpore, quam vel erant, vel futuri erant, in juvenili ætate, quamvis nihil oberit, etiamsi erit infantilis vel senilis corporis forma, ubi nec mentis, nec ipsius corporis ulla remanebit infirmitas. Unde etiam si quis eo corporis modo, in quo defunctus est, resurrecturum unumquemq; contendit, non est cum illo laboriosa contradictione pugnandum. *Ibid: lib: 22. c: 15. & 16.*

Corporibus ergo illis vitia detrahentur, natura servabitur, non est autem vitium sexus fæmineus, sed natura: quæ tunc quidem & à concubitu & à partu immunis erit, erunt tamen membra fæminea non accommodata usui veteri, sed decori novo. *Et infra.* In resurrectione enim neq; nubent, neq; uxores ducent, sed sunt sicut Angeli Dei in cælo. Æquales utiq; Angelis immortalitate ac felicitate, non carne, sicut nec resurrectione, quâ nec indiguerunt Angeli: quoniam nec mori potuerunt. Nuptias ergo Dominus futuras, negavit esse in resurrectione, non fæminas. *Tom: 5. lib 22. de Civit: Dei cap: 17.*

Si enim statuam potest artifex homo, quam propter aliquam causam deformem fecerat, conflare & pulcherrimam reddere, ita ut nihil inde substantiæ, sed sola deformitas pereat. Quid de omnipotenti artifice sentiendum est? Ergonè non poterit quasq; deformitates humanorum corporum non modo usitatas, verum etiam raras atq; monstruosas, quæ huic miseræ vitæ congruunt, abhorrent autem ab illa futura felicitate Sanctorum, auferre ac perdere. Ac per hoc non est macris pinguibusvè metuendum, nè ibi etiam tales sint, quales si possent, nec hic esse uoluissent. Omnis enim corporis pulchritudo est, partium congruentia, cum quadam coloris suavitate. Ubi autem non est partium congruentia, aut ideo quid offendit, quia parvum est, aut ideo quia nimium est. *Ibid: cap: 19.*

Pingues enormiter in resurrectione extenuabuntur.

Ideo non resurgent impij in judicio: id est resurgent quidem sed non ut judicentur, qui in pœnis certissimis destinati sunt. Peccatores autem non resurgunt in consilio justorum id est ut judicent, sed forte ut judicentur, ut de his dictum sit: uniuscujusque opus quale sit ignis probabit. *T: 8. in psal: 1.*

Ps. 1. 6

Peccatores in judicio universali, non resurgent quia semel male ceciderunt.

Renovabitur sicut Aquilæ juventus tua. Resurrectionem enim quandam significavit nobis. Dicitur Aquila dum senectute corporis pressa fuerit immoderatione rostri crescentis cibum capere non posse. Itaq; modo quodam naturali in mensura reparandæ quasi juventutis aquila dicitur collidere ad Petram quasi labium suum superius, quo nimis crescente edendi aditus clauditur. Redit vigor omnium membrorum, nitor plumarum, gubernacula pennarum, volat excelsa sicut antea, fit in ea quædam resurrectio. Omnia reparantur, erit post senectutem tanquam juvenis aquila. Sicut de luna similitudo ponitur quia diminuta & quodammodo intercepta luna rursus nascitur & impletur, & significat nobis resurrectionem. Sed impleta illa non permanet rursus minuitur ut semper significet. Sic ergo quod de Aquila dictum est propterea inde ducta est similitudo, ut quod nos impedit petra nobis auferat. Non ergo præsumas de viribus tuis: Firmitas Petræ tibi excutit vetustatem. Petra autem erat Christus. In Christo renocabitur sicut Aquila juventus nostra. Inveteravimus inter inimicos nostros: sicut nota est vox psalmi. Inveteravimus carne mortali carne ista fænea ideo percussum est sicut fænum & aruit cor meum. Quia oblitus sum inquit comedere pa-

Ps. 102. 5.

Mortui reportantur in nidum evolaturi.

1. Cor. 10. 4

Nidus noster Christus, nos aquila.

nem meum. Crevit vetustas os clausit, atteratur in Petra. *T: 8. In psal*: 102.

Deo non est difficilius creare quam reparare hominem.

Si Deus fecit hominem qui non erat, nonne reparare potest quod erat? Puto quia non dicitur, Deus mortuos suscitaturus est, non res incredibilis dicitur: quia de Deo non homine dicitur. Magna res est quæ fiet, & incredibilis res est quæ fiet. Sed non incredibilis fit, quia vide qui id facit. Ille dicitur qui suscitabit te, qui creavit te. Non eras & es, & factus non eris? Absit nè credas. Mirabilius aliquid fecit Deus, quando fecit quod non erat, & tamen fecit quod non erat: & creditur reparaturus quod erat, ab eis ipsis quos fecit, quod non erant? Hoc est quod rependimus Deo, qui non eramus, & facti sumus? Hoc illi rependimus ut eum resuscitare quod fecit non posse credamus? Hæc est merces, quam illi reddit creatura sua? Ideo te feci, dicit tibi Deūs ô homo! antequam esses ut non mihi credas futurum te esse quod eras, qui potuisti esse quod non eras? *T: 10. ser: de verb: Dom. ser*: 64.

Morti obediendum ad unam vocem Dei vivificantis.

Lazare exi foras. Statim ille egressus de monumento est: neq; mors tenere poterat, quem vita vocabat. In naribus humor *Io. 11. 43.* sepulturæ erat: Lazarus vivus astabat. Non expectavit mors iteratam vocem Salvatoris audire, quia virtutem vitæ ferre non poterat, sed ad unam vocem Domini mors & corpus Lazari de monumento & animam dimisit de inferno, & totus Lazarus de monumento vivus processit, qui totus ibi non fuerat. Tardius quis de somno suscitatur, quam Lazarus de morte. *Ibid: ser: 104. feria 6. post 4. Dnicam Quadrag: serm*: 1.

Non mirum sanè si ad unam vocem Domini resurgere Lazarus potuit, quando omnes qui in monumentis sunt, ad unam *Io. 5. 28.* vocem solam resurrecturos in Evangelio ipse declaravit dicendo: Veniet hora quando omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filij Dei, & resurgent. *Ibidem*.

Propria fides est Christianorum, resurrectio mortuorum. *Ibid serm: 143 feria 2. Paschæ serm*: 4.

Corporis & spiritus pugna morte finitur.

Quare dicitur spirituale corpus charissimi, nisi quia ad nutum spiritus serviet. Nihil tibi contradicit ex te, nihil in te re- *Rom. 7. 23.* bellat adversus te, non ibi erit quod Apostolus gemit. Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem: non ibi erit, video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Hæc bella ibi non erunt: pax ibi erit, pax perfecta ibi erit. Ubi volueris, eris: sed à Deo non recedes. Ubi volueris, eris, sed quocunq; ieris, Deum tuum habebis. De quo beatus eris, semper cum illo eris. *Ibid: serm: 147. feria 3. Paschæ serm*: 4.

Sarcina levamen.

Opportet, ut corruptibile hoc induat incorruptionem, & mortale hoc induat immortalitatem. Quod nunc est onus, erit honor: quod nunc sarcina tunc levamen. Non enim habebit pondus, ut corpus habere te sentias. Videte charissimi. Quando sanum est corpus nostrum, etiam hoc fragile atq; mortale, quando suarum partium temperamento moderatum est. *Tom: 10. Parte 2. serm: de diver: serm*: 102.

Sine sanitate divitiæ viles

Hæc tamen sanitas ut dixi qualiscunq; quid habet dilectionis, quam exoprabile bonum est omnibus. Quantam rem habet pauper, cum hanc solam habet: quantum non habet dives cum hanc solam non habet? Quid se jactat copiosum? Febris lectum non formidat argenteum: non timet pompam divitis, non timet jacula bellatoris. Quid ergo sanitas hæc ipsa, quam rectè Martyres contempserunt: quia in ipsa carne aliam speraverunt. *Ibid:*

Oculum aperuisse, hoc est pervenisse. *Et infra.* Meritò hinc

celeritati

celeritati Apostolus Paulus facilitatem resurrectionis comparavit, dicens: In ictu oculi: Ictus oculi est non in palpebris claudendis & aperiendis. Nam hoc tardiùs agitur, quàm videtur. Tardius palpebram levas, quàm dirigis radium. Citius radius tuus pervenit ad cælum quàm palpebra levatur ad supercilium. Videtis quid sit ictus oculi. Videtis quam facilitatem Apostolus resurrectioni corporis dederit. Quàm tardè ista creata, atq; formata sunt. *Et infra.* Ab ipsis primordiis uteri, usq; ad cinerem extremum sepulchri quanta interjacet mora? Quot dies? Quæ temporum spatia? Venit ad resurgendum: in ictu oculi reparatur. *ibidem*

1. Cor. 15, 52

In ictu oculi fiet resurrectio mortuorum.

Dicis tu, non resurgunt mortui: ego non solum resurgere mortuum dico, sed tanta celeritate, quanta non conceptus & natus es. Quanta enim mora est, ut formetur homo in utero, ut perficiatur, ut nascatur, ut ætatum successione roboretur? Nunquid fortè sic resurrecturus est? Non: sed in atomo, inquit. Multi nesciunt quid sit atomus. Atomus dictus est à τομν quod est sectio: ατομος græcè quod secari non potest. *Et infra.* Est enim resurrectio secundum fidem, in qua omnis qui credit, resurgit in spiritu. Etenim ille bene resurget in corpore, qui primo resurrexit in spiritu. *Ibid: serm:* 121.

Resurrectio in instanti.

Mirabile est hominem resurrexisse in carne: sed multò est mirabiliùs totum mundum rem tam incredibilem credidisse. Quid est incredibilius Deum talia fecisse, an mundum credere potuisse. Quid si & ipse modus consideretur à nobis, quo credidit mundus? Etiam ipse verè divinus advertitur, & valdè mirabilis invenitur. Ineruditos liberalibus disciplinis, & omninò quantum ad seculi doctrinas pertinet, impolitos, non peritos grammaticæ, non armatos dialectica, piscatores Christus cum retibus fidei ad mare seculi paucissimos misit. Quid dico paucissimos? Duodecem misit, & tamen per eos sic omni genere piscium implevit Ecclesias, ut plurimi etiam ex ipsis sapientibus seculi (quibus videtur ignominiosa crux Christi) eâ in fronte signentur. Et de qua erubescendum putabant, nobisq; insultabant, eam in pudoris arce constituunt. *Tom: 10. Ex fragmentis sermonis de Quinquagesima Resurrectionis Domini.*

Mortuus resurrexit, mirati sunt homines: tot quotidie nascuntur & nemo miratur. Si consideremus prudentius majoris miraculi est esse qui non erat. *Tom: 9 in Evan: Ioan: Tr: 8. de cap: 2.*

Majus miraculum nasci quam revivi-scere.

Habent omnes animæ, ut ex hac occasione instruam charitatem vestram, cum de sæculo exierint. diversas receptiones suas. Habent gaudium bonæ, malæ tormenta, sed cum facta fuerit resurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta graviora: quando cum corpore torquebuntur. Recepti sunt in pace Sancti Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, boni fideles omnes, tamen adhuc in fine accepturi sunt quod promisit Deus: promissa enim est resurrectio etiam carnis, mortis consumptio, vita æterna cum Angelis. Hoc omnes simul accepturi sumus: nam requiem quæ continuò post mortem datur, si ea dignatus est, tunc accipit quisq; cum moritur. *Ibid: Tract: 49. de cap: 11.*

Quis non hinc gaudeat, qui sic diligit Christum, ut & suam naturam jam immortalem gratuletur in Christo, atq; id se speret futurum esse per Christum? *Ibid: Tract: 78. de c: 14.*

Carnis resurrectionem. Omnis spes fidei nostræ hæc est, quoniam resuscitabimur. Omnes quidem resurgemus, ait Apostolus, sed non omnes immutabimur. Resurgent boni, resurgent mali: sed

ſed boni ut ſempiterna beatitudine perfruantur, mali ut perpetuo igne puniantur. Ibi diſcernetur fidelis ab infideli : ut accipiat fides præmium, & perfidia ſupplicij obtineat locum. *Tom: 9. lib: 3. de ſymb: ad Cathech: cap: 11.*

Futura penſanda non præſentia. Carnis reſurrectionem. Magna fides & neceſſaria, quoniam magnum præmium promittitur, nec attendatis quid nunc fit, ſed quid tunc fit. quod enim nunc fit multos movet. *Et infra.* Si ad hoc pergis ut melior efficiaris, non credis, quoniam meliori & in regno cælorum quodammodo adminiſtranti, melius tibi præparabitur hoſpitium. Si hæc terrena, lutea, fragilis, tantam tibi exhibuit pulchritudinem : reſtaurata & cæleſtis effecta qualem tibi exhibebit decorem ? Si hanc tantum diligis quæ paululum manet, & tranſit in tempore: Illam quantum amabis, quæ decore ſuo nunquam carebit, quoniam in æternum vita manebit. *Ibid: lib: 4. de ſymb : ad Cathech: cap: 11:*

SACERDOS.

HÆreticorum accuſationes contra Catholicum Presbyterum admittere nec poſſumus nec debemus Proinde hoc agat prudentia tua, ut hæretici non ſint, & audiemus cauſam Presbyteri, ſicut eam oportet audiri. *Tom: 2. epiſt: 212..*

Curandæ presbyteris bona fama. Sex Epiſcopis cauſam Presbyteri terminare, Concilio ſtatutum eſt. Committat illi qui vult Eccleſiam ſuæ curæ commiſſam ego talibus fateor quamlibet plebem committere timeo, præſertim quos nulla bona fama defendit. *Ibid: epiſt: 236.*

Veſtis ſacerdotis ſignificat Eccleſiam. In veſte Sacerdotali ſignificatur Eccleſia per tinrinnabula, ut nota ſit converſatio Sacerdotis: ſicut Apoſtolus dicit ; Circa omnes te ipſum bonorum operum præbens exemplum. *Tom: 4. lib: 2. quæſt: in Exod : quæſt. 119.*

Non ergo ſimus intellecturi ſemel in anno intrare Sacerdotem ſolvere in ſancta ſanctorum, ſed ſemel in anno, cum ſanguine : & quotidie ſolvere intrare, ſine ſanguine cauſa incenſi imponendi. *Ibidem quæſt : 133.*

Regale ſacerdotium. Sacerdotium Judæorum, nemo ferè fidelium dubitat figuram fuiſſe futuri ſacerdotii regalis, quod eſt in Eccleſia, quo conſecrantur omnes pertinentes ad corpus Chriſti, ſummi veri Principis Sacerdotum. Nam nunc & omnes vnguntur, quod tunc Regibus tantum & Sacerdotibus fiebat. Et quod ait Petrus ad Chriſtianum populum ſcribens : Regale Sacerdotium, utrumq; nomen illi populo convenire declaravit, quo illa unctio pertinebat. *Ibid: quæſt : Evang : quæſt : 40.* *1. Petr 2. 9.*

Nomine ſolum ſacerdos eſt Caiphas. Ut ſit quiſq; verus Sacerdos, oportet ut non ſolum Sacramento, ſed juſtitiâ induatur, ſicut ſcriptum eſt: Sacerdotes tui induantur juſtitiâ. Qui autem ſolo Sacramento Sacerdos eſt, ſicut fuit Pontifex Caiphas, perſecutor unius & veriſſimi Sacerdotis, quamvis ipſe non ſit verax, quod dat tamen, verum eſt, ſi non det ſuum, ſed Dei: Sicut de ipſo Caipha diſtum eſt: hoc autem non à ſe dixit, ſed cum eſſet Pontifex prophetavit. *Tom: 7. lib: 2. con : lit : Petil : cap: 30.*

Templum, ara ſacrificium ſacerdos. Templum Dei ſanctum eſt inquit quod eſtis vos. Si nos ſumus templum Dei, ara Dei anima noſtra eſt. Sacrificium Dei quid eſt ? forte hoc facimus modo, imponimus in ara ſacrificium quando Deum laudamus; docet enim nos pſalmus dicens : Sacrificium laudis honorificabit me. At vero Sacerdotem ſi requiras ſuper cælos eſt, interpellat pro te qui in terra mortuus eſt pro te. *Tom: 8. In pſal : 94.* *1. Cor. 3. 17.*

Omni-

Omnibus castitas pernecessaria est, sed maximè ministris Christi altaris, quorum vita, aliorum debet esse eruditio, & assidua salutis prædicatio. Tales enim decet Dominum habere ministros, qui nulla cogitatione carnis corrumpantur, sed potius continentia castitatis splendeant, & totis honestis fulgeant in populo exemplis. *Tom: 10 serm: de Temp: serm: 249. Dnica 24. post festum SS. Trinitatis serm:1.*

Vita Sacerdotum populi est eruditio.

SACRAMENTUM.

Tenere te volo, Dominum nostrum JESUM Christum, sicut ipse in Evangelio loquitur, leni jugo suo nos subdidisse, & sarcinæ levi; unde Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit. *Tom: 2. epist: 118.*

Sacramentum jugum Christi

Deus noster non est dissensionis Deus sed pacis: nec Ecclesiæ ejus Sacramenta in eis qui ab Ecclesia recesserunt, sed ipsi qui recesserunt inimici ejus sunt, sicut autem habent in baptismo, quod per eos dari possit; sic in ordinatione jus dandi utrumq; quidem ad perniciem suam, quamdiu charitatem non habent unitatis. Sed tamen aliud est prorsus non habere, aliud perniciosè habere, aliud salubriter habere. *Et infra.* Si enim aliqui furtim & extraordinariè non in monetis publicis aurum vel argentum, sed æs percutiendo signaverint, cùm fuerit deprehensum; nonnè illis punitis aut indulgentiâ liberatis cognitum regale signum thesauris regalibus cogetur inferri? An fortè minus hærent Sacramenta Christiana quam corporalis hæc nota? cum videamus nec Apostatas carere baptismate, quibus utiq; ad pænitentiam redeuntibus non restituitur, & ideo amitti non posse judicatur. Et quidem alia quæstio est, utrum ab iis qui nunquam fuerunt Christiani possit baptismus dari? nec aliquid temere inde affirmandum est, sine authoritate tanti Concilij, quantum tantæ rei sufficit. De iis verò qui ab unitare Ecclesiæ separati sunt, nulla jam quæstio est, quin & habeant & dare possint, & quin perniciosè habeant, perniciosèq; tradant extra vinculum pacis. Hoc enim jam in ipsa totius orbis unitate discussum, consideratum, perfectum atq; firmatum est. *T: 2 lib: 2. con: eplam: Parm: cap: 13.*

Sacramenta sunt numismata Christi facie signata.

Nec interest cùm de Sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat & quali fide imbutus sit, ille qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimùm ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest. Fieri enim potest, ut homo integrum habeat Sacramentum, & perversam fidem; sicut fieri potest ut integra teneat verba symboli, & tamen non rectè credat, sive de ipsa Trinitate, sive de resurrectione, vel aliquid aliud. *Tom: 7. lib: 3. de bapt: con Donatist cap: 14.*

Potest dari validum sacramentum sed informe.

Et exterioribus & interioribus zizaniis, cum ipso tritico est pluvia communis, quæ cælestis & dulcis est ipsa, etiamsi ex ea steriliter crescunt: sic & Evangelium Christi, Sacramentum divinum & suave est, neque propter eorum sterilitatem, quos etiam foris compluit improbandum. *Ibid: lib: 4. c: 34.*

Sacramenta sunt communia bonis & malis.

Salus propria est bonis; Sacramenta verò communia bonis & malis. *Ibid: lib: 7 c: 33.*

Veniens hæreticus ut Catholicus fiat, errorem proprium corrigat non Christi violet Sacramentum. Accipiat vinculum pacis quod non habebat, sine quo illi prodesse non poterat baptisma quod habebat. Utrumq; enim necessarium est ad Regnum Dei adipi-

dipiscendum, & baptismus & justitia. Et in contemptore quidem baptismi Christi non potest esse justitia. Baptismus autem, & in eo qui justitiam non habet, potest esse, sed non potest prodesse. *Ibidem lib: de unitate Ecclesiæ. c: 22.*

Sicut bonam legem potuit habere reprobus populus Judæorum; sic bonum Sacramentum potest habere reproba societas hæreticorum. *Ibid: lib: 1. con: Creseon: c: 14.*

Potest fieri baptismus extra ædes templi

In ipso carcere celebrantur Sacramenta Christi in quo inclusi homines tenebantur pro nomine Christi. *Ibidem lib: post collat. ad Donatist: cap: 14.*

Ostensum est nihil posse per sacras scripturas probari, quod justitia non possit tueri *Ibid: lib: 2. imperfect. con: Iulian: c: 16.*

Sacramenta medicinæ.

Nunc inter ea quid facit Medicus? Alligat contritiones tuas ut tu possis pervenire ad plenissimam firmitatem: donec consolidetur quod fractum est quod alligatum est. Quæ sunt ista alligamenta? Temporalia Sacramenta. Alligamenta medicinalia sunt contritionis nostræ sacramenta interim temporalia quibus habemus consolationem: & ista omnia quæ loquimur vobis ipsa quæ sonant, & transeunt quidquid in Ecclesia geritur temporaliter, alligamenta sunt contritionum. Quemadmodum enim Medicus perfecta sanitate detrahit ligaturam: sic in Civitate illa Hierusalem cum æquales Angelis facti fuerimus, nunquid putatis ibi nos accepturos esse, quod hic accipimus? Aut ibi recitandum est nobis Evangelium ut fides nostra permaneat? aut imponenda est manus ab aliquo præposito? Ista omnia alligamenta fracturæ sunt. Perfecta sanitate detrahentur: sed ad eam non perveniretur nisi alligarentur. Sanat ergo contritos corde, & alligat contritiones eorum. *T: 8 Enar: in psal: 146*

Idem cibus est vobis spiritualis qui & Patribus nostris excepto corporali.

Sacramenta illa fuerunt: in signis diversa sunt, sed in re quæ significatur paria sunt. Apostolum audi: Nolo enim vos inquit ignorare fratres, quia Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes per Moysen baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducaverunt. Spiritualem utiq; eandem. Nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud: spiritualem vero quam nos. Sed Patres nostri, non Patres illorum: quibus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerunt. *T: 9. in Evan: Ioan: Tr: 26. de c: 6.* — *1. Cor: 10.*

SACRA SCRIPTURA.

Castæ deliciæ scriptura sacra.

Cum essemus infirmi ad inveniendam liquida ratione veritatem, & ob hoc nobis opus esset authoritate sanctarum literarum jam credere cæperam, nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi scripturæ per omnes jam terras authoritatem, nisi & per ipsam tibi credi, & per ipsam te quæri voluisses. *Tom: 1. lib: 6 confess: cap: 5.*

Sint castæ deliciæ meæ, scripturæ tuæ, nec fallor in eis, nec fallam ex eis. *Ibid: lib: 11. cap: 11.*

Nec omninò ullam relinquam testem sententiam productam de Apostolica disciplina, cui non de veteri testamento similem comparem: ut si evigilare tandem deposita pertinacia somniorum suorum, & in Christianæ fidei lucem aspirare voluerint, [loquitur de Manichæis vetus testamentum impugnantibus) animadvertant, & quam non sit Christiana vita, quam ostentant, & quam sit Christiana scriptura, quam lacerant. *Ibid: lib: 1. de morib: Eccl: Cathol: cap: 1.*

Nec

Nescitis (loquitur de hæreticis) quantâ imperitiâ lacessatis libros, quos & soli reprehendunt, qui non intelligunt, & quos soli intelligere nequeunt reprehendunt? Non enim eos aut ullus inimicus cognoscere sinitur, aut esse nisi amicus cognitus potest. *Tom*: 1. *lib*: 1. *de morib*: *Eccl*: *Cath*: *c*: 25. *Soli reprehendunt scripturam qui non intelligunt.*

Habent consuetudinem scripturæ divinæ de rebus humanis ad divinas res verba transferre. *Ibid*: *de Gen*: *con*: *Manich*: *c*: 14

Tanta est Christianarum literarum profunditas, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usq; ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere &c. tantaq; non solùm in verbis, quibus ista dicta sunt; verùm etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, fragrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem scriptura quodam loco habet: cum consummaverit homo tunc incipit. *Tom*: 2. *epist*: 3. *Eccl*: 1.

Ego solis scripturarum libris qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, ut nullum eorum authorem scribendo aliquid errâsse firmissimè credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinâvè præpolleant; non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos authores Canonicos vel probabili ratione quod à vero non abhorreat persuadere potuerunt. *Ibid*: *ep*: 19. *c*: 1. *In sacra scriptura nullus error.*

Miror quia te hoc latet, quod non solùm in aliis innumerabilibus rebus multa me latent, sed etiam in ipsis sanctis scripturis multò nesciam plura quàm sciam. *Ibid*: *ep*: 119. *c*: 20.

Ostendendum est, quàm non rectè intelligant, [intellige hæretici) literas sacras conscriptas ad fidelium salutem: tanquam si quisquam se medicinalibus ferramentis graviter vexet, quæ utiq; non ad vulnerandum, sed ad sanandum sunt instituta. *Ib*: *ep*: 141 *Sacra scriptura alios sanat alios vulnerat.*

Quid ergo? tu Patrem genitum dicis? Respondi; non dico. Et ille si ergo genitus non est inquit, utiq; ingenitus est? cui ego; vides posse fieri, ut etiam de verbo, quod in scriptura Dei non est, reddatur tamen ratio, unde rectè dici ostendatur. *T*: 2. *ep*: 174.

Scripturas se sacras sine duce homine gaudent nosse (loquitur de hæreticis, quos impugnans post multa præclara subjungit) caveamus tales tentationes superbissimas & periculosissimas, magisq; cogitemus & ipsum Apostolum Paulum licet divina & cælesti voce prostratum & instructum, ad hominem tamen missum esse: ut sacramenta perciperet atq; copularetur Ecclesiæ, & centurionem Cornelium quamvis exauditas orationes, ejusq; eleemosynas respectas Angelus nunciaverit, Petro tamen traditum imbuendum, per quem non solum sacramenta perciperet, sed & quid credendum, quid sperandum, quid diligendum esset, audiret. Et poterant utiq; omnia per Angelos fieri: sed abjecta esset humana conditio, si per homines hominibus verbum suum Deus ministrare nolle videretur. Deinde ipsa charitas, quæ sibi invicem homines modo unitatis adstringit, non haberet aditum refundendorum & quasi miscendorum sibimet animorum, si homines per homines nihil discerent. *Et infra.* Nonnè cum Moyse Deus loquebatur, & tamen consilium regendi atque administrandi tam magni populi à socero suo alienigena homine, & maximè providus, & minimè superbus accepit. *Vide ibi plura præclara sanè.* *Tom*: 3. *lib*: 1 *de Doctr*: *Christian*: *in Prologo.* *Sacra scriptura sine duce non est legenda.* *Accipere consilia ab aliis nō erubescunt.*

Obscurè quædam dicta (intellige de sacra scriptura) densissimam caliginem obducunt. Quod totum provisum divinitùs esse

non dubito, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio renovandum, cui facilè investigata, plerumq; vilescunt. *Tom: 3. lib: 2. de Doctrin: Christ: c: 6.*

Clara fastidium, obscura famem generans

Magnificè & salubriter Spiritus sanctus ita scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret: obscurioribus autem fastidia detegeret, nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur. *ibidem.*

Intantum vident (loquitur de intelligentia scripturarum) inquantum moriuntur huic sæculo. Inquantum autem huic vivunt, non vident. *ibidem.*

Authoritas sanctorum Patrum.

In Canonicis scripturis Ecclesiarum Catholicarum, quàm plurimùm authoritatem sequatur [intellige lector) inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas sedes habere, & epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in scripturis canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis præponat eis, quas quædam non accipiunt. *ibid: c: 8.*

Septuaginta interpretum authoritas.

In ipsis autem interpretationibus latina cæteris præferatur. Nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ. Et latinis quibuslibet emendandis, Græci adhibeantur, in quibus septuaginta interpretum, quod ad vetus testamentum attinet, excellit authoritas: Qui si ut fertur, multiq; non indigni fide prædicant, singuli cellis etiam singulis separati, cum interpretati essent, nihil in alicuius eorum codice inventum est, quod non iisdem verbis, eodemq; verborum ordine inveniretur in cæteris: quis huic authoritati conferre aliquid nè dum præferre audeat. *ibid: c: 15.*

Disputationis disciplina, ac omnia genera quæstionum, quæ in literis sanctis sunt penetranda & dissolvenda, plurimum valet; tantùm ibi cavenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium. *ibid: c: 31.*

Vnus locus per alium explicandus.

Quando ex iisdem scripturæ verbis non unum aliquid; sed duo vel plura sentiuntur, etiamsi lateat quid senserit ille qui scripserit, nihil periculi est, si quodlibet eorum congruere veritati ex aliis locis sanctarum scripturarum doceri potest. *ibid: c: 27.*

Quatuor modi à quibusdam scripturarum tractatoribus traduntur legis exponendæ; secundum historiam, cum sive divinitùs sive humanitùs res gesta commemoratur secundùm allegoriam, cum figuratè dicta intelliguntur secundùm Analogiam: cum veteris & novi testamentorum congruentia demonstratur; secundùm ethymologiam cùm dictorum factorumq; causæ redduntur. *ibid: lib: de Gen: ad lit: c: 2*

Non pro sententia divinarum scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus scripturarum esse, quæ nostra est, cùm potiùs eam, quæ scripturarum est, nostram esse velle debemus. *Tom: 3. lib: 1. c: 18.*

Ubi si quid intelligere non potest quispiam, scripturæ Dei det honorem, sibi timorem. *ibid: c: 20.*

Cum scriptura non deserente infirmitatem tuam, & materno incessu tecum tardiùs ambulante proficiat: quæ sic loquitur, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat. *ibid: lib: 5. c: 3.*

Literalis sensus ubi deficit, quid facias.

Quisquis voluerit omnia quæ dicta sunt [scilicet in scripturis] secundùm literam accipere, & potest evitare blasphemias, & omnia congruentia fidei catholicæ prædicare, non solùm ei non est invidendum; sed præcipuus, multumq; laudabilis intellector habendus est. Si autem nullus exitus datur, ut piè & dignè Deo quæ scripta sunt, intelligantur, nisi figuratè, habentes authorita-

tem

tem Apostolicam, à quibus tam multa de libris veteris testamenti solvuntur ænigmata, omnes istas figuras rerum secundùm catholicam fidem explicemus, non præjudicantes meliori diligentioriq; tractatui, sive per nos, sive per alios, quibus Dominus revelare dignatur. *Ibid: lib: 8. c: 2.*

Ipsius Domini narratio parabola fuit ; de qua nunquam exigitur, ut etiam ad literam facta monstrentur, quæ sermone proferuntur. *Ibid: cap: 4.*

Errat ; quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cum, adhuc nequiter vivat. Nequitia est autem mundum istum diligere, & ea quæ nascuntur & transeunt, pro magno habere ; Talis vita non potest puram illam & sinceram & incommutabilem videre veritatem, & inhærere illi, & in æternum jam non moveri. *Ibid: lib. de agone Christ: c. 13. & 16.*

Peccator non potest intelligere veritatē

Et hoc enim magnum est, quod præstitit Deus Ecclesiæ suæ, ubiq; diffusæ, ut gens Judæa meritò debellata & dispersa per terras nè à nobis hæc composita putarent, codices Prophetarum nostrorum ubiq; portaret, & inimica fidei nostræ testis fieret veritatis nostræ. *Tom: 4. lib: 1. de consen: Evang: c : 26.*

Jam satis in promptu est nihil esse contrarium, si quis alius dicit, quod alius prætermittit, seu verbi, seu rei : dum vel ab eadem sententia non recedatur : vel quæ fortè ab alio ponitur, alij non adversetur. Loquitur de sanctis Evangelistis. *Ibid: lib: 2. c: 27*

Si quando talia singula, apud singulos invenerimus, atque in eis contrarium, quod solvi non possit : occurrat nobis non hoc esse factum, sed aliud simile, vel similiter factum. *Loquitur de Evang: ibidem cap: 26.*

Quomodo Mathæus & Lucas commemoraverunt dixisse Dominum discipulis, ut nec virgam ferrent : cum dixit Marcus, nisi virgam tantum. Quod ita solvitur, ut intelligamus sub alia significatione dictam virgam, quæ secundum Marcum ferenda est; & sub alia illam, quæ secundum Mathæum & Lucam non est ferenda : sicut sub alia significatione intelligitur tentatio, de qua dictum est. Deus neminem tentat : & sub alia, de qua dictum est: Tentat vos Deus. Illa seductionis est, hæc probationis. Sicut judicium aliter accipitur, de quo dictum est ; Qui malè fecerunt in Resurrectione judicij, & aliter. Judica me Deus, illud enim judicium damnationis est, hoc discretionis. *ibid: c: 30.*

Matt. 10.10. Luc. 9. 3

Quomodo intelligendi Evangelistæ si contraria sibi scribant.

Ita Dominum omnia dixisse nullo modo dubitandum est, partim propriè, partim figuratè : sed Evangelistas, alia istum, alia illum inseruisse scriptis suis, quædam verò eadem vel duos vel tres eorum quoslibet, vel omnes quatuor posuisse : nec sic tamen omnia esse conscripta, quæ ab illo seu dicta seu facta sunt. *Tom: 4. ibidem cap: 30.*

Joannes multum à tribus Evangelistis eò distat, quia magis in sermonibus, quos Dominus habuit, immoratur, quàm in factis quæ mirabiliter fecit. *ibidem cap: 45.*

Quod Matthæus dixit, ascendit in montem solus orare: Joannes autem, cum cognovisset, inquit, quia venturi essent, ut facerent eum Regem, fugit : Neq; enim causæ orandi, contraria est causa fugiendi : per id quoq; docebat, hanc nobis esse magnam causam orandi, quando est causa fugiendi. *ibid: c: 47.*

Manifestum est interpretationem illam, quæ dicitur septuaginta, in nonnullis se aliter habere, quàm inveniunt in Hæbreo, qui eam linguam noverunt, & qui simul interpretati sunt singuli eosdem libros Hæbreos. Hujus distantiæ causa si quæratur, nihil

occurrere probabilius existimo, quam illos septuaginta eo spiritu interpretatos, quo & illa quæ interpretabantur, dicta fuerant, quod ex ipsa eorum mirabili, quæ prædicatur consensione, firmatum est. *Et infra.* Ostenditur non esse mendacium, si quisquam ita diverso modo, aliquid narret, ut ab ejus voluntate, cui consonandum & consentiendum est, non recedat. *Ibid: c: 66.*

Hoc de Prophetis sanctis intelligendum, & maximè commendandum fuit, ut omnium libros tanquam unius unum librum acciperemus, in quo nulla rerum discrepantia crederetur, sicut nulla inveniretur, & in quo major esset constantia veritatis, quàm si omnia illa unus homo quamlibet doctissimus loqueretur. *Ibid: lib: 3. de consensu Evang: cap: 7.*

Divinæ scripturæ à terreno & humano sensu, ad divinum & cælestem nos erigentes, usq; ad ea verba descenderunt, quibus inter se stultissimorum utitur consuetudo. V. g. Quoniam difficillimum est, ut homo vindicet aliquid sine ira, vindictam Dei, quæ omnino sine perturbatione fit, iram tamen vocandam, judicaverunt. *T: 4 lib: 8. trium quæst: quæst: 52. vide infra.*

Sic ad salutem animarum divinos libros Spiritu sancto moderatus est, ut non solùm manifestis pascere, sed etiam obscuris exercere nos vellet. *ibid: quæst: 53.*

Eadem scriptura & idem mandatum, cum bonis terrenis inhiantes premit servos, testamentum vetus: cùm in æterna bona flagrantes erigit liberos, testamentum novum vocatur. *Ibid: lib: exp: eplæ: ad Gal: fol: 301.*

Justitiæ doctrina de superiore loco in conspectu omnium personante, & qui faciunt, audiant ad præmium: & qui non faciunt, audiant ad judicium. *Tom: 5 lib: 2. de Civit: Dei: c: 28.*

Scriptura sanctuarium. Hujus viæ rectitudinem usq; ad Deum videndum, eiq; in æternum cohærendum, in sanctuario scripturarum esse locutam, quâ prædicatur atq; asseritur veritate, quicunq; non credunt, & ob hoc non intelligunt oppugnare possunt, sed expugnare non possunt. *Ibid: lib: 10 c: 32*

In epistola quæ inscribitur ad Hæbreos, quàm plures, Apostoli Pauli esse dicunt, quidam verò negant, multa & magna conscripta sunt. *Ibid: lib: 16 c: 22.*

Qui interpretes scripturæ præter 70. Cum fuerint & alii interpretes, qui ex Hæbrea lingua in Græcam sacra illa eloquia transtulerunt, sicut Aquila: Symmachus. Theodotion: sicut etiam illa est interpretatio, cujus Author non apparet, & ob hoc sine nomine interpretis quinta editio nuncupatur: hanc tamen quæ septuaginta est, tanquam sola esset, sic recepit Ecclesia, eaq; utuntur Græci populi Christiani, quorum pleriq; utrum alia sit aliqua, ignorant. Ex hac septuaginta interpretatione etiam in latinam linguam interpretatum est, quod Ecclesiæ latinæ tenent. Quamvis non defuerit temporibus nostris Presbyter Hieronymus homo doctissimus, & omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco, sed ex Hæbreo in latinum eloquium easdem scripturas converterit. *Vide ibi plura de hac versione præclara. ibid: lib: 18. c: 43.*

Evangelium per Apostolos non exhauriretur, nisi per Prophetam antea promitteretur? *T: 6. de 5. Hær: c: 5,*

Scriptura est verum Dei testamentum. Testor honorate conscientiam meam, & puris animis inhabitantem Deum, nihil me existimare prudentiùs, castiùs, religiosiùs, quàm sint illæ scripturæ omnes, quas testamenti veteris nomine Ecclesia Catholica retinet. *Et infra.* Quidquid est mihi crede in scripturis illis altum & divinum est: inest omninò veritas,

& refi-

& reficiendis instaurandisq; animis accommodatissima disciplina: & planè ita modificata, ut nemo inde haurire non possit, quod sibi satis est, si modo ad hauriendum devotè & piè, ut vera religio poscit, accedat. *T: 6. lib de utilitate creden: c: 5.*

Itanè est? nulla imbutus Poëtica disciplina Terentium Maurum sine magistro attingere non audebis. Asper, Cornutus, Donatus, & alij innumerabiles requiruntur, ut quilibet Poëta possit intelligi, tu in eos libros qui quoquo modo se habeant, sancti tamen divinarumq; rerum pleni, prope totius generis humani confessione diffamatur, sine duce irruis? & de his sinè Præceptore audes ferre sententiam. *Ibid: l: de util: creden: c: 7.*

Sine duce non legenda scriptura.

Non ergo Dominus rescindit scripturam veteris testamenti, sed cogit intelligi: nec sabbathum solvit ut pereat quod figurabatur, sed aperit potiùs, ut appareat quod tegebatur. *ibid: lib: contra Adamantum cap: 2.*

Certis quibusdam umbris & figuris rerum ante Domini adventum secundùm mirabilem atq; ordinatissimam distributionem temporum populus tenebatur, qui testamentum vetus accepit: Tamen in eo tanta prædicatio & prænuntiatio novi testamenti est, ut nulla in Evangelica atq; Apostolica disciplina reperiantur, quamvis ardua & divina præcepta, quæ illis etiam libris veteribus desint: sed sanctæ scripturæ non temerarios & superbos accusatores, sed diligentes & pios lectores desiderant. *ibidem cap: 3. circa finem.*

Qualis debeat esse lector sacræ scripturæ

Sicut nostri authores divinarum scilicet literarum, de rebus maximè cogitaverunt: sicut mundanorum authorum propè omnis cura de verbis est. *T: 6. lib: con: Adimantum c: 11.*

Nisi credideritis non intelligetis. Non enim estis eruditi in Regno cælorum [alloquitur hæreticos] id est in Ecclesia vera Catholica. Quod si essetis de divitiis Sanctarum scripturarum, non solùm nova sed etiam vetera proferretis. *ibidem lib: 4. con: Faust: cap: 2.*

Regnum cælorum vera Ecclesia.

Ipsa scriptura quæ tunc fuit exactrix operum significantium, nunc testis est rerum significatarum: & quæ tunc observabatur ad prænuntiationem, nunc recitatur ad confirmationem. *Ibidem lib: 6. con: Faust: cap: 11.*

Quantum distat de Christi adventu inter prædicationem Angelorum, & confessionem Dæmoniorum: tantùm inter authoritatem Prophetarum & curiositatem sacrilegorum. *ib: l: 13. c: 15.*

Si ab eis proferrentur Prophetiæ de Christo, qui prædicant Christum, ab eis ipsis conditæ putarentur: nunc verò id exponit, qui prædicat, quod recitat, qui blasphemat. Ad aliquem namque Sanctorrm usum ordinatur, omnis cæcitas impiorum à summo Deo, qui pro sui regiminis æquitate benè utitur etiam malis, ut qui suo arbitrio injustè vivunt, illius judicio justè disponantur. Ergonè testimonia prophetiæ Christi nascituri, mira facturi, indigna passuri, morituri, resurrecturi, ascensuri, per omnes gentes Euangelium vitæ æternæ disseminaturi illi finxisse, crederentur, qui eum populis annuntiarent? magnum aliquid actum est in usum nostrum de infidelitate Judæorum: ut iidem ipsi qui hæc propter se non haberent in cordibus, propter nos haberent in codicibus, nec inde authoritas illis libris minuitur, quod ab Judæis non intelliguntur, imò & augetur, nam & ipsa eorum cæcitas ibi prædicta est. *ibid: lib: 16: c: 21.*

Prophetiæ sunt testimonia Christi.

O mirabilem insaniam de Christo aliquid narranti nolle credi Matthæo & velle credi Manichæo. *Et infra.* Si nemo de Christo

Christo vera dicit, nisi qui eum præsens vidit & audivit, hodie de illo nemo vera dicit. *ibid: lib:* 13. *c:* 3.

Qui in Evangelio quod vultis, creditis, quod vultis non creditis, vobis potiùs quàm Evangelio creditis. *Ibidem.*

Si dixit Evangelista, dormivit JEsus. Si dixit, esurivit, sitivit, contristatus est, exhilaratus est, & si quid aliud, omnia vera sunt, quæ ita narrata sunt, ut non eum simulâsse sed planè fecisse vel exhibuisse conscripta sint: sanè non necessitate conditionis, sed Magisterii voluntate, & Divina etiam potestate, Nascuntur homines atq; patiuntur, non quia volunt, nec quod volunt: ille autem ista quia voluit. *ibid: lib:* 26. *cap:* 8.

Si authoritatem scripturarum omnibus præferendam sequi vultis, eam sequimini, quæ ab ipsius præsentiæ Christi temporibus per dispensationes Apostolorum certas ab eorum sedibus successiones Episcoporum, usq; ad hæc tempora, in toto orbe terrarum custodita, commendata, clarificata, pervenit. Ibi enim videbitis etiam veteris testamenti, & obscura revelari, & prædicta compleri. *ibid: lib:* 33. *cap:* 10.

Scriptura firmamentũ est. Quantùm quisq; sciendo profecerit, tanto se infra illas literas inveniet, quas Deus tanquam firmamentum supra omnia humana corda constituit. *Tom:* 6. *lib: ad Orosium con: Priscil: & Orig: nistas. cap* : 11

Interpretationis veritas. Quod ad exercendas mentes fidelium in scripturis sanctis obscurè ponitur gratulandum est, si multis modis non tamen insipienter exponatur. *ibid: lib:* 3. *con: Maxim: c:* 22.

Sunt certe libri Dominici, quorum authoritati utriq; consentimus, utriq; credimus, utriq; servimus: ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. *T:* 7. *lib: de unitate Eccl: c:* 3.

Non itaq; debemùs quidquid in scripturis etiam Dei testimonio laudatos homines, fecisse legerimus consentiendo approbare, adhibentes judicium non sanè nostræ authoritatis, sed scripturarum divinarũm atq; sanctarum. *Ibid: lib:* 1. *con: Gauden: c:* 31.

Ad Hæbreos Epistola quanquam nonnullis incerta sit, magis me movet authoritas Ecclesiarum Orientalium, quæ hanc etiam in Canonicis habent. *Ibid: lib:* 1. *de merit: & remiss: c:* 27.

Ubi manifesta res est, scripturæ divinæ sensui, nostrum sensum addere non debemus: non enim hoc fit humanâ ignorantiâ, sed præsumptione perversa. *Ibid: lib:* 5. *con Iulian: c:* 2.

Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum. Hac ipsa de causa à Spiritu Sancto conscripta est: id est ut velut ex communi quodam sanitatis fonte, omnes nobis ex hac remedia propriis passionibus assumamus. *T:* 8. *Prologo in librum psal:*

Qui libri medicinæ optima Alia sunt quæ Prophetæ tradunt alia quæ historia: lex quoque alia proverbiorum, etiam alia commonitio: Psalmorum vero liber quæcunq; utilia sunt ex omnibus continet. Futura prædicit, veterum gesta commemorat, legem viventibus tribuit, gerendorum statuit modum. Et ut breviter dicam communis quidam bonæ doctrinæ thesaurus est apte singulis necessaria subministrans. *Et infra.* Psalmus tranquillitas animarum est: signifer pacis, perturbationes vel fluctus cogitationum cohibens, iracundiam reprimens luxuriam, repellens, sobrietatem suggerens, amicitiam congregans, adducens in concordiam discrepantes, reconcilians inimicos. Quis enim ultra inimicum dicat eum, cum quo unam ad Deum psalmi emiserit vocem. Psalmus dæmones fugat, Angelos ad adjutorium invitat. Incipientibus primum efficitur elementum, proficientibus incrementum, profectis stabile firmamentum, Totius Ecclesiæ vox una. *ibid.*

Cen-

Centum & quinquaginta psalmos esse nulla dubitatio est: & qui psalmus quotus sit, vel à quo recitatus sit, titulorum inscriptione ostenditur. Non enim omnes psalmi à David editi sunt: ipse enim David ex omni populo quatuor Principes Spiritu sancto mundatos elegit, quorum nomina, Assaph, Eman, Ethan, & Idithun: ut in quęcunq; divinus spiritus intrasset hymnū Deo caneret. David ergo solus novem psalmos ore proprio cecinit. Reliqui autem ab illis quatuor Principibus juxta titulorum inscriptionem sunt dicti. *T: 8. In psal:* 1.

Psalmorum author.

Hæc regula in omni allegoria retinenda est, ut per sententiam præsentis loci consideretur quod per similitudinem dicitur. Hæc est enim dominica & Apostolica disciplina. *In psal: 8.*

Allegoriæ regula.

Si orat psalmus, orate: & si gemit gemite, & si gratulatur gaudete, & si sperat sperate, & si timet timete. Omnia enim quæ hic conscripta sunt. Speculum nostrum sunt. *Con: 3. in psal:* 30.

Omnis morbus animæ habet in scripturis medicamentum suum. *Con:* 2. *In psal:* 36.

Sunt quædam deliciæ sanctæ & bonæ in libris. Neque enim sunt in auro & argento, in epulis atq; luxuriâ, in venationibus & piscationibus, in ludo & joco, in theatricis nugis: & affectandis & apprehendendis ruinosis honoribus. Neq; enim vera sunt gaudia in his omnibus, & in his libris nulla sunt: imò verò anima illa prima transiliens, & in his delectata dicat, quæ verum dicit & secura dicit. Narraverunt mihi injusti delectationes sed non sicut lex tua Domine. *Enar: In psal:* 38.

Omnia divina eloquia salubria sunt bene intelligentibus, periculosa vero his qui ea volunt ad sui cordis perversitatem detorquere potiùs quàm suum cor ad eorum rectitudinem corrigere. Hæc est enim in hominibus magna & usitata perversitas, quia cum debeant vivere ipsi secundum voluntatem Dei, Deum volunt vivere secundum voluntatem suam, & cum ipsi nolunt corrigi illum volunt depravari, rectum non arbitrantes quod ille vult sed quod ipsi volunt. *Et infra.* Venenati enim cordis est ista sanies, eructans in Deum putorem blasphemiæ, & quod pejus est manus curantis repellens, morsum serpentis non repellens. *Tom: 8. In psal:* 48.

Professores Dei & Catenes.

Multa latebant in scripturis: & cum præcisi essent hæretici, quæstionibus agitaverunt Ecclesiam Dei, aperta sunt quæ latebant & intellecta est voluntas Dei. Nunquid enim perfectè de Trinitate tractatum est antequam oblatrarent Ariani? Nunquid perfectè de pænitentia tractatum est antequam obsisterent Novatiani? sic non perfecte de Baptismate tractatum est, antequam contradicerent foris positi Rebaptisantes. *In psal:* 54.

Multi sensus scripturarum sacrarum latent, & paucis intelligentibus noti sunt: nec asseruntur commodiùs & acceptabiliùs nisi cùm respondendi hæreticis cura compellit. Tunc enim etiam qui negligunt studia doctrinæ, sopore excusso ad audiendi excitantur diligentiam, ut adversarij refellantur. Denique quàm multi scripturarum sanctarum sensus de Christo Deo asserti sunt contra Photinum? Quàm multi de homine Christo contra Manichæum? quàm multi de Trinitate contra Sabellium? quàm multi de unitate Trinitatis contra Arianos Eunomianos, Macedonianos? quàm multi de Catholica Ecclesiâ toto orbe diffusâ, & de multorum commixtione usq; in finem sæculi, quod bonis in sacramentorum ejus societate non obstat: adversus Donatistas, & Luciferianos, aliosque si qui sunt qui simili errore à veritate dissentiunt?

Hæretici Ecclesiam quomodo illustrant.

Quàm multi contra cæteros hæreticos quos enumerare vel commemorare nimis longum est, & præsenti operi non necessarium? *Ibid: In psal: 67:*

Sic se habet obscuritas scripturarum, difficile est ut unum pariat intellectum. Quicunq; tamen intellectus exierit, opus est ut regulæ fidei congruat: nec majoribus invidemus, nec de parvulis desperamus. *Expos: psal:* 74.

Septuaginta interpretum Authoritas. Septuaginta interpretes, quorum authoritas tanta est, ut non immeritò propter mirabilem consonantiam divino spiritu interpretati esse credantur. *In psal:* 87.

Tunc non confundar dum inspicio in omnia mandata tua. *Ps 118 6.* Mandata Dei sive cùm leguntur, sive cùm memoria recoluntur, *Praxis debet esse post lectam scripturam.* tanquam speculum intuendum est, secundum Apostolum Jacobum dicentem: Si quis est auditor verbi & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. Consideravit enim se & abjit & statim oblitus est qualis fuerit. *Con: 4. in psal:* 118.

Ad hoc ille cooperit cælum nubibus ut paret terræ pluviam. *Ps. 146 8.* Ad hoc obscura esse voluit dicta Prophetarum ut haberent postea *scripturæ fons latens.* servi Dei quod interpretando influerent super aures & corda hominum excipientibus de nubibus Dei saginam lætitiæ spiritualis. qui cooperit cælum nubibus, qui parat pluviam. *Enar: in psal:* 146.

Peregrinamur, suspiramus, gemimus. Venerunt ad nos literæ de Patriâ nostrâ, ipsas vobis recitamus. *Expos: psal:* 149:

Litera occidit, spiritus autem vivificat. Deniq; infelices Ju- *2. Cor. 3. 6.* *Mors & vita scriptura.* dæi, & plus infelices hæretici, dum solum literæ aspiciunt sonum, quasi corpus sine anima, ita sine vivificante spiritu remanserunt. *T: 10. ser: de Temp. ser. 70 feria 5 post 1. Dnicam Quadrag ser. 1.*

Beata vita est cognitio divinitatis: cognitio divinitatis virtus boni operis est, virtus boni operis, fructus est æternæ beatitu- *Lectio sacræ Scripturæ, divina beatitudinis est præcognitio.* dinis. Adhuc ergo bonum habemus solatium, divinarum lectionem scripturarum: quia sacrarum lectio scripturarum, divinæ est præcognitio non parva beatitudinis. *Et infra.* Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare & legere. Nam cùm oramus, ipsi cum Deo loquimur; cùm verò legimus, Deus nobiscum loquitur. Geminum confert donum lectio sanctarum scripturarum, sive quia intellectum mentis erudit, seu quia à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. Labor honestus est lectionis, & multis utilis ad emũdationẽ enim proficit. Sicut enim ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis interior homo nutritur& pascitur, sicut Psalmista ait: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, super mel & favum ori meo: Sed ille beatissimus est, qui divinas scripturas vertit in opera. *T: 10. eorund. ser. 112. feria 6. post Dnicam Passionis.*

Alia secretiùs in scripturis absconduntur, ut quærentes exerceant: alia verò in promptu, & in manifestatione ponuntur, ut desiderantes curent. *T: 10. de diver. ser:* 20.

Sacra scriptura manna. Omnes eundem spiritualem cibum manducaverunt. Datum est illis manna in deserto, sicut nobis datur dulcedo scripturarum, *1. Cor. 10. 3.* ut duremus in ista eremo vitæ humanæ: & norunt quale manna accipiunt Christiani, quibus dixit ipse psalmus: Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. *Ibid: serm:* 44.

Evangelium est bonus nuntius, vel bona annuntiatio. *T: 10: Homil: de diversis serm: 8.*

Operamini cibum qui non perit. Ideo autem non perit, quia Verbum Domini manet in æternum. Verbum Domini cibus tuus

est;

est; & non solum cibus, sed potus. Audi eum per Prophetam dicentem veteri populo. Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient, Item per semetipsum Caro mea inquit, vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. *Ibidem: sermone: 9. de psalmo 22.*

Invitavit nos ad Evangelium suum: & ipse cibus noster est, quo nihil dulcius, sed si quis habeat palatum sanum in corde. *T: 9. in Evan: Ioan: Tract: 7. de cap: 1.*

Tollitur velamen cum transieris ad Dominum. Sic tollitur insipientia cum transieris ad Dominum, & quod aqua erat vinum tibi fit. Lege libros omnes Propheticos non intellecto Christo, quid tam insipidum & fatuum invenies? Intellige ibi Christum non solum sapit quod legis; sed etiam inebriat: mutant mentem à corpore, ut præterita obliviscens in ea quæ ante sunt extendaris. Ergo Prophetia ab antiquis temporibus ex quo prorsus currit ordo nascentium in genere humano de Christo tacuit: sed occultum ibi erat, adhuc enim erat aqua: *Ibid: Tract. 9 de c: 2:* *Intellecto Christo omnia facillima quæ leguntur.*

Vani quidam Apocalypsim Pauli, quam sana non recipit Ecclesia nescio quibus fabulis plenam stultissimâ præsumptione finxerunt, dicentes hanc esse unde dixerat raptum se fuisse in tertium cælum, & illic audisse ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui *Ibid: Tract: 98. de cap. 16.* *Pauli Apocalypsis.*

Non mireris quod ineffabilis Dei scientia, qua novit omnia, per varios humanos locutionis modos omnium istorum corporalium sensuum nominibus nuncupatur: cum & ipsa mens nostra hoc est homo interior, cui uniformiter scienti, per hos quinque veluti nuntios corporis, diversa nuntiantur, quando immutabilem veritatem intelligit, eligit, diligit, & lumen videt de quo dicitur. Erat lumen verum: & verbum audit, de quo dicitur, In principio erat verbum: & odorem capit, de quo dicitur. Post odorem unguentorum tuorum currimus: & fontem bibit de quo dicitur: Apud te est fons vitæ: & tactu fruitur de quo dicitur, mihi autem adhærere Deo bonum est: nec aliud atq; aliud, sed una intelligentia tot sensuum nominibus nuncupatur. *Ibid: Tr: 99. de c: 16.*

Aperuit enim illis scripturas, & ostendit eis quia oportebat pati Christum, & impleri omnia quæ de illo scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & psalmis. Omnem veterem scripturam circumplexus est. Quidquid clarum scripturarum est Christum sonat, sed si aures inveniat. Et aperuit eis sensum, ut intelligerent scripturas. Unde & nobis hoc orandum est, ut ipse sensum nostrum aperiat. *Ibid: in Ep: Ioan: Tr: 2. de cap: 2.* *Luc. 24 45.* *Quidquid in veteri scriptura invenitur illud totum, Christus sonat*

Auferantur chartæ humanæ sonent voces divinæ. *Tom: 9. lib: de Pastoribus in caput 34. Ezechielis cap: 14.*

Thesaurus est magnus divinarum scripturarum habens in se mirabilia præcepta & multa: tanquam multas gemmas, & pretiosa monilia, & vasa ingentia, & magni metalli. Sed quis potest scrutari thesaurum istum, & uti eo, & pervenire ad omnia quæ ibi sunt? Quando hanc similitudinem Dominus dedit in Evangelio suo, & dixit, Simile est regnum cælorum thesauro invento in agro nè quis se minus idoneum diceret ad perscrutandum thesaurum, continuo dedit aliam similitudinem. Simile est inquiens regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas, qui invenit unam pretiosam margaritam & vendidit omnia quæ habuit, & emit illam, ut si piger eras ad perscrutandum thesaurum, non sis piger unam margaritam sub lingua ferre, & quovis securus ambulare. *T: 9. lib: de disciplina Christiana cap: 2.* *Thesaurus sacra scriptura.* *Matt. 13. 44*

SACRIFICIUM.

Sacrificium Abel Deo fuit gratum.

QUis verò sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit? Quam porrò antiquus sit, in sacrificando Dei cultus, duo illi fratres Caim & Abel satis indicant, quorum majoris Deus reprobavit sacrificium, minoris aspexit. *Tom: 5. lib: 10. de Civit: Dei cap: 4.*

Misericordia et mundo mortuus homo est Dei sacrificium.

Verum sacrificium est omne opus quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo; relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus, unde & ipsa misericordia, quâ homini subvenitur, si propter Deum non fit, non est sacrificium. Sacrificium tamen res divina est: ita ut hoc quoq; vocabulo id Latini veteres appellaverint. Unde ipse homo Dei nomine consecratus & Deo devotus, inquantum mundo moritur, ut Deo vivat sacrificium est. Nam & hoc ad misericordiam pertinet, quam quisq; in se ipsum facit. Propterea scriptum est; miserere animæ tuæ placens Deo; corpus etiam nostrum, cùm per temperantiam castigamus, sacrificium est. Ad hoc exhortans Apostolus ait: Obsecro vos itaq; fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpopora vestra hostiam vivam sanctam, &c. *Et infra.* Tota ipsa redempta Civitas, hoc est congregatio societasq; sanctorum, universale sacrificium offertur Deo per sacerdotem magnum; qui etiam se ipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus secundùm formam servi. Hanc enim obtulit; in hac oblatus est, quid secundum hanc Mediator est, in hac sacerdos, in hac sacrificium est: Hoc est sacrificium Christianorum; multi unum corpus sumus in Christo; quod etiam Sacramento Altaris fidelibus noto, frequenter Ecclesia, ubi eidem demonstratur, quod in ea oratione quam offert, ipsa offeratur. *Ibid: c: 6.*

Dæmones cur sibi sacrificari voluerunt.

Non ob aliud Dæmones arrogantes sibi divinitatem, Deosq; se credi cupientes sibi expetere sacrificium; & hujusmodi gaudere honoribus, nisi quia verum sacrificium, & hujusmodi gaudere honoribus, nisi quia verùm sacrificium, vero Deo deberi sciunt. *Ibid: lib: 15. cap: 16.*

Alexander in Templo Hierosolymitano sacrificavit.

Adveniente Alexandro subjugata est Judæa, quando & si nulla facta est vastatio, quoniam non sunt ausi ei resistere, & ideo placatum facillimè subditi receperunt. Hostias tamen Alexander immolavit in Templo, non ad ejus cultum vera pietate conversus, sed impia vanitate cum Diis eum falsis colendum putans. *Ibidem lib: 18. cap: 45.*

Sacrificium laudis glorificabit me, & illic via est, ubi ostendam illi salutare meum hujus sacrificij caro & sanguis ante adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur: in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur: post ascensionem Christi per Sacramentum memoriæ celebratur: ac per hoc tantum interest inter sacrificium Paganorum & Hebræorum, quantum interest inter imitationem errantem, & præfigurationem prænuntiantem. *Ibid: lib: 20. c: 21.*

Sacrificium non solùm cum justè imperat verus Deus, sed etiam cùm superbè exigit falsus Deus, satis ostendit, cui videatur. *Ibidem lib: 22. cap: 17.*

Dæmon sibi sacrificium non exigeret, nisi vero Deo deberi sciret. *Ibid: lib: 1. con adver: leg: & Proph: c:18.*

Victimæ pro peccato peccata.

Peccata dicta sunt sacrificia pro peccatis. Offerebatur verbi gratia pro peccato hircus, aries, quodlibet: ipsa victima quæ offerebatur pro peccato, peccatum nominabatur. *Et infra.* Ergo, 1. Pet. 2. 224

cum

eum qui non noverat peccatum, fecit pro nobis peccatum: id est sacrificium pro peccato factus est. Peccatum oblatum est, & deletum est peccatum. Fusus est sanguis Redemptoris, & deleta est cautio debitoris. Ipse est sanguis qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum. *T: 10. ser: de verb: Dom: ser: 48.*

Quærebas quid offerres pro te, offer te: Quid enim Dominus quærit à te, nisi te? Quia in omni creatura terrena nihil melius fecit te. Quærit te à te, quia tu perdideras te. Si autem facias quod jussit, invenit in te judicium & justitiam. Judicium primo in te ipso, justitiam ad proximum tibi. Quomodo judicium in te ipso. Ut displiceas tibi quod eras, ut possis esse, quod non eras. Iudicium inquam de te ipso, in te ipso, sine acceptione personæ tuæ, ut non parcas peccatis tuis, nec ideo tibi placeant, quia tu facis. Nec te laudes in bonis tuis, & Deum accuses in malis tuis. *Et infra.* Cum tibi ergo perversus displicueris, teque illo qui creavit adjuvante correxeris, rectus servabis justitiam. Placebit enim tibi Deus, si rectus fueris. Non discrepabis à recto nisi pravus atq; perversus. Rectus autem recto convenies, & sine dubio tibi placebit Deus. Quando enim displicebat, perversitati tuæ displicebat. *Tom: 10. serm: de Temp: serm: 236. Dnica 19. post festum SS. Trinitatis serm: 1.*

Iudicium Deus invenit in homine, cui displicent peccata sua.

Episcopus vel Presbyter qui offert, & dicit, cum responderit populus, Habemus ad Dominum, sursum cor, Gratias agamus Domino Deo nostro: qui sursum cor habetis. Et vos attestamini, Dignum est, justum est, dicentes: ut & gratias agamus ei, qui nos fecit sursum ad nostrum caput habere cor. Deinde post sanctificationem sacrificij dicitur, Quia nos ipse voluit esse sacrificium suum, quod demonstratum est primum illud, sacrificium Dei & nos. id est signum rei quod sumus: ecce ubi est peracta sanctificatio; dicimus orationem Dominicam, quam accepistis & reddidistis. Post ipsam dicitur, Pax vobiscum. & osculantur se Christiani in osculo sancto, quod est signum pacis: si quod ostendunt labia, fiat in conscientia. *Tom: 10. Parte 2. serm: de diver: serm: 83. In die S. Paschæ.*

SANCTITAS.

Homo qui adhæret Deo, cui nihil aliud quam ipsum hærere Deo, bonum est, utitur amico ad reprehendendam gratiam, utitur inimico ad patientiam, utitur quibus potest ad beneficentiam, utitur ad benevolentiam. Quare si aliquem familiarium suorum promptius alloquitur, quàm quemlibet, non eum magis diligit, sed ad eum habet majorem fiduciam, & apertiorem temporis januam. *Tom: 1. lib: de vera Relig: c: 47.*

Ipsa est actio recti itineris, quæ oculos semper habet ad Dominum; talis actio nec frangitur negotio, nec frigida est otio, nec turbulenta, nec marcida est, nec audax, nec fugax, nec præceps, nec jacens, hæc agite & Deus pacis erit vobiscum. *T: 2. ep: 81.*

Ille justè & sanctè vivit qui rerum integer æstimator est: ipse est autem, qui ordinatam dilectionem habet, nè aut diligat, quod non est diligendum, aut non diligat, quod est diligendum. *Ibidem lib: 1. de doctr: Christ: c: 27.*

Sanctè vivere est res integrè æstimare.

Luc. 16 Qui in minimo fidelis, & in magno fidelis est: Quod ergo minimum est: sed in minimo fidelem esse magnum est. Nam sicut ratio rotunditatis est, ut à puncto medio omnes lineæ pares in extrema ducantur, eadem est in magno disco, quæ in nummu-

Perfectio in minimis.

 lo exi-

lo exiguo: ita ubi parva justa geruntur, non minuitur justitiæ magnitudo. *Ibid: lib: 4. cap: 18*

Gaudium spirituale quando? Merito quæritur, cur Abraham, nec die quo natus est ei filius, nec die quo circumcisus est, sed quo ablactatus est, epulum fecerit. Quod nisi ad aliquam spiritualem significationem referatur nulla solutio quæstionis est. Tunc scilicet esse debere magnum gaudium spiritualis ætatis, quando fuerit factus homo novus spiritualis, id est non talis, qualibus dixit Apostolus, Lac vobis potum non escam dedi nondum enim poteratis. *Tom: 4. lib: 1. quæst: in Gen: quæst: 50.* *Gen 21. 8.*

Quod dicit aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum: centesimum Martyrum propter societatem vitæ, vel contemptum mortis. Sexagesimum virginum propter otium interius. Tricesimum conjugatorum, quia hæc est ætas præliantium, ipsi enim habent acriorem conflictum, nè libidinibus superentur. *T. 4. lib: 1 quæst: Evang: quæst: 9.* *Matt. 13. 8.*

Carnalis delectatio est voluptas puerilis. Et sicut nunc videmus multis puerilibus delectationibus nos carere, quæ nos pueros, si denegarentur, acerrimè cruciabant, ita credendum est de omni carnali delectatione futurum esse, cum perfecta sanitas totum hominem reparaverit. Nunc quamdiu est in nobis, quod resistat bonæ voluntati, auxilio Dei per bonos homines, & bonos Angelos indigemus, ut donec sanetur vulnus nostrum, non ita molestet ut perimat & jam bonam voluntatem. *Ibid: lib: 8. trium quæst: quæst: 70.*

Vita sanctorū prophetia. Horum sanctorum qui præcesserunt tempore Nativitatem Domini, non solùm sermo, sed etiam vita & conjugia & filij & facta, prophetia fuit hujus temporis, quo pro fide passionis Christi ex gentibus congregatur Ecclesia. *Ibid: l: de cathech: rudib: c: 19.*

Vivo ego jam non ego, vivit in me Christus, ubi enim non ego, ibi felicius ego, ut quando secundum hominem reprobus ullus motus exurgit, cui non consentit, qui mente legi Dei servit, dictat etiam illud; jam non ego operor illud. Mortui enim estis & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. *Ibidem lib: de cont: cap: 13.* *Gal. 2. 20.*

Ne ipsâ quidem justitiâ hominis Deum egere credendum est, totumq; quo rectè colitur Deus, homini prodesse non Deo, non enim fonti se quisquam dixerit profuisse, si biberit, aut luci, si viderit, *T: 5. l: 10. de Civit: Dei c: 5.*

Nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum &c. Alterum sine altero parum est, utrumq; perficit illius possessionis hæredem. *T: 7: lib: 4. de bapt: con: Donat: c: 21.* *Matt. 5. 20.*

Multùm in hac vita ille profecit, qui quam longe sit à perfectione justitiæ proficiendo cognovit. Aliud est enim totam non dum assequi charitatem, aliud nullam sequi cupiditatem. Sicut etiam in his quæ adjacent sensibus corporis, potest oculus nullis tenebris delectari, quamvis non possit in fulgentissima luce defigi. *Ibidem cap: 36.*

Utrum aliquis possit vivere sine peccato. Utrum in hoc sæculo fuerit, vel sit, vel possit esse aliquis ita justè vivens, ut nullum habeat omninò peccatum, potest esse aliqua quæstio inter veros piosq; Christianos: posse tamen esse post hanc vitam, quisquis ambigit, desipit, sed ego nec de ista vita volo contendere. *Et infra.* Nullo tamen modo sine adjuvante gratia Christi salvatoris crucifixi, & dono spiritus ejus. *Ibidem lib: de natura & gratia cap: 60.*

Deus præservat à malo summo studio Justum auxilium meum à Domino qui salvos facit rectos corde. Si medicinam exhibet qua sanemur infirmi, quanto magis eam qua custodiamur sani. *Tom: 8. In psal: 7.* *Ps. 7. 11.*

Cum

Ps. 17. 27. Cum sa cto sanctus eris. Et occulta profunditas qua intelligeris cum sancto sanctus, quia tu justificas; & cum electo electus eris, & ab eo quem eligis eligeris & cum perverso perversus eris: hoc autem videtur perversum, quod confitentes peccata sua salvos facis. *Ibid: in psal:* 17. Societas juvat sanctitatem.

Cùm cœperit Deo quisq; vivere, mundum contemnere, viam Christi non deserere, non solum à paganis dicitur insanus, sed quod magis dolendum est à Christianis. *Con:* 2 *in psal:* 38

Ps. 55. 4. Ab altitudine Diei ego timebo. Forte enim illi propterea longe facti sunt à sanctis quia non potuerunt penetrare altitudinē diei, cujus sunt Apostoli duodecem horæ fulgentes Ergo qui tanquam hominem crucifixerunt, in die erraverunt. Quare autem tenebras passi sunt: ut longe fierent à sanctis: quia in alto lucebat dies, in alto latentem non cognoverant. *In ps:* 55.

Ps. 80 8. Exaudivi te in abscondito tempestatis. Probavi te in aqua contradictionis. Revera fratres revera qui exauditus est in abscondito tempestatis, debet probari in aqua contradictionis Cùm enim crediderit, cùm baptisatus fuerit, cùm viam Domini carpere cæperit, cum in hemellarium eliquari intenderit, & ab amurca publice currente se extraxerit, habebit multos exagitatores, multos insultatores, multos detractores, dehortatores, minantes etiam ubi possunt, deterrentes, deprimentes. *In psal:* 80. Solitudo probat virtutem.

Si vis securus ambulare, noli declinare in dexteram aut sinistram, & sit tibi via ille, qui tibi pro te factus est via, ut perducat te ad se per se. *Exposit: 1. partis psal:* 90. Itinerarium Christianum.

Ps. 91 13. Justus ut palma florebit, ut cedrus Libani multiplicabitur. Nunquid cum sol exierit arescit palma? Nunquid arescit cedrus? Cum autem sol cadens aliquando fuerit, arescit fænum. Veniet ergo judicium ut arescant peccatores, ut virescant fideles. *T: 8. In psal:* 91.

Sicut malis obest bonitas justorum, sic bonis prodest iniquitas impiorum. *in psal:* 93.

Ps. 95 6. Sanctitas & magnificentia in sanctificatione ejus. Tu jam quærebas magnificentiam, prius dilige sanctitatem. Cùm sanctificatus fueris, eris & magnificus Nam si præpostere prius esse volueris magnificus, ante cadis quàm surgas Non enim surgis sed extolleris. Melius surgis si te ille erigat qui non cadit. Descendit enim ad te ille qui non cadit. Tu cecideras, ille descendit porrexit tibi manum: non potes viribus tuis surgere, amplectere manum descendentis, ut erigaris à forti. *In psal:* 95: Magnifici qui sancti.

Matt. 6. 9. Sanctificetur nomen tuum. Sanctum sit apud homines nomen tuum. Sanctum est enim semper nomen tuum: sed quibusdam immundis nondum est sanctum nomen tuum. Dicit enim Apostolus: omnia munda mundis: immundis autem & infidelibus nihil est mundum. *Con: 1. de 1 parte psal:* 103. Quibus non est sanctum nomen Domini.

Si dimittis illis peccatum, dimitte, sin autem, dele me de libro tuo. Vbi demonstratum est, intercessio sanctorum quantum pro aliis valeat apud Deum. *In psal:* 105. Intercessio sanctorum.

Tanquam primâ horâ vocantur qui recentes ab utero Matris incipiunt esse Christiani, quasi tertiâ pueri, quasi sextâ juvenes, quasi nonâ, vergentes in senium, quasi undecimâ omninò decrepiti, unum tamen vitæ æternæ denarium omnes accepturi. *T: 10. serm: de verb: Dom: serm:* 59. *de operariis in vinea.* Hora humana

Proficitè fratres mei, discutite vos semper, sine dolo, sine adulatione, sine pulpatione. Non enim aliquis est intùs tecum cui erubescas, & jactes te. Est ibi, sed cui placet humilitas, ipse te

probet.

probet. Proba & te ipsum tu ipse. Semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris, sufficit, & peristi: semper adde, semper ambula, semper profice: noli in via remanere, noli retro redire, noli deviare. Remanet, qui non proficit, retrò redit, qui ad ea revolvitur unde jam abscesserat; deviat, qui apostatat. Meliùs it claudus in via, quam cursor præter viam. *T: 10. serm de verb: Apost: serm: 15.*

Superbia impedit profectum.

Depositâ ergo inquit omni malitiâ, & omni dolo, & adulatione, & invidiâ, & detractione, tanquam modo nati infantes rationabile & innocens lac concupiscite: ut in illo crescatis in salutem, si gustatis quoniam dulcis est Dominus. Proinde quia gustatis nos testes sumus: Nos vobis hanc suavitatem, nutricis officiô manifestavimus. Agite ita ad sanctæ instar admoniti infantiæ, deponite malitiam, dolum, adulationem & invidiam, & detractionem: hanc innocentiam sic tenere debetis, ut eam crescendo non amittatis. Quid est malitia, nisi nocendi amor? Quid est dolus, nisi aliud agere, & aliud simulare? Quid est adulatio, nisi fallaci laude seductio? Quid est invidia, nisi odium felicitatis alienæ? quid est detractio, nisi mordacior, quàm veracior reprehensio? Malitia malo delectatur alieno: invidentia bono cruciatur alieno. Dolus duplicat cor: Adulatio duplicat linguam: detractio vulnerat famam. Hujus autem vestræ innocentia sanctitatis, quoniam filia est charitatis, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: simplex ut columba, & sit astuta ut serpens, non studio nocendi, sed nocentem cavendi. *T: 10. 50. Homil: Homili: 20. De illo Beati Petri. Deposita ergo omni malitia, &c.*

1. Petr. 2. 1.

malitia quid? Dolus quid? Adulatio quid? Invidia quid? Detractio quid?

Jugum meum suave est, & onus meum leve. Si enim jugum Christi subditâ & humili cervice suscipimus, magis nos portat, quàm à nobis portetur. Sicut enim jugum seculi semper premit, ita jugum Christi levare consuevit. *Tom. 10. ser: de Temp: ser: 100. feria 3. post 4. Dnicam Quadrag: serm: 1.*

Matt. 11. 30.

Iugum Christi magis portat quàm portatur.

Multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo. Ambulandum est, proficiendum est, crescendum est: ut sint corda capacia earum rerum quas capere modo non possumus. Quod si nos ultimus dies proficientes invenerit ibi discemus quod hic non potuimus. *T: 9. in Evan: Ioan: Tr: 53. de c: 12.*

Io. 16. 12.

SANCTUS.

NOn enim sanctus quisquam potestate sua gaudet, sed ejus, à quo habet posse, quidquid congruenter potest. Et novit potentius esse conjungi omnipotenti pia voluntate, quàm propriâ voluntate posse, quod contremiscant, qui talia non possunt. *T: 3. lib: 8. de Trin: cap: 7.*

Non est sanctus sicut Dominus, tanquam sanctus & sanctificans & justus & justificans: non est sanctus præter te. Quia nemo fit nisi abs te. *Tom: 5. lib: 17. de Civit: Dei c: 4.*

Arguitur Moyses voce divinâ, quòd ejus fides ad aquam de Petra eliciendam aliquantulum titubaverit; quod cum peccato Petri potest esse commune, qui in mediis fluctibus simili fidei defectu dubitavit. verum absit ut credamus hinc, eum esse alienatum ab æterna societate sanctorum, qui cum Sancto Helia sicut Evangelium loquitur, meruit, clarificato in monte Domino assistere. *T: 6. lib 16. con: Faust: cap: 16.*

Moyses salvatus quia apparuit in monte Thabori

SANI-

SANITAS.

ALiud est summâ stoliditate, aliud summâ sanitate corporis nihil sentire. Nam in altero instrumenta desunt quæ adversus passiones corporis moveantur, in altero ipsæ passiones. *Tom: 1 lib: 6. Music: cap: 5.*

Ad corpus quod pertinet, medicina nominata est, ad animam disciplina. Hæc tamen disciplina in duo distribuitur, coërcitionem & instructionem, coërcitio timore, instructio amore perficitur, ejus dico cui per disciplinam subvenitur, nam qui subvenit, nihil horum duorum habet nisi amare. *Ibidem lib: 1. de moribus Eccl: Cathol: cap: 28.*

Sanitas Corporis & animæ in quo sita.

Ægrotat quisque in domo sua, anhelat febribus in lecto suo velit forte cogitare de re familiari aliquid, vel jubere in domo sua vel fundo aut disponere statim cura suorum circumstrepente & murmurante, revocatur à talibus curis, & dicitur illi. Dimitte ista, prius cogita de salute tua Si te ægrotantem languor ipse convincit prius de salute tua cogita Salus tua Christus est: Christum ergo cogita accipere calicem salutaris ejus, qui sanat omnes languores tuos. Hanc salutem si volueris obtinebis. Honores & divitias si quæsieris non continuo cum volueris habebis. Hoc & pretiosius est, & sequitur voluntatem ejus, unde & subditur qui sanat omnes languores tuos. *T: 8. In psal: 102.*

Quæ duritia est, quam nec experientia docet? Non ergo te sanabit qui talem te fecerat ut nunquam ægrotares si ejus præcepta servare voluisses? Non te sanabit qui fecit Angelos, & te refectum æquaturus est Angelis? non te sanabit factum ad imaginem suam, qui facit cælum & terrã? Sanabit te sed opus est ut sanari velis. Sanat omninò ille quemlibet languidum, sed non sanat invitum. Quid autem te beatius quam ut tanquam in manu tua vitam, sic habeas in voluntate sanitatem suam? *Enar: In psal: 102.*

Infirmitatis origo, præceptorum transgressio.

Ægrotat humanum genus, non morbis corporis, sed peccati. Jacet toto orbe terrarum ab oriente usque ad occidentem grandis ægrotus. Ad sanandum grandem ægrotum descendit omnipotens Medicus. Humiliavit se usq; ad mortalem carnem, tanquam usq; ad lectum ægrotantis. Dat salutis præcepta, contemnitur, qui audiunt, liberantur. *Et infra.* Curemur ergo fratres. Si nec dum medicum agnoscimus, non in eum tanquam phrænetici sæviamus, non ab eo tanquam lethargici avertamur. Multi enim sæviendo, multi dormiendo perierunt. *Tom: 10. serm: de verb: Domini serm: 69. De opereriis in vinea.*

Christus Medicus ad sanandum grandem ægrotum.

Non vera salus est fratres charissimi, quomodo dicunt Medici, ægrotamus quodammodo: nam ægritudo perpetua est in ista fragilitate carnis. Putatis enim tunc hominem ægrotare, quando febricitat; & sanum esse quando esurit? Sanus est, dicitur. Vis videre quantum malum est esurire? Dimitte illum sine medicamento, septem diebus, occiditur. Sed quia ponis quotidie medicamentum, vivit. Medicamentum autem famis, cibus est: medicamentum sitis potus est: medicamentum lassitudinis somnus est, medicamentum sessionis deambulatio est, medicamentum deambulationis sessio est, medicamentum fatigationis dormitio est; medicamentum dormitionis vigilatio est. Et vide quam imbecille sit corpus humanum: hoc ipsum adjutorium, quod dixi, qui assumit, si in eo perseveraverit, deficit. Esuriendo, cibi quærebas adjutorium. Ecce adest adjutorium cibi. Manducas, reficeris. Si

Ægritudo perpetua, fragilitas carnis.

plùs feceris, plùs deficis. *T: 10. Homil: Homil: 38. De illo Evangelii Diliges proximùm tuum sicut te ipsum, &c.*

Ægrotantium desideria eæ requirunt, quæ sani respuunt.

Sunt quædam ægrotantium desideria: ardent desiderio aut alicuius fontis, aut alicuius pomi: & sic ardent ut sic existiment, quia si sani fierent, frui debeant istis desideriis suis. Venit sanitas & periit cupiditas. Quod desiderabat, fastidit: quia hoc in illo febris quærebat. Et qualis est in isto sanitas in qua convalescit ægrotus? Sanitas ista qua dicimur sani, quid est? Sed tamen hinc capite exemplum. Quia cum multa sunt ægrotantium desideria, quæ ista sanitas tollit, quomodo illa tollit ista sanitas, sic omnia tollit immortalitas: quia sanitas nostra immortalis est. *Tom: 10. de diver: serm: 1. in festo Paschæ.*

Verbum caro factum miraculum.

Mirum non esse debet à Deo factum miraculum: mirum enim esset, si homo fecisset. Magis gaudere quàm mirari debemus, quia Dominus noster & Salvator JESUS Christus, homo factus est, quàm quod divina inter homines Deus fecit. Plus est enim ad salutem nostram quod factus est propter homines, quàm quod fecit inter homines: & plus est quod vitia sanavit animarum, quàm quod sanavit languores corporum moriturorum. *Tom: 9. in Evan: Ioan: Tract: 17. de cap: 5.*

A quo salus est hominis ab illo etiam salus cujuscunque pecoris.

A quo salus hominis, ab illo salus & pecoris. Non erubescas hoc sentire de Domino Deo tuo: imò præsumas, & fidas, & caveas, nè aliter sentias. Si salvum facit te, ipse salvum facit equum tuum, ipse ovem tuam: ad minima omninò veniamus, ipse gallinam tuam. Domini est salus, & ista Deus salvat. Movet te interrogas, miror quid dubitas. Dedignabitur salvare qui dignatus est creare? Domini est salus Angelorum, hominum, pecorum, Domini est salus. Sicut nemo est à seipso, ita nemo salvus est à seipso. Proinde verissimè psalmus atq; optimè ait. Homines & jumenta salvos facies Domine. Quare? sicut multiplicata est misericordia tua Deus. *Ibid: Tract: 34. de cap: 8.* *Ps. 3. 9.*

SAPIENTIA.

Omnis scientia respectu Dei ignorantia

SCientia nostra scientiæ tuæ comparata, ignorantia est. *Tom: 1. lib: 11. confess: cap: 4.*

Sapientia nihil aliud est quàm modus animi, hoc est, quo sese animus librat, ut neq; excurrat in nimium, neq; infra quam plenum potest coàrctetur. Excurrit autem in luxurias, dominationes, superbias, cæteraq; id genus, coàrctatur autem sordibus, timoribus, mærore, cupiditate, quibus homines miseros etiam miseri confitentur. *Ibid: lib: 1. de beata vita die 3.*

Vera scientia communis omnibus.

Sicut multa & diversa sunt, quæ in luce solis homines vident, ita fieri potest, ut lux ipsa sapientiæ in qua hæc videri & teneri possunt, omnibus sapientibus sit una communis. *Ibid: lib: 2. de liber: arbitr: cap: 9.*

Tantæ mihi in literis tuis, quæ in nostras manus venire potuerunt, apparent res; ut nihil studiorum meorum mallem, si possem, quàm inhærere lateri tuo. Nam neq; in me tantùm, scientiæ scripturarum divinarum est, aut jam esse poterit, quantum tibi inesse video. *T: 2. August: de Hieronym: ep: 15.*

Senes magis discere decet, quam quid doceant ignorare.

Quanquam te, multò quàm ego sum ætate majorem, tamen etiam ipse jam senex consulo, sed ad discendum quod opus est, nulla mihi ætas sera videri potest, quia etsi senes magis decet docere quàm discere, magis tamen discere, quàm quid doceant ignorare. *ibidem epist: 28.*

Scientia inflat, charitas ædificat. Sic adhibeatur scientia, tanquam machina quædam, per quam structura charitatis assurgat, quæ maneat in æternum, etiam cum scientia destruetur, quæ ad finem charitatis adhibita multum est utilis; per se autem ipsam sine tali fine non modo superflua, sed etiam perniciosa probata est. *Ibid: epist: 119 cap: 21.*

Est ergo in nobis quædam [ut ita dicam] docta ignorantia. Sed docta Spiritu Dei, quæ adjuvat infirmitatem nostram. *Ibidem. epist: 121. cap: 15.*

Docta ignorantia.

Non enim ad eum, qui ubiq; præsens est locis movemur, sed bono studio bonisq; moribus. Quod non possemus nisi ipsa sapientia tantæ etiam nostræ infirmitati congruere dignaretur, & vivendi nobis præberet exemplum, non aliter quàm in homine, quoniam & nos homines sumus. Sed quia cum ad illam venimus, sapienter facimus, ipsa cùm ad nos venit ab hominibus superbis quasi stultè fecisse putata est. Et quoniam nos cum ad illam venimus, convalescimus; ipsa cum ad nos venit, quasi infirma existimata est. Sed quid stultum est Dei, sapientiùs est hominibus. Cum ergo ipsa sit Patria, viam se quoq; nobis fecit ad Patriam, & cum sano & puro interiori oculo, ubiq; est præsens eorum, qui oculum illum infirmum immundumq; habent, oculis etiam carneis apparere dignata est. *T: 3 l: 1. de Doctr: Christ: c: 17.*

Philosophi qui vocantur, si qua fortè vera & fidei nostræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vendicanda. *Ibid: lib: 2. c: 40. & allegat spolium per Iudæos factum Ægypti.*

Ordo temporum in æterna Dei sapientia, sine tempore est. *Tom: 3. lib: 2. de Trinit c: 4.*

Ordo temporum sine tempore est.

Hoc sapiamus ut noverimus tutiorem esse affectum vera quærendi, quàm incognita pro cognitis præsumendi. Sic ergo quæramus tanquam inventuri, & sic inveniamus tanquam quæsituri; Cum enim consummaverit homo tunc incipit. De credendis nulla infidelitate dubitemus; de intelligendis nulla temeritate affirmemus, in illis authoritas tenenda, in his veritas exquirenda, *Tom: 3. lib: 9 de Trin: cap: 1.*

Credentem oportet non multa sapere.

Et hoc quidem permirabile est, nondum se nosse, & quam pulchrum sit se nosse, jam nosse? An aliquem finem optimum, id est securitatem & beatitudinem suam videt, per quandam occultam memoriam, quæ in longinqua eam pergressam non deseruit, & credit ad eundem finem, nisi se ipsam cognoverit se pervenire non posse. *Ibid: lib: 10. de Trin: cap: 3.*

Vera sapientia se nosse.

1. Cor. 12. 8. Alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, ita definitio dividenda est, ut rerum divinarum scientia, propriè sapientia nuncupetur. Humanarum autem propriè scientiæ nomen obtineat. *ibid: lib: 14. cap: 1.*

Sunt autem stulti qui dicunt: non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem & nasceretur ex fæmina, & à peccatoribus omnia illa pateretur? quibus dicimus poterat omninò; sed si aliter faceret, similiter vestræ stultitiæ displiceret. *Et infra.* Ostendebatur enim nobis, ad quam fragilitatem homo suâ culpâ pervenerit, & ex qua fragilitate divino auxilio liberaretur, *T: 3: lib: de agone Christian: c: 9.*

Christus non venisset si Adam non peccasset.

Quendam Philosophum in magna maris tempestate perturbatum, cùm esset in navi, & animadversum à quodam luxurioso adolescente: qui cùm ei post transactum periculum insultaret,

Stulti est non timere dum timendum.

quod Philosophus citò perturbatus esset, cum ipse nec timuerit, nec palluerit. Respondit: ideo illum non perturbatum, quia nequissimæ animæ suæ nihil timere deberet, quod nec digna esset, pro qua aliquid timeretur. Cæteris autem studiosis, qui erant in navi protulit Epicteti Stoici librum: ubi legebatur non ita placuisse Stoicis, nullam talem perturbationem cadere in animum sapientis sed perturbationem ab eis definiri, cùm ratio talibus motibus cederet; cùm autem non cederet, non dicendam perturbationem. *Tom*: 4. *lib*: 1 *quæst: in Gen: quæst*: 30

Si sapientia Deus est, per quem facta sunt omnia, sicut divina authoritas veritasq; monstravit, verus Philosophus est amator Dei. *Tom*: 5. *lib*: 8. *de Civit: Dei c*: 1.

Regnum virtutis. Non consentiendo [intellige sapiens passionibus) sed potius resistendo, Regnum virtutis exercet, talem describit etiam Virgilius Æneid: ubi ait: Mens immota manet lacrymæ volvuntur inanes. *Ibid: lib; 9 cap*: 4.

Iuxta vires & necessitatē procedendum. Non plùs sapere quàm opportet sapere: si enim pro viribus suis alatur infans, fiet ut crescendo plùs capiat: si autem vires suæ capacitatis excedat; deficiet antequam crescat. *Ibid: l*: 12. *c*: 15. Roma 12 3.

Nomina septē sapientum. Romulo regnante Thales Milesius fuisse perhibetur, unus è septem sapientibus, qui post Theologos Poëtas, in quibus Orpheus maximè omnium nobilitatus est, Sophi appellati sunt, quod est latinè sapientes. Regnante verò apud Hebræos Sedechia, ductus est captivus in Babiloniam populus Judæorum. Pittacus Mytyllæneus, unus è septē sapientibus fuis es: se perhibetur; Et quinque cæteros eodem tempore fuisse scribit Eusebius. Hi sunt autem, Solon Atheniensis, Chilo Lacædemonius, Periander Corynthius, Cleobolus Lindius, Bias Priæneus. Nihil autem monimentorum, quod ad literas attinet, posteris reliquerunt, nisi quod Solon quasdam leges Atheniensibus dedisse perhibetur. Thales verò Physicus fuit, & suorum dogmatum libros reliquit. *Ibidem lib*: 18. *cap*: 24. & 25

Finis incarnationis. Cum igitur & homo esset imitandus, & non in homine spes ponenda: quid potuit indulgentiùs & liberaliùs divinitùs fieri, quàm ut ipsa Dei sincera, æterna, incommutabilis sapientia, cui nos hærere oportet, suscipere hominem dignaretur? qui non modo illa faceret, quibus ad sequendum Deum invitaremur, sed etiam illa pateretur, quibus à sequendo deterrebamur. *Tom*: 6. *lib*: *de utilitate Creden*: *cap*: 15.

Sapientiæ divinæ omnis experientia adscribenda. In Dei sapientia omnium faciendarum rerum rationes esse potuerunt, non tamen factæ. Omnia enim per ipsam facta sunt, non & ipsa facta est: quia & ipsa est verbum, de quo dicitur: omnia per ipsum facta sunt. Noverat ergo Dominus omnia, quæ fecit antequam faceret. Non enim possumus eum dicere ignorata fecisse, ut ea nonnisi facta didicisse? Nescisse quid faceret, sed scisse quod fecit. Hoc enim si de aliquo artifice homine diceremus, insipientissimè saperemus. *T*: 6. *lib: ad Orosium*: *c*: 8.

Sapienter, qui cum Christo agis vel secundum ejus doctrinam. Quam magnificata sunt opera tua Domine! Quæro ubi fecerit? locum non invenio, sed video quid sequatur. Omnia in sapientia fecisti. Ergo omnia in Christo fecisti. Ille contemptus, ille expalmatus, ille consputus, ille spinis coronatus, ille crucifixus. Omnia in ipso fecisti. Audio, audio quid de illo tuo milite nunties hominibus, Christum Dei virtutem & sapientiam. Irrideant Judæi crucifixum Christum quia scandalum est eis: irrideant Pagani Crucifixum Christum, quia stultitia est eis. Nos autem, inquit, prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem Ps 103. 24.

scanda-

ſcandalum : gentibus autem ſtultitiam. *Concione 3. de 2. parte pſalm* : 103.

Qui agnoſcunt ſapientiam, lucem habent ſapientiam, qui non cognoſcunt habent tamen artificem ſapientiam cum ſint ipſi detenti inſipientia. *Et infra.* Et quia eam lucem habent, etiam artificem habent. Non quicunq; artificem habent, etiam lucem habent. *Et infra.* Nolite fieri ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus. Quod equo natura eſt, homini crimen eſt. Hoc ergo dicit Deus : Non exigo participationem ſapientiæ meæ ab eis quæ non feci ad imaginem meam, ſed ubi feci inde exigo, & uſum ejus rei poſtulo quam donavi. *T. 8. Con : 4. de 3 par : pſ.* 103.

Lux ſapientia ſoles ſapientes ſunt.

Iſ. 11: 2. Requieſcet inquit ſuper eum ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & ſpiritus timoris Domini : A ſapientia cæpit, & uſq; ad timorem deſcendit. Quomodo ille qui docebat à ſapientia deſcendit uſque ad timorem, tu qui diſcis & proficis, deſcende ad ſapientiam. Scriptum eſt enim: Initium ſapientiæ timor Domini. *in pſal* : 119.

Cuſtos ſapientiæ timor.

Pſ. 149 6. Abſorpti ſunt juxta Petram Judices eorum. Quid eſt abſorpti ſunt juxta Petram? Petra autem erat Chriſtus. Juxta id eſt comparati, judices magni, potentes docti. Ipſi dicuntur judices eorum tanquam judicantes de moribus, & ſententiam proferentes. Dixit hoc Ariſtoteles. Adjunge illum Petræ & abſcorptus eſt. Quid eſt Ariſtoteles? Audiat dixit Chriſtus : & apud inferos contremiſcit. Dixit hoc Pythagoras, dixit hoc Plato. Adjunge illos Petræ, compara authoritatem illorum authoritati Evangelicæ, compara inflatos crucifixo. Dicamus eis, vos literas veſtras conſcripſiſtis in cordibus ſuperborum, ille crucem ſuam fixit in cordibus Regum. Poſtremo mortuus eſt & reſurrexit : mortui eſtis & nolo quærere quomodo reſurgatis. Ergo abſorpti ſunt juxta Petram iſtam judices eorum. *Expoſ* : *pſal* : 140.

Sapientia mundi ſapientia Chriſti comparata.

Qui theſaurus idem & panis. Nam ſi non idem eſſet theſaurus & panis, non de ipſo theſauro alibi ſcriptum eſſet : Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis vir autem ſtultus glutit illum. *Et infra.* Breviter dixit : ſapiens ruminat, ſtultus non ruminat. Hoc autem apertè & latinè quid eſt? Sapiens cogitat ea quæ audierit, ſtultus autem audita oblivioni tradit. Neque enim propter aliud in lege munda illa dicta ſunt animalia quæ ruminant, immunda quæ non ruminant : nam creatura Dei omnis munda eſt. Artifici Deo quàm Agnus tam mundus eſt purus. Creavit enim omnia bona valde. Et omnis creatura bona eſt dicit. Apoſtolus, & omnia munda mundis Cum ergo in natura utrumque ſit mundum ſignificatione, tamen Agnus ſignificabat aliquid mundum porcus ſignificabat aliquid immundum. Agnus ſignificabat innocentiam ſapientiæ nominantis : porcus ſignificabat immunditiam ſtultitiæ obliviſcentis *Enar* : *in pſal* : 141.

Theſaurus panis. Ex pane dives probatur.

Pſ 103 24. Quemadmodum qui vidit literas, in codice optimè ſcripto, & non novit legere, laudat quidem antiquarij manum, admirans apicum pulchritudinem, ſed quid ſibi velint, quid indicent illi apices, neſcit, & eſt oculis laudator, mente non cognitor. Alius autem & laudat artificium, capit intellectum, ille utiq; qui non ſolum videre quod commune eſt omnibus poteſt, ſed etiam legere quod qui non didicit, non poteſt. Ita qui viderunt Chriſti miracula, & non intellexerunt quid ſibi vellent, & quid intelligentibus quodammodo innuerent, mirati ſunt tantum quia facta ſunt. Alij verò & facta mirati, & intellecta aſſecuti. Tales nos in ſchola Chriſti eſſe debemus. *Tom : 10. de verb : Dom : ſerm :* 1

In ſchola Chriſti, alii miracula eius mirantur, alii etiam intelligunt.

Stultitia mũdi quædã pervenit ad Deum.

Stultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi. Si ſapientiam, quantò magìs ſtultitiam? Si ſapientia mundi ſtultitia eſt, apud Deum, vera ſtultitia mundi quàm longè eſt à Deo? Eſt tamen quædam ſtultitia hujus mundi quæ pervenit ad Deum, de qua dicit Apoſtolus: Quoniam in ſapientia Dei non cognovit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. *Et infra.* Venit Dominus Chriſtus, ſapientia Dei: cælum tonat, ranæ taceant. Quid dixit veritas, verum eſt. *Ibidem ſerm: 139.* (1. Cor. 3. 19.)

Cælum ingreſſurus veterẽ hominem exuat.

Eſtote inquit aſtuti, ut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Hoc qui intellexerit, & tenuerit, ſecurus moritur. Quis autem ſecurus moritur, niſi qui ſe ſic noverit moriturum, ut mors in illo moriatur, vita coronetur? *Et infra.* Serpens enim cum fuerit ſenectute prægravatus, & ſenſerit pondus vetuſtatis, coarctat ſuper cavernam, & ponit tunicam veterem, ut novus exultet. Imitare illum Chriſtianè, qui audis Chriſtum dicentem: Intrare per anguſtam portam: & Paulus Apoſtolus tibi dicit: Exuite veterem hominem cum actibus ſuis, & induite novum. *Et infra.* Et non ut inimicum exiſtimetis: ſed corripite ut fratrem. Columba amat, & non rixatur: lupus odit & quando blanditur. *T: 10. parte 2. de diver: ſerm: 119.* (Matt. 10. 16) (Matt. 7. 13.)

Intelligebas heri modicum, intelligis hodie amplius, intelliges cras multò amplius: Lumen ipſum Dei creſcit in te, ita velut Deus creſcit qui ſemper perfectus manet. Quemadmodum ſi curarentur alicuius oculi ex priſtina cæcitate, & inciperet videre paululum lucis, & alia die plus videret, & tertia die amplius videretur illi lux creſcere: lux tamen perfecta eſt ſive ipſe videat, ſive non videat: ſic eſt & interior homo. Proficit quidem in Deo, & Deus in illo videtùr creſcere: ipſe tamen minuitur ut à gloria ſua decidat & in gloriam Dei ſurgat. *Tom: 9. In Evan: Ioan: Tract: 14. de cap: 3.*

O homo ſi ſapientiam tuam videre carnis oculis non potes, nec tali imaginatione cogitare quali corporalia cogitantur, ſapientiæ Dei audes ingerere humani corporis formam. *Ibidem Tract: 40. de cap: 8.*

Abſque te ſapere, eſt deſipere: te verò noſſe eſt perfectè ſcire. *Tom: 9. libro Meditat: cap: cap: 4.*

SCANDALUM.

Peccata malorum non officiunt iuſtis.

Objicis unitati Catholicæ neſcio quæ facta noſtrorum, quæ aut falſa ſunt, aut peccata non ſunt, aut etiam ſi vera atq; peccata ſunt, bonorum ſocietatem maculare non poſſunt. Neq; enim boni communicant peccatis alienis, quibus utiq; faciendis non conſentiunt, ſicut nec undecim Apoſtoli furtis Judæ communicabant, & tamen cum illo eidem Domino viſibiliter cohærebant, eundem Magiſtrum audiebant, ab eodem creditum Evangelium percipiebant, eadem ſacramenta ſumebant, corporali cum illo congregatione permixti ſpirituali ſimilitudine ſeparati. *Tom: 7. lib: 4. con: Creſcon: cap: 26.*

Tolerandi mali nè à Deo deſerantur.

Nulla cauſa in temporali congregatione, atq; permixtione laudabiliter tolerantur mali, niſi nè damnabiliter deſerantur boni. *Ibidem.*

In hac ſcientia perit infirmus. Et nè contemnas infirmum, addidit, propter quem Chriſtus mortuus eſt. Quem vis contemnere, pretium ipſius attende, & cum morte Chriſti totum mundum

dum appende. Et ne adhuc te putares infirmus peccare, & leve duceres peccatum, ac parvi penderes, in Christum inquit peccabis. *T: 10. serm: de verb: Dom: serm: 6 de puero Centurionis.*

Nolite dicere, faciam hoc, quia multi fideles hoc faciunt. Hoc non est defensionem parare animæ, sed comites ad gehennam inquirere. *Ibidem serm: 62.* *Exempla peccandi comites gehennæ.*

SCIENTIA.

Sunt quædam quæ nescire quàm scire sit meliùs, itemque nonnullis errare profuit aliquando, sed in via pedum non in via morum: Nam nobis ipsis accidit, ut in quodam bivio falleremur, & non iremus per eum locum ubi operiens transitum nostrum Donatistarum manus armata subsederat: profectò & ob hoc ipsum, est vita nostra misera, quâ vivimus, quod ei nonnunquam, ut non amittatur error sit necessarius. *T: 3 Enchirid: c: 17.* *Aliqua præstantiora si nesciantur.*

Jam verò nosse quantum ametur, quamq; falli nolit humana natura, vel hinc intelligi potest, quod lamentari quisq; sanâ mente mavult, quàm lætari in amentia. Quæ vis magna atq; mirabilis mortalibus præter homines animantibus nulla est. Verumtamen inest sensibus irrationalium animantium, etsi scientia nullo modo at certè quædam scientiæ similitudo. *Tom: 5. lib: 11. de Civit: Dei cap: 27.* *Inest irrationalibus aliqua scientiæ similitudo.*

Extiterunt Poëtæ qui etiam Theologi dicerentur, quoniam de Diis carmina faciebant. *Ibid: lib: 18 c: 14.*

Cujusmodi enim libet excellant ingenio, nisi Deus adsit, humi repunt, tunc autem adest, si societatis humanæ in Deum tendentibus cura sit. Quo gradu nihil firmiùs in cælum reperiri potest. *Et infra.* In hac vita quantumcunq; id sciatur, nondum esse beatissimum. Quoniam incomparabiliter longè est amplius, quod inde nescitur. *T: 6. l: de utilit: credend: c: 10. & 11.* *Excellens ingenium humi repit sine Deo.*

Psal. 138 6. Mirificata est scientia tua ex me, invaluit non potero ad illam. Cur enim adjecit ex me. Nisi ex ipso quantum incomprehensibilis est Dei scientia conijciebat, quandoquidem se ipsum comprehendere non valebat. *T: 7 lib: 4. de anima c: 8.*

Quis rectè dicat se aliquem hominem cognovisse, nisi inquantum potuit ejus vitam voluntatemq; cognoscere, quæ utiq; moles non habet vel colores? Sic enim & nos ipsos certiùs quam cæteros novimus, quia nobis conscientia nostra nota est & voluntas; quàm planè videmus, & in ea tamen aliquam corporis similitudinem non videmus. Hanc in alio quovis præsente non cernimus, etiam cujus absentis faciem novimus, recolimus, cogitamus. Nostram verò faciem eodem modo nosse, recolere, cogitare non possumus, & tamen nosmet ipsos nobis magis, quàm illum cognitum verissimè dicimus; ita clarum est, ubi sit potior hominis veriorq; notitia. *Ibidem.* *Notitia sui præ omnibus quærenda.*

Neq; te quando aliquid nescis, existimes scire, sed ut scias disce nescire. Neq enim aliquid in occultis Dei operibus ignorando, sed temerè incognita pro cognitis asseverando, & falsa pro veris proferendo ac defendendo peccatur. *Ibid: cap: 24.*

Novimus operarios iniquitatis ad hoc scrutari testimonia Domini, quia malunt docti esse quàm justi. Novimus & alios ad hoc scrutari testimonia Domini, non quod jam rectè vivant, sed ut sciant quemadmodum vivere debeant. Tales ergo nondum immaculati ambulant in lege Domini, ac per hoc nondum beati. *Con: 1. in psal: 118.*

Quo-

Quoniam in te confidit anima mea. Magna scientia ista confidenti. *Tom: 10. serm: de verb: Apl: serm: 7. de illo Apostoli, Peto non infirmari, &c.*

Melius est cum pietate nescire, quàm cum insania judicare. *Tom: 10: Homil: 11. de diver: serm: 8.*

Prævidere cogitationes hominum non est magnum Deo.

Non opus habebat quod ab eo quisq; scire vellet, per ejus interrogationem cognoscere: quia priusquam interrogaretur, interrogatoris noverat voluntatem. Sed ideo se patiebatur interrogari, ut vel eis qui tunc aderat, vel qui hæc sive dicta fuerant audituri, sive scripta lecturi, quales essent à quibus interrogaretur, ostenderet: eoq; modo nossemus, vel quibus non circumvenitur fraudibus, vel quibus apud eum perficeretur accessibus. Prævidere autem cogitationes hominum, & ideo non opus habere, ut eum quis interrogaret, magnum Deo non erat, sed magnum parvulis erat qui ei dicebant. In hoc credimus quia à Deo existi. *T: 9. in Evan: Ioan: Tract: 103. de cap: 16.*

SENECTUS.

Senectus in pœnam peccati.

STabilitas corporis, quam peccando amisimus, habebat tantam felicitatem, ut in defectum non vergeret senectutis. *Tom: 1. lib: 1. de tract: cap: 13.*

Avaritia radix omnium malorum.

Tantus est in malis sensibus plerumq; gurges aviditatis, & insatiabilis vorago ventris & gutturis, ut quanta boni senes prudentia serenantur, tanta isti vinolentia sepeliantur: quasi ad hoc in eis arida viscera, & succo exhausta curentur, ut ad vigorem pristinum reparandum ebrietatis inundatione riganda sint. Quid avaritia quæ radix est omnium malorum? Nonne in frigidis senibus tantò ad acquirendum ferventius inardescit, quantò citiùs relictura est quod acquirit, mirabilia sanè dementia? Gravioribus enim sumptibus se onerare festinant, cum jam pervenerit quo tendebat. *T: 10. ser: de Temp: ser: 246. Dnica 23. post festum Trin: ser: 2.*

SERMO

Multiloquium non est necessaria loqui.

ABsit ut multiloquium deputem, quando necessaria dicuntur, quantalibet sermonum multitudine & prolixitate dicantur. *Tom: 1. lib: 1. Retract: in Prologo.*

Qui primas non potuit habere sapientiæ, secundas partes habeat modestiæ, ut qui non valuit omnia impœnitenda dicere, saltim pœniteat, quæ cognoverit dicenda non fuisse. *Ibidem.*

Ambrosij Elogium

Veni Mediolanum ad Ambrosium Episcopum, in optimis notum Orbi terræ, studiosè audiebam disputantem in populo, & delectabar suavitate sermonis, quanquam eruditioris, minus tamen hilarescentis atq; mulcentis, quàm Fausti erat [Faustus hic erat hæreticus Manichæus) quod attinet ad dicendi modum. *Tom: 1. lib: 1. conf: ss: cap: 13.*

Sophista odibilis.

Qui sophisticè loquitur odibilis est. Quanquam etiam sermo non captiosus, sed tamen abundantiùs quàm gravitatem decet verborum ornamenta consectans sophisticus dicatur. *Tom: 3. lib: 2. de Doctr: Christ: cap: 31.*

Eloquentia quid pariat.

Qui affluit insipienti eloquentia, tantò magìs cavendus est, quantò magìs ab eo in iis, quæ audire inutile est, delectatur auditor, & eum quoniam disertè dicere audit, etiam verè dicere existimat. *Ibid: lib: 4. cap: 4.*

Qui eloquenter dicunt, suaviter, qui sapienter, salubriter audiuntur.

diuntur. Propter quod non ait scriptura multitudo eloquentium, sed multitudo sapientium, sanitas est orbis terrarum. Sicut autem sæpe sumenda sunt & amara salubria, ita semper vitanda est perniciosa dulcedo; Sed salubri suavitate, vel suavi salubritate, quid melius? Sunt ergo Ecclesiastici viri, quia divina eloquia non solùm sapienter, sed eloquenter etiam tractaverunt *Ibid: c:5.*

Hic aliquis forsitan quærit, utrum authores nostri quorum scripta divinitùs inspirata canonem nobis saluberrima authoritate fecerunt, sapientes tantummodo an eloquentes etiam nuncupandi sunt? Quæ quidem quæstio apud me ipsum, & apud eos qui mecum quod dico, sentiunt, facillimè solvitur. Nam ubi eos intelligo, non solùm nihil eis sapientiùs, verùm etiam nihil eloquentiùs mihi videri potest. Et audeo dicere, omnes qui rectè intelligunt, quod illi loquuntur simul intelligere, non eos aliter loqui debuisse. Sicut est enim quædam eloquentia, quæ magis ætatem juvenilem decet, est quæ senilem, nec jam dicenda est eloquentia, si personæ non congruat eloquentis: ita est quædam quæ viros summa authoritate dignissimos planeq; Divinos decet. *Ibid: lib: 4. cap: 6.* *Sanctorum Patrum interpretatio.* *Eloquentiæ officia*

Dixit quidam eloquens, & verum dixit, ita debere dicere eloquentem, ut doceat, ut delectet, ut flectat. Deinde addidit; docere necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriæ. Ideo autem victoriæ est flectere, quia fieri potest ut doceatur & delectetur & non assentiatur. Quid autem illa duo proderunt, si desit hoc tertium. *Ibidem cap: 12.*

Sicut cujus pulchrum corpus & deformis est animus, magis dolendus est, quam si deforme haberet & corpus: ita qui eloquenter ea quæ falsa dicunt magis miserandi sunt, quam si talia deformiter dicerent. *Ibid: lib: 4 cap: 28.* *Sermo corpus*

Qui utrumq; non potest dicat sapienter quod non dicit eloquenter, potiùs quàm dicat eloquenter, quod non dicit sapienter. Si autem nè hoc quidem potest; ita conversetur, ut non solum præmium sibi comparet, sed etiam præbeat aliis exemplum: & sit ejus quasi copia dicendi forma vivendi. *Ibid: cap: 28.* *Copia dicendi sit forma vivendi.*

Utile est nosse, ita esse præponendas verbis sententias, ut præponitur animus corpori. Ex quo fit ut ita malle debeant veriores, quàm disertiores audire sermones, sicut malle debeant prudentiores, quàm formosiores habere amicos. *Et infra.* Forensis illa fortè nonnunquam bona dictio, nunquam tamen bene dictio dici potest. *T: 4. lib: de cathechisan: rudib: c: 9.*

Verba jactare & nihil probare, quid est nisi delirare. *T: 7. lib: 2. con: liter: Petil: cap: 39.* *Verba jactare est delirare*

In collatione disputationis hoc cavendum est nè prorumpatur in litem, & caveri à modestis & mitibus, & potest & solet. *T: 7. lib: 4. con: Crescon: cap: 3.*

Illud est molestum & periculosum vel perniciosum, si cum laudatur eloquentia, persuadeatur insipientia, & in pretioso poculo bibatur pestifera potio. *T: 7. lib: 1. de anima c: 2.*

Valde sunt noxia prava diserta, quia hominibus minùs eruditis, eò quod diserta sunt, videntur & vera. *Ibid: lib: 2. c: 1.*

Deus Deorum Dominus locutus est. Locutus est multis modis per Angelos, per Prophetas, per Apostolos suos, per fideles suos, ipse loquitur. Videte itaq; loquendo multipliciter multis modis per multa vasa, per multa organa ipse tamen sonat ubique tangendo, modificando, inspirando. *Tom: 8. in psal: 49.* *Ps. 49. 1.* *Quibꝰ linguis loquatur Deus.*

Cætera dici possunt utcunq; ille solus est ineffabilis qui dixit

& facta sunt omnia. Dixit & facti sumus, sed nos eum dicere non possumus. Verbum ejus quo docti sumus filius ejus est: ut à nobis utcunq; infirmis diceretur infirmus, factus est. Iubilationem pro verbo possumus dicere, verbum pro verbo non possumus. *Iubilate ergo Deo omnis terra. Expos: psal: 99.*

Sermo senum sit gravis, & brevis. Oportet ut senilis sermo non solum sit gravis, sed etiam brevis. *T: 10. serm: de Temp: ser: 39. Dnica 1 post octavas Epiph: ser: 1.*

SIMULATIO.

Hypocryta est solo nomine Christianus. NOn qui agit partes Agamemnonis in Tragædia, v. g sive alicujus alterius ad historiam vel fabulam pertinentis, verè ipse est, sed simulat eum, & hypocrita dicitur, sic in Ecclesia vel in omni vita humana quisquis se vult videri, quod non est, hypocryta est. *Tom: 4. lib: 2. de serm: in mon: c: 2.*

SOLITUDO.

PEr opacas indiæ solitudines cum quidam nudi philosophantur, unde gymnosophistæ nominantur, adhibent tamen genitalibus tegumina, quibus per cætera membrorum carent. *Tom: 5. lib: 14 de Civit: Dei cap: 17.*

SPES.

Cadenti homini Deus mollis requies. PRoijce te in eum [Deum) noli metuere non se subtrahet, ut cadas. Proijce te, securus excipiet te & sanabit te. *Tom: 1 lib: 8 Conf: ss: cap: 11.*

Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Ostendit enim quare in tribulatione patientes, præmittendo spe gaudentes. Hoc enim Deus ipse Magister latente majestate divinitatis, & carnis infirmitate apparente, in altera qualia tolerare, in altera qualia debemus sperare monstravit. *Tom: 2. ep: 52.*

Assuesce obsecro te vir bone beatus esse interim spe, ut sis etiam re, cùm pietati perseverantissimæ retribuetur merces felicitatis æternæ. *Ibidem.*

Dulcoras tribulationes spes beatitudinis. Quantâ ergo se fiducia spes credentium consolatur, considerans quantus quanta pro nondum credentibus passus sit. *Tom: 3. lib: 1. de Doctr: Christ: cap: 14.*

Spes sine amore esse non potest, deniq; ut ait Apostolus Jacobus, & Dæmones credunt, & contremiscunt, nec tamen sperant, vel amant: sed potius quod speramus & amamus credendo venturum esse formidant. Propter quod Apostolus Paulus fidem, quæ per dilectionem operatur approbat, atq; commendat, quæ utique sine spe esse non potest. Proinde nec amor sine spe est, nec sine amore spes, neq; utrumq; sine fide. *T. 3. Enchirid: c: 8.* *Iac. 2. 19.*

Individui comites.

Persuadendum erat homini, quantum nos dilexerit Deus, & quales dilexerit. Quantùm nè desperemus, quales nè superbiremus *T: 3. lib: 4 de Trin: cap: 1.*

In hac vita spe beatus esse potest. Multi per transitoria mala ad bona permansura fortiter tenderunt, qui profecto spe beati sunt, etiam cùm sunt in transitoriis malis, per quæ ad bona non transitura perveniunt, qui verò sine ulla spe tali, sine ulla tali mercede cruciatur, quantumlibet adhibeat tolerantiam, non est beatus veraciter, sed miser fortiter. Neq; enim propterea miser non est, quia miserior esset, si & impatienter miseriam sustineret. *Ibid: lib: 13. c: 7:*

Nam

Nam si primus ambulavero postea non ero. Non arrogan-ter sperem, non infideliter desperem, hoc est non declinare dex-trâ ut sinistrâ. *Tom: 4. lib: annot: in Iob c: 23.*

Nisi gaudium spei nostræ cum tremore damnationis esset in nobis, negligens esset ipsa securitas, & superba præsumptio: neq; in psalmo nobis diceretur. Exultate cum tremore. *Ibid. fol: 415.* *Spes sit timoris socia.*

Ps. 30 2. In te Domine speravi. Dixi tu es Deus meus. Non homo quisquam, sed tu es Deus meus. Vnus deficit unus proficit. Deus meus neq; deficit neq; proficit. Nec habet quo proficiat perfectus, nec habet unde deficiat æternus. *T: 8. Con: 2. in psal: 30.* *Spes in magno debet esse, ut sit fortis.*

Vis ambulare viam Domini? Etiam in conspectu hominum spera in Deum: id est noli erubescere de spe tua. Quomodo vivit in corde tuo, sic habebit in ore tuo. Quia non sine causa Christus signum suum in fronte nobis figi voluit tanquam in sede pudoris, nè Christi opprobrio Christianus erubescat. *Tom: 8. Con: 3. In psal: 30.*

Ps 35 8. Filij autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt. Attendat charitas vestra dulcissimam sententiam. Homines & jumenta salvos facies. Jam dixit homines & jumenta: deinde autem filij hominum: quasi alij sunt homines alij autem filij hominum. Qui sunt ergo filij hominum? qui sub tegmine alarum ejus sperant. Illi autem homines cum jumentis gaudent in re, filij autem hominum gaudent in spe. Illi præsentia bona sectantur cum jumentis; isti futura bona sperant cum Angelis. Nam & quodam loco sic ait scriptura: Quid est homo quod memor est ejus. Memor es quasi absentis, filium autem hominis visitas præsentem. Et si vultis discernere ista duo genera hominum duos homines primò attendite, Adam & Christum. Audi Apostolum, sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur. Nascimur de Adam ut moriamur, resurgemus per Christum ut semper vivamus. Quando portamus imaginem terreni hominis, homines sumus: quando portamus imaginem cælestis hominis, filij hominis sumus, quia Christus filius hominis dictus est. Etenim Adam homo erat sed filius hominis non erat: ideo illi pertinent ad Adam qui desiderant carnalia bona, & salutem temporalem. *Ibid: In ps: 35.* *Non frustranea spes est. Bene est sperantiß.* *Ps. 8 5.*

2. Cor. 2. 15. Christi bonus odor sumus Deo, in omni loco iis qui salvi fient. Sed unde nisi de spe? unde nisi de recordatione sabbathi? aliud enim plangimus in hac vita, aliud præsumimus in illa vita. Quod plangitur, putet: quod præsumitur fragrat. *Tom: 8. Titulo In psal: 37.* *Futura bona considerata accēdunt animos.*

Ps. 39 5. Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias mendaces. Multi de Deo desperant pecuniam, multi de Deo sperant honores caducos & perituros, aliud quodlibet à Deo præter ipsum Deum, sed tu ipsum Deum tuum pete. Imò verò contemptis aliis perge ad illum, obliviscens alia momento illius, relinquens retro alia extendere in illum, ipse certè adversum correxit, ipse ducit rectum. Relinque omnes amores, pulchrior est ille qui fecit cælum & terram. Insania mendax, sanitas verax. Quæ vides, bona putas falleris: sanus non es nimia febre phreneticus factus es, verùm non est quod amas. *Et infra.* Quia cum eis non insanimus amisisse nos putant magnas & varias voluptates, in quibus ipsi insaniunt, nec vident quia mendaces sunt. Vide ibi similitudinem de Medico, qui videns febriatantis variadelyria, stat, inquit, anceps Medicus, non videt bonum quod promittat, timet malum pronunciare ne terreat: Modestam *Spes maxime Deus.*

ſtam tamen iſte concipit ſententiam, bonus Deus omnia poteſt, orate pro illo. *In pſal: 39.*

Quæ voluerimus habere in creatura, ea in Deo copioſiùs habebimus.

Spes noſtra Deus noſter. Qui fecit omnia melior eſt omnibus. Qui pulchra fecit pulchrior eſt omnibus: qui fortia, fortior eſt: qui magna major eſt: quidquid amaveris ille tibi erit. Diſce amare in creatura Creatorem, & in factura factorem: nè terreat te quod ab illo factum eſt, & amittas eum à quo & ipſe factus es. Ergo beatus vir cujus eſt nomen Domini ſpes ejus & non reſpexit in vanitates & inſanias mendaces. *Ibidem.*

Spera in Domino noli in te. Quid enim es in te? quid es de te? Ille ſit ſanitas in te qui ſuſcepit vulnera propter te. *In pſ: 42.*

Si ideo colis Deum quia dat tibi fundum, non eum culturus es quia tollit tibi fundum? Sed forte tu dicis. Ideò eum colam quia dabit mihi villam non tamen temporalem. Nihilominùs adhuc corruptam mentem geris: amore enim caſto non colis, adhuc mercedem expetis. Ea enim vis habere in futuro ſæculo quæ hic neceſſe eſt relinquas: mutare vis voluptatem carnalem non amputare. Noli talia ſperare tibi danda à Deo qualia hic jubet te contemnere. *T: 8. In pſal: 45.*

Sperantes in Deo, ab eo nutriuntur.

Suſceptor noſter Deus Jacob. Fac te infantem omninò quales à parentibus ſuſcipiuntur: qui enim non ſuſcipiuntur, exponuntur, qui ſuſcipiuntur nutriuntur. Putaſnè ſic te ſuſcipit Deus quomodo te infantem ſuſcepit Mater tua? Non ſic ſed in æternum. Tua enim vox eſt in iſto pſalmo. Quoniam Pater meus & Mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me. *T: 8. In pſal: 45.* Pſ 45. 8. 12.

Gratis ſervire Deo carum eſt amoris pretium ipſe Deus.

Servatur tibi quod tibi promiſſum eſt. Spes illorum præſens eſt, tua futura eſt, ſed illorum fluxa, tua certa: illorum falſa tua vera. Illi enim Deum non invocaverunt. Nonnè quotidiè tales rogant Deum? Non rogant Deum. Attendite Deus gratis ſe vult coli, gratis ſe vult diligi, hoc eſt caſte amari: non propterea ſe amari quia dat aliquid præter ſe, ſed quia dat ſe. Qui ergo invocat Deum ut dives ſit, Deum non invocat. Quid enim eſt invocare niſi vocare in ſe? Cùm dicis Deus da mihi divitias, non vis ut ipſe Deus ad te veniat, ſed vis ut divitiæ veniant ad te. Vis habere arcam plenam, & inanem conſcientiam: Deus non implet arcam ſed pectus. Quid tibi proſunt exteriores divitiæ ſi te interior premit egeſtas. *In pſal: 52.*

Tempeſtates excitans.

Jacta in Dominum curam tuam. Tanquam navi fluctuanti occurrit & dicit, ego excipio. Reſponde & tu portum quæro non ſaxum. Jacta in Dominum curam tuam & ipſe te enutriet. Pſ 54. 23. Vide quis portus te excipiet. Non dabit in æternum fluctuationem juſti. Videris fluctuari in mari iſto ſed excipit te portus. Tu tantum antequam intres in portum ab ancora noli abrumpi. Fluctuat navis in ancora, ſed non longe à terra projiciatur: nec in æternum fluctuabit etſi ad tempus fluctuat. *In pſal: 54.*

Sperantibus omnia Deus. Quod ſperat hoc habet homo.

Deduxiſti me quia factus es ſpes mea. Ille ſi noſtra ſpes factus non eſſet non nos deduceret. Deducit tanquam Dux: & in ſe ducit tanquam via: & ad ſe perducit tanquam Patria. Unde Pſ. 60. 3. factus eſt ſpes noſtra? quia tentatus eſt, quia paſſus eſt, quia reſurrexit, factus eſt ſpes noſtra. Non enim perdet nos Deus propter quos filium ſuum miſit tentari, crucifigi, mori, reſurgere. In illo vides laborem tuum, & mercedem tuam. Laborem in paſſione, mercedem in reſurrectione. Habemus enim duas vitas. Unam in qua ſumus: alteram quam ſperamus. In qua ſumus nota nobis eſt: quam ſperamus ignota nobis eſt. Tolera in qua es, & habebis

bebis quàm nodum habes. Quomodo toleras ut non vincaris à tentatore? Laboribus suis, tentationibus, passionibus, morte sua demonstravit tibi vitam Christus in qua es; resurrectione sua demonstravit tibi vitam in qua eris. Nos enim non noveramus nisi nasci hominem & mori: resurgere hominem & vivere in æternum non noveramus. Suscepit quod noveras & demonstravit quod non noveras. Ideo ergo factus est spes nostra in tribulationibus. *In psal: 60.*

Recedat spes sæculi & accedat spes Dei, ut possit dicere: Et factus est mihi Dominus in refugium. *In psal: 93.*

Mirabile mysterium Christi sedentis in dexteram Dei, Occultatum est ut crederetur: subtractum est ut speraretur. Spe enim salvi facti sumus. *Expos: psal: 109.*

Spes salvat.

Si spes tam dulcis est quanto res dulcior erit. *Expos: psal: 127.*

Ps. 41. 6. Spes mea tu es hic. Spes mea tu hic dicimus, portio autem mea non hic sed in terra viventium. Nam ista terra morientium est: hac transimus. *Tom: 8 Enar: In psal: 145.*

Spei objectum in cælo spes est hospes in terras

Modo nescis qua infirmitate humana anima quando fuerit tribulata hic desperat Domino & vult præsumere de homine. Dicatur homini in afflictione aliqua constituto. Est quidam homo
Ps. 45. 8. 12. magnus per quem possis liberari, arridet, gaudet, erigitur. Quod si dicatur illi: liberat te Deus, quasi desperatione frigescit. Promittitur auxilium mortalis & gaudes: promittitur immortalis & tristis es? Promittitur tibi quod liberet te tecum liberandus, & tanquam aliquo magno auxilio exultas: promittitur ille liberator qui liberatore non indiget, & quasi ad fabellam desperas? *Et infra.* Non enim deseret opus suum, si ab opere suo non deseratur. *Ibidem.*

Majus auxilium Dei omni homine.

Omnem curam vestram super Dominum mittite, prorsus vos ipsos totos projicite in illum. Non se subducit ut cadatis, ille qui nos creavit, & de ipsis capillis nostris securitatem nobis dedit. Amen dico vobis inquit, & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Capilli nostri numerati sunt Deo, quantò magis mores nostri, cui sic noti sunt capilli nostri? Videte quia minima nostra nec contemnit Deus. Nam si contemneret, non crearet. Nam & capillos nostros ipse utiq; creavit, & numeratos habet. *Et infra.* Amen dico vobis capillus capitis vestri non peribit. Quid times hominem, ô homo in sinu Dei positus? Tu de illius sinu noli cadere, quidquid ibi passus fueris, ad salutem valebit, non ad pernitiem. Laniatus membrorum Martyres pertule-
Ps. 14. 23. runt, & timent Christiani injurias temporum Christianorum. *Tom. 10. serm: de verb. Domini serm: 6.*

Cura Dei circa minima hominis.

Phil. 3. 13. Unum autem quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt, extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Nihil ergo tam inimicum spei, quàm retro respicere: id est in eis rebus quæ præterlabuntur & transeunt, spem ponere: sed in his quæ nondum datæ sunt, sed dandæ
Ps. 60. 3. quandoq; quæ nunquam transibunt. Quando autem scatet tentationibus mundus, velut pluvia Sodomæ sulfurea, metuendum est exemplum uxoris Loth. Retro enim respexit: & ubi respexit,
Gen. 19. 26. ibi remansit. In salem conversa est, ut prudentes condiret exemplo. *Tom: 10. eorundem serm. 29.*

Spem in transitoriis ponere, est retro respicere.

Ps. 21. 5. In te speraverunt Patres nostri, speraverunt, & liberasti eos. Et ipsi ex Ægypto fugere jubentur, terra eis lac & mel fluens promittitur. per mare rubrum transeunt, ad eremum veniunt: ducebat eos spes charitatis, ut disceret prius Deum amare gratis.

Sola spes Israelitas duxit in terram promissionis.

Redditur & his merces fidei. Non enim potest non reddere, qui se donando dignatur facere debitorem. *T: 10. ser: de Temp: ser: 46. Dnica 4. post: Oct: Epiph: serm: 1.*

Non est in spem veniæ peccandum. Ideo non propter spem veniæ perseveranter peccare debemus, neq; quia Deus justè peccata punit, veniam desperare debemus: ut neq; cum fiducia peccemus, neq; rursus peccata desperemus, sed utroq; periculo evitato & à malo declinemus, & de pietate Dei veniam speremus. *Ibid: ser: 53. Dnica in Quinq: ser: 1.*

Quid autem de Deo desperandum cui difficile nihil est? Qui sic facit magna, quomodo parva: sic suscitat mortuos, quomodo creat vivos. Si pictor eadem arte facit murem, qua elephantem, diverso opere, sed arte una, quantò magis Deus qui dixit, & facta sunt, mundavit & creata sunt? Quid difficilè facit, qui verbo facit? Qua felicitate creavit Angelos ultra cælos: ea facilitate luminaria in cælis, ea facilitate pisces in mari, ea facilitate arbores & animalia, ea facilitate magna, quâ parva. *Ibid: serm: 72. feria 6. post 1. Dnicam Quadrag: serm: 2.*

Nulli desperandum de venia. Quis desperaret sibi donanda peccata, quando crimen occisi Christi reis donabitur? Conversi sunt ex isto populo Judæorum: conversi sunt, baptisati sunt. Ad mensam Domini accesserunt, & sanguinem quem sævientes fuderunt, credentes biberunt. *Ibid serm: 74. Dnica 2. in Quadrag:*

Bonus latro discipulos superavit. Nos autem sperabamus. Sperabatis: jam non sperabitis. Hic est discipulatus vester: in cruce latro vos vicit. *Tom: 10. parte 2. serm: de diver: serm: 87. in die S. Paschæ.*

Viri fratres quid faciemus? Indicate nobis. Desperabunt enim de salute: eo quod Salvatorem occiderunt. Et ait illis Petrus: Agite pænitentiam, & baptisetur unusquisq; vestrum in Nomine Domini nostri JEsu Christi, & accipietis Spiritum Sanctum, & remittentur vobis peccata vestra. Putas omnia? Quid peccatorum remanebat, quo remissor occisus est peccatorum? Quid pejus quàm occidere Christum? Hoc deletum est. Quid igitur? Fortè inter illos fuit Stephanus. Si inter illos fuit: & pro illo valuit illa oratio. *Ibid: serm: 94.* *Act. 2. 38.*

Fac quod jussit, & spera quod promisit. *Tom: 10. serm: Nov: serm: 30. de oratione.*

Periclitantis portus est dies mortis. Propter illos qui desperatione periclitantur, proposuit indulgentiæ portum: propter illos qui spe periclitantur, & dilationibus illuduntur fecit diem mortis incertum: Quando veniat ultimus dies nescis. Ingratus es quia hodiernum habes in quo corrigaris? Sic ergo ad istam mulierem: nec ego te condemnabo: sed facta secura de præterito, cave futura: Nec ego te condemnabo. Delevi quod commisisti, observa quod præcepi, ut invenias quod promisi. *Tom: 9. In Evan: Ioan: Tract: 33. de cap: 8.* *Io: 8. 10. 11*

SPIRITUS.

Differunt spiritus Dei & spiritus hominis. QUi adhæret Domino (inquit) unus spiritus est, non dixit, qui adhæret Domino, unus est, aut unum sunt, sed addidit spiritus. Diversorum est autem naturâ spiritus hominis & spiritus Dei, ita sanè humano spiritu beatus fit Dei spiritus atq; perfectus: beatus autem spiritus hominis nonnisi cum Deo. Nec frustra ut existimo cum tanta in Evangelio secundum Joannem, & toties diceret Dominus de ipsa unitate, vel sua cum Patre vel nostra invicem nobis cum nusquam dixit, ut nos & ipsi unum, sed ut unum sint, sicut & nos unum sumus. *T: 3. l. 6. de Trin: cap: 3.* *1. Cor. 6. 17.*

In

In rebus spiritualibus, cum minor majori adhærescit, sicut creatura Creatori, illa fit major, quàm erat non ille. In iis enim quæ non mole magna sunt, hoc est majus esse, quod est melius esse. Melior autem fit spiritus alicuius creaturæ cùm adhæret Creatori, quàm si non adhæreat; & ideo etiam major, quia melior. *Ibidem cap: 8.* *Spiritus creaturæ debet adhærere Deo*

Spiritualem creaturam corporali præposuit: quod spiritualis tantummodo per tempora mutari posset, corporalis autem per tempora & loca. v. g. per tempus movetur animus, vel reminiscendo, quod oblitus erat, vel discendo quod nesciebat, vel volendo quod nolebat. Per loca autem corpus, vel à terra in cælum, vel à cælo in terram, vel ab Oriente in Occidentem. Omne autem quod movetur per locum, non potest, nisi per tempus simul moveri: at non omne quod movetur per tempus; necesse est etiam per locum moveri. Quocirca quisquis intelligere conatur, quemadmodum verè Deus æternus ipse, nec per tempus, nec per locum moveat temporaliter & locabiliter creaturam suam, non eum puto posse assequi, nisi priùs intellexerit, quemadmodũ spiritus creatus, non per locum, sed tantùm per tempus, motus, moveat corpus per tempus & locum. Si enim quod in se agitur, capere nondum potest, quantò minùs illud quod supra est? Affecta quippe anima carnalium sensuum consuetudine, etiam se ipsam cum corpore per locum moveri putat, dum id per locum movet. *Tom: 3. lib: 8. de Gen: ad lit: c: 20. & 21.* *Spiritualis creatura mutatur per tempora. Corporalis per loca & tempora.*

Cui enim non facilè occurrat, quod per locum non moveatur id est anima quæ per loci spatia non distenditur? quidquid autem per loci spatia distenditur, corpus est: ac per hoc consequens est, ut anima per locum moveri non putetur, si corpus esse non credatur. *Ibid: c: 22.*

Gal. 5. 17. Carnem concupiscentem adversus spiritum dicit Apostolus, carnalem proculdubio delectationem, quàm de carne & cum carne spiritus habet, adversus delectationem, quàm solus habet. Solus quippè habet, nisi fallor, illud desiderium non cum carnis voluptate vel carnalium rerum cupiditate commixtum; quod desiderat & deficit anima in atria Domini. *Ibid: lib: 10: c: 12.* *Prælia spiritus adversus carnem.*

Rom. 8. 13. Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quod fieri non potest sine molestia, cui patientia est necessaria. Quo pertinet & quod paulò ait. Si tamen compatimur, ut & conglorificemur. *T: 4 lib: 83 quæst: quæst: 67.* *Spiritu facta carnis mortificanda.*

1. Reg. 10. 6. Et insiluit in eum spiritus. Tantum autem distat inter prophetiam Prophetarum sicut Esaias, Jeremias, & cæteri hujusmodi fuerunt, atq; istam transitoriam quæ in Saul apparuit; quantum distat inter loquelam humanam, cum loquuntur homines, & cum eadem loquela humana propter necessarium prodigium asina locuta est, in qua sedebat Balaam Propheta; *Et infra.* Nec illud movere nos debet, quod postea scriptum est, eundem Saulem, spiritu Dei super se facto prophetâsse, quoniam post bonum spiritum malus, & rursus post malum bonus; Hoc enim fit non mutabilitate Spiritus sancti, qui est incommutabilis cum Patre & Filio, sed mutabilitate animi humani, Deo cuncta distribuente, sive malis pro meritò damnationis vel emendationis, sive bonis pro largitate gratiæ suæ. *Et longè infra.* Ex quo intelligitur fieri posse, ut quidam etiam indigni, vitâ æternâ Regnoque Cælorum, aspergantur tamen, quibusdam Spiritûs sancti muneribus non habentes charitatem, sine qua illa munera non nihil sunt, sed nihil eis prosunt. *Et infra.* In nomine tuo prophetavimus, *Mutante se homine mutatur spiritus Domini.*

mus, quibus tamen dicturus est: Non novi vos: non enim mentientes putabimus, ista dicturos in illo judicio, ubi nullus erit fallendi locus, aut ullam vocem talium legimus, dicentium. Dileximus te. Poterunt dicere. In nomine tuo Prophetavimus, cùm sint reprobi, non tamen potuerunt dicere; Dilectionem quàm mandasti tenuimus. Item concluditur. Satis monstratum est neminem de tali munere securum esse debere, tanquam sit acceptissimus Deo, si non habeat charitatem: quandoquidem illud donum & Sauli dari potuit, propter arcanum quidem alicujus sacramenti, sed tamen dari potuit reprobatio, invido & ingrato, & reddenti mala pro bonis, & nè post ipsam quidem acceptionem spiritus correcto in melius atq; mutato. *T: 4. l: 2. ad simpl: c: 1:*

Sine charitate prophetia non multum vales.

Et ea in nobis sunt meliora quæ sunt invisibilia. Melior est fides, quàm caro, melior est fides quàm aurum, & melior est fides, quàm argentum, quàm pecunia, quàm prædia, quàm familia, quàm divitiæ, & ista omnia videntur, fides non videtur. Cui ergo similiorem putabimus Deum, visibilibus, an invisibilibus? pretiosis an vilibus? De vilioribus loquar. Habes duos servos, unum deformem corpore, alium pulcherrimum, sed illum deformem fidelem, alterum infidelem. Dic mihi quem plùs diligas, & video te amare invisibilia. Quid ergo? quando plùs amas servum fidelem licet corpore deformem, quàm pulchrum infidelem: errasti, & fæda pulchris præposuisti? Vtiq; non, sed pulchriora fædis præposuisti. Contempsisti enim oculos carnis & erexisti oculos cordis, Interrogasti oculos carnis, & quid tibi renuntiaverunt? Iste pulcher est, ille fædus. Repulisti eos; eorum testimonium reprobasti: erexisti oculos cordis in servum fidelem, & non in servum pulchrum. Istum invenisti fædum carne; illum pulchrum: sed pronuntiasti, & dixisti: Quid fide pulchriùs? Quid infidelitate deformiùs? Ergo præ omnibus voluptatibus, hoc est delectationibus etiam licitis, amanda est justitia. Si enim habes sensus interiores: omnes illi interiores sensus delectantur delectatione justitiæ. Si habes oculos interiores, vide justitiæ lumen, quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. *Et infra.* Redi in te, quia modo agitur de te ipso. Certè amasti servum fidelem. Dominus tuus indignus est, si te habeat servum fidelem? & tu servo tuo fideli pro magno quid promittebas? Ut multum diligeres, summum præmium libertatis. Quid magnum promittebas, fideli servo tuo? Libertatem temporalem. Nonnè videmus multos servientes non egentes, & liberos mendicantes? En exigebas ab eo fidem, cui promittebas libertatem: nec ei servas fidem, qui tibi promittit æternitatem? *T: 10. serm: de verb: Apost: serm: 17.*

In homine meliora sunt quæ invisibilia.

Oculi cordis non errant.

Ps. 35. 10.

SPIRITUS SANCTUS.

Cum illam creaturam quàm Virgo concepit, & peperit, quamvis ad solam personam Filij pertinentem, tota Trinitas fecerit [neq; enim separabilia sunt opera Trinitatis) cur in ea facienda solus Spiritus sanctus nominatus est? Natus de Spiritu sancto. Cum Filius nullo modo sit Spiritus sancti. Neq; enim quia mundum istum fecit Deus, dici eum fas est Dei Filium, aut eum de Deo natum. Quomodo non sit Filius Spiritus sancti, & sit Filius Virginis MARIÆ, cum & de illo, & de illa sit natus explicare difficilè est. Proculdubio quippè non sic de illo ut de Patre, sic autem de illa ut de Matre natus est. Non igitur concedendum est,

Matt. 1.

est, quidquid de aliqua re nascitur, continuò ejus rei Filium nuncupandum. Ut enim omittam, aliter de homine nasci filium, aliter capillum, pediculum; quorum nihil est Filius: ut ergo hæc omittam, quoniam tantæ res deformiter comparantur; certè qui nascuntur, ex aqua & Spiritu sancto, non aquæ filios eos rite dixerit quispiam, sed planè dicuntur filij Dei Patris & Matris Ecclesiæ. Sicut non omnes qui dicuntur alicujus filij, consequens est, ut de illo etiam nati esse dicantur: sicut sunt qui adoptantur. Dicuntur etiam Filij gehennæ, non ex illa nati, sed in illam præparati. Sicut filij Regni, qui præparantur in Regnum. Cum itaque de aliquo nascuntur, aliqui, etiam non eo modo ut sit Filius, nec rursus omnis qui dicitur Filius, de illo natus est, cujus dicitur Filius. Profectò modus iste, quo natus Christus de Spiritu sancto non sicut Filius, & de MARIA Virgine sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei: quæ gratia propterea per Spiritum sanctum fuerat sanctificanda, quia ipse propriè sic est Deus, ut dicatur etiam donum Dei. *T: 3. Enchirid: c: 38.*

1. Cor. 6. 19. Nescitis quod corpora vestra Templum sunt Spiritus sancti. Quomodo ergo Deus non est, qui Templum habet? Neq; enim aliud templum ejus, & aliud Templum Dei est, cum idem dicat Apostolus: Nescitis quia Templum Dei estis? quod ut probaret, adjecit & Spiritus Dei habitat in vobis. *Ibidem.* *Corpora nostra Templum Spiritus sancti.*

Rom. 5. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Nullum est isto Dei dono excellentiùs, solum est quod dividit inter filios Regni æterni, & filios perditionis æternæ. Nec spiritus propriè dicitur donum, nisi propter dilectionem. *Ibid: c: 18.* *Spiritus Sanctus donum.*

Non enim quinq; singuli habent omnia; sed hi illa, alij alia: quamvis ipsum donum à quo cuiq; propria dividuntur, omnes habeant, id est Spiritum sanctum. *Ibid: c: 19.*

Dominus ipse JESUS Spiritum sanctum non solum dedit, ut Deus, sed etiam accepit ut homo, proprerea dictus est plenus gratiâ, & manifestiùs de illo scriptum est in actis Apostolorum. Quoniam unxit eum Deus Spiritu sancto. *Ibid: c: 26.*

Ideo cùm Spiritum sanctum genitum non dicamus, dicere tamen non audemus ingenitum, nè in hoc vocabulo vel duos Patres in illa Trinitate, vel duos qui non sunt de alio, quispiam suspicetur. *Ibid: c: 26.*

Si ergo, inquam, & de Patre, & de Filio procedit Spiritus sanctus, cur Filius dixit: de Patre procedit? Cur putas? nisi quemadmodum solet ad eum referre, & quod ipsius est, unde illud est quod ait: Mea doctrina, non est mea, sed ejus qui me misit: Si igitur hîc intelligitur ejus doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris; quantò magis illic intelligendus est, & de ipso procedere Spiritus sanctus, ubi sic agit: de Patre procedit; ut non diceret; de me non procedit. *Ibid: l: 15. de Trin: c: 27.* *Spiritus sanctus tradidit doctrinam Patris.*

Cur non dicatur natus esse, sed potiùs procedere Spiritus sanctus? quoniam si & ipse filius diceretur; amborum utique filius diceretur, quod absurdissimum est. Filius quippè nullus est duorum, nisi Patris & Matris. Absit autem ut inter Deum Patrem & Deum Filium aliquid tale suspicemur: quia nec Filius hominum simul ex Patre & Matre procedit: sed cum in Matrem procedit ex Patre; non tunc procedit ex Matre: & cum in hanc lucem procedit ex Matre, non tunc ex Patre procedit. *Ibid: c: 27.* *Matt. 1.*

Gen. 1. 2. Spiritus Dei ferebatur super aquas. Non sicut oleum aquæ, sed sicut superfertur lux ista solis aut lunæ his corporibus, quæ illuminantur in terra. Non enim continetur illis: sed cùm cælo

continceatur, iſtis ſuperfertur. *Tom : 3. lib : de Gen : ad lit : imperfect : cap : 4.*

Quid aliud reſtat, niſi ut peccatum in Spiritum ſanctum, quod neq; in hoc ſæculo, neq; in futuro dimitti Dominus dicit, nullum intelligatur, niſi perſeverantia in nequitia, & malignitate cum deſperatione indulgentiæ Dei. Hoc eſt enim gratiæ illius & paci reſiſtere. Nam hinc licet advertere etiam ipſis Judæis quorum blaſphemiam arguit Dominus, non fuiſſe clauſum corrigendi ſe & pænitendi locum, quod idem Dominus in ea ipſa reprehenſione ait illis : Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam & fructum ejus malum. *Ibidem pag : 366*

Spiritus ſanctus medicina

Spiritus ſanctus operatur intrinſecùs, ut valeat aliquid medicina, quæ adhibetur extrinſecùs. *Tom: 5. lib: 15 de Civit: Dei c: 6.*

Neſcitis quia corpora veſtra Templum in vobis eſt Spiritus ſancti. Cùm hæc audis noli negare, Deum eſſe Spiritum ſanctum, nè Templum creaturæ facias membra Creatoris. *Tom : 6. lib: 1. con : Maxim : Arrian : Epum : § ultimo.* *1, Cor. 6. 9.*

Spiritus ſanctus interpellat pro nobis

Ipſe Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus : nè credamus Spiritum ſanctum unquam eſſe ſine gemitibus poſſe, quoniam nullus dies, nulla hora, nullum momentum temporis invenitur, quo non à Sanctis orationes Deo ubiq; fundantur ; ab aliis hic, ab aliis alibi, cum tamen ab orationibus Sanctorum nullum ſit tempus immunè, quandoquidem diebus & noctibus, cum alij cibo aut potu reficiuntur, alij quodlibet agunt, alij dormiunt, non utique deſunt, quos deſiderium ſanctum orare compellat, ita ſit ut Spiritus ſanctus gemitibus inenarrabilibus interpellare ſic intelligatur, id eſt, quia gemitibus Sanctorum deſideriorum interpellare ſanctos facit, quibus affectum pium gratiæ ſpiritualis infundit ; ſed cum per ſimiles locutionum modos, quando per efficientem ſignificatur, id quod efficitur : ſicut frigus pigrum dicitur, quia pigros facit, & diem triſtem vel lætum, quia triſtes & lætos facit. *Ibid: lib: 2 cap: 9:* *Rom. 8 26.*

Qui dixit neſcitis quia corpus veſtrum, Templum in vobis Spiritûs ſancti eſt : ipſe dixit neſcitis quia corpora veſtra membra ſunt Chriſti ? itanè verò cui de lignis & lapidibus Salomon ædificavit Templum Deus eſt, & cui Templum ædificatur de membris Chriſti Deus non eſt ? *Ibidem.* *1. Cor. 6. 9.*

Ignis Spiritus ſancti cum exurit, prodeſt.

Spiritus ſanctus in donis

Sicut ignis venit Spiritus ſanctus, fænum carnis conſumpturus, aurum cocturus & purgaturus. Sicut ignis venit, & ideo ſequitur. Et non eſt qui ſe abſcondat à calore ejus. Lex Domini immaculata convertens animas: hoc eſt Spiritus ſanctus. Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis. Non ſuperbis. Hoc eſt Spiritus ſanctus. Juſtitiæ Domini rectæ non terrentes ſed lætificantes corda. Hoc eſt Spiritus ſanctus. Timor Domini. Non ſervilis, ſed caſtus. Gratis amans, non puniri timens ab eo quem tremit, ſed ſeparari ab eo quem diligit. Iſte eſt timor caſtus, non quem conſummata charitas foras mittit ; ſed permanens in ſæculum ſæculi. Hic eſt Spiritus ſanctus : id eſt hunc donat, hunc confert, hunc inſerit Spiritus ſanctus. Judicia Domini vera juſtificata in id ipſum. Non ad rixas diviſionis. ſed ad congregationem unitatis. Hoc eſt enim in id ipſum, hoc eſt Spiritus ſanctus. Ideo linguis omnium loqui fecit, in quos primo venit, quia linguas omnium gentium in unitatem ſe congregaturum eſſe nuntiavit. Quod tunc faciebat unus homo accepto Spiritu ſancto, ut unus homo linguis omnium loqueretur : hoc *Ps. 18. 10.*

modo

modo unitas ipsa facit linguis omnibus loquitur. Et modo unus homo in omnibus gentibus linguis omnibus loquitur: unus homo caput & corpus, unus homo Christus & Ecclesia, vir perfectus, ille Sponsus illa Sponsa. Sed erunt inquit duo in carne una. Judicia Dei vera sanctificata in id ipsum, prodter unitatem. Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum. Aut multum aurum, aut multum pretiosum, aut multum desiderabilia: tamen multum, hæretico parum. Non nobiscum amant id ipsum, & nobiscum confitentur Christum: Ipsum quem mecum confiteris Christum, ipsum ama mecum. Et qui id ipsum non vult, recusat, recalcitrat, respuit. Audi aliud. Et dulciora super mel & favum. Sed hoc adversum est erranti mel amarum est febrienti, dulce tamen & acceptabile sanato, quia charum est sanitati. Quam dulcia ista sint, custodiendo servus tuus probat non loquendo: quia & nunc dulcia sunt, & in posterum salubria sunt. Nam in custodiendo ea retributio multa, sed amans animositatem suam nec videt hunc splendorem hæreticus, nec sentit dulcedinem. *T:8. Expos: 2. in psal: 18.*

Unio perfecta pretiosa.

1. Cor. 6. 9.

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Jam datus est nobis Spiritus sanctus, quomodo nos fallit cujus tale pignus tenemus. *Ibid: Con: 3. In psal: 36.*

Rom. 5. 26. *Dona cælestia.*

Act. 2. Visæ sunt illis inquit linguæ divisæ velut ignis, qui & insedit super unumquemque illorum. Isto igne inflammati, cæperunt ire per mundum, & inflammare & incendere in circuitu inimicos ejus. Quos inimicos ejus? Qui deserto Deo à quo facti erant, adorabant simulacra quæ fecerant. Ipsi incendebantur si mali erant ad consumptionem, si boni erant ad reparationem: aut ipse incendebatur qui nolebat credere, illo igne, audito verbo Dei factus pejor, invidia sua exutus atq; consumptus: aut si converteretur & crederet nec sic illo nihil arsisset. Arserat enim fænum, ut purgaretur aurum. Aurum fides est, fænum carnalis concupiscentia est. Omnis caro fænum *In psal: 69.*

Deo servire debemus in fervore.

Non ideo modo non datur Spiritus sanctus quia linguis non loquuntur qui credunt. Ideo enim tunc opportebat ut linguis loquerentur ut significarent omnes linguas Christo credituras. Ubi impletum est quod significabatur, miraculum ablatum est. *T: 8. Expos: psal: 130.*

Quare Spiritus S. in linguis apparuit.

1. Cor. 6. 9.

Matt. 12. 32. Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum, id est blasphemaverit Spiritum sanctum, non remittetur ei, neq; in hoc seculo, neq; in futuro. *Et infra.* Forte in omnibus sanctis scripturis, nulla major quæstio, nulla difficilior invenitur. Unde ut vobis aliquid de me ipso fatear, semper in sermonibus quos ad populum habui, hujus quæstionis difficultatem molestiamq; vitavi. *Et infra.* Nam neq; alia causa est cum Evangelistæ eadem non eadem modo dicant, nisi ut inde discamus, res verbis, non rebus verba præponere, nihilq; aliud in loquente quærere nisi voluntatem propter quam insinuandam verba promuntur. *Et infra.* De nullo enim desperandum est quamdiu patientia Dei ad pænitentiam adducit, nec de hac vita rapit impium, qui non mortē vult impij; quantum ut revertantur & vivat. Paganus est hodie: unde scis utrum sit futurus crastino die Christianus? Judæus infidelis est hodie: quid si cras credat in Christum? Hæreticus est hodie: quid si cras sequatur Catholicam veritatem? Schismaticus est hodie: quid si cras amplectatur Catholicam pacem? Quid si isti quos in quocunq; genere erroris notas, & tanquam desperatissimos damnas, antequam finiant istam vitam, agant pænitentiam, & inveniant

Blasphemia in Spiritum sanctum.

Ps. 18. 10.

niant veram vitam in futuro? Proinde fratres etiam ad hoc vos admoneat quod ait Apostolus: Nolite ante tempus quidquam judicare. Hæc enim blasphemia spiritus, cui nunquam est illa remissio, [quam non omnem, sed quandam intelleximus eamque perseverantem duritiam cordis impænitentis, vel diximus, vel invenimus, vel etiam quantum existimamus, ostendimus) non potest in quoquam ut diximus, dum in hac adhuc vita est, deprehendi. *Et infra.* Ad quam congregationem etiamsi per malum Clericum, sed tamen Catholicum ministrum reprobum & fictum aliquis accesserit corde non ficto, in ipso Sancto Spiritu remissionem accipit peccatorum. Qui Spiritus in sancta Ecclesia, etiam isto tempore, quo velut area cum palea trituratur, sic operatur ut nullus veram confessionem aspernetur, nullius simulatione fallatur, atq; ita reprobos fugiat, ut etiam per eorum ministerium probos colligat. *Tom: 10. serm: de verb: Dom: serm:* 11

Impænitentia blasphemia in Spiritum sanctum.

Descendit sicut scriptum est Deus in Sina, in igne: sed plebem longè stantem territans, digito suo scribens in lapide, non in Corde. Hic autem quando venit Spiritus sanctus, congregati erant fideles in unum: nec in monte terruit, sed intravit in domum. De cælo quidem factus est subito sonus, quasi ferretur flatus vehemens. Sonuit, sed nullus expavit. Audisti sonum, vide & ignem: quia & in monte utrumque erat, & ignis & sonitus: sed illic etiam fumus, hic & ignis serenus. *Tom: 10. serm: de verb: Apost: serm:* 6.

Spiritus Sanctus ignis serenus.

Et alium inquit Paracletum: majestatis intellige socium, quem majestati prospicis comparatum. Et ego rogabo inquit Patrem, & alium Paracletum dabit vobis: Quàm bene sub titulo promissionis, distinctionem applicavit Trinitatis? Pater est qui indicatur rogandus: filius est qui intelligitur rogaturus: Spiritus sanctus qui promittitur à Patre mittendus. Quanta & quàm ineffabilis pietas Redemptoris? Hominem portavit ad cælum, & Deum misit ad terras. Quanta est authori cura pro instauratione facturæ suæ? Ecce iterum nova de supernis medicina mittitur: ecce iterum infirmos suos per seipsam majestas visitare dignatur. *Et infra.* Et qui ante verbis deterrebantur, nunc pænis & cruciatibus roborantur, & Christum Dominum non jam vocibus, sed moribus confitentur, ac dilectionis magnitudinem sanguinis effusione testantur. *Et infra.* Hoc musto inflammantur, & hoc præclaro poculo quotidie inebriantur etiam corda fidelium, & animæ convertentium. Quod frequenter fieri videmus, quando pro desiderio salutis suæ parentes & Patriam suam fugiunt. *Et infra.* Hoc spirituali mero celebrant Martyres, quādo abjicientes, & post se jactantes omnia seculi blandimenta, ibant ad passiones, obliviscentes facultates & affectiones, patrimonia ac matrimonia sua, & vincentes armatam contra se parvulorum pignorum fletibus pietatem, vociferantes quidem parentes, pulverem mittentes in capita sua, & matres facies suas avulsis crinibus dilacerantes. *Ibid. serm: 185. feria 2. Pentecostes serm:* 1.

Distinctio personarum in Sanctissima Trinitate

Io. 14. 16.

Mundo renunciantes à Spiritu Sancto inflammantur.

Si vultis habere Spiritum sanctum, intendite fratres mei: Spiritus noster quo vivit omnis homo, omnia vocatur: Spiritus noster quo vivit singulus quisque homo, anima vocatur: & videtis quid faciat anima in corpore. Omnia membra vegetat, per oculos videt, per aures audit, per nares affluit, per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat: omnibus simul adest membris, ut vivant: vitam dat omnibus, officia singulis. Non audit oculus, non videt auris, nec videt lingua, nec loqui-

Spiritus Sanctus anima est hominis.

Act. 19. 2.

tur

tur auris & oculus: sed tamen vivit: vivit auris, vivit lingua: officia diversa sunt, vita communis. Sic est Ecclesia Dei, & in aliis Sanctis facit miracula, in aliis sanctis loquitur veritatem, in aliis sanctis custodit virginitatem: in aliis sanctis custodit pudicitiam conjugalem, in aliis hoc, in aliis illud: singuli propria operantur, sed pariter vivunt. Quod autem est anima corpori hominis, hoc est Spiritus sanctus corpori Christi, quod est Ecclesia: hoc agit Spiritus sanctus in tota Ecclesia, quod agit anima in omnibus membris unius corporis. *Et infra.* Si ergo vultis vivere de Spiritu sancto, tenete charitatem, amate veritatem, desiderate unitatem, ut perveniatis ad æternitatem. *Ibid: serm: 2.*

Sicut post diluvium impietas superba hominum turrim contra Dominum ædificavit excelsam, quando per linguas diversas dividi meruit genus humanum, ut unaquæque gens lingua propria loqueretur, nè ab aliis intelligeretur, sic humilis fidelium pietas, earum linguarum diversitate Ecclesiæ contulit unitatem, ut quod discordia dissipaverat, colligeret charitas. *Ibid: serm: 187. Feria 3. Pentecostes.* *Lingua divi-dit, lingua unit.*

Io. 20. 23. Accipite Spiritum sanctum. Quid enim aliud significavit illa insufflatio nisi quod procedat Spiritus sanctus & de ipso. *Et infra.* Si ergo & de Patre & Filio procedit Spiritus sanctus: cur filius dixit de Patre procedit? Cur putas nisi quemadmodum ad eum solet referre & quod ipsius, est, de quo & ipse est? Unde illud est quod ait: mea doctrina, non est mea, sed ejus qui misit me. Si igitur intelligitur hic ejus doctrina, quam tum dixit non suam sed Patris, quantò magis illic intelligendus est & de ipso procedere Spiritus sanctus ubi sic ait, de Patre procedit, ut non diceret, de me non procedit. A quo autem habet Filius ut sit Deus, est enim de Deo Deus, ab illo habet utiq; ut etiam de illo procedat Spiritus sanctus: ac per hoc Spiritus sanctus ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre. Hic utcunq; etiam illud intelligitur, quantum à talibus quales nos sumus intelligi potest, cur non dicatur natus esse sed potius procedere Spiritus sanctus. Quoniam si & ipse Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur, quod absurdissimum est: Filius quippè nullus est duorum nisi Patris & Matris. Absit autem ut inter Deum Patrem, & Deum Filium tale aliquid suspicemur. Quia nec Filius hominum simul & ex Patre, & ex Matre procedit, sed cum in Matre procedit ex Patre non tunc procedit & ex Matre: & cum in hanc lucem procedit ex Matre, non tum procedit ex Patre. Spiritus autem sanctus non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de utroque procedit: quamvis hoc Filio Pater dederit, ut quemadmodum de se, ita de illo procedat. Neq; enim possumus dicere, quod non sit vita Spiritus sancti: cum vita sit Pater, vita sit Filius. Ac per hoc sicut Pater cum habeat vitam in semetipso, dedit & Filio habere vitam in semetipso: Sic dedit vitam procedere de illo, sicut procedit & de ipso. *Tom: 9. In Evan: Ioan: Tract: 99. de cap: 16.* *Spiritus sancti processio.* *Io. 7. 16.* *Io 14. 16.*

Act. 19 2. Spiritus est Patris & Filij tanquam charitas substantialis, & consubstantialis amborum. *Ibid: Tract: 105. de cap: 17.*

Spiritus sanctus pariter æternus, pariter Deus, spiritus unus duorum, & substantia voluntatis amborum. *Ibid: Tract: 111 de c: 17* *Spiritus sanctus tam Patri quam Filio par in Divinitate.*

Hoc cum dixisset insufflavit, & dixit eis. Accipite Spiritum sanctum, insufflando significavit Spiritum sanctum non Patris solius esse spiritum, sed & suum. *Ibid: Tract: 121. de c: 20.*

Anania inquit cur implevit sathanas cor tuum, mentiri te apud Spiritum sanctum? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Ecce & Spiritus sanctus Deus. *T. 9. l: de Temp: barbarico Tr: 5. c: 3*

Veni mundator scelerum, curator vulnerum. Veni fortitudo fragilium, revelator labentium: veni humilium doctor, superborum destructor. Veni orphanorum pius Pater, viduarum dulcis judex. Veni spes pauperum refocillator deficientium. Veni navigantium sidus, naufragij portus. Veni omnium viventium singulare decus, morientium unica salus. Veni Sanctissime Spiritus, veni & miserere mei. *Tom: 9. lib: meditat: cap: 9.*

S. STEPHANUS.

Amor inimicorum bonæ mortis pignus.

STephanum servum ejus cum lapidaverunt, attende. Primum ait tanquam servus ad Dominum, Domine JEsu accipe spiritum meum: & post hæc genu flexo ait: Domine nè statuas illis hoc peccatum: & cum hoc dixisset obdormivit requie dilectionis. Pacem pinguissimam invenit, quia pacem inimicis optavit. Nunquid & ipse tunc pro rogantibus rogavit, & non pro sævientibus, pro lapidantibus, & interficientibus? Habes exemplum, disce, vide, quomodo pro se stans oravit, & pro illis genu flexit: putamus fratres quia plus eos diligit quàm seipsum? Pro se verò stans tanquam justus, facilè exaudiebatur. Nam pro iniquis genu figendum erat. Ostendit ergo dilectionem usq; ad inimicos veniam rogantes. *Tom: 10. serm. de Temp: serm: 170. Dnica in Rogationibus serm: 2.* *Act. 7. 59.*

Mors inimicos diligentis somnus pacis est.

Oravit Christus pro suis crucifixoribus, oravit & Stephanus pro suis lapidatoribus. Dominus JEsus Christus oravit affixus ligno, Stephanus genu flexo. Qui stando suum spiritum commendavit Domino, pro illorum delicto fixo genu oravit. *Et infra.* Nè statuas illis hoc peccatum, & hoc dicto obdormivit. O somnum pacis; Quid illo somno tranquillius? Quid illo somno quietius? Qualis ibat ad amicos, qui sic diligebat inimicos? Nam ut noverit sanctitas vestra quantum valuerit oratio S. Stephani Martyris, recurrite nobiscum ad illum adolescentem persecutorem, nomine Saulum, sicut ex libro, dum legeretur audivimus, qui cum Stephanus lapidaretur, & ab ipso omnium lapidantium vestimenta servarentur, ut tanquam in manibus omnium ipse lapidare videretur, qui ad lapidandum omnes exertos reddebat. *T: 10. serm: de SS. serm: 1. In festo S. Stephani serm: 1.*

Confitenti se, Christus in morte apparet.

Ecce inquit video cælos apertos, & Filium hominis stantem ad dexteram Dei: Vidit Christum, confitens Christum, moriturus pro Christo, perrecturus ad Christum. Dominus in cruce pendens pro inimicis suis sic ait: Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Stephanus sub lapidibus genu flexo ait: Domine nè statuas illis hoc peccatum. Secutus est vestigia pastoris sui, tanquam bona ovis. Bonus agnus secutus est agnum, cujus sanguis tollit peccatum mundi. *Ibid: serm: 3. in eodem festo serm: 3.* *Act. 7.*

Pro sceleratis difficilius exauditur oratio.

Genu fixit. Tanta humilitate Stephani, magnus reatus est sublatus illius populi. Pro se stans rogavit, pro illis genu fixit. Illos sibi præposuit? Absit, non est credendum. Diligebat inimicos: sed de proximo dictum est. Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Quare ergo genu fixit? Quia sciebat se pro sceleratis orare: & quanto erant illi maligniores, tantò se difficilius sciebat exaudiri. Dominus in cruce pendens, Pater inquit ignosce illis: Stephanus sub lapidibus genu fixo, Domine nè statuas illis hoc deli- *Act. 7.*

ctum

ctum. Secutus est vestigia pastoris sui tanquam bona ovis: bonus agnus, secutus est agnum, cujus sanguis tulit peccatum mundi. *Ibidem.*

Exiguus pulvis [loquitur de Reliquiis S. Stephani (tantum populum congregavit: cinis latet, beneficia patent. *T: 10 parte 2. serm: de diver: serm: 92.* *Reliquiæ sanctorum beneficia.*

Matt. 5. 44 Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos. Audisti opus, expecta mercedem. Et vide quid addat: Ut sitis inquit filij Patris vestri qui in cælis est: qui facit oriri solem suum super bonos & malos: & pluit super justos & injustos. Hoc videmus, hoc negare non possumus. Nunquid dictum est nubibus, pluite super agros cultorum meorum: & recedite ab agris blasphematorum meorum? Nunquid dictum est soli, videant te, qui me colunt, non te videant qui mihi maledicunt? Beneficia de cælo; beneficia de terra: scatent fontes, agri pinguescunt, arbores fructibus onerantur. Habent ista boni, habent & mali: habent grati, habent ingrati. Qui præstat tanta bonis & malis, putamus nihil servat bonis? Hoc dat bonis & malis, quod dedit & lapidatoribus Stephani: Hoc verò servat bonis, quod dedit Stephano. *Et infra.* Petrus lapidabatur qui pro Petra moriebatur, dicente Apostolo, Petra autem erat Christus. Et cum tanta esset in docendo constantia: videte qualis extiterit in morte patientia. Hi enim ictibus lapidum corpus ipsius quatiebant: & ille pro eis orabat: contundebatur homo exterior, & supplicabat interior. *Ibidem.* *Communia beneficia malis & bonis.*

Act. 7. 59. Act. 7 Domine Jesu accipe spiritum meum. Tibi vixi, tibi morior. Domine Jesu accipe spiritum meum. Quia adjuvisti, vicit quem suscipis. Accipe spiritum meum, de manu eorum qui oderunt tuum. *Et infra.* Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Sedebat in Cathedra crucis, & docebat Stephanum regulam pietatis. O Magister bone, bene pronuntiasti, bene docuisti. Ecce discipulus tuus orat pro inimicis suis, orat pro lapidatoribus suis. Ostendit quomodo te debuerit imitari, sublimem humilis, Creatorem creatura, mediatorem victima, Deum & hominem homo; sed tamen in cruce hominem Deum Christum; sed in cruce hominem, quando dicebat clara voce, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Dicit sibi ille: Ille oravit pro inimicis suis quia Christus, quia Deus, quia unicus: Ego quis sum, qui hoc faciam? Si multum est ad te Dominus tuus, nescis quia Stephanus est conservus tuus? Docuit Deus per Stephanum non exinanitum. *T: 10. eorund: serm: 93. Tract: de S. Stephano.* *In cruce Christus Magister.*

Act. 7 *Et infra.* Aperti sunt cæli vidit Martyr Martyrum caput: vidit Jesum stantem ad dexteram Patris: vidit ut non taceret. Non illi videbant, sed invidebant: & ideo non videbant, quia invidebant. *Ibid: serm: 94. In Natali S. Stephani.* *Invidia excæcat.*

Act. Beatus Stephanus orabat pro peccatis eorum; & illi pietatem nullam in eum ponebant. Quid agis Saule, quid Martyr in Martyrem sævis? Quia & tu lapidaberis manibus alienis, Judæi lapidabant, & Saulus servabat vestes eorum. Beatus Stephanus Deum exorabat pro iniquitatibus eorum: qui à Domino Christo tale accepit vocabulum, unde corona Martyrij depingat triumphum. Sic enim per linguam græcam nomen accepit corona, quod latinè interpretatur vita perpetua. *Ibid: serm: 96.* *Martyrium in nomine præsignatum.*

O magnum miraculum! Cæli januæ aperiuntur: & Judæi mentes impias concluserunt: sed Sanctus Stephanus non tacuit, non defecit, nec blasphemantibus cessit. *Et infra.* Cædite, cædite

lapidibus

lapidibus confitentem; habeo meum ad dexteram adjutorem. Vos cæditis caput meum, ego illi commendo spiritum meum. Domine, inquit, JESU suscipe spiritum meum. Isti maledicunt, tu benedicis; isti persequuntur, tu suscipe persecutum. Non sine causa JEsu meus, Domine meus pro me ad dexteram Patris dignaris astare: quem novi & credo ad dexteram Patris sedere. Pro me est quod stare dignaris, qui stando non deficis, qui tuos adjuvando non deseris. Tu me Domine meus misisti in medio inimicorum, me dignatus es facere primum Martyrem, post tuam ascensionem. Si vis ut non deficiam à te, adjuva me. *Et infra.* Quid dicis JEsu meus Domine meus, petendo pro me apud Patrem? Pater, ecce hic est primus pedissequus: Novam pro me mundi intravit palæstram, dona misericordiam, perveniat ad victoriam. Sentiat ovis mea se adjuvantem, nè me inter lupos existimet traditorem, ecce inquit, video stantem, præsumo pro me postulantem. *T: 10. eorund: serm: 99: de eodem.*

Christus patientibus adest adjutor.

Christus perseverantiam Sanctis Martyribus apud Patrem impetrat.

Nos in isto loco non aram fecimus Stephano, sed de Reliquiis Stephani aram Deo. Grata sunt Deo hujusmodi altaria. Quæris quare? Quia pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Redempti sunt sanguine qui sanguinem pro Redemptore fuderunt ut Evangelium ejus diffamaretur. Reddiderunt vicem sed non de suo. Ut enim hoc possent, ille donavit: & ut fieret quod ab ipsis fieri potuit, ille donavit. Exhibendo dignationem, dedit occasionem. *Tom: 10. serm: nov: serm: 25. de Inventione Sancti Stephani.*

Reliquiæ Sanctorum ara Deo.

STULTITIA.

O Dementiam nescientem homines diligere humaniter, ô stultum hominem immoderatè humana patientem. *Tom: 1. lib: 4. Conf: cap: 7.*

Est ergo animi egestas, nihil aliud, quàm stultitia, hæc est enim contraria sapientiæ, & ita contraria, ut mors vitæ, ut beata vita miseriæ, hoc est sine aliquo medio. Nam ut omnis homo non beatus miser est, omnisq; homo non mortuus vivit, sic omnem non stultum manifestum est esse sapientem. *Tom: 1. lib: de vita beata die 3.*

Animi egestas est stultitia.

Si omnis qui caret sapientiâ, magnam patitur egestatem, omnisque compos sapientiæ nihilo eget, sequitur ut stultitia sit egestas. *Ibidem.*

Donec ad sapientiam perfectionemque veniatur, eo animo stultitiam ferat proximi, quo suam ferret, si stultus esset, ut amaret sapientiam. *Ibid: lib: de ver: Relig: c: 48.*

Ferenda stultitia proximi.

Tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem, non audeant vituperare, quæ ignorant, sed cum ea viderint, credunt ea esse necessaria, & propter usus aliquos instituta: in hoc autem mundo cujus Conditor & Administrator prædicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum causas non vident: Ego fateor me nescire, mures & ranæ quare creatæ sunt, aut muscæ & vermiculi, video tamen omnia in suo genere pulchra esse quamvis propter peccata nostra multa videantur nobis adversa. *Tom: 1. lib: 1 de Gen: con: Manichæos c: 16.*

Nescit Augustinus cur mures & ranæ creatæ.

Animalia propter peccata nostra nobis infensa.

Quædam acutissima & excellentissima ingenia, tantò in majores errores ierunt, quantò præfidentiùs tanquam suis viribus cucurrerunt, nec suppliciter ac veraciter Deum, ut sibi viam ostenderet petiverunt. *Tom: 2. epist: 52.*

Acutiora ingenia majora deliria.

Turpè

Turpe est mutare sententiam, sed veram ac rectam. Nam stultam & noxiam, & laudabile est & salubre. Sicut autem constantia non sinit hominem depravari, sic pertinacia non sinit corrigi. Proinde sicut illa laudanda, sic ista emendanda. *Ibid: ep: 210.*

Sed quid faciunt homines, qui cum res stultas interpretantur, non inveniunt, quid sapienter dicant; Ita ista quæ à veritate non inveniunt, plerumq; & nullo impellente se ipsa subvertunt. *T. 5. lib: 7. de Civit: Dei cap: 19.*

Verecundia in rebus manifestis, vel etiam ipsa impudentia obmutescere potest, insania non potest. *T: 7 l: 4. con: Crescon: c: 41.* *Verecundiæ et insaniæ indoles.*

Si operarius tuus diceret. Et vasto istam vineam & exigo à te mercedem. Adduxisti me in vineam ut falcitem illam & putem, concidam omnia ligna utilia, præcidam ipsa robora vitium, ut non hic habeas quod colligas: Et cum fecero ista redditurus es mihi laborem meum. Nonne insanum illum diceres? nonnè illum de domo tua repelleres, antequam mitteret manum ad falcem? Tales sunt homines qui te facere volunt mala, & jurare mendacium & blasphemare contra Deum, & murmurare & fraudem facere, & inebriari & litigare: & adulterari & ligaturas adhibere, & ire ad sacrilegos, & dies bonos videre. Dicitur illi. Non potes male faciens quærere bonam mercedem. Si tu injustus es injustus erit & Deus? Ergo quid faciam? Quid vis? vitam volo dies bonos volo. Contine linguam tuam à malo. & labia tua nè loquantur dolum. Id est nulli fraudem facias nulli mendacium. Declina à malo & fac bonum. *T: 8. Expos: psal: 33* *Peccator similis operario.*

Qui sibi placet, stulto homini placet: quia ille ipse stultus est cum sibi placet solus Solus securus placet qui Deo placet. Et quis est qui placet Deo? Cui placuerit Deus. Displicere sibi Deus non potest. Placeat & tibi ut placeas illi. Sed tibi ille placere non poterit, nisi tu tibi displicueris. *Enar: In psal: 122.*

Ps. 52. 1. Pauci inveniuntur tantæ impietatis, ut impleatur in eis quod scriptum est, Dixit stultus in corde suo, Non est Deus Insania ista paucorum est. Sicut enim magna pietas paucorum est: ita & magna impietas nihilominus paucorum est. *Tom: 10 serm: de verb: Dom: serm: 10.* *Ut magna pietas, ita magna impietas paucorum.*

SUPERBIA.

ADhuc mihi videbatur non esse nos qui peccamus, sed nescio, quam aliam in nobis peccare naturam, & delectabat superbiam meam extra culpam esse. *T: 1. l: 5 confess: c: 10.* *Aliqui superbiunt dum peccant.*

Quid enim tam opus habens misericordiâ, quam miser? & quid tam indignum misericordiâ, quàm superbus miser. Quo uno vitio, misericordiæ medicina respuitur. *T: 1 l: 3. de lib: arb: c: 10.*

Superbiæ autem Diaboli, accessit malevolentissima invidia, ut hanc superbiam homini persuaderet, per quam sentiebat se esse damnatum. Unde factum est, ut pæna hominem exciperet emendatoria, non interfectoria, ut cui se Diabolus ad imitationem superbiæ præbuerat, ei se Deus ad imitationem humilitatis præberet. *Ibid: cap: 25.* *Incidia comes superbiæ.*

Quid est aliud superbia, nisi deserto secreto conscientiæ, foris velle videri, quod non est. *T: 1. lib: 2. de Gen: con: Man: c: 5.*

Alia quæcunq; iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant. Superbia verò etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant. Et quid prodest dispergere dando pauperibus & pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur, divitias contemnendo quàm fuerat possidendo. *Tom: 1. in Regula.* *Superbia bonis operibus insidiatur.*

Vitia cætera in peccatis, superbia etiam in rectefactis timenda est, nè illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. *Tom: 2. epist: 56.*

Fit miris modis in anima hominis, ut falsa humilitate magìs infletur, quàm si apertius superbiret. *Ibid: epist: 59.*

Duo sunt quæ in errore hominum difficillimè tolerantur: præsumptio priusquam veritas pateat: & cum jam patuerit; præsumptæ defensio falsitatis. *T: 3 lib: 2. de Trin: in proœmio.*

Superbia habet confusionis deformitatem, & non habet confessionis humilitatem. *T:3. lib: 11. de Gen ad lit: c:35.*

Superbus quod intendit non assequitur & id perdit quod possidet.

Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis: Verba sunt hæc Dei, non tam hujus insultantis, quàm cæteros nè ita superbiant deterrentis, propter quos ista conscripta sunt. Quid aliud intelligendum, nisi exemplum timoris incutiendi esse propositum: quod non solùm non fuerit factus, quod esse voluit; sed sed nec illud quod factus fuerat conservavit. *Tom: 3. lib: 11. de Gen: ad lit: cap: 39.* *Gen 2. 22.*

Quid iniquiùs quam velle sibi obtemperari à minoribus & nolle obtemperare majoribus. *T: 3. l: de oper: Manach: c:30.*

Quis feret arrogantiam nostram, cum viros fratres nostros, vel etiam quod majore solicitudine curandum est, ut sint Fratres nostri, coram nobis sedere non facimus: & ipsum Dominum nostrum, cui assistunt Angeli, sedens mulier audiebat? *Tom: 4. lib: de Cathechisan: rudib: c: 13.*

Scio quibus viribus opus sit, ut persuadeatur superbis, quanta sit virtus humilitatis, quâ fit ut omnia terrena cacumina, temporali mobilitate nutantia, non humano usurpata fastu, sed divina gratia donata celsitudo transcedat. *T: 1. l: 1. de Civit: Dei c: 1.*

Dejecisti eos dum extollerentur. Non enim ait cùm elati fuissent, ut prius extollerentur, & postea dejicerentur: sed cum extollerentur tunc dejecti sunt. Ipsum quippe extolli jam dejici est. *Ps. 72. 18.* *Et infra.* Plus autem homo appetendo, minus est: Quia dum sibi sufficere delegit ab illo qui ei vivere sufficit, deficit. *Ibidem lib: 14. cap: 13.*

Salubre est superbis in aliquod peccatū manifestum incidere.

Audeo dicere superbis esse utile, cadere in aliquod apertum manifestumq; peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit: quam sibi placuit, quando præscripsit, hoc dicit & sacer psalmus: Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine, id est ut eis placeas quærentibus nomen tuum, qui sibi placuerunt quærendo suum. *Ibidem.*

Inobedientiæ pœna.

Quid noceret Deo, quantacunq; vel spiritualis vel corporalis elatio: tutam veramq; in cælum viam molitur humilitas. *Et infra.* Quoniam Dominatio imperantis in lingua est, ibi damnata est superbia [loquitur de ædifican: turrim post diluvium) ut non intelligeretur jubens homini, qui noluit intelligere ut obediret Deo jubenti *Ibid: lib: 16. c: 4.*

Superbia Mater hæreticorū

Superbia Mater hæreticorum omnium. *Tom: 6. lib: con Epam: fund: cap: 6.*

Decepti hominis causa exaltatio cordis.

Nullo modo homo deciperetur, si non in se exaltato corde recessisset à Deo. Vera quippe quoniam divina est illa sententia ante ruinam exaltatur cor. Et ubi contra Deum exaltatur, ibi ab illo deseritur, & in se tenebratur. Quid autem mirum, si dum tenebratur, nescit quid sequatur, quoniam à se ipso lumen est, sed ab illo illuminatur. Quod ergo Deus semper invictus sit, etiam homo victus ostendit, quia victus non fuisset, si ab invicto non recessisset. *T: 6. l: con: Adversʃ: legis & Prophetarum c: 15.* Com-

Comprimatur ſuperbia, quam ſic odit Deus, ut contra hanc unam ſe tantùm humiliaret Altiſſimus. *Tom: 6. lib: de Sancta Virginitate cap*: 40.

Simulatio ſuperbia.

Et infra. Simulatio humilitatis major ſuperbia eſt. *Ibid: c: 43.*

Superbia in ſolis recte factis nidificat.

Cætera vitia tantùm in malefactis valent, ſola autem ſuperbia, etiam in rectefactis cavenda eſt. *Et infra* Deſerit aliquantùm Deus, ut ſcias non tuum ſed ejus noſſe, & diſcas ſuperbus non eſſe. *T: 7. lib: de nat: & grat. c: 27. & 28.*

Quanquam ipſum Satanam elatio prima dejecerit; tamen ſummus ille medicus, qui bene uti novit etiam malis, de Angelo Satanæ adhibuit contra elationis vitium ſalubre, quamvis moleſtum medicamentum, ſicut fieri conſuevit antidotum, etiam de ſerpentibus contra venena ſerpentûm. *Ibid: l: 3. ad Bonif: c: 7.*

Pſ. 18 15. Eccl 10.

Superbia princeps peccatorum.

Et mundabor à delicto magno, quo alio niſi ſuperbia? Non enim eſt majus delictum, quàm apoſtatare à Deo, quod eſt initium ſuperbiæ hominis. Et vere ille immaculatus eſt, qui etiam hoc delicto caret: quia hoc eſt ultimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit. *T: 8. Expoſ: 1. In pſal*: 18.

Pſ. 18 15.

Superbia tam magna eſt ut cælo includeris caput.

Et mundabor à delicto magno. Quæritis quàm magnum ſit hoc delictum quod dejecit Angelum, quod ex Angelo fecit diabolum, eiq; in æternum incluſit regnum cælorum? Magnum hoc delictum eſt & caput atq; cauſa omnium delictorum. Scriptum eſt enim initium peccati omnis ſuperbia. Huic vitio in his perſonis quas videtis amplas, diſplicet humilitas Chriſtiana. Propter hoc vitium dedignantur colla ſubdere jugo Chriſti, obligati arctius jugo peccati Nolendo ſervire nihil aliud agunt, quam ut bono Domino non ſerviant, non ut omnino non ſerviant: quia qui noluerit ſervire charitati, neceſſe eſt ut ſerviat iniquitati. Ab hoc vitio quod eſt caput omnium vitiorum facta eſt apoſtaſia à Deo eunte anima in tenebras, & male utente libero arbitrio Propter hoc magnum ſuperbiæ peccatum Deus humilis venit. Hæc cauſa, hoc peccatum magnum, iſte ingens morbus animarum omnipotentem Medicum de cælo deduxit, uſque ad formam ſervi humiliavit, contumeliis egit, ligno ſuſpendit: ut per ſalutem tantæ medicinæ curetur hic tumor. Jam tandem erubeſcat homo eſſe ſuperbus propter quem factus eſt humilis Deus. *Expoſ: 2. in pſal: 18.*

Pſ. 72. 18.

Pſ. 30 24.

Præmia ſervũ certum Deo.

Retribuet his qui abundanter faciunt miſericordiam. Jam dicturus es quando retribuet? Quando vult Quia retribuet certus ſis. De retributione non dubites, de tempore non audeas Deo donare conſilium. Aliquando & hic retribuet, & vidimus, & didicimus quia retribuit. *Et poſt multa præclara ſic ait.*

Quis finis ſuperbiæ manet.

Aufertur quod nitebat foris, nihil remanet intus, niſi fumus malæ conſcientiæ. Unde ſe conſolentur non habent, non habent quo foras exeunt, non habent quo intro redeant. Deſerti pompa ſæculari inanes gratia ſpirituali vere humiliantur. Et multis facit Deus iſta in iſto tempore ſed non in omnibus. Si enim nemini faceret quaſi non videretur vigilare divina providentia, ſi omnibus faceret non ſervaretur divina patientia. *Con: 3. In pſal: 30.*

Pſ. 36 20.

Elatio animi ipſa ſibi hoſtis.

Inimici autem Domini ſtatim ut gloriabuntur & exaltabuntur deficientes ſicut fumus deficiens. Ex ipſa ſimilitudine rem quam inſinuabat cognoſcit. Fumus à loco ignis erumpens in altum extollitur, & ipſa elatione in globum magnum erumpens intumeſcit Sed quanto fuerit globus ille grandior tanto fit vanior. Ab illa enim magnitudine non fundata & ſolidata, ſed pendente & inflata & in auras atque in ventos dilabitur: ut videas

 ipſam

ipsam ei obfuisse magnitudinem. *Con: 2. in psal: 36.*

Superbia, magnum est quid sed ad speciem.

Qui putat se esse aliquid dum nihil sit, seipsum seducit. Nec isti ex hoc magni sunt: nam & inflatio & tumor imitatur magnitudinem, sed non habet sanitatem. *In psal: 38.*

Denique omnia vitia in malefactis timenda sunt, superbia in benefactis plus metuenda est. *Con: 2. in psal: 58.*

Ideo inquit obtinuit eos superbia. Attende illos superbos indisciplinatos, attende taurum devotum victimæ, permissum errare liberè & vastare quæ potest usq; ad diem occisionis. *In ps: 72.* *Ps. 72. 6.*

Qui judices erunt in extremo judicio.

Qui judicabunt cum Christo, Principes Ecclesiæ sunt, perfecti sunt, Talibus dixit: Si vis esse perfectus vade & vende omnia & da pauperibus. Quid est si vis esse perfectus? Vis mecum judicare & non judicari. Ille enim contristatus abscessit. Sed multi hoc fecerunt & multi hoc faciunt: ergo isti cum illo judicabunt. Sed multi promittunt sibi quia judicabunt cum Christo, quia dimittunt omnia sua & sequuntur Christum: sed habent præsumptionem de se, habent typum & superbiam quam Deus solus potest nosse, & non possunt evitare dæmonium meridianum, id est casum ferventis caloris, nimiæ persecutionis. Tales multi cum essent eo tempore qui distribuerunt omnia sua pauperibus, & sibi jam promittebant quia sessuri erant cum Christo, & judicaturi gentes: fervente calore persecutionis tanquam à dæmonio meridiano defecerunt in tormentis, & negaverunt Christum. *Tom: 8. Expos: 1. partis psal: 90.*

Superbus, nil mali unquam agit.

Qui sunt superbi? Quibus parum est quod mala faciunt, sed & defendere peccata sua volunt. *In psal: 93.*

Quis est superbus? qui in confessione peccatorum non agit pænitentiam ut sanari per humilitatem possit. Quis est superbus? Qui illa pauca quæ videtur habere bona, sibi vult arrogare, & derogat misericordiæ Dei. Quis est superbus? Qui etiam si Deo tribuat bona quæ facit, insultat tamen his qui illa non faciunt, & extollit se super illos. *T: 8. In psal: 93.*

Elatio, dejectio est.

Dejecisti eos dum extollerentur. Non dixit dejecisti eos quia elati sunt aut dejecisti eos postea quam elati sunt: ut aliud sit tempus elationis eorum, aliud tempus dejectionis: sed in eo ipso quo extollebantur, ibi dejiciebantur. Quantùm enim superbum est cor hominis, tantùm recedit à Deo: & si recedit à Deo in profundum it. *Ibidem.* *Ps. 72. 18.*

Superbus quilibet mendax est.

Hoc dico fratres mei. Necesse est ut omnis superbus velit videri quod non est? aliter non potest. Et utinam fratres mei sic vellet superbus videri quod non est, & vellet videri verbi causa choraula, cum choraula non esset. Cito enim probaretur si diceretur ei: Canta videamus utrum choraula sis: cum non posset, inveniretur falso se videri voluisse quod non erat. Dixit se eloquentem, diceretur ei: loquere. Et si probrosè locutus fuisset, inveniretur hoc non esse quod professus est. Superbus quod pejus est justum se vult videri, cum non sit. Et quia justitiam intelligere difficile est, difficile est superbos agnoscere. Volunt ergo superbi videri quod non sunt, ideo non est participatio eorum in id ipsum. Non pertinet ad Israel qui non est videns Deum. *Expos: psal: 121.*

Superbus cervix peccatorum.

Dominus justus concidet cervices peccatorum. Non puto fratres mei quia omnium peccatorum: sed in membro quod percutit, ibi designat quos peccatores percutiat. Non enim dixit: Dominus justus concidet manus peccatorum: aut Dominus justus concidet pedes peccatorum, non dixit: sed quia peccatores *Ps. 128. 4.*

super-

ſuperbos voluit intelligi. Superbi autem omnes cervicati ſunt, qui non ſolùm faciunt mala: ſed nec agnoſcere volunt & quando objurgantur. *Enar: in pſal*: 128.

Pſ 128 8. Fiant ſicut fænum tectorum, quod prius quam evellatur aruit. Fænum tectorum herba eſt, quæ naſcitur in tectis in ſolari integulato. In alto videtur, & radicem non habet. Quanto melius humilius naſceretur, & latius vireſceret. Modo naſcitur altius ad celeriorem ariditatem. Nondum evulſum eſt & aruit: Nondum finiti ſunt in judicio Dei & jam non habent ſuccum viriditatis *Ibidem*. *Superbus pabulum ignis.*

Matt. 5. 3. Beati inquit pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati ergo pauperes ſpiritu ſuo, divites Spiritu Dei. Omnis enim homo qui ſpiritum ſuum ſequitur, ſuperbus eſt. Subdat ſpiritum ſuum ut capiat ſpiritum Dei. Ibat in culmen reſideat in valle. Si jerit in culmen denatat ab illo aqua: ſi in valle reſederit implebitur ex ea, & fit ille venter de quo ſcriptum eſt: Flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus, *Enar: In pſal*: 141. *Paupertas dives.* *Pauper humilis.* *Humilitas promovet.*

Fratres mei audeo dicere, ſuperbis continentibus expedit cadere, ut in eo ipſo in quo ſe extollunt, humilientur. Quid enim prodeſt cui ineſt continentia, ſi dominatur ſuperbia? Contempſit unde natus eſt homo, & appetit unde cecidit diabolus. Nuptias contempſiſti, bene feciſti. Aliquid melius elegiſti: ſed noli ſuperbire. De nuptiis homo natus eſt, de ſuperbia Angeli ceciderunt. *Tom: 10 ſerm: de verb: Domini* 53. *Superbus continens cadit, ut humilietur.*

Luc 18 11. Gratias tibi ago Domine. Non dicit, Domine da mihi gratiam: quia non ſum ſicut cæteri homines, raptores, injuſti, adulteri. Ergo tu ſolus juſtus? Quia non ſum ſicut Publicanus iſte. Inſultas, non exultas. Jejuno bis in ſabbatho, decimas do omnium quæ poſſideo. O divitem exinaniendum! Veni, veni pauper, eſuriens publicane: imò ibi ſta, ubi ſtas. Publicanus enim de longinquo ſtabat, ſed Dominus humili appropinquabat. Nec oculos ad cælum audebat levare, quo oculos non levabat, ibi cor habebat. Sed percutiebat pectus ſuum, dicens: Domine propitius eſto mihi peccatori. O eſurientem bonis implendum. *T. 10. 50. Homil*: 44. *De teſtimonio Chriſti de Ioanne Baptiſta*. *Superbia divitem exinanivit.*

Solus Deus arrogans non eſt, quantacunq; ſe prædicatione laudaverit. *Et infra*. Alia eſt enim ſoliditas magnitudinis, alia eſt inanitas inflationis. Qui foris tumeſcit, intus tabeſcit. Qui eligit abjici in domo Dei magìs quàm habitare in tabernaculis peccatorum: eligit illum Deus, ut inhabitet in atriis ejus, & nihil ſibi aſſumentem, ille in ſedem beatitudinis aſſumit. *Ibid: Hom*: 50. *Humiles honorat Deus.*

1. Tim. 6. 17. Nihil tam timendum eſt in divitiis quàm ſuperbia. Deniq; Apoſtolus Paulus hoc admonet Timotheum: Præcipe inquit divitibus hujus mundi, non ſuperbè ſapere. Non enim divitias expavit, ſed morbum divitiarum. Morbus autem divitiarum eſt ſuperbia magna. Nam grandis animus eſt, qui inter divitias iſto morbo non tentatur. Major animus divitiis ſuis, qui eas vincit non concupiſcendo, ſed contemnendo. Magnus eſt ergo dives, qui non ſe ideo magnum putat, quia dives eſt. Qui autem ideo ſe magnum putat, ſuperbus & egenus eſt. In carne crepat, in corde mendicat; inflatus eſt non plenus. Vtres autem duos ſi videas, unum plenum, alterum inflatum, in utroq; eadem eſt magnitudo, ſed non in utroq; eadem plenitudo. *Ibid: ſerm*: 212. *Dnica 8. poſt Feſtum SS Trinitatis ſerm*: 1. *Morbus divitiarum ſuperbia.* *Dives ſuperbus, inflatus eſt non plenus.*

Iſ. 66. 2. Super quem requieſcit ſpiritus meus? ſuper humilem & quietum & trementem verba mea. Hæc verba Petrus tremuit,

Plato non tremuit. Teneat piscator, quod perdidit nobilissimus disputator. *T:10. serm: de diver: serm: 21. de verb.*

Superbus inanis. Quid est homo quod te inflare vis? sufficit tibi ut implearis, non ut infleris. Qui impletur dives est, qui inflatur inanis est. *T:10. Homil:11. de diver: ser: 4. in Natali SS. Casti & Æmilij Martyrum.*

Superbia obscurat corda. Et obscuratum est insipiens cor eorum. Quo merito nisi superbiæ? *Et infra.* Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua, in semetipsis. *Rom. 1. 21. 24.* *Pœna superbia lapsus.* Hæc mala eorum & impietate superbiæ sunt. Ista vero peccata quia de superbia, non solùm peccata, sed etiam supplicia sunt. Cum enim dicit tradidit illos Deus, jam de vindicta est cujusdam peccati, ut hæc faciant. Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium. Quid est cummutaverunt verbum Dei in mendacium? In similitudinem scilicet imaginis, corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, serpentium. Et nè quisquam eorum diceret, non simulacrum colo, sed quid significant simulacra, subjecit statim, & coluerunt & servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori. *Tom: 10. ex fragmentis Operum D. Augustini fragm. 4. sermonis de Kalendis Ianuarij.*

Destruit superbia, ædificat humilitas. Si superbia fecit diversitates linguarum, humilitas Christi congregavit diversitates linguarum. Jam quod illa turris dissociaverat, Ecclesia colligit. De una lingua, factæ sunt multæ: noli mirari, superbia hoc fecit. De multis linguis fit una: noli mirari, charitas hoc fecit. Quia etsi soni diversi linguarum sunt, in corde unus Deus invocatur, una pax custoditur. *T: 9. in Evan: Ioan: Tract: 6. de cap: 1.*

Superbus servus. Et si liber superbus sit, servus est: & quod pejus est malæ Dominæ ipsius superbiæ. *Ibid: Tract: 12 de c: 3.*

Quid superbit terra & cinis? Quid superbit? Dicat quid superbit quoniam in vita sua projecit intima sua. Quid est projecit nisi porro jecit? Hoc est exire foras. Etenim intrare, intro appetere intima, projicere intima, foras exire est. Intima projicit superbus, intima appetit humilis: superbia ejicimur, humilitate regredimur. *Caput morborum superbia.* Caput omnium morborum superbia, quia caput omnium peccatorum superbia. Medicus quando ægritudinem discutit, si curet quod per aliquam causam factum est, & ipsam causam per quam factum est, non curet, ad tempus videtur mederi, causa manente morbus repetitur. *Et infra.* Cognoscens hoc Medicus, purgat humorem, detrahit causam, & nulla erunt ulcera. Unde ergo abundat iniquitas? Per superbiam. Cura superbiam & nulla erit iniquitas. Ut ergo causa omnium morborum curaretur id est superbia: descendit, & humilis factus est, Filius Dei. *Humilitate sanatur.* Quid superbis homo? Filius Dei propter te humilis factus est. Puderet te fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum. Venit filius Dei in homine, & humilis factus est. Præcipitur tibi ut sis humilis, non tibi præcipitur ut ex homine fias pecus. Ille Deus factus est homo, tu homo cognosce quia es homo. Tota humilitas tua est, ut cognoscas te. Ergo quia humilitatem docet Deus, dixit: Non veni facere voluntatem meam, sed ejus voluntatem qui misit me. Hæc enim commendatio humilitatis est. Superbia quippè facit voluntatem suam, humilitas facit voluntatem Dei. Ideo qui ad me venerit non ejiciam foras. Quare? Quia non veni facere voluntatem meam, sed ejus voluntatem qui misit me. Humilis veni, humilitatem docere veni, magister humilitatis veni. Qui ad me venit incorporatur mihi: qui ad me venit humilis fit. Qui mihi adhæret, humilis

humilis erit: quia non facit voluntatem suam sed Dei. Et ideo non ejicietur foras, quia cum superbus esset ejectus est foras. *Ibid: Tract: 25. de cap: 6.*

Quærimus aliquando quomodo sibi concordent istæ duæ sententiæ: Radix omnium malorum avaritia: & initium omnis peccati superbia. Si initium omnis peccati superbia, radix omnium malorum superbia est. Certè si radix omnium malorum avaritia est, invenimus & in superbia avaritiam esse: excessit enim modum homo. Quid est avarum esse? Progredi ultra quàm sufficit. Adam per superbiam cecidit: Initium omnis peccati superbia, inquit. Nunquid avaritia? Quid avariùs illo cui Deus sufficere non potuit? *Et infra.* Si autem non agnoscis illum qui supra te est: superiorem contemnis, subderis inferiori, propterea superbia Ægyptiorum unde domita est? De ranis & muscis. Poterat Deus & leones mittere, sed aliquis magnus leone tenendus est. Quantò illi erant superbiores, tantò de rebus contemptibilibus & abjectis fracta est eorum cervix mala. Sed Danielem cognoverunt leones, quia ille subditus Deo erat. *Et infra.* Et videte quanta opera faciat superbia. Ponite in corde quam similia faciat, & quasi paria charitati. Pascit esurientem charitas, pascit & superbia: charitas, ut Deus laudetur, superbia ut ipsa laudetur. Vestit nudum charitas, vestit & superbia. Jejunat charitas, jejunat & superbia. Sepelit mortuos charitas, sepelit & superbia. Omnia opera bona quæ vult facere charitas, & facit, agit contra superbiam: & quasi ducit equos suos. Sed interior est charitas. *Tom: 9. in Epist: Ioan: Tract: 8. de cap: 4.*

Rom. 5. 21. 24.

Superbia & avaritia.

Superbiæ & charitatis æmulatio.

TEMPUS

DEputentur tempora, distribuantur horæ pro salute animæ. *T: 1. lib: 6. confess: cap: 11.*

Tempora surripiunt, quod amamus, & relinquunt in anima turbas phantasmatum, quibus in aliud atq; aliud cupiditas incitetur, ita fit inquietus & ærumnosus animus, frustra tenere à quibus tenetur exoptans. *T: 1. lib: de ver: Relig: c: 35.*

Vt omittam innumerabiles adversitates, tempus ipsum auferat necesse est omnia transeuntia. *Ibid: c: 38.*

Nullum tempus est, quod non deceat & oporteat agere unde Deo placere possimus, separemus paululum curam, & quod semper instat, si placet agamus. *T: 2 ep: 255.*

Tempus quod inter hominis mortem & ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet sicut unaquæq; digna est vel requie vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne cùm viveret. *T: 3. Enchirid: c: 109.*

Et fortasse cum omnia sidera ad idem redierint, annus magnus peragitur, de quo multi multa dixerunt. *Tom. 3. lib: de Gen: ad liter: imperfect: cap: 13.*

Nunquid adjutorio temporis eguit conditor temporis? Nonnè certis dierum numeris suo cuiq; generi accommodatis, omnis natura serpentium coalescit; formatur, nascitur, roboratur? Num expectati sunt hi dies, ut in Draconem virga converteretur de manu Moysis & Aaron? nec ista cum fiunt, contra naturam fiunt: nisi nobis quibus aliter naturæ cursus innotuit, non autem Deo cui hoc est natura quod fecerit. *Ibid: lib: 6. c: 30.*

Abscessit tempus ab eis, Dominus autem in nobis; non dixerunt; Abscessit Dominus ab eis, impij quippè antiquitus fuerunt:

Saluti animæ vectigales horæ omnes.

Tempus est carcer animæ.

Serviendum tempori.

runt : sed quoniam & impiis occulta dispensatione divinæ providentiæ datur tempus florendi atq; regnandi. Abscessit inquiunt tempus ab eis. Dominus autem in nobis : non dixerunt, abscessit tempus ab eis, & nostrum successit : Dominus autem in nobis non tempus. Illi enim tempus habuerunt, isti Dominum Deum, temporum Creatorem & Ordinatorem, & quorumcunque, ut ei placet distributorem. *T: 4. lib: 4 sup: num: c: 23.*

Perhibentur Ægyptii quondam tam breves annos habuisse, ut quaternis mensibus finirentur, unde annus plenior & verior qualis nunc & nobis & illis est, tres eorum annos complectebatur antiquos. *Tom: 5. lib: 12. de Civit: Dei c: 10.*

Fallunt etiam quædam mendacissimæ literæ, quas perhibent in historia temporum; multa annorum millia continere, cum ex literis sanctis ab institutione hominis, nondum completa annorum sex millia computemus. *Ibidem.*

Vbi nulla creatura est, tempora non possunt esse.

An verò erat tempus, quando nullum erat tempus, tam inconvenienter dicimus, ac si quisquam dicat : erat homo, quando nullus erat homo, aut erat iste mundus, quando non erat mundus. *Et infra.* Vbi enim nulla creatura est, cujus mutabilibus motibus tempora peragantur, tempora omninò esse non possunt; ac per hoc etsi semper fuerunt, creati sunt. Nec si semper fuerunt, ideo Creatori coæterni sunt. Ille enim semper fuit æternitate immutabili, illi autem facti sunt. *Ibid: cap: 15.*

Reperitur apud plerosque scriptores, Ægyptios habuisse annum quatuor mensium, Acarnanas sex mensium, Livinios tredecim mensium *Ibid: lib: 14. c: 12.*

Male numerantur centum millia annorum ab orbe condito.

Frustra vanissima præsumptione garriunt quidam, dicentes: ex quo rationem syderum comprehendit Ægyptiis ampliùs centum annorum millia numerari. In quibus enim libris istum numerum collegerunt, qui non multum ante annorum duo millia, literas Magistra Iside didicerunt ? non enim parvus Author est in historia Varro qui hoc prodidit. *Ibid: lib: 18 cap: 40.*

Christi præsentia creaturam reformat.

Sexto die fecit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. Sic invenimus sexto sæculo venisse Dominum JESUM Christum ut reformaretur homo ad imaginem Dei. Primum enim tempus tanquam primus dies ab Adam usq; ad Noe : secundum tempus tanquam secundus dies à Noe usq; ad Abraham : tertium tempus tanquam tertius dies ab Abraham usq; ad David : quartum tempus tanquam quartus dies à David usq; ad transmigrationem Babyloniæ : quintum tempus tanquam quintus dies à transmigratione in Babyloniam usq; ad prædicationem Joannis. Sextus dies jam à prædicatione Joannis agitur usq; ad finem, sexti diei pervenimus ad requiem. *Tom: 8. In psal: 92.* *Gen. 1.*

Dies malos faciunt hominum malitia.

Dies malos fratres duæ res faciunt, malitia & miseria. Per malitiam hominum, & miseriam hominum dicuntur dies mali. Cæterum Dies isti quantum pertinet ad spatia horarum ordinati sunt. Ducunt vices, agunt tempora : oritur sol, occidit sol, transeunt tempora. Cui molesta sunt tempora, si homines sibi non sunt molesti ? Ergo dies malos sicut dixi, duæ res faciunt, miseria hominum, & malitia hominum. Sed miseria hominum communis est : non debet malitia esse communis. Ex quo enim lapsus est Adam, & de paradyso expulsus, nunquam fuerunt dies nisi mali. Istos pueros qui nascuntur interrogemus, quare à ploratu incipiunt qui nec ridere possunt. Nascitur, & statim plorat: post nescio quos dies ridet. Quando plorabat nascens Propheta suæ calamitatis erat, lacrymæ enim testes sunt miseriæ. Nondum

Lacrymæ testes miseriæ.

loquitur & jam prophetat. Quid prophetat? In labore se futurum, vel timore: & si bene vixerit, & justus fuerit, certe in mediis positus tentationibus semper timebit. *T:10 ser: de verb: Apost: ser:24*

Nunquid istic ex quo de paradyso projecti sumus, malignos dies agimus? Et majores nostri planxerunt dies suos, & avi eorum planxerunt dies suos. Nullis hominibus dies placuerunt, quos vivendo egerunt. Sed posteris placent dies majorum: & illis iterum illi dies placebant quos ipsi non sentiebant, & ideo placebant. Quod enim præsens est, acrem habet sensum. Non dico propius admovetur: sed cor tangit quotidie. Omni anno plerumq; dicimus, quando frigus sentimus: Nunquam fecit tale frigus: Nunquam fecit tales æstus. Semper facit ipse qui facit: Sed beatus vir quem tu erudieris Domine: ut mitiges eum à diebus malignis, donec fodiatur peccatori fovea. Maligni dies Nunquid isti dies maligni sunt, quos agitat circulus solis? Faciunt malignas dies maligni homines: & sic est propè totus mundus. Inter turbas malignorum gemit paucitas frumentorum. Revocemus ad ipsos justos. Maligni sunt illi, & faciunt malignos dies. *Tom: 10. serm: de diver: serm: 19 de verbis.*

Præsentia maxime sentimus.

Ps. 93. 13.

Dies malignos facit hominū malignitas.

Qui sunt dies boni? nolite illos modo quærere: mihi credite, imò mecum credite non invenietis. Transibunt dies mali, & venient boni, sed boni veniant bonis, malis pejores. *Ibidem.*

Dies boni frustra quæruntur in hac vita.

Dicitis, molesta tempora, graviora tempora, misera tempora sunt. Vivite bene, & mutatis tempora vivendo bene. Tempora mutetis, & non habebitis unde murmuretis. Quid sunt enim tempora fratres mei? Spatia & volumina seculorum. Ortus est sol peractis horis duodecim, ex alia parte occidit mundi. Alia die mane ortus iterum occidit. Numera quoties ipsa sunt tempora. Quem læsit solis ortus, quem læsit occasus solis? Ergo neminem læsit tempus. Qui læduntur homines sunt, à quibus læduntur homines sunt. O magnus dolor! homines læduntur, homines spoliantur, homines opprimuntur. A quibus? Non à leonibus, non à colubris, non à scorpionibus, sed ab hominibus. Dolent qui læduntur, si non possunt, & non faciunt, quid reprehendunt? *Tom: 10. parte 2. serm: de diver: serm: 115.*

Molesta tempora bene vivendo mutantur.

Homo nonnisi à seipso læditur.

Abundant mala, & Deus voluit ut abundarent mala: utinam non abundarent mali, & non abundarent mala. Mala tempora, laboriosa tempora, hoc dicunt homines. Bene vivamus, & bona sunt tempora. Nos sumus tempora, quales sumus, talia sunt tempora. *Tom: 10 serm: nov: serm: 34 de oratione*

Quales sunt homines talia sunt tempora.

Io: 17. 1.

Pater venit hora, clarifica filium tuum, ostendit omne opus, & quid quando faceret, vel fieri sineret, ab illo esse dispositum, qui tempori subditus non est, quoniam quæ futura erant, per singula tempora in Dei sapientia causas efficientes habent, in qua nulla sunt tempora. *Tom: 9 In Evan: Ioan: Tract: 114 de cap: 17.*

1. Io. 1. 18.

Pueri novissima hora est. Proficite, currite, crescite, novissima hora est. Ipsa novissima hora diuturna est: tamen novissima est. *T: 9. in Epist: Ioan: Tract: 3. de cap: 2:*

Omnis hora novissima.

Longum videtur quod restat, quanquam non erit tantum, quantum transactum est: & tamen ex transacto præterito tempore sperandus est finis reliqui temporis. Fuit tunc quidam dies qui diceretur hodiernus, ex illo usque ad hunc hodiernnm, nonne quidquid fuit futurum, præteritum factum est; tale habetur ac si non fuerit. Sic erit quidquid restat extremum. *Tom: 9. lib: de 10. chordis cap: 2.*

Tempus citò labitur.

TENTATIO.

Deum tentat [illegible] in Deum reijcit

NUntiato sibi fratre Jacob, veniente obviam, dimisit turmas. Admonendi fuimus hoc exemplo, ut quamvis credamus in Deum, faciamus tamen quæ facienda sunt ab hominibus, in præsidium salutis, nè prætermittentes ea, Deum tentare videamur. *T: 4. lib: 1: quæst: in Gen: quæst: 102.* Gen 32 7.

Tentatio est vita humana super terram; Tentationem dicit tanquam studium certaminis, ubi vincit homo vel vincitur. *T. 4. lib: annotat: in Iob: cap: 7.* Iob 7.

Digna est gratulatione tentatio

Neq; enim omnis culpanda est tentatio: quia & gratulanda est, quâ fit probatio. Et plerumq; aliter animus humanus sibi ipsi innotescere non potest, nisi vires suas sibi non verbo, sed experimento, tentatione quodammodo interrogante, respondeat: ubi si Dei munus agnoverit, tunc prius est, tunc solidatur infirmitate gratiæ, non inflatur inanitate jactantiæ. *Tom: 5. lib: 16. de Civit: Dei c: 32.*

T[illegible]tatio pro[illegible] humiliat.

Fiant tanquam pulvis ante faciem venti. Ventus tentatio est pulvis iniquus. Quando venerit tentatio, tollitur pulvis, nec stat nec resistit Fiant viæ eorum tenebræ & lubricum. Horrenda via. Tenebras solum quis non horreat? Lubricum solum quis non caveat? In tenebris & lubrico quà is? ubi pedes figis? sunt ista mala magnæ pœnæ hominum: tenebræ est ignorantia, lubricum luxuria. *Con: 1. In psal: 34.* Ps. 34. 5.

Probat tan[illegible] ca[illegible]

Omnis tentatio probatio est, & omnis probationis effectus habet fructum, suum quia homo plerumq; etiam sibi ipsi ignotus est. Quid ferat quidve non ferat ignorat, & aliquando præsumit se ferre quod non potest, & aliquando desperat se ferre posse quod potest. Accedit tentatio quasi interrogatio, & invenitur homo à seipso quia latebat & seipsum sed artificem non latebat. *Tom: 8. In psal: 55*

Sicut sustinuit anima mea Omnes sustinuit anima mea, foris latrantes intus occultantes, sustineat forinsecus venientes. Quasi fluvius venit tentatio, in Petra te inveniat, impingat non deijciat: fundata est domus super Petram, ut palea tibi vicinetur, intret tritura boum, intrent tribulæ tentationum, tu purgaris, illa comminuitur. *Ibidem.* Ps. 55.

Aliorum patientia noster professor est.

Admisit Deus tentatorem [id est Job) non ut ipse nosset quod noverat, sed ut nobis noscendum, & imitandum præberet. Nunquid enim si tentator non admitteretur videremus nos ipsi in Job quod deberemus imitari? Admissus est tentator abstulit omnia, remansit ille solus à facultatibus, solus à familia, solus à filiis plenus Deo. Uxor sane relicta erat. Misericordem putans Diabolum qui ei reliquit uxorem? Noverat per quem deceperat Adam. Suam reliquerat adjutricem, non mariti consolatricem. *Ibidem:*

Aliorum egregia facta nostra præcepta sunt.

Prorsus Christus tentabatur à Diabolo. In Christo enim tu tentabaris, quia Christus de te sibi habebat carnem, de se tibi salutem: de te sibi mortem, de se tibi vitam: de te sibi contumelias, de se tibi honores. Ergo de te sibi tentationem de se tibi victoriam. Si in illo nos tentati sumus, in illo nos diabolum superamus Attendis quia Christus tentatus est, & non attendis quia vicit? Agnosce te in illo tentatum, & te in illo agnosce vincentem. Poterat à se diabolum prohibere: sed si non tentaretur tibi tentando, vincendi magisterium non præberet. *Ibidem.* Matt. 1. 12.

Ad mensuram permittitur tentare diabolus, & potabis nos inquit in lacrymis in mensura. Noli timere permissum aliquid tentato-

tentatorem diabolum facere: habes enim misericordissimum Salvatorem. Tantùm permittitur ille tentare, quantùm tibi prodest ut exercearis ut proberis, ut qui te nesciebas, à te ipso invenia-ris secundum illam Apostolicam sententiam: Fidelis Deus qui non permittit vos tentari supra id quod potestis. *In psal: 61.*

Non nobis expedit esse sine tentationibus. Nec rogemus Deum ut non tentemur, sed ut non inducamur in tentationem. *In psal: 63.*

Ideo tentatus est Christus, nè vincatur à tentatore Christianus. Ille quippè Magister in omnibus tentari voluit, quia tentamur: sicut mori voluit quia morimur, sicut resurgere voluit quia resurrecturi sumus. Ille enim quæ ostendit in homine qui factus est propter nos homo, cum esset Deus per quem facti sumus, propter nos ostendit. *Con: 2. de 2. parte psal: 90.*

Adhuc illa Eva erat, sed jam ille Adam non erat. Ablatis omnibus remansit Job cum uxore per quam tentaretur, & cum Deo, à quo regeretur. Quid illo pauperiùs subitò factum si domum consideres? quid illo ditiùs, si cor ejus cogites? Vide paupertatem domus, ablata sunt omnia: vide divitias cordis: *Et infra.* Primò suggessit in paradyso ut contemneretur Deus, modò ut blasphemetur Deus. Valuit tunc in integrum, nunc victus est à putredine: in paradyso dejecit, in stercore superatus est. *Ibidem. Con: 4. de 3. parte psal: 103.*

Sat opum est cum sat cordis

Deliciæ vitiis confeciæ.

Audite servi Dei & electi Dei promissionem habentes vitæ præsentis & futuræ. Si tentationes duræ sunt in hoc sæculo, Joseph in carcere, JESUM in cruce cogitate. Si rerum temporalium prosperitas adjacet, non propter ipsam Deo, sed ipsa utimini propter Deum. Nec eum existimetis propter vitæ hujus necessaria coli à cultoribus suis, quæ donat blasphematoribus suis: sed quærite primùm Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia apponentur vobis. *Ibid: In psal: 104.*

Imago patientiæ.

Ps 144 10. Confiteantur Domino miserationes ejus & mirabilia ejus filiis hominum. Istos versus quantum advertere potui, quod potestis & vos, quater repetit. In quo numero quantùm Domino adjuvante scrutari valuimus, significat nobis quatuor quasdam tentationes, ex quibus nos liberat cui confitentur suæ miserationes.

Tentationum varii modi et species.

Prima ergo tentatio est erroris & famis. Ubi in hac tentatione fatigatus exclamaverit ad Deum, perducitur ad viam fidei, unde incipiat pergere ad Civitatem quietis. Perducitur ergo ad Christum: qui dicit Ego sum via.

Secunda tentatio est difficultas in bene operando, sicut illa prima erroris & famis. Exclamat & in hac ad Dominum, liberat Dominus de necessitatibus: incipit ei jam facile esse quod difficile fuerat: facta est facultas quæ fuerat ante difficultas. Potuit hoc Dominus sine difficultate præstare: sed si hoc sine difficultate haberemus, largitorem hujus boni non agnosceremus. *Et infra.* Quisquis ergo talis est & vicit illas difficultates, excipitur tertia tentatione tædij cujusdam in moram hujus vitæ, ita ut aliquando eum nec legere, nec orare delectet. Tertia tentatio priori contraria. Prius enim periclitabatur fame, postea fastidio. Unde & hoc nisi de quodam languore animæ est? Jam non te illicit adulterium, nec tamen delectat Dei verbum. Jam post periculum imperitiæ & concupiscentiæ, de quibus te evasisse lætaris, vide nè tædium fastidiumquè te necet. Non est & ista levis tentatio. *Et infra.* Liberatus autem ab errore, liberatus à difficultate bene operandi, liberatus à tædio fastidioquè verbi Dei: fortassis dignus

Difficultas operandi tentatio.

Tædium infelicitate bene operandi tentatio.

Regimen tentatio. eris cui populus committatur, constituaris in gubernaculis navis recturus Ecclesiam. Ibi quarta tentatio: Tempestates maris quatientes Ecclesiam turbant gubernatorem. Deniq; tres illas tentationes experiri potest omnis pius fidelis in populo Dei, quarta ista nostra est. *T: 8. In ps: 106.*

Principiis tentationum obstare vincere est. Tentator non cessat pulsare ut irrumpat, si clausum invenerit transit. Ideo Apostolus: quia in potestate nostra est ostium claudere ostium cordis non parietum, ibi enim & cubiculum: *Eph. 4. 17.* quia ergo in nostra potestate est ostium claudere. Neq; detis locum Diabolo. Etenim si intravit & possidet, attende quia tu negligenter clausisti, aut claudere neglexisti. Quid est autem claudere ostium? Hoc ostium tanquam duas habet valuas cupiditatis & timoris. Aut cupis aliquid terrenum & hac intrat: aut times aliquid terrenum, & hac intrat. Timoris ergo & cupiditatis januam claude contra Diabolum, aperi ad Christum. Quomodo ipsas valuas aperis ad Christum? Cupiendo regnum cælorum, timendo ignem æternum gehennarum. *Timor & cupiditas januæ tentationum.* Per cupiditatem sæculi diabolus intrat, per desiderium vitæ æternæ Christus intrat. Per timorem pænarum temporalium Diabolus intrat, per timorem ignis æterni Christus intrat. Ecce Martyres clauserunt januam contra Diabolum aperuerunt Christo. *Ibid: Enar: In psal: 41.*

In vita nemo sine hoste. Quamdiu hic vivitur fratres, sic est, sic & nos qui senuimus in ista malitia; minores quidem hostes habemus: sed tamen habemus. Fatigati sunt quodammodo hostes nostri jam etiam per ætatem: sed tamen etiam fatigati non cessant qualibuscunq; motibus infestare senectutis quietem. Acrior pugna juvenum est: novimus eam, transivimus per eam. Caro ergo concupiscit adversus spiritum; & spiritus adversus carnem: ut non ea quæ vultis faciatis. Quid enim vultis, ô sancti, ô boni præliatores, ô fortes milites Christi? Quid vultis? ut non sint omninò concupiscentiæ malæ? Sed non potestis. Exercete bellum, sperate triumphum. *Et infra.* Non dixit Apostolus spiritu ambulate & concupiscentias carnis nè habueritis: quia necesse est ut habeamus illas. *Et infra.* Ideo dixit, nè perfeceritis. Sed non perficiantur. Decrevisti facere, perfecisti. *Tom: 10. de verb: Dom: ser: 43.* *Sensus sine consensu non nocet.* *Rom. 13. 14.*

Nè extollar inquit, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, O venenum, quod non curatur nisi veneno! Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Caput cædebatur, nè caput extolleretur. O Anthidotum, quod quasi de serpente conficitur, & propterea theriacum nuncupatur! Serpens enim ille superbiam persuasit, gustate & eritis sicut Dij, superbiæ persuasio est. Unde cecidit, inde dejecit. Meritò ergo venenum serpentis, de serpente sanatur. *T: 10. de verb: Ap: ser: 3.* *2. Cor. 12. 7.* *Venenum superbiæ veneno curatur.*

Non audisti scripturam dicentem: Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem? Verùm est quia ubi Deum in veritate cæperis quærere, necesse tibi erit superborum vel malorum hominum nequitias sustinere: quia non sic ab illis colitur Christus, quomodo eis quotidiè prædicatur. Quoniam & quidquid volunt, quidquid petunt à Deo, in luxuriis suis, & conviviis volunt consumere, in spectaculis, in nugis, in fornicationibus, in ebrietatibus. In his volunt consumere, quo desiderant abundare: & nunc putant quod bonus sit Deus, quando illis præstat unde corrumpantur. Sed dicit aliquis: Ecce tempora aspera sunt, & asperiora erunt. Per ista asperiora proficit magis Ecclesia, proficiunt illi qui sursum cor habent, & illi qui sursum cor non habent, tumultuatur eis *Eccl. 2. 1.* *Ecclesia per adversa proficit.*

cor

cor in terra, & discunt cordi suo locum mutare, ut etiam ipsi sursum cor habeant, cantantes nobiscum: Ad te Domine levavi animam meam. Tale est dicere, sæviora sunt tempora : quale si quis dicat, sæviora esse tempora olivæ. cum fructus inde colligitur, quàm cum intorcular mittitur. Quando enim pendebat in arbore, læta tempora videbantur, & non attendunt quia amurca plena erat. Venit enim quasi asperius tempus, venit tempus torcularis, veniunt majores pressuræ. Per peccata enim & crimina superborum, per avaritiam, luxuriamq; malorum, majores pressuræ fiunt generi humano. Omnes enim mali & amatores mundi quasi torcularia sunt. Sic enim in torcularibus & uva premitur & oliva, ut vinum & oleum reponatur in cavea : ita per nequitiam malorum hominum, qui boni & iusti sunt, multis tribulationibus corporaliter fatigantur, ut animæ eorum tanquam oleum ac vinum refundi in æterna tabernacula mereantur. Noli ergo de Dei misericordia vel justitia desperare, quoties te videris ab iniquis hominibus fatigari, sed considera quod illi qui te persequuntur, apud Deum velut molæ vel torcularia deputantur. Tu verò quasi oliva, & quasi uva legitima, parvô tempore pressuram malorum hominum sustinere cogeris. Sed postea illis sine fine remanebit opprobrium, tu felici commutatione transibis ad regnum. *Tom: 10. 50. Homil: Homil. 8.*

Per malos homines boni probantur.

Homines mali sunt molæ, torcularia proborum.

1. Cor. 10.13. Fidelis Deus qui non vos permittit tentari supra id quod potestis Sed faciet cum tentatione etiam exitum. Quid est exitum? Ut possitis sustinere. Intrasti, incidisti, sustinuisti, existi. Magna materies est purgationis bonorum, abundantia malorum. *Ibid: serm: 254. in Anniver: dedic: serm: 3.*

Cum tentatione exitus.

Matt. 14.13. Sanctus Petrus dum fluctuat, dum mergitur, dum periclitatur, sic pervenit ad Dominum : ostendens nobis quod nonnisi per pericula properetur ad Christum. Multi enim diaboli fluctus sunt in hoc mundo, tentationum multa naufragia, à quibus ita liberari possumus, si clamantibus manum suam Salvator extenderit. *T. 10 ser: de Sanctis ser: 16. In festo Cathedræ S. Petri ser: 2.*

Per pericula properatur ad Christum.

Luc. 4. 6. Ob hoc Christus qui sicut homo dignatus est nasci, non respuit sicut homo tentari : ut Christianus magisterio ejus instructus, non possit à tentatore superari. *T: 10, parte 2. ser: de diver: ser: 74. Sabbatho post Dominicam 2. Quadrag.*

Christus tentatus vincendi Magister.

Quare se permisit tentari, nisi ut doceret resistere tentatori? Promisit mundus carnalem voluptatem, responde illi, delectabilior est Deus. Promisit mundus honores & sublimitates seculares, responde illi, altiùs est omnibus regnum Dei. Promisit mundus superfluas vel damnabiles curiositates, responde illi, sola non errat veritas Dei. Cum ista triplici tentatione Dominus fuisset tentatus, quia in omnibus illecebris mundi hujus tria sunt, aut voluptas, aut curiositas, aut superbia. *Tom : 10. Homil: 11. de diver: serm: 1. in Natali Martyrum.*

In mundi illecebris tria pessima.

TESTAMENTUM.

NOlo mortem peccatoris, tantùm ut revertatur & vivat. Ex quo facilè apparet, & in ea patientia, quæ invitat ad pænitentiam; & in ea indulgentia quæ ignoscit pænitentibus : in ea justitia quæ punit eos, qui corrigi nolunt, utrumquè testamentum cōvenire atque congruere, tanquam ab uno Deo, utrumque conscriptum. *T: 6. lib: con: Adimantum c: 21. circa finem.*

Brevissima & apertissima est differentia duorum testamento-

Testamentum hominis Christiani timor & amor. rum, timor & amor: illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet, utrumq; tamen unius Dei misericordissima dispensatione prolatum atq; conjunctum *Ibid: c: 17.*

Sicut tempore charitatis bonitas, sic tempore timoris, severitas Dei maximè commendatur. *Ibid: c: 22.*

Non diversa est doctrina sed diversum tempus. Illorum hominum (intellige veteris testamenti) non tantùm lingua, sed & vita prophetica fuit. *Ibid: l: 4. con: Faust: c: 2.*

Hæc omnia figuræ nostræ fuerunt. Non diversa doctrina est, sed diversum tempus, aliud enim erat, quo hæc oportebat per figuratas Prophetias pronuntiari, & aliud est, quo hoc jam oportet per manifestam veritatem redditamq; repleri. *T: 5. l: 16. de Civit: Dei cap: 18.* *1. Cor. 10.*

Fides Mediatoris salvos faciebat pusillos. Sicut veteri testamento, si esse ex Deo bono & summo negetur, ita & novo fit injuria, si veteri æquetur. *Tom: 7. lib: de gestis Pelag: cap: 5.*

Superioribus temporibus omnimodo latuit Sacramentum justificationis ex fide, eadem tamen fides Mediatoris salvos justos faciebat antiquos pusillos cum magnis, non vetus testamentum, quod in servitutem generat, non lex, quæ non sic data est, quæ posset vivificare; sed gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum; Quia sicut credimus nos Christum in carne venisse, sic illi venturum: sicut nos mortuum, ita illi moriturum: sicut nos resurrexisse; ita illi resurrecturum, & nos verò & illi ad judicium mortuorum vivorumque venturum. *Tom: 7. lib: 2. de nuptiis & concup: cap: 11.*

Sacrificia antiquæ legis verba promissiva. Sacrificium & oblationem noluisti. Quare illa noluit? Quare primò voluit. Quia illa omnia quasi verba erant promittentis: & verba promissiva, cum venerit quod promittunt, non jam enuntiantur. Tamdiu quisq; promissor est donec det: cum dederit mutat verba. Non dicit adhuc dabo quod se daturum dicebat, sed dicit dedi, mutavit verbum. Quare illi primò placuit hoc verbum, & quare illud mutavit? Quia temporis sui verbum fuit & pro tempore suo placuit. Quando promittebatur tunc dicebatur, cum autem datum est quod promissum est ablata sunt verba promissiva, data sunt completiva Sacrificia ergo illa tanquam verba promissiva ablata sunt. Quid est quod datum est completivum? Corpus quod nostis, quod non omnes nostis: quod utinam qui nostis, omnes non ad judicium noveritis. *Tom: 8. In psal: 39.* *Ps. 39. 7.*

Differentia sacramenti antiquæ legis, et novæ legis. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est. Si discernimus duo testamenta, vetus & novum, non sunt eadem sacramenta, nec eadem promissa, eadem tamen pleraque præcepta: quia secundùm hæc Deo servire debemus. Sacramenta non eadem, quia alia sunt sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi testamenti dant salutem, sacramenta veteris testamenti promiserunt Salvatorem. Cum ergo jam teneas promissa quid quæris promittentia? Mutata sunt sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora. *Et infra.* Ideo Deus ostendens se utriusq; testamenti Authorem, ut & terrena promitteret in veteri testamento & cælestia in novo testamento. Nunquid quoniam puero dantur quædam puerilia ludicra, quibus puerilis animus avocetur propterea grandescenti non excutiuntur è manibus, ut aliquid jam utilius tractet quod grandem decet: verumtamen tu ipse dedisti filio tuo, & nuces parvulo, & codicem grandi. Non ergo quia illa quasi ludicra puerorum Deus per novum testamentum ex- *Io. 1. 17*

cussit de manibus filiorum, ut aliquid utilius daret grandescentibus: propterea priora illa non ipse dedisse putandus est. *Ibidem In psal: 73.*

Testamentum sanè in scripturis non illud solum dicitur quod non valet nisi testatoribus mortuis: sed omne pactum & placitum testamentum vocabant. *Ibid: in psal: 82.* *Vectus testamentum.*

1. Cor. 10. Vetus testamentum est promissio figurata: novum testamentum est promissio spiritualiter intellecta. *Tom: 10. d. diver: serm: 44. de Iacob & Esau.* *Vetus testamentum figurata promissio*

Judæi quidam personaliter judicabant, sed ideo non pertinent ad novum testamentum, ideo non habent in Christo regnum cælorum, ideo non junguntur Sanctorum societati Angelorum. Terrena quærebant à Domino. Terra enim promissionis victoria ab inimicis, fæcunditas patiendi, multiplicatio filiorum, abundantia fructuum, quæ illis omnia à Deo quidem vero & bono, tamen ut carnalibus promissa sunt, omnia hæc fecerat illis vetus testamentum. Quid est vetus testamentum: Quasi hæreditas pertinens ad hominem veterem. Nos innovati sumus, homo novus facti sumus, quia & ille homo novus venit. Quid tam novum quàm nasci de Virgine? Quia ergo non erat quod in illo innovaret præceptum, quia nullum habebat peccatum: novus partus est datus. In illo partus novus, in nobis homo novus. Quid est homo novus? A vetustate invocatus. Ad quam rem invocatus? ad desideranda cælestia, ad concupiscenda sempiterna, ad Patriam quæ sursum est, quæ hostem non timet, desiderandam, Ps. 39. 7. ubi non perdimus amicum, non timemus inimicum: ubi vivimus cum bono affectu, sine ullo defectu: ubi nemo nascitur, quia nemo moritur: ubi nemo jam proficit, & nemo deficit, ubi non esuritur, & non sititur, sed satietas est immortalitas, & cibus veritas. *T: 9. in Evan: Ioan: Tract: 30. de cap: 7.* *Novi & veteris testamenti diversitas.*

TIMOR FILIALIS.

DEum timete nè deficiatis, amate ut proficiatis. Si autem adhuc quoldam amor hominis occultè segregat, & timor hominis fallaciter congregat: observent qui tales sunt, quoniam Deum, cui nuda est humana conscientia, nec testem fallunt nec judicem fugiunt. *Tom: 2 ep: 130.*

Qui gehennas metuit, non peccare metuit sed ardere; ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit. Ipse est timor Domini castus permanens usq; in sæculum sæculi. Nam ille timor pænæ tormentum habet, & non est in charitate, cumq; perfecta charitas foras mittit. *Ibid: ep: 144.* *Qui gehennam metuit, non peccare metuit, sed ardere.*

Timor ille verus castus permanens in seculum seculi, si erit in futuro seculo (nam quo alio modo potest intelligi permanere in seculum seculi) non erit timor exterrens à malo, quod accidere potest, sed tenens in bono quod amitti non potest. Timoris quippe casti nomine, ea voluntas significata est, quâ nos necesse erit nolle peccare. *T: 5. l: 14. de Civit: Dei c: 9.*

Ps. 63. 10. Timuit omnis homo. Quia ergo timuit omnis homo, non terruit homo & annuntiaverunt opera Dei. Si timet homo, non terreat homo: eum enim debet timere homo à quo factus est homo. Quod supra homines est time, & homines te non terrebunt. Mortem sempiternam time, & præsentem non curabis. Voluptatem illam incorruptam & quietem sine labe concupisce: & promittentem dona ista temporalia, & totum mundum deridebis. *Ars non timendi*

bis. Ama ergo & time. Ama quod promittit Deus, time quod minatur Deus: nec corrumperis ex eo quod promittit, nec teneberis ex eo quod minatur homo. Et timuit omnis homo & annuntiaverunt opera Dei. *Tom: 8. In psal: 63.*

Ama & time.

Tribulatio deliciis præstat.

Nolite timere eos qui corpus occidunt. Majore timore minora contemnimus, & majore æternitatis cupiditate, omnia temporalia fastidimus. Nam & hic deliciæ temporales dulces sunt, & tribulationes temporales amaræ sunt. Sed quis non bibat tribulationis temporalis poculum, metuens ignem gehennarum? Et quis non contemnat dulcedinem sæculi inhians dulcedini vitæ æternæ. *T: 8. In psal: 68.* *Matth 10 18.*

Quia tu legem posuisti mihi. Tu interior intimis meis, tu intus in corde, legem posuisti mihi spiritu tuo, tanquam digitô tuo: ut eam non tanquam servus sine amore metuerem, sed casto timore & filius diligerem & dilectione casta timerem. *Ibidem Con: 2 in psal: 118.* *Psal 118 102.*

Amor servilis.

Hunc timorem, quo pæna metuitur consummata charitas foras mittit: quæ non timore pænæ sed delectatione justitiæ liberos reddit. Timor namq; iste quo non amatur justitia, sed timetur pæna, servilis est, quia carnalis est: & ideo non crucifigit carnem, vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando separatur impunitas. *Ibid: Con: 25. in psal: 118.* *1 Joh. 4. 18.*

Et à verbis tuis formidavit cor meum. Habuerunt quidem & illi verba minacia. Expello, proscribo, occido, ungulis torqueo, ignibus torreo, bestiis subigo membra, dilanio, sed tua me potius verba terruerunt. *Et infra.* Et contempsi hominem persecutorem meum, & vici diabolum seductorem meum. *Et infra.* Absit ergo ut timore pereat amor, ubi castus est timor. Sic Patres à filiis piis & timentur & amantur. Sic pudica conjunx, Virum & timet nè ab illo deseratur, & amat ut fruatur. *Ibid: Con: 31. In psal: 118.*

Timor castus non timet pænas.

Castus ergo timor fratres mei hoc habet, venit de amore. Ille autem timor nondum castus præsentiam Domini & pænas timet: timore facit quidquid boni facit: in timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi malum illud. Non timet nè perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet nè mittatur in gehennam. Bonus est & iste timor, animalis est: non quidem permanebit in sæculum sæculi, sed nondum est iste castus permanens in sæculum sæculi. *Et infra.* Si Deus veniens voce propria loqueretur nobis, quanquam non taceat per literas suas, & diceret homini: Peccare vis, pecca: fac quidquid te delectat, quidquid amaveris in terra tuum fiat: cui fueris iratus intereat, quem accipere volueris rapiatur, quem cædere, cædatur, quem damnare damnetur, quem possidere possideas. Nemo tibi resistat, nemo tibi dicat quid facis? Nemo noli facere quod velis? Nemo quare fecisti? Abundent tibi omnia ista quæ concupîsti, & vive in illis non usq; ad tempus sed semper, faciem tantum meam nunquam videbis. Fratres mei unde ingemuistis nisi quia jam natus est timor castus, permanens in sæculum sæculi. *Ibid: Expos: psal: 127.*

Amoris vere nota timor jacturæ visionis Dei. *2. Reg. 3. 13.*

Sed nunquid sic timetur Deus quomodo & latro? Nam & latro timetur, & bestia timetur, & homo injustus & potens timetur multùm. Bene sentiet Dominus in timentibus eum. Sed quomodo in timentimus eum? & in his qui sperant in misericordia ejus? Ecce timuit eum Judas traditor, sed non speravit in misericordia ejus. Postea enim pænituit eum quod tradiderit Christum, & dixit: Peccavi quia tradidi sanguinem justum. *Tom: 8. Enar: in psal: 146.*

Timor debet gnimari misericordiâ. *Psal 108 13.*

Beatus

Ps. 111 1. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis. Timor Dei timorem expellit gehennæ, quia facit hominem peccatum cavere, & justitiæ opera augere. *Tom: 10. de Temp: serm: 213. Dnica 9. post festum S. Trinitatis serm: 1.* *Timor Dei liberat à gehenna*

Matth. 10 18. Quapropter timeat Christianus antequam perfecta charitas foras mittat timorem, credat & intelligat se peregrinari à Domino, quamdiu vivit in corpore quod corrumpitur, & aggravat animam. Tantò minor sit timor, quantò Patria quo tendimus propior. Major enim timor debet esse peregrinantium, minor propinquantium, nullus pervenientium. *Ibid: ser: 2.*

Ps. 118 102. 1. Io. 4 18. Qui transit ad Christum, transit à timore ad amorem, & incipit amare jam posse, quod timere non poterat. Et qui trepidabat in timore, non trepidat in amore. *Tom: 10. de diver: serm: 20. de Monomachia Goliæ & David.*

Eccl. 1. 16. 1 Io. 4. 18. Initium sapientiæ timor Domini. Timor quasi locum præparat charitati. Cum autem cœperit charitas habitare, pellitur timor qui ei præparavit locum. Quantùm enim illa crescit, ille decrescit: & quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Major charitas, minor timor, minor charitas, major timor. Si autem nullus timor, non est qua intret charitas. Sicut videmus per Setam introduci linum, quando aliquid suitur, Seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem. *Tom: 9. in Epist: Ioan: Tract: 9. de cap: 4.* *Filialem timorem subsequitur charitas.*

TIMOR SERVILIS.

INaniter putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat, quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intùs est hostis. Et quis coram Deo innocens invenitur? qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur. Nam quantùm in ipso est, mallet non esse justitiam peccata prohibentem atq; punientem. *T: 2. ep: 144.* *Non est victor peccati qui pœnæ timore non peccat.*

Ex. 9. 30. Cum fragore cæli, qui vehemens erat in grandine, Pharao territus rogaret Moysen ut oraret. Moyses ei dixit, & tu & servi tui, scio quod nondum timetis Dominum. Qualem timorem quærebat, cui timor iste nondum erat ei timor Domini? Facilè est enim pœnam timere, sed non hoc est Deum timere, illo scilicet Dominico timore pietatis. *Tom: 4. lib: 2. quæst: in Exod: quæst: 35.* *Rarus Dominicus timor pietatis.*

Est etiam timor ignis æterni propter quem devitandum Deo servire, nondum est utiq; charitatis perfectæ. Aliud enim est desiderium præmij, aliud formido supplicij. *Tom: 6. lib: de Sanct: Virg: cap: 38.*

Ps. 13. 8. 2. Reg. 3. 13. Non est timor Dei ante oculos ejus. Ante oculos timor hominum est. Non audet enim publicè profiteri iniquitatem nè vel reprehendatur vel damnetur ab hominibus. Discedit autem à conspectu hominum: quo? ad semetipsum. Ducit se intro & nemo eum videt. Nunquid non ibi est præsens Deus? Fortè latet illum? sed volentem. *Ibid: In psal: 35.*

Ps. 18. 10. Est timor servilis, & est timor castus: est timor nè patiaris pænam, est alius timor nè amittas justitiam. Timor ille nè patiaris pænam servilis est. Quid magnum est timere pænam? Hoc & nequissimus servus, hoc & crudelissimus latro. Non est magnum timere pænam, sed magnum est amare justitiam. Qui ergo amat justitiam nihil timet? Timet planè: non ne incidat in

 pænam-

pœnam, sed nè amittat justitiam. Fratres mei credite & conjicite ex eo qnod amatis. Amat aliquis vestrum pecuniam. Putas invenio aliquem qui non amet? Ex hoc tamen ipso quod amat, intelligat quod dico. Timet damnum. Quare timet damnum? Quia pecuniam diligit. Qantùm amat pecuniam, tantùm timet nè perdat pecuniam. Ergo invenitur aliquis amator justitiæ, qui plus in corde damnum pertimescat, qui plus timeat exspoliari justitiâ quàm tu pecuniâ. Ipse est timor Domini castus, ipse permanet in sæculum sæculi: non eum tollit charitas, sed foras mittit, sed magè complectitur, & comitem tenet: simul & possidet venimus enim ad Dominum, ut videamus facie ad faciem. Ibi timor castus nos servat, timor enim ille non perturbat, sed confirmat. Timet mulier adultera, nè vir ejus veniat, timet & casta, nè vir ejus abscedat. *T. 9 in Evan: Ioan: Tract: 43. de c: 0.*

Fuga animi timor est. Fugisti quia tacuisti: tacuisti quia timuisti. Fuga animi timor est. Corpore stetisti, spiritu fugisti quod ille non faciebat qui dicebat. Etsi corpore absens sum, spiritu vobiscum sum. *Ibid: Tract: 46. de cap: 10.* *1. Cor. 5. 3.*

TRIBULATIO.

Aliquando & invitos contra obnitentes aliqua tempestas, quæ stultis videtur adversa, in optatissimam terram nescientes errantesq; compingit. *T: 1. l: 1. de beata vita in principio.*

Proficit homo in adversis. Homo qui prosperis rebus proficit, adversis quid profecerit discit *T: 1. lib: de vera Relig: c: 47.*

Flammea Cherubim framea tribulatio. Posuit Deus Cherubim & flammeam frameam quæ versatur. Cherubim latinè scientiæ plenitudo esse dicitur. Flammea verò versatilis framea, temporales pœnæ intelliguntur, quæ temporum volutabilitate versantur. Propterea & flammea dicitur, quia urit quodammodo omnis tribulatio. Sed aliud est uri ad consumptionem, aliud est uri ad purgationem. *Tom: 1. lib: 2. de Gen: con: Manich: cap: 23.* *Gen. 3. 24.*

Orandum in tribulatione. Tribulatio proxima est vult intelligi, quia cum caro in doloribus est & in pœnis, profectò anima tunc habet magnum agonem patientiæ, in quo nè deficiat laborandum & orandum est: Nihil est autem animæ sua carne propinquiùs, inde mundi hujus quilibet magnus perfectusq; contemptor, cum alibi patitur, nihil patitur. *Tom: 2: ep: 120. cap: 13.* *Ps. 21 12.*

Non secundùm peccata nostra fecit nobis, qui tanta solatia doloribus miscet, agitq; mirabili medicina, nè amemus mundum, nè deficiamus in mundo. *Ibid: ep: 250.* *Ps. 102. 10.*

Fornax ferrea tribulatio. Eduxit vos de fornace ferrea ex Ægypto. Fornacem ferream duram tribulationem voluit. *T: 3. lib: 5. locut. de Deuter: c: 4.*

Prosunt autem ista mala, quæ fideles piè perferunt, vel ad emendanda peccata, vel ad exercendã probandamq; justitiam, vel ad demonstrandam vitæ hujus miseriam, ut illa, ubi erit beatitudo vera & perpetua, & desideretur ardentius, & instantiùs inquiratur. *T: 3. l: 13. de Trin: c: 16.*

Inobedientia multiplicata miseria. Qui non obtemperantes præceptis saluberrimis, iniquè vivunt, augent etiam atq; etiam morbos suos, & ex ipsis patiuntur innumerabiles miseriarum labores, doloresq; etiam in hac vita. *Et infra.* In quo malo sint, misericorditer admonentur, ut ad medium conversi per gratiam sani fiant. *Ibidem.*

Deserit Deus hominem nè Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Per medicinalem providentiam paululum desertus est à rectore, nè *Ps. 29. 8.*

per

per exitialem superbiam desereret ipse Rectorem. *Tom: 4. lib: de continentia cap: 14.* *ab homine deseratur.*

Ante escas quippè meas gemitus adest. Ante gaudium ciborum, Dei tribulationes præcedere. *Ibid: l: annot: in Iob: c: 3:*

Cum infirmari cæperit non speret sanitatem, tribulari, cadit in languorem. Tales enim impiùs consolationes, quærit in rebus adversis, quibus infirmior fiat. *Ibidem.* *Impietas sibi nocet.*

Sicut ab uno igne aurum rutilat, palea fumat; & sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur; nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur: ita una eademq; vis irruens bonos probat, purificat, eliquat, malos damnat, vastat, exterminat. Unde in eadem afflictione mali Deum detestantur, atq; blasphemant, boni autem precantur & laudant. Tantùm interest non qualia sed qualisquisque patiatur. Nam pari modo exagitatum & exhalat horribiliter cænum, & suaviter fragrat unguentum *T: 5. l: 5. de Civit: Dei c: 8.* *Antitheta justi & impii* *Bonus odor Christi, virtus exagitata*

Non mihi videtur hæc parva esse causa, quare cum malis flagellentur & boni, quando Deo placet, perditos mores etiam temporalium pænarum afflictione punire. Flagellantur enim simul, non quia simul agunt malam vitam, sed quia simul amant temporalem vitam: non quidem æqualiter, sed tamen simul, quam boni contemnere deberent, ut illi correpti atq; correcti consequerentur æternam: ad quam consequendam si nollent esse socij ferrentur & diligerentur inimici: quia donec vivunt, semper incertum est, utrum voluntatem sint in meliùs mutaturi? *Tom: 5. lib: 1. de Civit: Dei cap: 9*

Habent aliam causam boni, quare temporalibus affligantur malis: qualem habuit Job, ut sibi ipse humanus animus sit proba- *Lapis lydius adversitas.*
Iob. 1. 9. tus & cognitus, quanta virtute pietatis gratis Deum diligat nisi forte putandum est Apostolicam illam vacare sententiam, ubi ait
Rom. 8. 28. scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. *Ibidem.*

Septies cadit justus & resurget: id est quotiescunq; ceciderit,
Prov: 24. 16. non peribit. Quod non de iniquitatibus, sed de tribulationibus, ad humilitatem perducentibus intelligi voluit. *Ibid: l: 11: c: 31.* *Casu ad superna attollens.*

Quidquid divinitùs ante ultimum illud judicium vindicatur, sive per improbos, sive per justos, sive per nescientes, sive per scientes, sive occultè, sive palam, non ad interitum hominum, sed ad medicinam valere credendum est, quàm qui respuerint extremo supplicio præparantur. *T: 6. l: con: eplam: fundamenti c: 1.* *Medicina vitæ adversitas.*

Summus ille vitis Agricola aliter parat falcem sarmentis fructuosis aliter infructuosis, tamen non parcit, nec probis, nec reprobis, illis purgandis, illis amputandis. Nullus enim hominum est tantâ justitiâ præditus, cui non sit necessaria tentatio tribulationis, vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem. *Tom: 6. lib: 22. con: Faust: c: 20.*

In tribulatione dilatasti mihi. Corde dilatari est jam in cor-
Ps. 4. 2. de habere infusum Deum cum quo intrinsecus colloquatur. *T: 8. In psal: 4.* *Cor patiens Aula est Dei.*

Adjutor in opportunitatibus exposuit cum addidit in tribu-
Ps. 9. 10. latione. Non enim convertitur anima ad Deum, nisi dum ab hoc sæculo avertitur. Nec opportuniùs ab hoc sæculo avertitur: nisi cum nugatoriis ejus & noxiis & pernitiosis voluptatibus labores doloresq; misceantur. *Ibid: In psal: 9.* *Dolor, tribulatio, Duces ad Deum.*

Dominus dedit Dominus abstulit &c. Sit nomen Domini be-
Iob. 1. 21. nedictum. Et ille Adam in stercore est cautior, quàm Adam in

paradyso : parturiens immortalitatem intrinsecùs, vermibus fluescens extrinsecùs. Nam Adam in paradyso consensit mulieri, ut de paradyso emitteretur : Adam in stercore respuit mulierem ut ad paradysum emitteretur. *Ibid: præfat. in Enar:* 2. *ps:* 29.

Paradysum aperit.

Flagellat omnem hominem quem recipit. Nè te sine flagello speres futurum nisi forte cogites exheredari. Flagellat omnem filium. Itanè omnem. Ubi te volebas abscondere? Omnem; & nullus exceptus, nullus sine flagello erit. Quid an omnem? Vis audire quem omnem? Etiam unicus sine peccato non tamen sine flagello. Cum appropinquaret passioni ex homine quem gerebat contristatus est ut te lætificaret : contristatus est ut te consolaretur. *Ibid: Enar:* 2. *In psal:* 31. *Hebr.* 12. 6.

Flagellatus filius Dei est.

Dictum est & hoc in psalmis, ut in tubis ductilibus laudemus Deum. Tuba ductilis maleo producitur : ita Christianorum cor in Deum pressurarum plagis extenditur. *Ibid: Con:* 2. *in psal:* 32. *Ps.* 150.

In tribulatione corpus organum & tuba est.

Timeat Dominum omnis terra, ab ipso autem cum evehuntur omnes qui habitant orbem non timeant alium pro illo. Fera sævit, Deum time, serpens insidiatur Deum time, homo te odit Deum time, Diabolus te impugnat, Deum time : tota enim creatura sub illo est, quem juberis timere. *Et infra.* Cupiditatem nocendi potest homo habere propriam, potestatem autem si ille non dat non habet : non est enim potestas nisi à Deo, definita sententia Apostoli est. Unde Deus homo stans ante hominem, non haberes inquit in me potestatem nisi data fuisset tibi desuper. Ille judicabat, ille docebat. Cum judicabatur docebat, ut judicaret quod docuerat. *Ibidem.* *Ps.* 32. 8.

Terror à mortal. creatura divinum incurrit timorē.

In angustiis constituto non subest quod quæris, sed adest quem quæris Et illum quære qui deesse nunquam potest. Subtrahuntur quæ dedit, nunquid subtrahitur qui dedit? Redduntur quæ dederat. *T.* 8. *Con:* 1. *In ps:* 34.

Nullum majus nullum melius negotium est in tribulatione quàm recedere ab eo strepitu qui fons est, & ire in interiora mentis secretaria, ibi Deum invocare, ubi nemo videt gementem, & subvenientem. Illius cubiculi adversus omnem extrinsecus illatam molestiam ostium claudere, humiliare seipsum in confessione peccati, magnificare & laudare Deum & corripientem & consulentem. Prorsus hoc omninò tenendum est. *Ibidem Con:* 2. *in psal:* 34.

Solatia in tribulationibus cor Deo sacrū.

Cum res sunt tranquillæ tunc homo sibi colligere debet Verbum Dei, & recondere in intimis cordis sui. quemadmodum formica abscondit in cavernosis penetralibus labores ætatis. Per ætatem enim vacat hoc agere. Venit autem hyems, id est supervenit tribulatio, & nisi intus invenerit quod edat, necesse est ut fame dispereat. *Ibid: Con:* 2. *In psal:* 36.

Annona tribulationis.

Quoniam ego ad flagella paratus sum. Omninò magnificè tanquam diceret ad hoc natus sum ut flagella sufferam. Non enim nasceretur nisi de Adam cui flagella debentur. Sed aliquando peccatores in hac vita aut non, aut minus flagellantur : quia jam desperata est intentio eorum. At verò illi quibus operatur vita sempiterna necesse est ut hic flagellentur, quia vera est illa sententia. Quem enim Dominus diligit corripit : flagellat autem filium quem recipit. Noli ergo piger esse flagellari ut sis inter eos qui merentur recipi. *Ibid: In psal:* 37. *Ps.* 37. 18.

Qui non flagellantur desperatæ vitæ sunt.

Hostem non castigat Deus, sed amicum.

In tribulationibus, in angustiis, in tentationibus fortis esto, perdura : Medici manus est non latronis. *Ib: in psal:* 39.

Nemo sibi promittat quod Evangelium non promittit. Fratres

tres mei obsecro vos, nil nobis promittunt scripturæ nostræ in hoc sæculo nisi tribulationes, pressuras, angustias, augmenta dolorum, abundantiam tentationum. Ad ista nos præcipuè paremus, nè imparati deficiamus. Væ prægnantibus & mammantibus modo audistis. Prægnantes sunt qui spe intumescunt. Mammantes autem id est lectantes qui jam adepti sunt quod concupiverunt. *Ibid: In psal: 39.*

Ps 40. 4. Universum statum ejus vertisti in infirmitate ejus. Non conqueratur quando in his quæ innocenter habet patitur aliquas tribulationes. Docetur amare meliora per amaritudinem inferiorum: nè viator tendens ad Patriam stabulum amet pro domo sua. *Et infra.* Si medicina nostra ignem medicinalem non respuit: patienter ferre debemus urentem Medicum & secantem id est omnibus tribulationibus nos exercentem, & à peccato sanantem. Planè committamus nos Medici manui, non enim curat ut sanum pro putri secet. *Et infra.* Non audivit sanus Medici præceptum ut non caderet, audiat vel ægrotus ut surgat. *Ibid: In psal: 40.*

Tribulatio accendit amorē cælestium.

Tribulatio medicus.

Quid facit formica? Per ætatem colligit quod ei per hyemem prosit. Ergo cum est æstas, cum bene est vobis, cum tranquilli estis audite verbum Domini. Unde enim fieri potest ut in hac tempestate sæculi hujus sine tribulatione totum hoc mare transeatis? Unde fieri potest, cui hoc hominum contigit? si contigit alicui plus metuenda est ipsa tranquillitas. *Ibid: In psal: 41.*

Vita tribulatione metuenda.

Bibe æger calicem amarum ut sanus sis cui non sunt sana viscera. Noli trepidare, quia nè trepidares prior bibit Medicus. Bibit qui peccatum non habebat, qui quod in eo sanaretur non habebat. Bibe donec transeat amaritudo hujus sæculi, & veniat sæculum, ubi nullum scandalum, nulla ira, nulla tabes, nulla amaritudo, nulla febris, nullus dolor, nullæ inimicitiæ, nulla senectus, nulla mors, nulla contentio. Labora hic venturus ad finem, labora, nè cum non vis hic laborare, venias ad finem vitæ & nunquam venias ad finem laborum. Quoniam non videbit interitum cum viderit sapientes morientes. *Ibid: In psal: 48. Con: 1.*

Et vulnera corporis, et sunt medicamenta cordis.

Hic ergo quid? Labor pressura, tribulatio tentatio. Nihil aliud speres ubi gaudium in spe futura. Nam dicit Apostolus: In tantis tribulationibus semper gaudentes. *Ibid: Con: 2 in psal: 48.*

Ps 114. 3. Tribulationem & dolorem invenit. Invenit tribulationem tanquam aliquid utile. Putruerat tabe peccatorum suorum. Jam sine sensu manserat, invenit tribulationem tanquam ustionem & sectionem. *Ibid: In psal: 49.*

Tribulatio medica sectio.

Si ipsum caput nostrum sine primo peracto labore in terra in cælis regnare noluit: neq; levare sursum corpus quod deorsum accepit, nisi per tribulationis viam: quid audent membra sperare capite suo magis se posse esse felicia? Si enim à vestigio ejus aberraverimus, perimus. *Tom: 8. Enar: in psal: 51.*

Tribulatio ad cælum elevat.

Ps. 33. 2. Benedicam Dominum in omni tempore. Semper laus ejus in ore meo. Gaudes agnosce Patrem blandientem, tribularis agnosce Patrem emendantem. Sive blandiatur, sive emendet, cum erudit cui parat hereditatem. *Ibid: in psal: 54.*

Etiam castigans Deus, Pater est.

Tenetur in torculari corpus ejus id est Ecclesia ejus. Quid est in torculari? In pressuris. Sed in torculari fructuosa pressura est. Una in vite pressuram non sentit, integra videtur, sed nihil inde manat: mittitur in torculari calcatur, premitur, injuria videtur fieri uvæ, sed ista injuria sterilis non est, imò si nulla injuria accederet sterilis remaneret. *Et infra.* Miserere mei Domine
Ps. 55. 2. quoniam conculcavit me homo. Noli timere quia conculcavit

te homo. Vinum habeto uva factus es ut calceris. *Et infra.* Primus botrus in torculari pressus est Christus. Cum ille botrus passione expressus, est manavit illud unde calix inebrians quàm præclarus est. Dicat ergo & corpus ejus intuens caput suum. Miserere mei Deus quoniam conculcavit me homo, tota die bellans tribulavit me. Tota die, toto tempore. Nemo sibi dicat, fuerunt tribulationes apud Patres nostros apud nos non sunt. Si putas te non habere tribulationes, nondum cæpisti esse Christianus. Et ubi est vox Apostoli. Omnes qui volunt in Christo piè vivere persecutiones patientur. Si ergo non pateris pro Christo ullam tribulationem, vide nè nondum cæperis pro Christo piè vivere. Cum autem cæperis in Christo piè vivere ingressurus es torcular. Præpara te ad pressuras, sed noli esse aridus, nè de pressura nihil exeat. *Ibid: in psal: 55.*

Tribulatione, tristitiâ, cor Dei exhilaramus.

Christianus non est, sine tolerantia.

2 Tim. 3. 12.

Quo præcessit te, debes sequi. Quid times? Quia præcessit? Per tribulationes, per angustias, per opprobria. Septa erit via, sed antequam transiret, posteaquam transiit sequere, jam patet via illius transitu. Singularis ego sum inquit sed quousq; transeam. *Ibid: in psal: 59.*

Dux in tribulationibus Christus.

Ut suppleam quæ desunt pressurarum Christi in carne mea. Tantum pateris quantum ex passionibus suis inferendum erat universæ passioni Christi: qui passus est in capite nostro & patitur in membris suis, id est in nobis ipsis ad communem hanc quasi rempublicam. Nam quisq; pro modulo nostro exsolvimus quod debemus, & pro posse virium nostrarum, quasi canonem passionum inferimus paratoria planaria: passionum omnium non erit finis nisi cum sæculum finitum fuerit. *Et infra.* Præcesserunt adventum Incarnationis Christi, quædam membra Christi: sicut in nascente quodam nondum quidem præcedente capite præcessit manus, sed tamen capiti connectebatur & manus. Nolite ergo putare fratres omnes justos qui passi sunt persecutionem impiorum, etiam illos qui venerunt missi ante Domini adventum prænuntiare Domini adventum, non pertinuisse ad membra Christi. Absit ut non pertineat ad membra Christi qui pertinet ad Civitatem quæ Regem habet Christum. *Ib: in psal: 61.*

Supplemētum passionis Christi, tribulatio

2. Cor. 9. 12.

MembraChristi patienter adversa ferunt.

Firmus esto adversus ignem, coqui te oportet, tanquam vas fictum mitteris in caminum ignis, ut firmetur quod formatum est. Vas ergo quod in igne formatum est aquam non timet. Vas autem si solidatum igne non fuerit tanquam lutum aquâ solvetur. *Ibid: in psal: 65*

Tribulatio heroes reddit.

Ergo sine causa sanctificavi cor meum. Transitus est ipsius animæ in hac cogitatione, ubi fluctuat in quadam tempestate, perventura ad portum. Et quomodo solent ægri qui lentius ægrotant, cum sanitas longè est, vicina sanitate plus æstuant [accessionem corticam Medici vocant, per quam transitur ad sanitatem] Major ibi æstus, sed ducens ad salutem: major ibi ardor sed vicina refectio. *Ib: in psal: 72.*

Tempestas tribulationis ad portum æternum ducit.

Ps. 72. 13.

Facit hoc Deus quod plerumq; facit & homo. Aliquando iratus homo apprehendit virgam jacentem, in medio fortasse qualecunq; sarmentum, cædit inde filium suum, ac deinde projicit sarmentum in ignem & filio servat hereditatem. Sic aliquando Deus per malos erudit bonos, & per temporalem potentiam damnandorum, exercet disciplinam liberandorum. *T: 8. in psal: 73.*

Tribulatio virga amantis Patris.

In die tribulationis tuæ Deum exquire. Non per Deum aliud, sed ex tribulatione Deum, ut ad hoc Deus removeat tribula-

Iter ad Deum

bulationem ut ſecurus inhæreas Deo. In die tribulationis meæ Deum exquiſivi. *Ibid in pſal 76.*

Hebr. 12. 6. Flagellat autem omnem non parcit: quia flagellat omnem filium quem recipit. Si flagellari detrectas, recipi quare deſideras? *Ibid: in pſal: 79.*

Ergo accipite torcularia myſterium Eccleſiæ, quod nunc agitur. In torcularibus animadvertimus quædam tria, preſſuram: & de preſſura quædam duo, unum recondendum, alterum projiciendum. Fit ergo in torculari conculcatio, tribulatio, pondus, & *2 Tim. 3. 12.* in his oleum eliquatur occultè in gemellarium, amurca publicè per plateas currit. Intendite ad magnum hoc ſpectaculum. *Et infra,* Oliva in arbore, quibuſdam quidem tempeſtatibus agitatur, non tamen preſſuris torcularis atteritur: ideo utrumq; ſimul pendet ex arbore & quod projiciendum eſt, & quod recondendum eſt. At ubi ad torcular & preſſuras ventum fuerit, utrumq; diſcernitur, dirimitur: & aliud appetitur, aliud reſpuitur. Vultis noſſe vim torcularium iſtorum? at unum aliquid dicam. Unde & ipſi murmurant qui ea faciunt. Quantæ inquiunt rapinæ temporibus noſtris, quantæ preſſuræ innocentium, quantæ expoliationes rerum alienarum? Ita ſanè in amurcam attenditis. *Et infra.* *2. Cor. 9. 12.* Diſcute, audi, cognoſce, quam multi faciunt quod ex ore Domini cum audiſſet unus dives triſtis abſceſſit. Ex Evangelio multi audiunt. Vade vende omnia quæ poſſides & da pauperibus & habebis theſaurum in cælis, & veni ſequere me. *Matt. 18. 22* Non attendis quam multi id faciunt? Pauci inquiunt ſunt. Ipſi tamen pauci oleum ſunt, & qui bene utuntur his rebus quas poſſident, ad oleum pertinent. Adjunge omnia & videbis Patris familias tui plenas apothecas. Vides raptorem qualem nunquam vidiſti: Vide contemptorem rerum ſuarum qualem nunquam vidiſti: lauda torcularia, impletur prophetia de Apocalypſi. Juſtus juſtior fiat & ſordidus ſordeſcat adhuc. *T: 8. in pſal: 80.*

Tribulatio ſeparat bona a malis.

Quare noſtris temporibus tempora belli.

Pſ. 88 33. Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in flagellis delicta eorum. Non ergo tantum miſericordia vocantis eſt, ſed & verberantis, & flagellantis. Si itaq; manus paterna ſuper te, & ſi filius bonus es noli repellere diſciplinam Patris tui. Det diſciplinam, dum non auferat miſericordiam, cedat contumacem dum tamen reddat hereditatem. Non timeas flagellari ſed exheredari. Peccator filius dedignatur flagellari, cum ſine peccato videat unicum flagellatum. *Et poſt multâ infra.* Si maneres flagellatus non remaneres exheredatus. *Con: 2. in pſal: 88.*

Tribulatio hereditas divina.

Medicus exerit ferrum ad ſecanda vulnera & dicit ei quem ſecaturus eſt: patiens eſto, ſuſtine, tolera: in doloribus exigit *Pſ. 7[illegible] 13.* patientiam, ſed poſt dolores promittit ſalutem. Et ipſe qui tolerat dolores in ferro medici, niſi ſibi proponat ſanitatem, quam nondum habet deficit in dolore quem patitur. Multa ergo mala ſunt in iſto ſæculo intus foris prorſus non ceſſant: abundant ſcandala nemo illa ſentit, niſi qui graditur viam Dei. Et dicitur in omnibus divinis paginis, ut toleret præſentia ſperet futura: amet quæ non videt, amplectatur cum viderit. *Ibid: in pſ: 91.*

Si flagellantur filij quid debent ſperare ſervi nequiſſimi. *Tom: 8. Expoſ: pſal: 93.*

Si ceſſaret Deus & non miſceret amaritudines felicitatibus ſæculi, obliviſceremur eum: ſed ubi angores moleſtiarum faciunt fluctus animæ, fides illa quæ ibi dormiebat excitatur. *Ibidem.*

Quia neceſſaria erat ira populorum ſervis ejus ut à peccatis ſuis omnibus per ipſas tribulationes curarentur, & ſanarentur:

Medicinæ ſpiritualis.

amarum

amarum poculum prior Medicus bibit, nè bibere timeret ægrotus. Ergo Dominus regnavit irascamur populi? Irascantur populi, quia de ira ipsorum multa bona facit Deus: Illi irascantur & servi Dei purgantur, quia exercentur, coronantur. *Et infra.* Qui contra te sæviant attendis, qui in te sedeat non attendis. Cælum factus es & terram times? Dicit enim alio loco scriptura Dominum Deum nostrum dicere. Cælum mihi sedes est. Si ergo & tu habendo plenitudinem scientiæ & habendo charitatem utiq; sedes Dei factus es, cælum factus es. Non enim hoc cælum quod oculis nostris suspicimus valde pretiosum est Deo. Cælum Dei animæ sanctæ sunt: cælum Dei mentes Angelorum sunt, & omnes mentes servorum ejus. *Ibid: in: ps: 98.*

Tribulatio emplastrum sauciæ virtutis. Virtus in infirmitate perficitur. Ergo novi quem curo non mihi det qui ægrotat consilium. Tanquam emplastrum mordax urit te, sed sanat te. Rogat medicum ut tollat emplastrum: & non tollit nisi cum fuerit sanatum, quo posuerat. Virtus in infirmitate perficitur. *Ibidem.* *2. Cor: 12 9.*

Sicut miseretur Pater filiis, sic misertus est Dominus timentibus eum, Jam sæviat quantum vult, Pater est: Sed flagellavit nos, & afflixit nos, & contrivit nos, pater est. Fili si ploras sub Patre, plora, noli cum indignatione, noli cum typo superbiæ. Quod pateris, unde plangis medicina est non Pæna: castigatio est non damnatio. Noli repellere flagellum, si non vis repelli ab hereditate. Noli attendere quàm pænam habeas in flagello, sed quem locum in testamento. *Ibid: Enar: in psal: 102.* *Medicina.* *Hereditas.*

Sanat & salvat. Humiliatus sum & salvum me fecit. Salvum me fecit quia humiliatus sum. Non enim pænalis sed salutaris dolor est quem secando Medicus fecit. *Ibid: In psal: 114.* *Ps. 114 6.*

Inimicorum dilectio. Tribulatio & necessitas invenerunt me: mandata tua meditatio mea est. Sæviant persequantur, dum tamen mandata Dei non relinquantur, & ex ipsis mandatis etiam qui sæviunt diligantur. *Tom: 8. Con: 28. In psal: 118.* *Ps 118 14.*

Propè es tu Domine & omnes viæ tuæ veritas. Etiam in tribulationibus suis quod eas non immerito patiuntur tribuere Deo veritatem sanctorum est usitata confessio. *Ib: Con: 29. In psal: 118.*

Qui in hoc sæculo non vapulant. Vides felices aliquos in isto sæculo ridentes jactantes se; non vapulant, imò pejus vapulant. Hoc ipso gravius cæduntur, quod sensum jam perdiderunt. Evigilent & vapulent, sentiant quia vapulant, sciant quia vapulant: quoniam qui apponit scientiam apponit dolorem. *T: 8. Enar: psal: 122.*

Tribulatio fructificat. Fulgura in pluviam fecit. Nam fulgura sine pluvia terrerent te, & nihil tibi darent. Fulgura sunt, contremiscis: pluit, gaudes. Fulgura in pluviam fecit qui terruit ipse ut gauderes refecit. *T. 8. Enar: in psal: 134.* *Ps 139 8.*

Ægyptus afflictio est, Pharao dissipatio: Afflictio ergo Regem habet dissipationem: quia illi qui affligunt Ecclesiam, dissipati affligunt. Ut enim affligant dissipantur: quoniam Rex ducit, populus sequitur, procedit dissipatio sequitur afflictio. *Ibidem Expos: psal: 134.*

Per tribulationes pervenitur ad vitam æternam. Via nostra Christus est, Christum attendite. Pati venit, sed glorificari: contemni, sed etiam exaltari: mori, sed etiam resurgere. Opus te terret, mercedem vide. Quare vis pervenire delicatus ad eam rem, ad quam non perducit nisi labor. *Et infra.* Si ad argentum tuum, quod quando vel moriens amissurus es, non pervenisti sine labore: ad vitam æternam sine labore vis pervenire? *T: 10. de verb: Dom: ser: 6. de puero Centurionis.*

Ideo

Ideo Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, ut alia quæratur felicitas, cujus dulcedo non est fallax. ***Ibidem serm* : 29. *Quis vestrum habet amicum &c.***

Felicitas mundi cur amara.

Si dulcis est mundus, dulcior est Christus. Si amarus est mundus, omnia pro te sustinuit Christus. Via tibi factus est ipse Salvator. Surge, ambula, habes quo, noli pigrescere. Sed fortè quæris quo? vides enim viam, & quæris quo ducat hæc ipsa via? Ad veritatem & ad vitam ducit. Si amas veritatem, si amas vitam, & cupis ad veritatem & ad vitam venire, à via noli errare. Video inquis, viam, & cupio ambulare: sed amara est, aspera est. Arcta enim & angusta via est, quæ ducit ad vitam. Christus transivit, & adhuc aspera est: Caput transivit, & membra dubitant? Sed Christus inquis Deus & homo; ego autem homo. Tot millia Martyrum transierunt, & adhuc tibi aspera est? Transierunt senes, transierunt juvenes, transierunt pueri, puellæ transierunt, viam quam timebas, tritam tibi fecerunt. Ambula ergo viam, securus ambula. Quid enim metuis in hac via? Mortem? Et mortem times, qui ad vitam curris? Si bonus es bene in hac via curris: mors tibi janua erit, quæ te repræsentet, non quæ auferat vitæ. *T: 10. de Temp: ser: 46. Dnica 4. post. Oct. Epiph. serm: 1.*

Angusta & arcta ad vitam via.

Mors janua vitæ.

Præsentia mala sine dubio transitoria sunt, aut illa per nos transeunt, aut nos per illa transimus: aut transeunt nobis viventibus, aut dimittuntur nobis morientibus. Non est in tribulatione magnum, quod tempore breve est. Quisquis cogitas crastinum diem, non revocas hesternum diem. Imminente die perendino, hesternus erit & crastinus. Verumtamen si curis tantis homines æstuant, ad evadendas temporales & transcurrentes, vel potius transvolantes tribulationes: quid est cogitādū ut homo evadat manentes, & sine fine durantes? Dura causa est vita mortalis. Quid est aliud hic nasci, nisi ingredi laboriosam vitam? De labore futuro nostro, testis est ipse fletus infantis. Ab isto molesto convivio nemo est excusatus. Bibendum fuit quod propinavit Adam. *Et infra.* Quem non corrigunt verba corrigant experimenta. Non surgitur, non proceditur, nisi ut una voce dicatur ab omnibus: væ nobis, ruit mundus. Si ruit, quare non migras? Si tibi architectus diceret ruituram domum tuam: nonnè prius migrares quàm murmurares? Structor mundi tibi dicit ruiturum mundum, & non credis. Audi vocem prædicentis, audi consilium commonentis. Vox prædicentis est, & cælum & terra transibunt. Vox commonentis est, nolite vobis condere thesaurum in terra. *Ibid: serm: 50. Dnica in Septuagesima.*

Nulla tribulatio magna.

Quomodo mali serviunt bonis? Quomodo persecutores Martyribus, quomodo limæ vel mall i auro, quomodo molæ serviunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia, ut illi coquantur, illi consumantur. Quomodo inquam mali serviunt? Quomodo in fornace aurificis palea servit auro, ubi sine dubio palea consumitur, aurum probatur. Non ergo glorientur nec se extollant mali, quando bonis aliquas tribulationes immiserint: quia cum illos persequuntur in corpore, se occidere probantur in mente. *Ibid: serm: 78 feria 4. post 2. Dnicam Quadr: ser: 2.*

Boni probantur per malos.

Propterea se Judex venturum minatur, ut non inveniat quos puniat, cum venerit. Propterea illud cantant Prophetæ, ut corrigamur. Si damnare vellet, taceret. Nemo volens ferire, dicit, observa. Totum fratres quod audivimus per scripturas, vox est Dei dicentis, observa. Et totum quod patimur, tribulationes in hac vita flagellum Dei est corrigere volentis, nè damnet in fine.

Deus in hoc mundo flagellat, nè damnet

Quasi dura sunt, molesta sunt, horrent quando narrantur: quæ quisq; gravia valdè patitur in hac vita: in comparatione autem æterni ignis non parva, sed nulla sunt. *Ibidem serm*: 109. *feria* 3. *post Dnicam passionis.*

Sed potes sæviendo etiam de Patria me pellere. Nocuisti si illuc me expuleris, ubi Deum meum invenire non possum. Fortè valebis etiam occidere. Ruente carnali domo, incolumis habitator abscedo, & ad illum cui servo fidem, securus exibo, & te amplius non timebo. Vide enim quid minaris: ut falsum testimonium dicam, mortem minaris sed corporis. *Ibidem serm*: 112. *Dominica* 8 *post festum S. Trinitatis.*

Mali palea mundus fornax.

Quid faciunt in hoc mundo homines mali? Responde mihi, in fornace aurificis palea quid facit? Puto non ibi esse sine causa paleam, ubi aurum purgatur. Videamus quæ ibi sunt omnia. Fornax est, palea est, aurum est, ignis est, artifex est. Sed illa tria aurum palea ignis in fornace, aurifex ad fornacem. Attende etiam istum mundum Mundus fornax est; palea homines mali; aurum homines boni; ignis tribulatio; artifex Deus. Attende & vide; aurum non purgatur, si palea non uratur. *Ibid*: *serm*: 254. *In anniver*: *dedicat*: *serm*: 3.

Si Deus pro nobis quis contra nos? Totus mundus contra vos, & dicitis, quis contra nos? Respondent tibi: Et quis est totus mundus quando pro eo morimur, per quem factus mundus? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Ecce contra te est Rex; si Deus pro nobis quis contra nos? Ecce contra te est populus. Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Et infra*. Pro nobis omnibus tradidit illum: Quomodo non etiam & cum illo omnia donavit? Quando cum illo nobis omnia donavit, & ipsum nobis donavit. Terret te fremitus mundi cui donatus est artifex mundi? Christum nobis donatum esse gaudeamus, & nullos Christi inimicos in hoc sæculo timeamus. *Tom*: 10. *de SS serm*: 48. *in festis plurium Martyrum serm*: 4. *Rom*. 8. 31.

Bona mala q; æquo animo suscipienda.

Plenus erat Sanctus Job, omnia uno ictu perierunt. *Et infra*. Quid ista miseria miserius? Quid interiore felicitate felicius? *Iob*. 2. 10. Perdiderat omnia quæ dederat Deus, sed habebat ipsum qui dederat omnia. *Et infra* Si bona suscepimus de manu Domini, mala cur non toleramus? O virum putrem & integrum! ô fædum & pulchrum: ô vulneratum, & sanum! ô in stercore sedentem, & in cælo regnantem; Si amamus, imitemur, ut imitemur laboremus, & si labore subdeficimus, adjutorium imploremus. Adjuvat certantem, qui certamen indixit. Non enim sic te Deus expectat certantem, ut populus aurigam, clamare novit, adjuvare non novit. Non sic te Deus expectat certantem, ut agonista expectat athletam, coronam fæneam parat, vires subministrare laboranti non novit. *T*: 10. *Homil*: 11 *de diver*: *ser*: 2. *de Susanna*.

Quid times? Ambula in Domino Deo tuo, certus esto. Quod te non vult pati non pateris: quod te permiserit pati flagellum corrigentis est, non pæna damnantis: ad hereditatem sempiternam erudimur, & flagellari dedignamur? Fratres mei si recusarit quispiam puer colaphis aut flagellis cædi à Patre suo, quomodo diceretur superbus, desperatus, ingratus paternæ disciplinæ? Et ut quid erudit Pater Homo, Filium hominem? ut possit non perdere temporalia, quæ illi acquisivit, quæ illi collegit, quæ non vult eum perdere, quæ ipse qui relinquit non potuit in sempiternum tenere. *T*: 9. *in Evan*: *Ioan*: *Tract*: 7. *de cap*: 1.

Flagellat autem omnem filium quem recipit. Et para te flagellari,

Hebr. 12. 6. gellari, aut certè non quæras recipi. Flagellat autem omnem filium inquit quem recipit. Et tu forte exceptus eris? Si exceptus à passione flagellorum, exceptus à numero filiorum. Itanè inquies flagellat omnem filium? Prorsus ita flagellat omnem filium ut & unicum. *Et infra.* Qui ergo flagellat unicum sine peccato, nunquid relinquit adoptatum cum peccato? *Tom: 9. lib: de Pastoribus in caput 34. Ezechielis cap: 5.*

Filii flagellantur.

Patientes estote usq; ad adventum Domini. Tolerate mala quæ patimini à malis cum malis: quia ista tentatio vestra est examinatio. Si aurum es, quid times paleam? quid times ignem? non quidem eritis in fornace, sed ignis paleas in cineres vertit, tibi sordes tollit. Si frumentum es quid times tribulam? Non apparebis qualis antea eras in spica, nisi tribula conterendo à te separaverit paleas. Si oleum es, quid times pressuram præli? Non declarabitur species tua nisi etiam pondus lapidis à te separaverit amurcam. *T: 9. lib de Temp: barbarico Tract: 5. c: 3.*

Tentatio bonorum hominum examen.

Fortior fuit Job in doloribus, quàm ille Adam in nemoribus: iste non cessit tormentis, ille separatus est in deliciis. *Ib: c: 6.*

Fortior Iob in doloribus quā Adam in deliciis.

SS. TRINITAS.

Rom. 8. 11. Fides nostra est, Patrem & Filium & Spiritum sanctum unum Deum credere & confiteri, nec tamen eum qui Filius est Patrem dicere, nec eum qui Pater est Filium, nec eum qui Spiritus Patris & Filij est, aut Patrem, aut Filium nuncupare. His enim appellationibus hoc significatur, quod ad se invicem referuntur, non ipsâ substantiâ, quâ unum sunt. *T: 2. ep: 174.*

Homousion exponitur de græco unius substantiæ Pater & Filius & Spiritus sanctus. Etsi enim verbum ipsum in lege scriptum non invenitur, res ipsa tamen invenitur, quia æqualis esse Patri Filius per Beatum Joannem primitùs, & per Paulum postea comprobatur. Addamus & tertium Thomam illum discipulum post dubitationem, fortiùs confitentem Dominum & Deum, quem nec resurrexisse crediderat crucifixum. Dominus inquit & Deus meus. Approbat Filius dictum, quia se cognoscit à sua Creatura justissimè Deum & Dominum proclamatum: Patri utiq; & Spiritui sancto coæternum. Absit ut erubescamus Catholici in universo manentes nos appellari propter fidem veram unius ejusdemq; substantiæ à nonnullis verbum græcum non intelligentibus *Homousianos*, qui nos appellari gaudemus de græco Christi nomine *Christianos. Ibid: ep: 178.*

Homousion.

Iob. 20. 10.

Credatur honorificè unitati, nè fiat injuria temerè Trinitati. *Ibidem.*

Vnitas Trinitati non iniuriosa.

Res aliæ sunt, quibus fruendum, aliæ quibus utendum. Illæ quibus fruendum est, beatos nos faciunt: istis quibus utendum est, tendentes ad beatitudinem adjuvamur, & quasi adminiculamur. Frui est alicui amore inhærere propter se ipsum: uti autem, quod in usum venerit ad id quod amas obtinendum referre, si tamen amandum est. Nam usus illicitus, abusus potius nominandus est. Res igitur quibus fruendum est Pater & Filius & Spiritus sanctus est, eademq; Trinitas, hæc unus Deus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. *Et infra..* In Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto unitatis æqualitatisque concordia: & tria hæc, unum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter filium, connexa omnia propter Spiritum sanctum. Diximus nè aliquid, & sonuimus aliquid dignum Deo? imò ve-

Quid frui quid uti.

rò me nihil aliud, quàm dicere voluisse sentio. Si autem dixi non est hoc quod dicere volui. Hoc unde scio ? nisi quia Deus ineffabilis est; quod autem à me dictum est, si ineffabile esset, dictum non esset. *Tom: 3. lib: 1. de Doctr: Christ: à cap: 3. ad cap. 6*

Ita Trinitas unus est Deus sicut scriptum est? Audi Israel Dominus Deus tuus, Deus unus est. Nam cum de fonte interrogati non possumus dicere, quod ipse sit fluvius; nec de fluvio possumus dicere, quòd sit fons; & rursum potionem quæ de fonte & fluvio est, nec fluvium nec fontem possumus appellare: tamen in hac Trinitate aquam nominamus: & cum de singulis quæritur, singillatim aquam respondemus. Et sicut in arbore radix, non est nisi radix, nec robur nisi robur, nec ramos nisi ramos possumus dicere: cum illa regula nominis maneat, ut radix lignum sit, & robur lignum, & rami lignum, nec tamen tria ligna dicantur: sed unum. Illud certè omnes concedunt, si ex fonte tria pocula impleantur: posse dici tria pocula, tres autem aquas non posse dici; sed omninò unam aquam: quanquam de singulis poculis interrogatus in quolibet horum aquam esse respondeas. Hæc autem non propter illius divinæ naturæ similitudinem, sed etiam propter visibilium unitatem corporalia exempla data sunt: ut intelligeretur fieri posse ut aliqua tria non tantum sigillatim sed etiam simul unum singulare nomen obtineant. Nec quisquam miretur & absurdum putet, quod Deum dicimus Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, nec tamen tres Deos in ista Trinitate, sed unum Deum unamque substantiam. *Tom: 3. lib: de fide & symbolo cap: 9.*

De Trinitaae quæ Deus summus & verus est, libros juvenis inchoavi, senex edidi. *T: 3. in Prologo ad libros de Trin:*

Periculosissimus in Trinitate error.

In omnibus scriptis meis maximè ubi quæritur unitas Trinitatis Pater & Filius & Spiritus sanctus, nec periculosiùs alicubi erratur, nec laboriosiùs aliquid quæritur, nec fructuosiùs aliquid invenitur. *T: 3. lib: 1. de Trin: c: 3.*

Quemadmodum cum memoriam meam & intellectum & voluntatem nomino, singula quidem nomina ad res singulas referuntur, sed tamen ab omnibus tribus singula facta sunt, nullum enim horum trium nominum est, quod non & memoria & intellectus, & voluntas mea simul operata sint: ita Trinitas simul operata est, & vocem Patris & carnem Filij & columbam Spiritus sancti: cùm ad singulas personas hæc singula referantur. Qua similitudine utcunq; cognoscitur inseparabilem in seipsa Trinitatem, per visibilis creaturæ speciem separabiliter demonstrari, & inseparabilem Trinitatis operationem etiam in singulis esse rebus, quæ vel ad Patrem, vel ad filium, vel ad Spiritum sanctum demonstrandum propriè pertinere dicuntur. *Ib: lib: 4. c: 21.*

Spiritus Sanctus Patris et Filii communio.

Spiritus sanctus, ineffabilis est quædam Patris & Filij communio, & ideo fortasse sic appellatur, quia Patri & Filio potest eadem appellatio convenire. Nam hoc ipse propriè dicitur, quod illi communiter. Quia Pater Spiritus, & Filius Spiritus, & Pater Sanctus, & Filius Sanctus. Ut ergo ex nomine quod utriq; convenit, utriusq; communio significetur, vocatur donum amborum Spiritus sanctus. Et hæc Trinitas unus Deus, Deus solus, bonus, magnus, æternus, omnipotens: ipse sibi unitas, Deitas, magnitudo, bonitas, omnipotentia. *Ibid: lib: 5. c: 11.*

Si ergo & quod datur, principium habet eum à quo datur, quia non aliunde accepit illud, quod ab ipso procedit, fatendum est Patrem & Filium principium esse Spiritûs sancti, non duo prin-

principia. Sed ſicut Pater & Filius unus Deus, & ad creaturam relativè unus Creator & unus Dominus; ſic relativè ad Spiritum ſanctum unum principium. Ad Creaturam verò Pater & Filius & Spiritus ſanctus unum principium, ſicut unus Creator & unus Dominus. *Ibid: lib: 5 c: 14.*

Quidam cum vellet breviſſimè ſingularum in Trinitate perſonarum inſinuare propria. Æternitas [inquit) in Patre, ſpecies in imagine, uſus in munere Hilarius hoc in libris ſuis poſuit. Ille igitur ineffabilis quidam complexus Patris & Imaginis non eſt ſine perfruitione, ſine charitate, ſine gaudio. Illa ergo dilectio, delectatio, felicitas, beatitudo, ſi tamen aliqua humana voce dignè dicitur, uſus ab illo appellatus eſt breviter, & eſt in Trinitate Spiritus ſanctus; non Genitus, ſed Genitoris Genitiq; ſuavitas, ingenti largitate atq; ubertate perfundens omnes creaturas pro captu earum, ut ordinem ſuum teneant, & locis ſuis acquieſcant. Hæc igitur omnia, quæ arte Divina facta ſunt, & unitatem quandam in ſe oſtendunt, & ſpeciem & ordinem. *Ib: c: 10.*

Nec confusè accipiendum eſt, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia: nec Diis multis ſed ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. *Ibidem.*

Licuit loquendi & diſputandi neceſſitate tres perſonas dicere. Non quia ſcriptura dicit, ſed quia ſcriptura non contradicit. Si autem diceremus tres Deos, contradiceret ſcriptura dicens: audi Iſrael Dominus Deus tuus, Deus unus eſt. *Ib: c: 4.*

Tricorporem Gerionem fabulæ ferunt: ſed quidquid animo tale occurrerit ut majus ſit in tribus, quam in ſingulis, minuſque in uno quàm in duobus, ſine ulla dubitatione reſpuatur. Ita enim reſpuitur omne corporeum. In ſpiritualibus autem omne mutabile quod occurrerit: non putetur Deus. *Ib: l: 8. c: 2.*

Hæc tria, memoria, intelligentia, voluntas, quoniam non ſunt tres vitæ; ſed una vita; nec tres mentes, ſed una mens, conſequenter utiq; nec tres ſubſtantiæ. ſed una ſubſtantia. Memini me habere memoriam, intelligentiam, & voluntatem, & intelligo me intelligere, & velle atq; meminiſſe: & volo me velle & meminiſſe, & intelligere totamq; meam memoriam, intelligentiam & voluntatem ſimul memini. Quapropter tota ſingula ſingulis, & tota ſingula ſimul omnibus totis, & hæc tria unum, una vita, una mens, una eſſentia. Jamnè igitur aſcendendum eſt qualibuſcunq; intentionis viribus ad illam ſummam & altiſſimam eſſentiam, cujus impar imago, humana mens, ſed tamen imago? *Ibidem lib: 10 cap: 11.*

Potentiæ non diſtinguuntur ab anima.

Mens Trinitatis Imago.

Domine Deus noſter! Credimus in te Patrem & Filium & Spiritum ſanctum. Neq; enim diceret veritas: Ite baptiſate omnes gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti; niſi Trinitas eſſes. Nec baptiſari nos juberes Domine Deus in ejus nomine, qui non eſt Dominus Deus: Neq; diceretur voce divina: Audi Iſrael Dominus Deus tuus, Deus unus eſt: niſi Trinitas ita eſſes, ut unus Dominus Deus eſſes. *T: 3. lib: 15. c: 28.*

Domine Deus unus, Deus Trinitas, quæcunq; dixi in his libris de tuo agnoſcant & tui. Si quæ de meo & tu ignoſce, & tui Amen. *Ibidem.*

In principio fecit Deus Cælum & terram. Trinitas inſinuatur Creatoris. Nam intelligimus Patrem in Dei nomine, & Filium in principij nomine; dicente autem ſcriptura: Et Spiritus ferebatur ſuper aquas; completam commemorationem Trinitatis agnoſcimus. *T: 3. lib: 1. de Gen: ad lit: c: 6.*

Evidens Trinitatis argumentum. Ite baptisate omnes gentes, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti; ubi ipsa Trinitas excellentissimè & evidentissimè commendata est. *T: 5. l: 13. de Civit: Dei cap: 24.*

Solvitur objectio Arrianorum. Interrogant [intellige Arriani (utrum Pater Filium volens an nolens genuerit, ut si responsum fuerit quod volens genuerit, dicant: Prior est ergo voluntas Patris. Quod autem nolens genuerit, quis potest dicere? sed ut noverint, quàm inania loquantur etiam ipsi interrogandi sunt, utrum Deus Pater volens an nolens sit Deus. Non enim audebunt dicere nolle se esse Deum, si ergo responderint, quod volens sit Deus, eo modo illis inferenda est, vanitas sua, quâ dici potest prior illo esse voluntas ejus, quo quid dicitur stultius? *T: 6. lib: con: ser: Arrian: c: 1.*

Nisi fortè potest homo Pater mittere hominem Filium unius ejusdemq; substantiæ, & non potest Deus: cum homo missus ab homine mittente separetur, quod Deus non potest. Sed ignis mittit splendorem suum, nec splendor missus separari potest ab igne mittente, quamvis & ista, quia Creatura est visibilis, non ex omni parte huic rei sit comparabilis: cum enim splendorem mittit ignis, longiùs pervenit splendor, quo ignis non pervenit. *Ibidem.*

Ita sese habet Catholicæ veritatis antiquitas, ut ei omnes hæretici diversa nomina imponant, cùm ipsi sua singula sicut ab omnibus appellantur, obtineant. Arriani quippè & Eumoniani non alij hæretici nos vocitant Homousianos, quia contra eorum errorem græco vocabulo Homousion defendimus Patrem & Filium & Spiritum sanctum, id est unius ejusdemq; substantiæ, vel ut expressiùs dicatur essentiæ, quæ Usia græcè appellatur: quod planius dicitur unius ejusdemq; naturæ, exheredari se ab eo mallet Filius, quàm hoc putari. *ibid: c: 37.*

Tandem hunc pretiosum librum concludit. Tunc enim Deus omnia erit in omnibus, cùm præter ipsum nihil omninò habere velle cæperimus. Omnia quippè ipse nobis erit, quando ipso sufficiente nihil deerit. *Ibidem.*

Charitas multa corda unũ facit. Erat enim eis anima una & cor unum. Tot corda, tot millia cordium unum cor fecit charitas Spiritus sancti: tot millia animarum, unam dixit animam Spiritus sanctus, quam ipse unam animam fecit: quantò magis nos unum Deum dicimus, semper invicem sibi & inseparabiliter & ineffabili charitate cohærentes. Patrem & Filium & Spiritum Sanctum? *T: 6. con: Maxim: § 3.* *Act. 4. 32*

Aliud est unum sunt: aliud unus est. Quando dicitur unum sunt, etsi non dicatur, quid unum, intelligitur una substantia. Quando dicitur unus est, de duabus diversisq; substantiis necesse est ut quæratur quid unus, v. g. Diversa substantia est anima & corpus, tamen unus homo: diversa substantia est, spiritus hominis & Spiritus Dei, tamen cum Domino adhæret, unus spiritus est: addidit spiritus; non dixit unum sunt. Ubi autẽ cum dicitur unum sunt, una substantia significatur. *ibid: §. 6.*

Sed dicis de Filio: si æqualis esset, utiq; talis, id est quia non est ingenitus, non videtur talis. Posses dicere non esse hominem quem genuit Adam, quia ipse Adam non est genitus, sed factus à Deo. Si autem potuit Adam esse, & non esse genitus, & tamen hoc generare, quod erat ipse, non vis ut potuerit Deus Deum æqualem sibi? Puto me tibi ad omnia respondisse. Sed si non vis esse discipulus, noli esse multiloquus. *ibid: §. 6.*

Admonui te ut proferres si posses, quia divina authoritate, sit dictum, quod unum sint, ubi substantiæ sunt diversæ. Tu autem

tem respondere ad hoc volens, nihil tale proferre potuisti, sed magnis coarctatus angustiis affirmare ausus es, quod Apostoli u-
Io. 17. num sint cum Patre & Filio; Non inquit pro eis rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint. Neq; hic dixit, ut nobiscum unum sint, deinde sequitur, sicut tu Pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis unum sint. Et hic non dixit unum simus, aut unum nobiscum sint: sed unum sint in nobis: ut qui natura unum sunt, quia homines sunt etiam in Patre & Filio sint unum: non cum ipsis unum id est non ut ipsi & isti sint unum. *ibid c*: 12.

Quæris à me si de substantia Patris est Filius, de substantia Patris est etiam Spiritus Sanctus, cur unus Filius sit, alius non sit Filius? ecce respondeo, sive capias, sive non capias. De Patre est Filius, de Patre est Spiritus Sanctus, sed ille est genitus, iste procedens: ideo ille Filius est Patris, de quo est genitus: iste autem Spiritus utriusq; quoniam de utroq; procedit. *ibid*: *c*: 14.

S. Spiritus à Patre & Filio processio.

An fortè nos admonere voluisti, quod baptisari Dominus jusserit gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti? ubi audis unum nomen, & unam non vis intelligere Deitatem. *ibidem lib*: 3 *cap*: 16.

Unitas Deitatis in tribus personis ostenditur.

Quæ sit potentia ignis videamus, ex quo semper splendor est, semper vapor est, utrumq; de eo nascitur, nec ideo tamen ignis sine horum quolibet aliquatenus invenitur. Hæc tria non se invicem gignunt, quia non de splendore ignis est vapor, aut de vapore ignis est splendor, sed de igne splendor & vapor semper est genitus. Quæ cum ita sint videsne etiam in Creaturis posse aliquid nasci, nec ostendit tamen tempus, quo id de quo natum est, sine genito potuerit inveniri. Si ergo ista visibilibus exemplis perspicimus, cur non de Patre & Filio & Spiritu sancto, quantum ad communem duntaxat atq; indifferentem similia prædicemus. *T*: 6 *lib*: *con*: *Felician*: *Arrian*: *c*: 5.

Ps. 5. 3. Intende voci obsecrationis meæ Rex meus & Deus meus. Nec dixit intendite, sed intende. Non enim duos aut tres Deos fides catholica prædicat, sed ipsam Trinitatem unum Deum. *Tom*: 8. *In psal*: 5.

Deus unus.

Act. 4. 32. Unde etiam in fide Catholica contra venena quorundam hæreticorum sic ædificamus, ut dicamus Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unius substantiæ esse. Quid est unius substantiæ? v. g. Si aurum est Pater, aurum & Filius, aurum & Spiritus sanctus. Quidquid est Pater quod Deus est, hoc est Filius, hoc Spiritus sanctus. Cum autem Pater est non illud est quod illud est. Pater enim non ad se sed ad Filium dicitur. Itaq; eo quod Deus est hoc ipso substantia est. Et quia ejusdem substantiæ Filius procul dubio & Filius Deus. At vero quod Pater est, quia non substantiæ nomen est, sed refertur ad Filium: non sic dicimus Filium Patrem esse quomodo Filium Deum esse. *Ibid*: *in psal*: 68.

Deus substantiæ unius.

Pater Relativum nomen.

Creator & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Pastor & vitæ dator, & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Cibus & Panis æternus & Pater &, Filius, & Spiritus Sanctus. Disce & doce, vive, & pasce. Deus qui tibi dat, nihil melius quam se tibi dat. Avare quid aliud quærebas? Aut si aliud petas, quid tibi sufficit, cui Deus non sufficit: Sed opus est ut habeas charitatem, habeas fidem, habeas spem: ut possit tibi dulce esse quod datur. *Tom*: 10. *serm*: *de verb*: *Domini serm*: 29.

SS. Trinitas creat, vivificat & pascit hominem.

Nemis avarus est cui Deus non sufficit.

Non potest dici sola memoria nisi operante voluntate, intellectu & memoria. Non potest dici solus intellectus, nisi ope-

rante

rante memoria voluntate & intellectu, non potest dici sola voluntas, nisi operante memoria, intellectu & voluntate. *Et infra.* Unum horum omnium tria faciunt, sed tamen hoc unum quod tria fecerunt, non ad tria pertinet, sed ad unum. Tria fecerunt nomen memoriæ, sed hoc non pertinet, nisi ad solam memoriam. Tria fecerunt nomen intellectus; sed non pertinet nisi ad solum intellectum. Tria fecerunt nomen voluntatis, sed non pertinet nisi ad solam voluntatem. Ita Trinitas fecit carnem Christi, sed non pertinet nisi ad solum Christum. Trinitas fecit de cælo columbam, sed non pertinet nisi ad solum Spiritum sanctum. Trinitas fecit de cælo vocem, sed non pertinet vox nisi ad solum Patrem. *Ibidem serm: 63.*

Ecce sicut videmus in sole tria sunt, & separari omnino non possunt. Quæ autem tria sunt videamus. Cursus, splendor, & calor. Videmus enim solem in cælo currentem, fulgentem, calentem. Divide ergo si potes Ariane solem, & tum demum divide Trinitatem. *Et infra.* Et ignis enim tria habet, & dividi non potest: hoc est motum lucem & fervorem. Si igitur nefande hæretice dividere non potes creatum solem & ignem, quomodo potes dividere Deum omnium Creatorem? *Et infra.* Tam veteribus, quàm novis scripturis satis apertè probatum est divinam unitatem, trinitatem inseparabilem. *Tom: 10. serm: de verb: Apost: serm: 1. De individua Trinitate.*

Attendis pluralitatem Personarum, sed unitatem Divinitatis agnosce. Propter pluralitatem enim personarum dictum est. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Non ait; faciam hominem: sed attende cum facio, ut possis & tu alterum facere. Faciamus inquit, pluralitatem audio: ad imaginem nostram, item pluralitatem audio. Ubi ergo singularitas divinitatis? lege sequentia. Et fecit Deus hominem. Dicitur, Faciamus hominem, & non dicitur, fecerunt Dij hominem. Intelligitur unitas in eo quod dictum est, fecit Deus hominem. *T: 10. 50. Homil: 32.*

Inseparabilia sunt opera Trinitatis. Sic ergo accipite Spiritum sanctum, ut non credatis minorem esse quàm Filium. & minorem esse quàm Patrem. Pater enim est Filius & Spiritus sanctus, tota Trinitas unus Deus. Nihil ibi distat, nihil varium, nihil defectivum, nihil alteri contrarium, æquale semper, invisibile, & incommutabile Pater & Filius & Spiritus sanctus. Liberet nos Trinitas à multitudine peccatorum. *Tom: 10. serm: de Temp: serm: 129. Feria 2. post Dnicam Palm: serm: 3.*

In Trinitate non minùs aliquid aut majus: quia si in Deo aliquid minùs dicitur, imperfecta divinitas accusatur. *Ibidem serm: 184. In festo Pentecostes serm: 2.*

Ite & baptisate omnes gentes in Nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: tria nomina audio, & unum dicitur nomen. Non enim dixit in Nominibus: sed in Nomine. Tria nomina dicit, & quomodo unum ponit? In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti unum est: Sed Trinitas est nomen quod dicitur in Nomine Patris Dei, in Nomine Filij Dei, in Nomine Spiritus sancti Dei, Pater & Filius, & Spiritus sanctus unum nomen est divinitatis. *Et infra.* Dividuntur enim proprietatibus, sed natura sociantur. *Ibid: serm: 189. in festo SS: Trinitatis serm: 1.*

Matt. 28.19.

Trinitatis Personæ proprietatibus divisæ sociantur in natura.

Ideo tota Deitas sua perfectione æqualis est, ut exceptis vocabulis quæ proprietatem Personarum indicant, quidquid de una persona dicitur, de tribus dignissimè possit intelligi. *Ibid: ser: 3.*

Tanta

Tanta ibi est charitas Spiritus sancti, tanta pax unitatis, ut de singulis cum interrogatur, Deus tibi respondeatur: de Trinitate cum interrogatur Deus tibi respondeatur. Si enim spiritus hominis quando inhæret Deo unus spiritus est, apertè Apostolo dicente; Qui adhæret Domino unus spiritus est: quantò magis Filius æqualis adhærens Patri simul cum illo unus Deus est? *Et infra* Si enim hic tanta charitas est, ut animam tuam, & animam amici tui unam animam faciat, quomodo ibi non est unus Deus Pater & Filius? Absit ut hoc sentiat fides non ficta. *Tom: 9. In Evan: Ioan: Tract: 14. de cap: 3.*

Non ergo tantum & Filij sed & Spiritus sancti, sicut æqualitas & inseparabilitas personarum ita etiam opera inseparabilia sunt. *Ibid: Tract: 20. de cap 5.*

Alius est, rectè dicis, aliud non rectè. Alius enim est Filius quia non est ipse qui Pater, & alius Pater, quia non ipse qui Filius: non tamen aliud sed hoc ipsum est, & Pater & Filius Quid est hoc ipsum est? Unus Deus est. *Et infra.* Vis habere bonam causam? Habeto duos vel tres hostes Patrem & Filium & Spiritum sanctum. *Ibid: Tract: 36. de c: 8.*

Sæpè diximus inseparabilia esse opera Trinitatis: sed singulatim commendandas fuisse personas, ut non solum sine separatione, verùm etiam sine confusione, & unitas intelligatur, & Trinitas. *Ibid: Tract: 95. de cap: 16.*

Si in terris & in hominibus potuit esse tanta charitas, ut de tot millibus animabus faceret unam animam: ubi semper inseparabilis fuit Pater à Filio, Filius à Patre, potuerint ambo esse, nisi Deus unus? *T: 9. lib: 1. de symb: ad Cathechum c: 2.*

Credo te ex toto corde Rex cæli & terræ Domine, & ore te confiteor Patrem & Filium, & Spiritum sanctum in personis trinum, & in substantia unum verum Deum omnipotentem, unius simplicis & incorporeæ, invisibilis & incircumscriptæ naturæ, nihil nec superius aut inferius, majùsve aliquid habentem, sed per omnem modum sine deformitate perfectum, sine quantitate magnum, sine qualitate bonum, sine tempore sempiternum, sine morte vitam, sine infirmitate fortem, sine mendacio verum, sine situ ubiq; præsentem, sine extensione omnia implentem, sine contradictione ubiq; occurrentem, sine motu omnia transcendentem, sine statu omnia manentem, sine indigentia omnia creantem, sine labore omnia regentem, sine tui initio omnibus initia dantem, sine tui mutatione omnia mutabilia facientem: in magnitudine infinitum, in virtute omnipotentem, in bonitate summum, in sapientia inæstimabilem, in consiliis terribilem, in judiciis justum, in cogitationibus secretissimum, in verbis veracem: in operibus sanctum, in misericordiis copiosum: erga delinquentes patientissimum: semper eundem ipsum æternum, ac sempiternum, immortalem atq; incommutabilem: quem nec spatia dilatant, nec brevitas locorum angustatur, nec receptacula ulla coarctant, nec voluntas variat, nec necessitudo corrumpit, nec mæsta perturbant, nec læta demulcent. Cui nec oblivio tollit, nec memoria reddit, nec præterita transeunt, nec futura succedunt cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec casus finem dabit, sed ante sæcula, & in sæculis, & per sæcula in æternum vivis: & est tibi perennis laus, & æterna gloria, summa potestas, & singularis honor, perpetuum regnum, & sine fine imperium. *Tom: 9. lib: Meditationum cap: 12.* *Professio fidei.*

Gloria Patri qui creavit nos, gloria Filio qui redemit nos, gloria

gloria Spiritui sancto qui sanctificavit nos, gloria summæ & individuæ Trinitati, cujus opera inseparabilia sunt, cujus imperium sine fine manet. Te decet laus, te decet hymnus, tibi debetur omnis honor, tibi benedictio & charitas, tibi gratiarum actio, tibi honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. *T: 9. lib: Meditationum cap: 33.*

TRISTITIA.

Deus nostræ oblectationis vena.

TRistitia rebus amissis contabescit, quibus se oblectabat cupiditas, quia ita sibi nollet, sicut tibi [intellige Deus) auferri nihil potest. Ita fornicatur anima cum avertitur à te, & quærit extra te ea, quæ pura & liquida non invenit, nisi cum redit ad te. *Tom: 1. lib: 2. confess: c: 6.*

Beata miseria — *Psal. 118*

Vidi insensatos & tabescebam. Pia est ista tristitia, & si dici potest beata miseria; alienis vitiis tribulari non implicari: mærere non hærere, dolore contrahi, non amore attrahi, hæc est persecutio, quàm patiuntur omnes, qui volunt in Christo piè vivere secundùm Apostolicam mordacem veramq; sententiam. Quid enim sic persequitur vitam bonorum, quàm vita iniquorum, non cùm cogit imitari, quod displicet, sed dum cogit dolere quod videt? & tantò amariùs, quantò interiùs, donec diluvium transeat, ubi arca continet corvum & columbam. *T: 2. ep: 145.*

Bonorum persecutio, vita malorum.

Nullus error absq; solatio.

Non desunt scandala, sed neq; refugium, non desunt mærores, sed nec consolationes. *Ibid: ep: 149.*

Tristitiæ nostræ argumentum morale malum.

Causa tristitiæ tuæ peccatum est, causa lætitiæ tuæ justitia sit. Peccare volebas & laborare nolebas, ut parum tibi esset quod esses injustus: nisi & eum injustum voluisses à quo in te vindicari noluisses. Respice vocem meliorem in alio psalmo. Bonum est mihi quod humiliasti me, ut discam justificationes tuas. Didiceram elatus iniquitates meas, discam humiliatus justificationes tuas. Ut quid tristis incedo dum affligit me inimicus? De inimico quæreris revera affligit, sed tu ei locum dedisti. Et nunc habes quid agas elige consilium, regem admitte, tyrannum exclude. Sed ut hoc faciat quod orat attende. Emitte lucem tuam & veritatem tuam, quia ipse est lux tua & veritas tua. Hæc nomina duo, res una. Quid est enim aliud lux Dei nisi veritas Dei? Aut quid veritas Dei nisi lux Dei? Et hoc utrumq; unus Christus. Ego sum lux mundi. Ego sum via veritas & vita. Ipse lux ipse veritas. *Tom: 8. In psal: 42.* — *Ps 118 71.*

Gaudium mundi Metaphoricum. — *2. Cor. 6. 10.*

Quasi tristes semper autem gaudentes. Tristitia nostra habet quasi, gaudium nostrum non habet quasi, quia in spe certa est. Quare tristitia nostra quasi habet? Quia sicut somnus transiet, dominabuntur recti mane. Novit enim charitas vestra, quia qui somnium indicat addit: Quasi dicebam: quasi prandebam: quasi loquebar, quasi equitabam, quasi disputabam. Totum quasi quia cum evigilaverit non invenit quod videbat. Quasi thesaurum inveneram dicit mendicus. Si quasi non esset, mendicus non esset, sed quia quasi erat mendicus est. Itaq; modo qui ad lætitias sæculares oculos aperiunt, & cor claudunt transit quasi eorum & venit verum ipsorum. Quasi ipsorum felicitas est sæculi, verum ipsorum pæna est. Nostrum autem quasi tristitia est, gaudium non est quasi. Non enim ait Apostolus: quasi gaudentes semper autem tristes, aut quasi tristes, aut quasi gaudentes: sed ait. Quasi tristes semper autem gaudentes. *Ibid: Con: 2. in psal: 48.*

Melior est tristitia iniqua patientis, quàm lætitia iniqua facientis.

cientis. Ipsa lætitia iniqua facientis ipsa est fovea : illuc quisque cum ceciderit oculos perdit. Tu doles quia perdidisti vestem ; & illum non doles quia perdidit fidem. *Ibid: in psal: 56.* *Tristitia patientis gloriosa est.*

TYRANNUS.

Quis enim facilè dixerit quod vocetur libido dominandi, quam tamen plurimum valere in Tyrannorum animis omnia Civilia bella testantur. *Tom: 5. lib: 14. de Civit: Dei c: 15.* *Libido dominandi quam multa effecerit.*

VANA GLORIA.

TAnta est cæcitas hominum, de cæcitate etiam gloriantium. *Tom: 1. lib: 3. Confess: c: 3.* *Gloriatio vanissima.*

Sæpè homo de ipso vanæ gloriæ contemptu vanius gloriatur, ideoq; non jam de vanæ gloriæ contemptu gloriatur. Non enim eam contemnit, cùm gloriatur intùs *T: 1. l: 10 confess: c: 38.*

Nec quidquam nobis proprium vindicemus, inanis gloriæ cupiditate decepti, quo uno malo à summo ad ima demergimur. *T: 1. lib: de quantitate animæ c: 34.*

Optimè novit prudentia tua, unumquemq; in suo sensu abundare, & puerilis esse jactantiæ, quod olim adolescentuli facere consueverunt, accusando viros illustres, suo nomini famam quærere. *Hieronymus Augustino epistolâ 13 Tom: 2.*

Gal. 1. 10. Si hominibus placerem, Christi servus non essem. Magnum est de honoribus & laudibus hominum non lætari, sed & omnem pompam inanem præcidere. & si quid inde necessarium retinetur, id totum ad utilitatem honorantium salutemque conferre. *Ibid: epist: 64.* *Vera magnitudo laudibus humanis non attolli.* *Psal 118 71.*

Vehementer cum adversario dimicans, sæpè ab eo vulnera capio, cum delectationem oblatæ laudis mihi auferre non possum. *Ibidem.*

Matt. 5. 16. Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem. Si tantum modo diceret, sic luceat nomen vestrum coram hominibus, ut videant bona facta vestra : finem constituisse videretur in laudibus hominum, quas quærunt hypocritæ, & qui ambiunt honores, & captant inanissimam gloriam : sed addidit & glorificent Patrem vestrum : ut hoc ipsum quod homo per bona opera placeat hominibus, non ibi finem constituat, ut hominibus placeat, sed referat hoc ad laudem Dei, & propterea placeat hominibus, ut in illo glorificetur Deus. *T: 4. l: 1. de serm: in monte c: 7.* *2. Cori 6. 10.*

Quantò magìs homines non debent arroganter ad se ipsos referre, si quid operantur boni, quando & ipse Dei Filius in Evangelio, non suam gloriam quærere dixit, neq; voluntatem suam venisse facere, sed voluntatem ejus qui eum misit. *Tom: 4. l: exp: Epl : ad Gal:*

Non eum seducunt laudatores ejus, sed ipse potiùs : quia cùm sibi sit ipse præsentior, quàm illi, mavult se in illis quærere, quàm in se ipso sed quid dicit Apostolus ? opus autem suum probet unusquisq; & tunc in seipso tantùm gloriam habebit, & non in altero, id est intùs in conscientia sua, & non in altero, id est cùm alter laudat. *T. 4. l: exp: Eplæ: ad Galat: fol: 391.* *Illa vera solùm gloria est, quæ ex conscientia rectèfactorum petitur.* *Gal. 6. 4.*

Quid ista cæcitate tenebrosius ad obtinendam inanissimam gloriam, errorem hominis aucupari, & Deum testem in corde contemnere. Quasi verò comparandus est error illius, qui te bonum putat, errori tuo, qui homini de falso bono placere studes, *Maximus error velle de falsis bonis placere.*

de vero malo displices Deo. *Ibidem*.

Vanæ laudis appetitus in multis multa vitia cōpressit

Cum diu fuissent Regna Orientis illustria, voluit Deus & Occidentale fieri, quod tempore esset posteriùs, sed Imperij latitudine & magnitudine illustrius. Idq; talibus potissimùm concessit hominibus ad domanda gravia mala gentium, qui causa honoris, laudis, & gloriæ, consuluerunt Patriæ, in qua ipsam gloriam requirebant: salutemq; ejus saluti suæ præponere non dubitaverunt, pro isto uno vitio, id est amore laudis, pecuniæ cupiditatem & multa alia vitia comprimentes. *T: 5. l: 5. de Civit: Dei c:* 12.

Iactantia.

Tolle jactantiam, & omnes homines quid sunt nisi homines? Quod si perversitas sæculi admitteret, ut honoratiores essent, quique meliores: nec sic pro magno haberi debuit honor humanus, quia nullius ponderis est fumus. *Ibid: c:* 17.

Quantumlibet laudetur atq; prædicetur virtus, quæ sine vera pietate servit hominum gloriæ, nequaquam sanctorum exiguis initiis comparanda est, quorum spes posita est in gratia & misericordia veri Dei. *Ibid: c:* 19.

De vana gloria victoria maxima.

Qui bene didicit vel expertus est vitiorum superandorum gradus: intelligit hoc vitium inanis gloriæ vel solum vel maximè cavendum esse perfectis. Quo primo enim vitio lapsa est anima hoc ultimum vincit. Initium autem omnis peccati superbia. *Tom: 8. in psal:* 7.

Multa sunt quæ dicta sapientiæ studiosissimè inquirunt, eamque in doctrina non in vita volunt habere: ut per mores quos jubet sapientia perveniant ad Dei lucem quod est ipsa sapientia, sed per sermones quos habet Sapientia perveniant ad hominum laudes, quod est vana gloria. *Ibid: Con: 29. in psal:* 118.

Nunquam securius homo gloriatur quā in Deo.

Qui gloriatur, in Domino glorietur. Quid enim securius quàm in illo gloriari, de quo non potest omninò confundi? Nam si gloriatus fueris in homine, potest inveniri aliquid in homine, imò multa inveniri possunt in homine, de quibus confundatur, qui in illo gloriatur. Cum autem audis non esse in homine gloriandum, utiq; nec in te. Non enim tu non homo. *Tom:* 10. *Homil: 11. de diver: serm:* 11. 1. Cor. 1. 31.

Falsa gloria vitium virtutem putat.

Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. Quæ cum est in hoc mundo facta de Christo, non Christo credenda est magnum aliquid contulisse, sed mundo. Bonum enim laudare non laudato, sed laudantibus prodest. Est autem etiam falsa gloria quando laudantes errore falluntur, sive in rebus, sive in hominibus, sive in utrisq; Nam in rebus falluntur, quando putant id bonum esse quod malum est: in hominibus autem quando putant eum bonum esse qui malus est. In utrisq; verò quando & id quod est vitium, virtus putatur, & ipse qui propter hoc laudatur non habet quod putatur: sive sit bonus, sive sit malus. Donare quippè res suas histrionibus vitium est immane non virtus. *T. 9. in Evan: Ioan: Tract: 100. de c:* 16.

VANITAS.

Quæ in inferioribus puniuntur, eadem in majoribus prædicantur.

Majorum nugæ negotia vocantur, puerorum autem talia cùm sint puniuntur, à majoribus, & nemo miseratur pueros, vel illos vel utrosq; *Tom: 1. lib: 1. confess: c:* 9.

Pereant omnia, & dimittamus hæc vana & inania, conferamus nos ad solam inquisitionem veritatis: vita hæc misera est, mors incerta. Si subitò obrepat, quomodo hinc exibimus? Et ubi nobis discenda sunt, quæ hîc neglеximus? *T: 1. l: 6. conf: c:* 11.

Quasi

Quasi fluvius ducat in fluvium, ut non sit finis miseriæ, quamdiu finis officiorum nostrorum in re instabili collocatur. *Tom: 2. epist: 56.*

Quid est loquacius vanitate? Quæ non ideo potest quod veritas, quia si voluerit, etiam plùs potest clamare, quàm veritas. *Tom: 5 lib: 5. de Civit: Dei cap: 27.* *Semper clamosa vanitas.*

2. Tim 4. 4. Ad fabulas convertuntur. Et illæ quidem fabulæ animas in qualibet ætate corporis puerilis varia quadam delectatione sollicitant. Sed nos jam corpus Christi, agnoscamus, in Psalmo vocem nostram & dicamus ei. Narraverunt mihi injusti delectationes, sed non ut lex tua. *T: 6. lib: 12. contra Faustum c: 27.*

Psal 4 3 Ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? ut quid vultis beati esse de infirmis? Sola veritas facit beatos ex qua vera sunt omnia. Nam vanitas est vanitatum & omnia vanitas. Ut quid ergo temporalium rerum amore detinemini? ut quid tanquam prima extrema sectamini quod est vanitas & mendacium? Cupitis enim permanere vobiscum quæ omnia transeunt tanquam umbra. *Ibid: In psal: 4.* *Vanitas mendacium est.* *Terrena omnia umbra sunt.*

Narrant multa multi, & laudant multa multi, iniqua iniqui. Et revera & illa iniqua habent delectationem sed non sicut lex tua Domine. Negotium enim hoc intus est, nullis verbis ostendi potest. *Ibid: In psal: 38.*

Psal 118. Averte oculos meos nè videant vanitatem. In qua vanitate præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ propter quàm multa mala fecerunt qui magni in hoc sæculo nominati sunt, multumq; laudati in Civitatibus gentium, quærentes non apud Deum sed apud homines gloriam, & propter hanc velut prudenter fortiter temperanter justèq; viventes, ad quam pervenientes perceperunt mercedem suam vani vanam. *Et infra.* Non quia ipsa laus humana culpanda sit (nam quid tam optandum est hominibus, quam ut eis placeant quæ debeant imitari) sed propter ipsam laudem bene operari, hoc est vanitatem in suis operibus intueri. *Ibid: Con: 12. In psal: 118.* *Gloria recte factorum, à Deo petenda.* 1. Cor. 1. 31.

VERBUM.

Verbum Caro factum est. &c: Sicuti cum loquimur, ut id quod in animo gerimus, in audientis animum per aures carneas illabatur, fit sonus, verbum quod corde gestamus & locutio vocatur: nec tamen in eundem sonum cogitatio nostra convertitur, sed apud se manens integra formam vocis qua se insinuet auribus, sine aliqua labe, sine mutatione assumit; ita verbum Dei non commutatum, Caro tamen factum est, ut habitaret in nobis. *T: 3. lib: 1. de Doctr: Christ: c: 13.*

Io. 1. Quisquis potest intelligere verbum, non solùm antequam sonet: Verum etiam antequam sonorum ejus imagines cogitatione volvantur; hoc est enim quod ad nullam pertinet linguam, earum scilicet quæ linguæ appellantur gentium; quarum nostra latina lingua est; quisquis inquam hoc intelligere potest, jam potest videre per hoc speculum, atq; in hoc ænigmate aliquam verbi illius similitudinem, de quo dictum est: In principio erat Verbum. *Et infra,* Verbum quod foris sonat, signum est verbi, quod intus lucet, cui magìs verbi cõpetit nomen. *Ib: l: 15. c: 10. & 11.* *Internum mentis verbum, Verbi Divini speculum*

Io. 1. Verbum Caro factum est. Quomodo ergo anima totum corpus nostrum animat & vivificat, sed in capite & videndo sentit, & audiendo & odorando, & gustando, & tangendo; in cæteris

autem membris tangendo tantùm : & ideo capiti cuncta ſubjecta ſunt ad operandum ; illud autem ſupra collocatum eſt ad conſulendum : Sic univerſo populo ſanctorum, tanquam uni corpori caput eſt Mediator Dei & hominum, Homo Chriſtus JESUS. Et propterea ſapientia Dei, & Verbum in principio, per quod facta ſunt omnia, non ſic aſſumpſit illum hominem, ut cæteros ſanctos, ſed multò excellentiùs, multoq; ſublimiùs, quoniam ipſum ſolum aſſumi oportuit ; in quo ſapientia Dei Patris hominibus appareret ; ſicut eam viſibiliter decebat oſtendi. *Tom : 3. lib : de Agone Chriſtiano cap: 20*

Margarita in concha Verbũ Divinum in carne.

In principio erat verbum Eſt enim verbum Domini lucidum candore veritatis, & ſolidum firmitate æternitatis, & undique ſibi ſimile pulchritudine Divinitatis, qui Deus penetrata carnis teſtudine, intelligendus eſt Ipſe enim ad Margaritam ipſam jam pervenerat, quæ in tegumentis mortalitatis, quaſi concharum obſtaculo inter profunda hujus ſæculi, atq; inter duritias ſaxeas Judæorum aliquando latuerat. *Et infra.* Pretium ejus eſt, nos ipſi : qui ad eam poſſidendam non ſumus liberi, niſi omnibus pro noſtra liberatione contemptis, quæ temporaliter poſſidentur : Venditis enim rebus noſtris nullum earum majus pretium accipiemus, quam nos ipſos, quia talibus implicati noſtri non eramus. Ut rurſus noſmetipſos pro illa Margarita demus, non quia tanti valeamus, ſed quia plùs dare non poſſumus. *Tom : 4. lib: quæſt: Evang: ſecundum Matth: quæſt: 13.* *Io 1.11*

Voluntas verbi ſempiterni ſtabilis eſt ſemper, quia ſimul habet omnia: Noſtra autem voluntas ideo non ſtat, quia non habet ſimul omnia, ideo modò hoc modò illud volumus, *Ib: c: 17.*

Quanquam enim quod ſumus, quod vivimus, quod cælum terramq; conſpicimus, quod habemus mentem atq; rationem, quâ eum ipſum, qui hæc omnia condidit, inquiramus, nequaquam valeamus actioni ſufficere gratiarum : tamen quod nos opertos obrutoſq; peccatis, & à contemplatione ſuæ lucis averſos, ac tenebrarum, id eſt iniquitatis dilectione cæcatos non omninò deſeruit, miſitq; nobis Verbum ſuum, qui eſt ejus unicus Filius, quo pro nobis nato atq; paſſo quanti Deus hominem penderet noſceremus, atq; illo ſacrificio ſingulari à peccatis omnibus mundaremur, ejuſq; ſpiritu in cordibus noſtris dilectione diffuſa omnibus difficultatibus ſuperatis in æternam requiem, & contemplationis ejus ineffabilem dulcedinem veniremus : quæ corda quot linguæ ad agendas ei gratias ſatis eſſe contenderint. *T. 5. lib: 7. de Civit : Dei cap: 31.*

Verbum Caro factum eſt, id eſt homo. *Ib: l: 14. c: 2.*

Deus ſemel tantum loquitur. Quia omnia uno verbo.

Dicere Dei ſine initio eſt, & ſine fine : & tamen unum Verbum dicit Dicat alterum ſi quod dixit non tranſierit. Cum verò & à quo dicitur manet, & ſemel dicitur & non finitur : & ipſum ſemel ſine initio dicitur, nec bis dicitur quia non tranſit quod ſemel dicitur. Hinc eſt ergo eructavit cor meum verbum bonum, quod eſt dico ego opera mea Regi. Quare ergo opera mea dico ? Quia in ipſo verbo omnia opera Dei. Quidquid enim facturus erat Deus in creatura, jam in verbo erat ; nec eſſet in rebus niſi eſſet in verbo, quomodo & in te non eſſet in fabrica, niſi eſſet in conſilio. Sicut in Evangelio dicitur. Quod factum eſt in ipſo vita erat *T. 8. In pſ: 44.*

Verbi Dei liber cor.

Lingua mea calamus ſcribæ : quia quod lingua dicitur ſonat & tranſit quod ſcribitur manet. Cum ergo dicat Deus Verbum, & Verbum quod dicitur non ſonet & tranſeat, ſed & dicatur & maneat:

maneat: scriptis hoc maluit Deus comparare quam sonis *Ibidem In psal*: 44.

Psal. 61. 12. Semel locutus est Deus. Hic inter homines hominibus sæpè multis modis multis partibus per multiformem creaturam locutus est Deus. Apud se semel Deus locutus est, quia unum Verbum genuit Deus. *Ibid*: *In psal*: 61. *Interpretes Verbi Dei.*

Omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil. O Jo. 1. Verbum ante tempora per quod facta sunt tempora! Natum est in tempore cum sit vita æterna, vocans temporales faciens æternos. Hæc generatio generationum: generatio enim vadit & generatio venit. Et videtis generationes hominum sic esse in terra, tanquam in arbore folia. *Ibid*: *Con*: 2 *de* 2 *parte psal*: 101. *Primo Deus cæpit loqui.*

Jo. 1. Ecce in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Nunquid erat & modo non est? Et est, & semper erit. *Ib*: *Con*: 1 *de* 1. *parte psal*: 103. *Dei irrevocabile Verbum.*

Verbum hominis non dividitur per syllabas, ut omnes audiant, & Verbum Dei per frusta conciditur, ut ubiq; sit? nunquid hæc fratres, sonantia atq; transeuntia verba illi commutabiliter permanenti verbo ulla ex parte comparanda arbitramur? *T*: 10. *de Temp*: *serm*: 40. *Dnica* 1. *post Epiph*: *oct*: *serm*: 2.

Quæris à me quid sit Verbum Dei? Si tibi vellem dicere, quid sit Verbum hominis, non explicor, fatigor, hæsito, succumbo, non possum explicare vim verbi humani. Ecce antequam dicam vobis, quod volo dicere, jam verbum est in corde meo, nondum à me dictum est, & apud me est, dicitur à me, & pervenit ad te, & non recedit à me. *Ib*: 145 *feria* 3. *Pasch*æ *serm*: 3.

Jo. 1. In principio fecit Deus cælum & terram. Non ergo in principio fecit Deus Verbum, quia in principio erat Verbum. *Ibid*: *serm*: 24. *de verb*: *Evangelij*: *In principio erat Verbum*. *Verbum Deo coæternum.*

Sicut Verbum meum assumpsit sonum, per quem audiretur: sic Verbum Dei assumpsit hominem, per quem videretur. *T*: 10. *parte* 2. *ser*: *de diver*: *ser*: 58. *de Nativitate Domini ser*: 1. *Verbum in assumpto homine visibile.*

Si hoc fit de verbo sonante, quid fit de verbo omnipotenti? quomodo enim vox ista nostra auribus omnium audientium singulis tota est, & apud singulos tota est. Nec tot sunt meæ voces, quot vestræ aures, sed una vox multas aures implet, non divisa, sed omnibus tota, sic cogitate Verbum Dei totum in cælis, totum in terris, totum in Angelis, totum apud Patrem, totum apud Virginem, totum in æternitatem, totum in carnem, totum ad inferos, cum visitaret totum, totum in paradyso, quo latronem transtulit. *Tom*: 10. *Homil*: 11. *de diver*: *serm*: 7. *de voce, & jejunare, & esurire*.

Si distinxistis inter vocem & verbum, audite quod miremini in his duobus Joanne & Christo. Verbum valet plurimum & sine voce, vox inanis & sine verbo. Reddamus rationem, & quod proposuimus, si possumus explicemus. Ecce voluisti aliquid dicere. Hoc ipsum quod vis dicere jam corde conceptum est, tenetur memoria; paratur voluntate: vivit intellectu. Et hoc ipsũ quod vis dicere non est alicujus linguæ, nec Græcæ, nec Latinæ, nec Punicæ, nec Hebrææ, nec cujusquam gentis. Res est tantum corde concepta, parata procedere. *Et infra*. Pergit ad Latinum voce Latinâ, ad Græcum græca, ad Hebræum Hebræa. Ad audientem pervenit, nec à loquente discedit. Nunquid enim quod dicendo in alio facio ego amitto. *T*: 10. *serm*: *nov*: *serm*: 23. *in Natali S. Joannis Baptistæ*.

Quomodo ergo potuisti scintillare in illud quod est super omnem

omnem creaturam, ut certius mihi responderes incommutabilem Deum? Quid est ergo illud in corde tuo, quando cogitas quandam substantiam vivam, perpetuam, omnipotentem, infinitam, ubiq; præsentem, ubiq; totam nusquam inclusam. Quando ista cogitas hoc est Verbum de Deo in corde tuo. Nunquid autem hoc est sonus ille qui quatuor literis constat & duabus syllabis? Ergo quæcunq; dicuntur & transeunt, soni sunt, literæ sunt, syllabæ sunt. Hoc verbum transit quod sonat. Quod autem significavit sonus, & in cogitante est, qui dixit, & intelligente est, qui audivit: manet hoc transeuntibus sonis. Refert animam ad illud Verbum. Si potes tu habere verbum in corde tuo, tanquam consilium natum in mente tua, & mens tua pariat, tibi consilium, & insit consilium, ut aliquam, fabricam construas, aliquid amplum in terra moliaris, jam natum est consilium, & opus nondum completum est. Vides tu quid facturus es: sed alius non miratur nisi cum feceris, & construxeris molem, & fabricam illam ad exsculptionem, perfectionemq; perduxeris. Attendunt homines mirabilem fabricam, & mirantur consilium fabricantis: stupent quod vident, & amant quod non vident. Quis est qui potest videre consilium? Si ergo ex magna aliqua fabrica laudatur humanum consilium: vis videre quale consilium Dei est? Dominus JESUS Christus, id est Verbum Dei. Attende fabricam istam mundi. *T: 9. in Evan: Ioan: Tract: 1. de cap: 7.*

Per facta Christi in mundo possumus devenire in notitiam Verbi.

Si Latinus est, vocem Latinam quæris, si græcus est verba græca meditaris. Si punicus est, attendis si nosti linguam punicam. Pro diversitate ergo auditorum diversas linguas adhibes; ut proferas verbum conceptum. Illud autem quod corde conceperas nullâ linguâ tenebatur. Cum ergo Deus loquens linguam non quæreret, & genus locutionis non assumeret, quomodo auditus est à Filio cum ipsum Filium locutus est Deus? Quomodo enim tu verbum quod loqueris in corde habes, & apud te est, & ipsa conceptio spiritualis est: nam sicut anima tua spiritus est, ita & verbum quod concepisti spiritus est: nondum enim accepit sonum, ut per syllabas dividatur, sed manet in conceptione cordis, & in speculo mentis: sic Deus edidit verbum, hoc est genuit Filium. Et tu quidem ex tempore gignis verbum etiam in corde, Deus sine tempore genuit Filium, per quem creavit omnia tempora. Cum ergo Verbum Dei Filius sit, Filius autem locutus est nobis non verbum suum sed verbum Patris: se nobis loqui voluit, qui verbum Patris loquebatur. *Ibid: Tract: 14. de cap: 3.*

Quia domus quàm ædificavit structor prius in arte erat: & ibi melius erat; sine vetustate, sine ruina. Tamen ut ostendat artem fabricat domum, & processit quodammodo domus ex domo, & si domus ruat, ars manet. Ita apud Dei verbum erant omnia quæ condita sunt, quia omnia in sapientia fecit Deus, & cuncta nota fecit: non enim quia fecit didicit, sed quia noverat fecit. Nobis quia facta sunt nota sunt, illi nisi nota essent, facta non essent. *Ibid: Tract: 37. de c: 8.*

VERITAS.

Facilius dubitarem vivere me, quam non esse veritatem, quæ per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicitur. *T: 1 l: 7 conf: c: 10.*

Cur veritas odium pariat.

Multos expertus sum, qui vellent fallere: qui autem falli, neminem. Cur autem veritas parit odium, & inimicus factus est eis homo tuus verùm prædicans, cùm ametur beata vita, quæ non

non est nisi gaudium de veritate: Nisi quia sic amatur veritas, ut quicunq; aliud amant, hoc quod amant, velint esse veritatem: & quia falli nolunt, nolunt convinci, quia falsi sunt? Amant eam lucentem, oderunt eam redarguentem. *T:* 1. *l:* 10. *conf: c:* 23.

Non solùm puto errare eum, qui falsam viam sequitur, sed etiam eum qui veram non sequitur. *T:* 1. *l:* 3. *con: Acad: c:* 15.

Similitudinem veritatis Matrem, & dissimilitudinem falsitatis esse fatendum est. *T:* 1. *l:* 2. *solilog: c:* 7.

Veritas omnes amatores suos, nullo modo sibi invidos recipit, & omnibus communis & omnibus casta est. Minus ea quæ tangimus, olfacimus, huic veritati sunt similia, sed magìs ea, quæ audimus & cernimus: quia & omne verbum, à quibus auditur, totum auditur ab omnibus, & simul à singulis totum. Et species omnis, quæ oculis adjacet, quanta videtur ab uno, tanta & ab aliis simul. *Tom:* 1. *lib:* 2. *de liber: arbitr: c:* 14.

Veritas lex. Hæc est incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis artificis. *T: l: de vera Relig: c:* 31.

Majore scelere in Deo laudari falsitatem, quàm vituperari veritatem. *T:* 2. *epist:* 8. *c:* 3.

Iuramentum. Jurationem cave quantùm potes, non quia peccatum est verum jurare: sed quia gravissimum peccatum est falsum jurare: quò citiùs cadit, qui consuevit jurare. *Ib: ep:* 89.

Disputatio clamosa Facilè est ut quisquam Augustinum vincat; videas utrum veritate, an clamore? Quantò magìs ut vicisse videatur, aut etsi non videatur, vicisse dicatur facilè est. *Ib: ep:* 174.

Veritas omnium victrix. Non enim bonum hominis est hominem vincere, sed bonum est homini, ut eum veritas vincat volentem, quia malum est homini, ut eum veritas vincat invitum. Nam ipsa vincat necesse est, sive negantem sive confitentem. *Ibidem.*

Veritas dulcis, amara. Veritas dulcis est & amara. Quando dulcis est, parcit: quando amara curat. *Ib ep:* 211.

Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verùm amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus, non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest? quando nihil quærimus nisi patere quod clausum est. *Tom:* 3. *lib:* 4. *de doctr: Christ: cap:* 11.

Sicut laudabile est à vera sententia non amoveri, ita culpabile persistere in falsa, quam nunquam tenere prima laus est, secunda mutare: ut aut ex initio, vera permaneant, aut mutata falsa vera succedant. *Tom:* 7. *lib:* 3 *con Crescon: c:* 3.

Veritatis tortura. O violentia veritatis! quolibet aculeo, quibuslibet ungulis fortior ad exprimendam confessionem. *Tom:* 7. *lib: ad Donat: post collat: cap:* 24.

Cum proximo propria non aliena significatione dicēdi loquendum. Loquimini veritatem unusquisq; cum proximo suo. Nè quisquam vestrum ita cogitet fratres cum Christiano loquendam veritatem & cum pagano mendacium, cum proximo jubemur loqui veritatem. Proximus tuus ille est qui tecum natus est ex Adam & Eva. Omnes proximi sumus conditione terrenæ nativitatis: sed aliter fratres illa spe cælestis hereditatis: proximum tuum debes putare omnem hominem, & antequam sit Christianus. Non enim nosti quid sit apud Deum quomodo illum præsciverit Deus ignoras. *Tom:* 8. *præfat. in* 2. *Enar: ps:* 25.

Demonstratio verissima. An verùm dicit tibi Mathematicus & verùm est? dicit Christus & falsum est? *Ibid: Expos: psal:* 33.

Veritatis professor. Solus in hominibus verùm dicere potuit homo Deus. Si invenistis in me peccatum, dicite. *Ibid: In psal:* 50.

Veritas est centrum circuli. Omnes qui in circuitu ejus sunt offerent munera : quia communis est omnibus veritas. Non est mea, nec tua, non est illius, aut illius : omnibus communis est. Et fortassis ideo media est, ut in circuitu ejus sint omnes qui diligunt veritatem. Quidquid enim omnibus commune est, in medio est. Quare in medio dicitur? Ut tantum distet ab omnibus, & tantum propinquet omnibus. *Ibid: In psal: 75.* *Ps. 75 12.*

Qui non venit via Christi fugit seipsum. Ego sum inquit veritas, via, & vita. Redite homines ab affectionibus vestris quo itis? quo curritis? Quo non solum à Deo sed etiam à vobis fugitis? Redite prævaricatores ad cor. *Ibidem In psal : 76.* *Io. 14. 6.*

Sola est veritas Verbum Dei. Et cognoscetis veritatem. Veritas incommutabilis est. Veritas panis est, mentes reficit, nec deficit :mutat vescentem non ipsa in vescente mutatur. Ipsa est veritas verbum Dei. Deus apud Deum unigenitus Filius. Hæc veritas carne induta est, propter nos : ut de MARIA Virgine nasceretur, & impleretur prophetia : Veritas de terra orta est. Hæc ergo veritas cum Judæis loqueretur latebat in carne : latebat autem non ut negaretur, sed ut differretur : differretur, ut in carne pateretur : in carne autem pateretur, ut caro peccati redimeretur. *T: 9. in Evan Ioan: Tract: 41. de cap : 8.*

Non sic loquitur veritas. Intelligentibus mentibus intus loquitur, sine sono instruit, intelligibili luce perfundit. *Ibidem Tract: 54. de cap : 12.*

Venerat ut dictum est per carnem Deus ad homines, veritas ad mendaces : Deus enim verax, omnis autem homo mendax. *Et infra.* Quam quidem veritatem quamvis inter mendaces, & in morte servavit : aliquando enim Christus fuit mortuus, sed nunquam fuit falsus. *Ibid: Tract: 69. de c: 14.*

O miseros homines qui cum esse volunt mali, nolunt esse veritatem qua damnantur mali ! nolunt enim eam esse quod est, cum seipsos debeant nolle esse quod sunt: ut ipsa manente mutentur, nè ipsa judicante damnentur. *Ib: Tract: 90. de c: 15.*

VIDUA.

Mortui non amittuntur amici. AUt sic te contristari oportet quemadmodum gentes, quæ spem non habent, cum veracissima promissione speremus, nos de hac vita, unde migraturi quosdam nostros migrantes non amisimus, sed præmisimus, ad eam vitam esse venturos, ubi nobis erunt quantò notiores, tantò utiq; chariores, & sine timore illius discessionis amabiles. Hic autem etsi conjunx tuus, cujus abscessu vidua diceris, tibi notissimus erat, sibi tamen notior erat, quàm tibi. *Tom : 2. ep: 6. ad Italicam.*

Vidua supra conjugatos. Tantum ergo bonum est fidelis conjugij, ut & ipsa membra sint Christi. Hoc autem bono, quam melius est bonum, continentiæ vidualis, non hac professione id agitur, ut aliquid plùs sit catholica vidua, quàm membrum Christi, sed ut meliorem quàm conjugata locum habeat inter membra Christi. *Tom : 4; lib: de bono viduit: cap: 3.*

Minora majoribus non minora. Habent oculi in corpore honorem, sed minorem haberent, si soli essent, & alia minoris honoris membra non essent. In cælo ipso sua luce sol lunam superat. Stella à stella differt in gloria, non dissidet in superbia. Ideo fecit Deus omnia, & ecce bona valdè, non tantum bona, sed etiam valdè. non ob aliud nisi quia omnia. Nam & per singula opera dicebatur, vidit Deus quia

bonum

bonum est, ubi autem omnia nominata sunt, additum est valdè. Nec quia dixi Ruth, beatam, Annam beatiorem, cùm illa bis nupserit, hæc uno viro citò viduata, diu vixerit, continuo & te meliorem putes quàm Ruth. *Ibid: c. 6.*

Conjugii vinculum. Quis sum qui putem definiendum, quod nec Apostolum video definivisse. Ait: mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit? Non dixit primus, aut secundus, aut tertius, aut quartus, sed mulier alligata est, quàmdiu vir ejus vivit. *Ib: c: 12.*

Deliciæ contemnendæ. Si mundus jam perit, nupta cui parit? aut corde paritura & carne non paritura cur nubit? Si autem adhuc duraturus est mundus, cur non magìs amatur, per quem factus est mundus? si jam deficiunt illecebræ sæculares, non est quod Christianus animus cupiditate conquirat; si autem adhuc manebunt est quod sanctitate contemnat. *Ibid c: 20.*

V I R.

O Virum optimum! ô fidelium Christianæ pacis! & Patrem Christianæ plebis. *Tom: 2. loquitur de Melchiade summo Pontifice epist: 162.*

Mulier causæ infirmitatis nostræ. Mulier facta est de latere viri, & hoc dormientis: quæ per *Gen. 2. 21.* ipsum firma facta est, tanquam ejus osse firmata, ille autem propter ipsam infirmus, quia in locum costæ, non costa sed caro suppleta est. *Tom: 3. lib: 9. de Gen: ad liter: c: 18.*

Gen. 2. 12. Mulier quàm dedisti mecum, id est quàm dedisti ut esset mecum, hæc mihi dedit à ligno, & edi: quasi ad hoc data sit, ut non ipsa potiùs obediret viro, & ambo Deo. *Ib: l: 11. c: 35.*

Laus Abrahæ. *Gen. 16. 6.* Ecce ancilla tua in manibus tuis utere ea, quomodo tibi placuerit, [sunt verba Abrahæ) ô virum utiliter utentem fæminis, conjuge temperanter, ancillâ obtemperanter, nulla intemperanter. *T: 5. l: 16. de Civit: Dei cap: 25.*

V I R G O.

Oculus impudicus, mentis impudicæ nuntius. NOn dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos. Quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. *Tom: 1. in regula.*

Virorum virtus. Si continentia virtus est, sicuti est, cur ad eam sit promptior sexus infirmior? cùm virtus à viro potius cognominata videatur. Noli ergo vir abhorrere à virtute, quàm mulier parata est suscipere. *Tom: 2. ep: 45.*

Tantùm in mente valet integritas castitatis, ut illâ inviolatâ nec in corpore possit pudicitia violari, cujûs membra potuerunt superari. *Ib: ep: 122.*

Filia supra Matrem *Iac. 1. 17.* Omne datum perfectum est, descendens à Patre luminum, hinc ergo & sancta Virginitas, quâ te filia volentem gaudentemq; vicit natu posterior, actu prior, genere ex te, honore ante te, ætate subsequens, sanctitate præcedens, in qua etiam tuum esse cæpit, quod in te esse non potuit, illa quippè carnaliter non nupsit, ut non tantùm sibi sed etiam tibi, ultra te spiritualiter augeretur. *Ibid: ep: 143.*

Violentiâ non violatur pudicitia, si mente servatur quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis suâ turpiter carne non utitur, sed sine consensione tolerat quod alius operatur. *Ibidem ep: 180.*

Quid si virgo nesciens viro nupserit alieno? hoc si semper

Ignorantia non facit peccatum.

nesciat, nunquam ex hoc erit adultera. si autem sciat, jam ex hoc esse incipiet, ex quo cum alieno viro sciens cubaverit: sicut in jure prædiorum, tamdiu quisq; bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum, cùm verò scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei perhibebitur, tunc justè injustus vocatur. *T: 4 l: de fide & operibus c. 7.*

Spes amoris fomes votum castitatis præsidium.

Plùs ardenter ferunt libidinem, quæ non desperant ejus voluptatem; quæ autem innuptarum castitatem Deo vovent, ipsam spem subtrahunt, quæ fomes amoris est. Unde faciliùs concupiscentia refrænatur, quæ nulla expectatione succenditur, contra quam tamen nisi oretur, ut supereiur ipsa illicita exoptatur ardentius. Deliciæ igitur spirituales deliciis carnalibus in sancta castitate succedant, lectio, oratio, psalmus, bona cogitatio, bonorum operum frequentatio, spes futuri sæculi. *Tom: 4. lib: de bono viduit: cap: 21*

Victor victus.

Absit à vobis, ut divitiarum cupiditate capiamini præ cupiditate nuptiarum, & in cordibus vestris nummus viri amori succedat. Intuentes enim hominum conversationem, sæpè experti sumus, in quibusdam lascivia compressa, crevisse avaritiam. *Ibid.*

Famæ prospiciendum.

In omnibus sanè deliciis spiritualibus, quibus fruuntur innuptæ Sancta earum conversatio cauta etiam esse debet, nè fortè cum mala vita non sit, per lasciviam, mala sit fama per negligentiam. Nec audiendi sunt sive viri sive fæminæ, quando dicunt sibi coram Deo sufficere conscientiam, existimationem hominum non imprudenter solùm, verum & crudeliter contemnentes, cum occidunt animas aliorum, sive blasphemantium viam Dei, sive cum excusatione imitantium non quod vident sed quod putant. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atq; facinorum vitam suam custodit, sibi benefacit: quisquis autem etiam famam, & in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra, & utiq; quod aliis etiam ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoq; reddundat utilitatem. Unde non frustra Apostolus: Providemus inquit bona non solùm coram Deo, sed & coram hominibus. *Ib: c: 22.* *2. Cor. 8. 21.*

Agite itaq; cursum vestrum, & perseveranter currite, ut comprehendatis & exemplo vitæ exhortationisq; sermone, rapite in eundem cursum vestrum quascunq; potueritis. Non vos ab hoc studio quo multas ad imitandum vos excitatis, frangat querela vanorum, qui dicunt, quomodo subsistet genus humanum, si omnes fuerint continentes. Quasi propter aliud retardetur hoc sæculum, nisi ut impleatur prædestinatus ille numerus sanctorum, quo citiùs impleto, profectò nec terminus sæculi differetur. *Ib: c: 23.*

Continentia quippè non corporis, sed animi virtus est, virtutes autem animi, aliquando in opere manifestantur, aliquando in habitu latent, sicut Martyrii virtus emicuit, apparuitq; tolerando passiones, sed quam multi sunt in eadem virtute animi, quibus tentatio deest. *T: 6. lib: de Bono coniug: c: 21.*

Virginitas superba

Non solùm prædicanda est Virginitas, ut ametur, verùm etiam monenda nè infletur. *T: 6. lib: de sanct: Virgin: c: 21.*

Virginitas Christum pavit.

Non est ergo cur Dei Virgines contristentur, quod etiam ipsæ virginitate servata, matres carnis esse non possunt. Illum enim solùm virginitas decenter parere posset, qui in sua nativitate parem habere non posset. Verumtamen ille unius sanctæ Virginis partus omnium sanctarum Virginum decus est. Et ipsæ cum MARIA Matres Christi sunt, si Patris ejus faciunt voluntatem. Hinc enim & MARIA laudabilius atq; beatiùs. Mater Christi est,

Matt. 12. 50. sti est, secundùm ejus sententiam; quicunq; facit voluntatem Patris mei; qui in cælis est, ipse mihi frater & soror & Mater est. *Ibidem cap: 5.*

Nulla fæcunditas sanctæ Virginitati, etiam carnis comparari potest. Neq; enim & ipsa, quia Virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur, quæ licet in carne servetur, spiritus tamen religione ac devotione servatur. Ac per hoc spiritualis est etiam Virginitas corporis, quam fovet & servat continentia pietatis. Sicut enim nemo impudicè utitur corpore, nisi spiritu priùs concepta nequitia, ita nemo pudicitiam servat in corpore, nisi priùs spiritu insita castitate. *Ibid: c: 8.*

Virginitas corporis carnis fæcunditati antecellit.

Habent conjugia bonum suum, non quia filios procreant, sed quia honestè, quia licitè, quia pudicè, quia socialiter procreant, & procreatos pariter, salubriter, instanter educant: quia thori fidem invicem servant, quia sacramentum connubij non violant; Hæc tamen omnia humani officij sunt munera, Virginalis autem integritas, & per piam continentiam, ab omni concubitu immunitas, Angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fæcunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis, illa non est in potestate, illa non est in æternitate. Fæcunditatem carnalem non habet liberum arbitrium, pudicitiam conjugalem non habet cælum. Profectò habebunt magnum aliquid præter cæteros in illa communi immortalitate, qui habent aliquid jam non carnis in carne. Unde mirabiliter desipiunt, qui putant hujus contentiæ bonum non esse necessarium propter Regnum cælorum. *Ibid: c: 10. & 11 & 12 & 13.*

Virginalis integritas, portio Angelica.

Non temerè dixerim, felicior mihi videtur nupta mulier, quàm virgo nuptura. Habet enim jam illa, quod ista adhuc cupit, præsertim si nondum vel sponsa cujusquam sit. Illa studet uni placere, cui data est, hæc multis incerta cui danda est; hoc uno pudicitiam cogitationis defendit à turba, quod non adulterum, sed maritum quærit in turba. *Tom: 6 lib: 4. de Sancta Virginitate c: 11*

Nupta mulier Virgine nuptura felicior.

2. Cor. 8. 21. Quod autem se dicit eis parcere, quos ait tribulationem carnis habituros, nihil mihi interim saniùs occurrit, quam eum noluisse aperire & explicare verbis, eandem ipsam carnis tribulationem, quàm prænuntiavit eis, qui eligunt nuptias, in suspicionibus zeli conjugalis, in procreandis Filiis atq; nutriendis, in timoribus & mæroribus orbitas. *Ibid: c: 16.*

Hæc qui imitantur in his Agnum sequuntur; sed ecce ille Agnus graditur itinere virginali, quomodo post eum ibunt, qui hoc irreparabiliter amiserunt. Vos itaq; sequimini eum tenendo perseveranter, quod vovistis ardenter, facite cùm potestis, nè virginitatis bonum à vobis pereat, cum facere nihil potestis, ut redeat. Videbit vos cætera multitudo fidelium, quæ Agnum ad hoc sequi non potest. Videbit, nec invidebit, & collætando vobis, quod in se non habet, habebit in vobis, nam & illud Canticum novum proprium vestrum dicere non poterit, audire autem poterit, & delectari vestro tam excellenti bono. Sed vos qui & dicetis & audietis: quia & hoc quod dicetis, à vobis audietis, feliciùs exultabitis, jùcundius regnabitis. *Et infra.* Sequuntur Agnum. Et vobis præibit, & ab eis non abibit, cùm erit Deus omnia in omnibus. Et qui minùs habebunt à vobis, non abhorrebunt. Ubi enim nulla est invidentia, concors est differentia. Præsumite itaq; fidite, roboramini, permanete qui vovetis & redditis Domino Deo vestro vota perpetuæ continentiæ non propter præsens sæculum, sed propter Regnum Cælorum. *Et infra.*

Virginitatis damnum irreparabile.

In cælis nulla invidentia et concors differentia.

Cogitate illic nomen æternum. Quis explicat quale nomen erit, quidquid tamen erit, æternum erit. Hoc credendo & sperando & amando potuistis conjugia non devitare prohibita, sed transvolare concessa. *Ibid: c: 28. & 30.*

Christus humiliatus Doctor. Ille cui omnia tradit Pater, & quem nemo agnoscit nisi Pater, & qui Patrem solus agnoscit, & cui voluerit revelare, non dicit, discite à me mundum fabricare, aut mortuos resuscitare, sed quia mitis sum & humilis corde. O doctrinam salutarem! ô Magistrum Dominumq; mortalium, quibus mors poculo superbiæ propinata, atq; transfusa est? Noluit docere quod ipse non esset, jubere quod ipse non faceret. Video te bone Jesu oculis fidei, quos aperuisti mihi tanquam in concione generis humani clamantem atq; dicentem: Venite ad me & discite à me. Quid obsecro te, per quem omnia facta sunt Fili Dei, & idem qui factus es inter omnia Fili hominis? Quid ut discamus à te, venimus ad te, quoniam mitis sum inquit & humilis corde. Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi in te, ut hoc pro magno discamus à te, quoniam mitis es & humilis corde? Itanè magnum est, esse parvum, ut nisi à te qui jam magnus es fieret, disci omninò non posset? Ita planè. Non enim aliter, invenitur requies animæ, nisi inquieto tumore digesto, quo magna sibi erat, quando tibi sana non erat. Audiant te & veniant ad te, & mites atq; humiles esse discant à te, qui misericordiam & veritatem tuam requirunt, tibi vivendo non sibi. Audiat hoc laborans & oneratus, qui sarcina premitur, ut oculos ad cælum levare non audeat, percutiens pectus ille peccator & propinquans de longinquo. Audiat Centurio non dignus cujus tectum subires. Audiat Zachæus major publicanorum; quadrupla restituens lucra damnabilium peccatorum. Audiat mulier in Civitate peccatrix, tantò lacrymosior pedibus tuis, quantò alienior à vestigiis tuis. Audiant meretrices & Publicani; qui scribas & Pharisæos præcedunt in Regnum cælorum. Audiat omne genus ægrotum, cum quibus tibi pro crimine sunt objecta convivia, videlicet quasi à sanis, qui medicum non quærebant, cùm non veneris vocare justos sed peccatores ad pænitentiam. Hi omnes cum convertuntur ad te, facilè mitescunt & humiliantur coram te, memores iniquissimæ vitæ suæ, & indulgentissimæ misericordiæ tuæ, quia ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia, sed respice agmina Virginum' puerorum puellarumq; sanctarum: in Ecclesia tua eruditum est hoc genus: illic tibi à maternis uberibus pullulavit nomen tuum ad loquendum linguam solvit, nomen tuum velut lac infantiæ suæ suxit infusum. Non potest quisquam ex hoc numero dicere; qui priùs fuit blasphemus & persecutor, & injuriosus, sed misericordiam consecutus sum, quoniam ignorans feci in crudelitate, imò etiam quòd non jussisti, sed tantummodo volentibus arripiendum proposuisti dicens, qui potest capere capiat. *T: 6 Ib: à: c: 35. ad 37.*

Matt. 11. 29.

Virgines genus in Ecclesia præ omnibus eruditum.

Ut enim cætera taceam, unde scit virgo quamvis sollicita, quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino; nè fortè propter aliquam sibi incognitam mentis infirmitatem, nondum sit matura Martyrio, illa verò mulier, cui se præferre gestiebat, jam possit bibere calicem Dominicæ humilitatis, quem priùs bibendum, discipulis amatoribus sublimitatis opposuit? unde inquam scit nè fortè ipsa nondum sit Thecla, jam sit illa Crispina. *Et infra.* Habet itaq; virgo quod cogitet, quod ei prout ad servandam humilitatem, nè violet illam, quæ supereminet donis omnibus charitem,

Virgo sit humilis.

Continua Virginis cogitatio esse debet quomodo amet Deum.

tatem, sine qua utiq; quæcunq; alia vel pauca, vel plura, vel magna, vel parva habuerit, nihil est. *Ibid: c: 44. ad 47.*

Fidenter dico, nec mihi nè irascantur timeo, quos ut mecum sibi timeant, sollicitus moneo: facilùs sequuntur Agnum, & si non quocunq; iverit, certè quousq; potuerunt, conjugati humiles quàm superbientes virgines. *Ibid: c: 52.*

Superba virginitas Christum non sequitur.

Matt 19. 12 Qui potest capere capiat. Ergo qui potest capiat quod non omnes capiunt. Possunt autem capere, quibus hoc præstat Dei misericordia occulta, sed non injusta. *Ib: lib: 2. c: 18.*

Non terreat sarcina continentiæ: [alloquitur adulteros] levis erit si Christi erit, Christi erit, si fides aderit, quæ impetrat â jubente quod jusserit. Non eos frangat, quod videtur eorum continentia necessitatis esse, non voluntatis, quia & illi qui eam voluntate delegerunt, fecerant eam necessitatis, quoniam jam sine damnatione ab illa deviare non possunt. *Ibid: c: 19.*

Leve continentiæ onus.

Impleta est anima mea illusionibus Quid cùm sopitos deludunt somnia sensus nescio quomodo etiam castæ animæ in turpes labuntur assensus: quæ si imputaret Altissimus, quis viveret castus? *Tom: 7. lib: 4. con: Iulian: c: 7.*

Nec in impiis invenietur pudicitia virginalis, quamvis inveniatur virginitas carnis; quia vera pudicitia non potest haberi in animo fornicante. Ac per hoc non anteponitur bonum virginale impiorum, bono conjugali fidelium. Sed conjuges bene utentes malo [scilicet concupiscentia] anteponuntur virginibus malè utentibus bono. *ibidem c: 18*

O tu Virgo Dei nubere noluisti quod licet: extollis te quod non licet. Melior virgo humilis, quàm maritata humilis: sed melior maritata humilis, quàm virgo superba. Quæ autem respexit ad nuptias, non quia voluit nubere damnatur: sed quia jam ante recesserat & fit uxor Loth respiciendo retrorsum. *Tom: 8. in psal: 75.*

In ipsa fide virginitatem cordis timebat corrumpi à diabolo: quàm qui perdiderint sine causa sunt virgines corpore. Corrupta corde quid servat in corpore? ideo mulier catholica præcedit virginem hæreticam illa enim non est virgo in corpore, ista mulier in corde: & mulier non à marito Deo, sed à serpente. *Ibid. in psal: 90.*

Virgo cordis superat virginem carnis.

Et si virgines sunt quid prodest integra caro mente corrupta? Melius est humile conjugium, quàm superba virginitas. Si enim nuberet non haberet nomen unde extolleretur, & haberet frænum quo regeretur. Sed nunquid propter virgines malas damnaturi sumus & sanctas & corpore & spiritu? Aut propter istas laudabiles etiam illas improbandas laudare cogemur? Undiq; unus assumetur & unus relinquetur. *Ibid: Expos: psal: 99.*

Superba virginitas inferior conjugio.

In corpore virginitatem pauci habent: in corde omnes habere debent. *T: 10. serm: de verb: Domini serm: 23 de decem Virginibus.*

Cordis virginitas omnium obligatio.

1. Cor. 7. 34. Quæ autem innupta est, cogitat quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo. Videte quid sit amare. Non dixit, cogitat nè damnetur à Deo. Adhuc enim iste timor adhuc servilis est, custos quidem malorum, ut abstineant se à malis, & abstinendo digni sint ad se admittere charitatem. Sed illæ non cogitant, quemadmodum non puniantur à Deo, sed quomodo placeant Deo pulchritudine interiore, decore occulti hominis, decore cordis, ubi illius oculis nudæ sunt: nudæ intus non foris, integræ intus & foris. Vel virgines doceant conjugatos, & conjugatas, non ire in adulterium. Illæ faciunt plùs quàm licet: illæ non faciant quod

Servilis timor.

non

non licet: *T:* 10 *ser: de verb: Apost: ser:* 18. *Nescitis quia corpora vestrã membra sunt Christi.*

Virginitas mentis.

Virginitas vestra in mente, virginitas corporis in paucis Ecclesiæ virginitas mentis in omnibus fidelibus esse debet. Hanc virginitatem vult serpens corrumpere, de quo idem Apostolus dicit. Desponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. *T:* 10. *serm: de Temp: serm:* 40. *Dnica* 1. *post Oct: Epiph: serm:* 1.

Castus Angelorum concivis.

Castitas Angelica est vita, castitas cum humilitate Spiritus sancti merebitur habitationem, quàm expellit immunditia libidinum. *Et infra.* Quid prodest homini filium habere, nutrire, amare, si æternis eum nutriat tormentis? Qui in castitate vivunt Angelicam habent in terris conversationem. Castitas hominem cælo conjungit, Angelis facit civem. *ibidem serm:* 249. *Dnica* 25. *post festum SS. Trinitatis serm:* 1.

Si pudicitiam conjugalem quæris, habes Susannam, si vidualem habes Annam: si virginalem, habes Mariam. *Tom:* 10. *parte* 2. *serm de diver: serm:* 59. *de Nativitate Domini serm:* 8.

Integritas corporis rara in hominibus.

Ubi est ista virginitas? Non enim in corpore. In corpore paucarum fæminarum est. Et si dici virginitas in viris potest, paucorum virorum sanctitas integritas etiam corporis est in Ecclesia: & honorabiliùs membrum est. Alia autem membra non in corpore sed omnia in mente servant virginitatem. Quæ est virginitas mentis? Integra fides, solida spes: sincera charitas. Hanc virginitatem timebat ille qui zelabat sponso à serpente corrumpi. Sicut enim membrum corporis violatur in quodam loco, sic seductio linguæ violat virginitatem cordis. *Tom.* 9 *in Evan: Ioan: Tract:* 13. *de c:* 3.

VIRTVS.

Virtus concatenata.

SI virtutes quæ sunt in animo humano, quamvis alio atq; alio modo intelligantur, nullo modo tamen separantur ad invicem: quantò magìs in illa æterna & incommutabili substantia incomparabiliter simpliciore, quàm est animus humanus, hæc ita se habent? humano quippè animo non est esse, quod est fortem esse aut prudentem, aut justum, aut temperatum. Deo autem hoc est esse, quod est fortem esse, aut justum esse, aut sapientem esse, etsi quid de illa simplici multiplicitate, vel multiplici simplicitate dixeris, quo substantia ejus significetur. *T:* 3. *l:* 6 *de Trin: c:* 4

Quid sit virtus.

Virtus est animi habitus, naturæ modo atq; rationi consentaneus *Tom:* 4 *lib:* 8 *quæst:* 31.

Virtus adversus vitia arma.

Spiritus concupiscit adversum carnem. Hæc magna intentione agitur res: delectationibus pravis, libidinibus, motibus carnalibus, atq; turpibus, suavitate sanctitatis, amore castitatis, spirituali vigore, & continentiæ decore resistitur. *Ib: l: de contin: c:*14. *Gal* 5. 17.

Anima virtutum fides.

Absit ut in aliquo sit vera virtus, nisi fuerit justus. Absit autem ut sit justus verè, nisi vivat ex fide: Justus enim ex fide vivit. Quomodo sunt verè justi, quibus vilis est humilitas veri justi? Quo enim propinquaverunt, intelligentiâ, inde superbiâ recesserunt. *Tom:* 7. *lib:* 4 *contra Iulianum c:* 3.

Noveris non officiis sed finibus à viciis discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est; finis verò propter quod faciendum est. *Ibidem.*

Absit ut virtutes veræ cuiquam serviant, nisi illi, vel propter illum cui dicimus: Deus virtutum converte nos. Proinde virtutes quæ carnalibus, delectationibus, vel quibuscunq; com-

modis,

modis, & emolumentis temporalibus serviunt, veræ prorsus esse non possunt: veræ autem virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus. *Ibidem.*

Ps. 137. 3. Multiplicabis me inquit in anima mea virtutem. Expressum votum, expressum desiderium, ab omni confusione circumcisum. Si diceret multiplicabis me, terrena nescio quæ cogitares: addidit in anima mea. Rursus nè in anima vitia cogitares: addidit virtutem Nihil est quod ampliùs à Deo desideres: si vis bona & vera fronte dicere cito exaudi me. *Tom: 8. Enar: in psal: 137.* *Desiderium virtutis.*

Cum auxiliante Domino, à populo virtutibus contra se dimicantibus vitia fuerint superata, locum quem sibi in corde nostro concupiscentiæ vel fornicationis spiritus retentabat, deinceps castitas occupabit: quem furor cepit, sapientia possidebit: quem tristitia mortem operans invaserat, salutaris & plena gaudij lætitia obtinebit: quem desidiæ tepor vel negligentiæ vastabat, humilitas honestabit: quem cupiditas obscurum fecerat misericordia ad claritatem pristinam revocabit: quem invidia veneno suo percusserat, benigna simplicitas adornabit. Ita singulis vitiis expulsis, eorum loca, id est affectus virtutes è contrario possidebunt. *T: 10 serm: de Temp: serm: 105. feria 6. post 4 Dnicam Quadr: ser: 2.* *Victrix virtus.*

A Domino deprecanda virtus est, nè illecebrosa capiant, aut nè dura frangant. Donet nobis contra illecebras, & minas inimici, duas virtutes, continere, & sustinere: continere libidines nè prospera capiant, sustinere terrores, nè adversa confringant. *T: 10. ser: nov: ser: 3. de versu psal: 50. Cor mundum crea in me Deus.*

VISIO DEI.

Deus magnè qui érunt illi oculi, quàm sani, quàm decori, quàm valentes, quàm constantes, quàm sereni, quàm beati, Deum videre, atq; ipsum fontem, unde emanat omne verum, ipsumq; Patrem veritatis. Nihil amplius dicam, nisi promitti nobis aspectum pulchritudinis, cujus imitatione pulchra, cujus comparatione fæda sunt cætera. *T: 1. lib: 2. de Ord: c: 19.* *Magnæ dotes oculi Deum visuri.*

Audiat caro carnalibus ebria cogitationibus, Spiritus est Deus: & ideo qui adorant Deum in spiritu & veritate adorare oportet; Si adorare, quantò magis videre? Quis enim audeat affirmare Dei substantiam corporaliter videri, cum eam noluerit corporaliter adorari. *T: 2. ep: 6.*

Mihi videtur plùs valere in hac inquisitione [scilicet utrum per oculos corporeos posset videri Deus) vivendi quàm loquendi modum. Nam qui didicerunt à Domino Jesu Christo mites
Gal. 5. 17. esse & humiles corde, plùs cogitando & adorando proficiunt, quàm legendo vel audiendo. *Ibid: ep: 112. ad initium.*

Matt. 5. Si ergo qui mundo sunt corde, Deum videbunt, utiq; alij non videbunt? neq; is qui Deum videre noluerit, potest Deum videre. Neq; Deus in loco videtur, sed mundo corde, nec corporalibus oculis quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu *Ibid: c: 6.*

Quomodo ipsa Dei substantia videri potuerit à quibusdam, in hac vita positis propter illud quod dictum est ad Moysen. Nemo potest faciem meam videre & vivere: nisi quia potest humana mens divinitùs rapi ex hac vita ad Angelicam vitam, antequam per istam communem mortem carne salvatur. Sic enim raptus est qui audivit illic ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui: Ubi usq; adeo facta est ab hujus vitæ sensibus quædam

intentionis aversio; ut sive in corpore, sive extra corpus fuerit; id est utrum manente corporis vinculo, an omninò resolutio facta fuerit, qualis in plena morte contingit, nescire se diceret. *ibidem Cap*: 13.

Si quæris utrum Deus possit videri? Respond: Potest. Si quæris unde sciam: Respondeo; quia in veracissima scriptura legitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Ib*: *c*: 15. *Matt. 5.*

Si ea quæ in animo nostro sunt corporibus locisq; simillima, non tamen locorum spatiis atq; finibus continentur, nec intervallis localibus in nostra memoria reponuntur; quantò magìs illa, quæ nullam gerunt similitudinem corporum, charitas, gaudium, longanimitas, pax, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia. Nonnè omnia in uno sunt sine angustia, & sine terminis nota sunt, sine circuitu regionum, aut dic in quo loco videas charitatem, quæ tamen intantum tibi cognita est, inquantum eam potes mentis acie contueri? oculis intuemur, & discernuntur inter se, & nullis locorum spatiis separantur; quantò magìs Deus, qui lucem habitat inaccessibilem corporis sensibus, quo nec ipsius nisi mundi potest esse cordis accessus. *Ib*: *c*: 17.

Si enim voluntas nostra apud se manens & latens sine ulla sui commutatione per quas se utcunq; ostendat exprimit voces, quantò faciliùs Deus omnipotens sua latente aut incommutabiliter manente natura, in qua voluerit specie potest cui voluerit apparere. *Ibid*: *c*: 19.

Videmus nunc per speculum, hoc est in similitudinibus, tunc autem facie ad faciem: Hæc enim contemplatio nobis promittitur, omnium actionum finis, atq; æterna perfectio gaudiorum. *Tom*: 3. *lib*: 1. *de Trin*: *c*: 8. *1. Cor. 13. 12*

Similes ei erimus. Tunc perfecta Dei similitudo, quando Dei perfecta erit visio; Quanquam possit hoc à Joanne Apostolo etiam de immortalitate corporis dictum videri: Et in hac quippè similes erimus Deo, sed tantummodo Filio, quia solus in Trinitate corpus accepit, in quo mortuus resurrexit, atq; id ad superna pervexit. *Ibid*: *lib*: 14. *c*: 18. *1. Io. 3. 2.*

Nostri corporis immortalitas & Christo assimilatio.

In comparatione lucis illius, quæ in verbo Dei conspicitur omnis cognitio, quâ creaturam quamlibet in se ipsa novimus, non immeritò nox dici potest; sicut ipsa vita fidelium, quæ in hac carne atq; in hoc sæculo vivitur, in comparatione vitæ infidelis atq; impiæ, non irrationabiliter lux & dies appellatur, dicente Apostolo: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. *T*: 3 *lib*: 4. *de Gen*: *ad liter*: *c*: 23.

Vita fidelium dies, infidelium nox.

Ecce in hoc præcepto cum legitur: Diliges proximum tuum tanquam te ipsum, tria genera visionum occurrunt: unum per oculos, quibus ipsæ literæ videntur. Alterum per spiritum hominis, quo proximus & absens cogitatur. Tertium per contuitum mentis, quo ipsa delectatio intellecta conspicitur. Primùm manifestum est omnibus: in hoc enim videtur cælum & terra, & omnia, quæ in eis conspicua sunt oculis nostris. Nec illud alterum quo absentia corporalia cogitantur, insinuare difficile est, aliter enim cogitamus Carthaginem quàm novimus, aliter Alexandriam quàm novimus. Tertium verò illud quô dilectio intellecta conspicitur, eas res continet, quæ non habent imagines sui similes, quæ non sunt quod ipsæ. Dilectio nunquid aliter videtur præsens in specie, quâ est, & aliter ibsens in aliqua imagine sui simili non utiq;. Primum ergo appellemus corporale, quia sensibus corporis exhibetur. Secundùm spirituale, quidquid enim *Matt. 5. 41.*

Tria visionum genera.

enim corpus non est, & tamen aliquid est, jam rectè spiritus dicitur. Tertium verò intellectuale ab intellectu, quia mentale à mente, ipsa vocabuli novitate nimis absurdum est ut dicamus, *Tom 3. l: 17. c: 6. & 7.*

Quando penitùs avertitur atq; abripitur animi intentio à sensibus corporis, tunc magìs exstasis dici solet : tunc omninò quæcunq; sunt præsentia, etiam patentibus oculis non videntur, nec ullæ voces prorsùs audiuntur : totus animi contuitus, aut in corporum imaginibus est per spiritualem, aut in rebus corporeis nulla corporis imagine figuratis per intellectualem visionem. *Ibidem lib: 17. cap: 12.*

Præstantior est visio spiritualis, quàm corporalis : & rursus præstantior intellectualis, quàm spiritualis. Corporalis enim sine spirituali esse non potest. Neq; enim corpus sentit, sed anima per corpus, quo velut nuntio utitur ad formandum in seipsa, quod extrinsecùs nuntiatur : sed non discernitur nisi fuerit sensus ablatus à corpore : ut id quod per corpus videbatur, inveniatur in spiritu. Item spiritualis visio indiget intellectuali, ut dijudicetur: Intellectualis autem ista spirituali inferiore non indiget : ac per hoc spirituali corporalis, intellectuali autem utraq; subjecta est: spiritualis omnia judicat, ipsa autem à nemine judicatur. *Ib. c: 24.*

Etiamsi fortè ignoret ille cui hæc demonstrantur, utrum ex corpore exierit, an adhuc sit in corpore ; sed spiritu à corporis sensibus alienato ista videat : potest enim sic raptus id ignorare, si ei & hoc non ostendatur. *Ibid: c: 26.*

Gen. 32. 28. Non jam vocaberis Jacob, sed Israel erit nomen tuum. Nimirum nomen hoc ad illam rectè intelligitur pertinere promissionem, ubi sic videbitur Deus, quomodo non est antea Patribus visus : ubi non erit nomen vetus, quia nihil remanebit vel in ipso corpore vetustatis, & Dei visio summum erit præmium. *Tom: 4. lib: 1. quæst: in Gen: quæst: 114.* *Continua in cælis juventus*

Nunc scio ex parte, tunc autẽ cognoscam, sicut & cognitus sum. Cautè accipiendum est, nè tantam putetur homo habiturus cognitionem Dei, quantam nunc habet hominis Deus, sed pro suo modo ita perfectam, ut nihil adhuc ei expectetur addendum, ut quem perfectè nunc Deus novit hominem, sed tamen sciat Deus hominem, ita tunc perfectè homo noverit Deum sed tamen sicut homo Deum. *T: 4. l: 5. super Deut: quæst: 9.*

Illa visio Dei, tantæ pulchritudinis visio est, & tanto amore dignissima, ut sine hac quibuslibet aliis bonis præditum atq; abundantem non dubitet Plotinus [erat Philosophus gentilis) infelicissimum dicere. *T. 5. l: 10. de Civit: Dei c: 16.*

Nunc jam quid acturi sunt in corporibus immortalibus atq; spiritualibus sancti, non adhuc eorum carne carnaliter, sed spiritualiter jam vivente, quantùm Dominus dignatus fuerit adjuvare videamus. Et illa quidem actio, vel potiùs quies atq; otium quale futurum sit, si verùm velim dicere, nescio. Non enim hoc unquam per sensus corporis vidi. Si autem mente id est intelligentiâ vidisse me dicam, quantùm est, aut quid est nostra intelligentia ad illam excellentiam : ubi est enim pax Dei, sicut ait Apostolus, quæ superat omnem intellectum, quem nisi nostrum? aut fortasse etiam omnium sanctorum Angelorum? ut nec ipsos excepisse videatur, qui ait omnem intellectum? quia pacem Dei, quia ipse Deus pacatus est, sicut novit Deus, non eam nos sic possumus nosse, nec ulli Angeli : Superat itaq; omnem intellectum non dubium quod præter suum. Cum apparuerit, in-

quit Joannes Apostolus similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Facies autem Dei manifestatio Dei intelligenda est non aliquod tale membrum quale nos habemus in corpore atq; isto nomine nuncupamus. *Et infra,* Dico itaq; quod visuri sunt Deum in ipso corpore, sed utrum per ipsum, sicut per corpus nunc videmus solem, lunam, stellas, mare, ac terram, & quæ sunt in ea, non parva quæstio est. *Et infra.* Si in hac vita ubi hominum mirabilium prophetia ita comparanda est illi vitæ, quasi parvuli ad juvenem [cum essem inquit Apostolus parvus, quasi parvulus sapiebam, quasi parvulus loquebar. Et videmus nunc non facie ad faciem) Vidit tamen Helisæus accipientem munera servum suum, ubi ipse non erat: itanè venerit quod perfectum est, nec jam corpus corruptibile aggravabit animam, sed incorruptibile nihil impediet. Illi sancti ad ea quæ videnda sunt, oculis corporeis, quibus Helisæus absens ad servum suum videndum non indiguit; indigebunt? *Et infra.* Et fortasse ista virtus magna cernendi data fuerit ad horam etiam in isto mortali corpore oculis sancti viri Job, quando ait ad Deum: In obauditu auris, obaudiebam te priùs, nunc autem oculus meus videt te, propterea despexi memetipsum, & distabui & existimavi me terram, & cinerem. Quamvis hic nihil prohibet oculum cordis intelligi, de quibus oculis ait Apostolus; illuminatos oculos habere cordis vestri. Ipsis autem videri Deum, cum videbitur Christianus, ambigit nemo, qui fideliter accipit, quod ait Deus ille Magister: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Sed utrum etiam corporalibus oculis, ibi videatur hoc in ista quæstione versamur. Illud enim quod scriptum est: Et videbit omnis caro salutare Dei, sine ullius modo difficultatis sic intelligi potest, ac si dictum fuerit. Et videbit omnis homo Christum Dei, qui utiq; in corpore visus est, & in corpore videbitur, quando vivos & mortuos judicabit. Quod autem ipse sit salutare Dei; evidentiùs venerandi illius senis Simeonis verba declarant. Viderunt oculi mei salutare tuum, illud etiam quod ait Job: Et in carne mea videbo Deum: resurrectionem quidem carnis sine dubio prophetavit, non tamen dixit per carnem meam; nec aliter intelligimus, quod in psalmo canitur. Accedite ad Deum & illuminamini, fide quippè acceditur ad Deum, quàm cordis constat esse non corporis. Ad extremum ita concludit in fine. Aut ergo per illos oculos sic videbitur Deus, ut aliquid habeant in tanta excellentia mentis simile, quo & in corporea natura cernatur, quod ullis exemplis sive scripturarum testimoniis Divinarum vel difficile, vel impossibile est ostendere. Aut quod est intelligendum faciliùs, ita Deus nobis erit notus aut conspicuus ut videatur spiritu à singulis nobis in singulis nobis videatur ab altero, in altero, videatur in se ipso, videatur in cælo novo, & in terra nova, atq; in omni, quæcunq; fuerit creatura videatur, & per corpora in omni corpore quodcunq; fuerit spiritualis corporis, oculi acie perveniente directi. Patebunt etiam cogitationes nostræ invicem nobis. Tunc enim implebitur, quod Apostolus cùm dixisset; Nolite ante tempus judicare quidquam: mox addidit; donec veniat Dominus & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis: & tunc laus erit unicuiq; à Deo. *Ibid: lib: 22. cap: 29.*

Quid sit facies Dei. *Sancti ad visionem cælestiũ corporeis oculis non indigebunt.* *Cogitationes in cælo invicem nobis patebunt.* *Rom. 1. 10.* *Psal. 4.* *Iob 42* *Luc. 2.* *Iob. 19* *I. Io. 3. 2.* *Rom. 8. 18.* *1 Cor. 4. 5.*

Multa genera visionis in scripturis sanctis inveniuntur. Unum secundùm oculos corporis sicut vidit Abraham tres viros sub ilice mambræ, & Moyses ignem in rubo. Alterum secundùm quod

Visionum genera plura:

quod imaginamur in eo, quæ per corpus sentimus; nam & pars nostra cùm divinitùs assumitur, multa revelantur, non per oculos corporis, aliumvè sensum carnalem, sed tamen his similia, sicut vidit Petrus discum illum submitti è cælo cum variis animalibus. Tertium autem visionis genus est, secundùm mentis intuitum, quo intellecta conspicuuntur veritas atq; sapientia : sine quo genere illa duo quæ priùs posui, vel infructuosa sunt, vel etiam in errorem mittunt. Cùm enim ea quæ sive corporeis sensibus, sive illi parti animæ, quæ corporalium rerum imagines carpit, divinitus demonstrantur non solùm sentiuntur his modis, sed etiam mente intelliguntur, tunc est perfecta revelatio. Ex hoc tertio genere est visio illa, quam commemoravi dicente Apostolo :
Rom. 1. 10. Invisibilia Dei à constitutione mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. *T: lib: con: Adiman: c: 28.*

Mane astabo tibi & videbo. Astabo quid est nisi non jacebo?
Ps. 4. Quid est autem aliud jacere nisi in terra quiescere ? Non est ergo inhærendum terrenis si volumus Deum videre qui mundo corde conspicitur : Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Iniquitas, malignitas, mendacium, homicidium, dolus & quidquid hujusmodi est, ipsa nox est. Qua transeunte fit manè, ut videatur Deus. *Tom: 8. In psal : 12.*

Peccatum non impedit lumē gloriæ

Tibi dixit cor meum. Quæsivi vultum tuum. Lucem istam quærunt oculi carnis, lucem illam quærunt oculi cordis. Sed vis illam lucem quæ videtur oculis cordis videre quia ipsa lux Deus est. Deus enim lux est ait Joannes & tenebræ in illo non sunt ullæ. Vis ergo videre illam lucem ? Munda oculum unde videtur : Beati enim mundo corde quia ipsi Deum videbunt. Vis impetrare ? Aliud noli petere. Uni suffice, quia una tibi sufficiet. Nè declines in ira à servo tuo. Magnificè nihil dici diviniùs potest. Sentiunt hoc qui verè amant. Posset illi fortè responderi hoc modo. Quid times nè declinet à te in ira ? Magìs si à te declinaverit in ira, non in te vindicabit : ira ejus non est nisi aversio vultus ejus. Quid si te faciet in deliciis istis & voluptate gaudiorum terrenorum immortalem ? Respondet amator talis, nolo, quidquid mihi præter illum est, dulce non est. Quidquid mihi vult dare Dominus meus auferat totum & se mihi det. Nè declines in ira à servo tuo. Forte ab aliquibus declinat non in ira : quomodo à quibusdam qui illi dicunt. Averte faciem tuam à peccatis meis. Quando à peccatis tuis avertit faciem tuam, non in ira à te declinat. Avertat ergo faciem suam à peccatis tuis, sed non avertat faciem suam à te. *Ibid. Enar: 2 in psal: 26.*

Objectum oculorum mentis Deus.

Ex omnibus bonis maximū est ipse Deus.

Videbimus eum sicuti est. Servatur nobis nescio quod dulce
1. Io. c. 2. spectaculum omninò : Et si cogitari ex aliqua parte in ænigmate & per speculum potest, dici tamen nullo modo potest, pulchritudo illius dulcedinis quam servat Deus timentibus se, perficit autem sperantibus se. Illic parantur corda nostra in omnibus vitæ hujus tribulationibus, & tentationibus. Noli mirari quia in laboribus pararis ; ad magnum aliquid pararis. Unde vox illa justi
Rom. 8. 18. confirmati, non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Quæ erit futura gloria nostra, nisi æquari Angelis, & videre Deum ? Quantùm præstat cæco qui illi oculos sanaverit ut videant hanc lucem ? Quid ergo dabimus nos Medico illi oculos interiores nostros sananti ad videndam quandam lucem æternam quæ est ipse ? Quid illi dabimus ? Quæramus, inveniamus si possumus, & in angustiis inquisitionis nostræ exclamemus. Quid retribuam Domino pro omni-

In visione sua Deus servat aliquod dulce spectaculum.

Tribulatio oculos mentis sanat videndo Deo. bus quæ retribuit mihi? Et quid invenit? calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo. Inde Petro. Amas me pasce oves meas pro quibus biberet calicem Domini. *Ibid: Con: 2. in psal: 36.*

Videndo Deum omnis gaudii materia erit. Angeli eorum semper vident faciem Patris. Si ergo ad faciem Patris gaudent Angeli, ad tale gaudium te præpara: aut si invenis meliùs quàm videre faciem Dei, illuc te præpara. Væ tali amori tuo. Si vel suspicaris aliquid pulchriùs quod est ille à quo est omne pulchrum quod te teneat, nè illum cogitare merearis. *In psal: 43.* *Matt. 18. 10*

Contemplabimur Deum facie ad faciem. Hic nobis promittitur in quem modo non videntes credimus. Quomodo gaudebimus cum videbimus eum? Fratres si modo tantum gaudium in nobis promissio, quantùm est factura redditio? Reddet enim nobis quod promisit, seipsum, ut facie ipsius & illius contemplatione gaudeamus. Et non aliquid aliud delectabit nos, quia nihil est meliùs illo, qui fecit omnia quæ delectant. Factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion: id est in contemplatione quadam & speculatione. Ibi confregit fortitudines arcuum, & scutum & gladium & bellum. Ubi confregit? In illa pace æterna, in illa pace perfecta. *Ibid: In psal: 75.* *Ps. 75. 3.*

Visio Dei virtutum incrementum confert seipsa. Ambulabunt è virtutibus in virtutem. Ab his virtutibus imus in illam virtutem: Et quæ erit illa virtus nisi solius contemplationis Dei? Necessaria ibi non erit illa prudentia, ubi nulla mala occursura sunt quæ vitemus, non ista justitia ubi nulla erit cujusquam indigentia cui subvenire debeamus: non ista temperantia ubi nulla erit libido reformanda. Non ista fortitudo ubi nulla erunt mala toleranda. Ibunt à virtutibus in virtutem. Quàm virtutem? Contemplandi. Quid est contemplandi? Apparebit Deus Deorum in Sion. Deus Deorum Christus Christianorum. Quomodo Deus Deorum Christus Christianorum? Ego dixi Dij estis. Et dedit eis potestatem filios Dei fieri ille in quem credimus pulcher sponsus, qui hic propter deformitatem nostram deformis apparuit. *Ibid: In psal: 83.* *Ps. 83. 8.*

Præmium meritorum visio Christi.

Nescitis quia ego in Patre, & Pater in me est? Id est. Et me viso videtur & Pater, & Patre viso videtur & filius. Patris & filij separari non potest visio. Ubi non unius separatur natura, & substantia, visio separari non potest. *Ibid: In ps: 85.*

Nescio quid magnum est quod visuri sumus, quando tota merces nostra visio est: & ipsum magnum visum hoc est Dominus noster Jesus Christus. Ipse qui humilis visus est ipse videbitur magnus, & lætificabit nos quomodo videtur modo ab Angelis. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum. *Ibid: in psal: 90.*

Promittitur cordi humano visio Dei & inde dicitur quædam operatio mundandi cordis: hoc dicitur à scriptura. Para unde videas quod amas antequam videas. Audito enim Deo & nomine ejus cui non dulce est quod illud audit nisi impio multùm remoto, multùm longè facto. *Enar: in psal: 99.*

Visio Dei illius misericordia. Attende te qui sis terra & cinis: vide quis meruerit quid videre. Vide quis quid: homo Deum. Agnosce non meritum hominis sed misericordiam Dei: lauda ergo miserantem. *Ibidem.*

Quoniam videbimus eum sicuti est. Hæc claritas Dei est ineffabilis lux, fons lucis sine commutabilitate, veritas sine defectu, sapientia in seipsa manens, innovans omnia. Hæc substantia Dei est. Itaq; tolletur impius ut videat hunc timorem Dei. Beati enim *1. Io. 3. 2.*

nim

nimo mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Ibidem Expos: psal: 109.*

Inhabitabunt recti cum vultu tuo. Male enim illis fuit cum
Ps139. vultu suo bene illis erit cum vultu tuo. Quando vultum suum
14. amaverunt, in sudore vultus sui panem manducaverunt. Redeant, & deterso sudore finitis laboribus, pereunte gemitu, veniet illis facies tua abundans sufficientia. Nihil quærunt amplius quia melius non habent: ampliùs non te deserent, nè deserantur à te. *Ibid: Expos: psal: 139.*

Quid interpretatur Israel? Videns Deum. Omnes ergo Cives illius Civitatis videndo Deum gaudent in illa magna Civitate & ampla & cælesti. Spectaculum eis Deus ipse est. *Idem Enar: in psal: 146.* *Soli Israelita in cælo erunt.*

Quid est Israel? Videns Deum. Ubi videbunt Deum? In pace. In qua pace? Pace Hierusalem. Qui posuit inquit fines tuos pacem. Ibi laudabimus; omnes unus, in uno, ad unum erimus, quia deinceps multi dispersi non erimus. *Ibid: Expos: ps: 147.* *Cælum est pacis caritas.*

Para te videre sublimiter, à quo visus es misericorditer. Sed quia magnum fastigium est, de fundamento cogita. Quo inquis fundamento: Disce ab illo quoniam mitis est & humilis corde. Hoc in te fode fundamentum humilitatis, & pervenies ad fastigium charitatis. *Tom: 10. serm: de verb: Domini serm: 10. de illo Evangelij secundùm Matthæum. Venite ad me omnes, &c.* *Visio Dei in fundamento humilitatis.*

Tota igitur opera nostra fratres in hac vita est, sanare oculum cordis, unde videtur Deus. Ad hoc sacrosancta mysteria celebrantur: ad hoc sermo Dei prædicatur. *Et infra.* Quid turbat oculum cordis: Cupiditas, avaritia, iniquitas, concupiscentia secularis, turbat, claudit, excæcat oculum cordis. Et tamen quomodo quæritur medicus, cum oculus carnis turbatus est, quomodo non differtur, ut aperiatur atq; purgetur, & sanetur, unde lux ista videatur? curritur, nemo requiescit: nemo differt, si vel stipula in oculum cadit. *Ibid: serm: 18. de duobus cæcis sedentibus secus viam secundùm Evangelium Matthæi.* *Quæ turbant oculum cordis.*

Videbimus Deum. Hoc autem tantum erit, & tanta res erit, ut in ejus comparatione nihil sit totum. Dixi quod viventes erimus, quod salvi & incolumes, quod famem sitimq; non patiemur, quod in lassitudinem non cademus, quod somnus non nos premet. Totum hoc quid est ad illam felicitatem quâ Deum videbimus? *Tom: 10. eorundem serm: 64. de illo Evangelij secundum Ioannem, Amen amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est quando mortui audient vocem, &c.*

Scimus quod cùm apparuerit, similes ei erimus. Nunquid
1. Io. 3 quia credidimus? Non. Quare ergo? Quoniam videbimus eum
2. sicuti est. Quid spes? erit ibi? Spes jam non erit, quando erit res. *Tom: 10. serm: de verb: Apost: serm: 16. de illo Apostoli, Si Deus pro nobis quis contra nos?* *In cælo neq; fides neq; spes.*

Moriendum est mundo, ut Deo in sempiternum vivamus. Tunc non peccabimus non solùm factis, sed nec concupiscentiis, cum illam faciem viderimus, quæ vincit omnes concupiscentias. Tam enim dulcis est fratres mei, tam pulchra, ut illâ visâ nihil aliud possit delectare. Satietas erit insatiabilis, nullum fastidium; semper esuriemus, semper saturi erimus. Audi ipsas duas sententias de scriptura. Qui bibit me, dicit sapientia, adhuc sitiet: & qui edit me adhuc esuriet. Sed nè putes quia ibi erit indulgentia & fames, audi Dominum: qui biberit ex hac aqua, non sitiet in æternum. Sed dicis, quando erit? Quandocunq;, erit tamen. Expecta *Mori mundo debet, Deo victurus*

pecta Dominum, sustine Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum. Nunquid tanta restant, quanta peracta sunt? Intende ab Adam usq; ad hodiernum diem, quot secula evoluta sunt, & ecce jam non sunt. Pauci dies remanent quodammodo: sic enim dicendum est quod remanet in comparatione transactorum seculorum. *T:* 10. *ser: de Temp: ser:* 49. *Dnica* 5. *post Oct: Epiph: ser:* 2.

Quies Sanctorum Christus. Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. Cùm verò ad finem perventum fuerit, jam consistitur, jam requiescitur, jam secura pace triumphatur. Et quis finis, nisi Deus Christus? Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti. Et sapientia Dei quis, nisi Christus? Et Filius Dei quis, nisi Christus? In illo ergo sapientes, & in illo filij Dei fiunt, quicunq; fiunt: & hæc pax plena atq; perpetua. *Tom:* 10. *serm: de sanct: serm:* 17. *In festo Annuntiationis Dominicæ* 1. *Matt. 5.*

Beati mundi-cordes: hoc est qui mundi corde sunt, quoniam ipsi Deum videbunt. Hic est finis amoris nostri, finis quo perficiamur, non quo consumamur. Finitur cibus, finitur vestis, cibus quia consumitur edendo; vestis quia perficitur texendo. Et illud finitur, & illud. Sed finis iste pertinet ad consumptionem, ille ad perfectionem. Quidquid agimus, quidquid bene agimus, quidquid nitimur, quidquid laudabiliter æstuamus, quidquid inculpabiliter desideramus, ad Dei visionem cum venerit, plùs non requiremus. Quid enim quærat cui adest Deus? aut quid sufficiat ei, cui non sufficit Deus? Videre Deum volumus, videre Deum quærimus, videre Deum inardescimus. Quis non? Sed vide quid dictum est, Beati mundi-cordes, quoniam ipsi Deum videbunt. *Et infra.* Illuminatos oculos cordis vestri. Modo ergo isti oculi pro sua infirmitate illuminantur fide: postea pro sua firmitate illuminabuntur specie. *Tom:* 10. *Decem &* 7. *ser: ser:* 14. *In festo Omnium Sanctorum.* *Matt. 5.* *Fides oculus cordis.*

Pro ista fide præmium erit videre quod credimus. Noverant hoc Prophetæ, sed occultum erat antequam veniret. *T:* 9. *in Evan: Ioan: Tract:* 3. *de cap:* 1.

Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. In terra aliud est fons, aliud lumen. Sitiens quæris fontem, & ut pervenias ad fontem quæris lumen: & si dies non est accendis lucernam, ut ad fontem pervenias. Fons ille ipsa est lux, sitientibus fons est, cæco lux. Aperiantur oculi, ut videant lucem, aperiantur fauces cordis ut bibant fontem. Quod bibis hoc vides, hoc audis. Totum tibi fit Deus, quia horum quæ diligis totum tibi est. Si visibilia attendis, nec panis est Deus, nec aqua est Deus, nec domus est Deus: omnia enim hæc visibilia sunt, & singula sunt. Quod est panis, non hoc est aqua, & quod est vestis, non hoc est domus: & quod sunt ista non hoc est Deus, Visibilia enim sunt, Deus tibi totum est. Si esurieris, panis tibi est: si sitieris aqua tibi est: si in tenebris es, lumen tibi est, quia incorruptibilis manet: si nudus es immortalitas vestis tibi est, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. Omnia enim possunt dici de Deo: & nihil dignè dicitur de Deo. Nihil latiùs hac inopia. Quæris congruum nomen non invenis: quæris quomodo dicere, omnia invenis. *Ibid: Tract:* 13 *de c:* 3. *Ps. 35. 10.*

In solitudine videtur Christus et non in turba. Difficilè est in turba videre Christum. Solitudo quædam necessaria est menti nostræ, quadam solitudine intentionis videtur Deus. *Ibid: Tract:* 17. *de cap:* 5.

Ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non

est

est absconditus. Desideras aurum, videri potes, quærens enim aurum manifestus eris hominibus. Desideras frumentum, interrogas qui habeat: cui, cupiens pervenire ad id quod desideras, indicas te desiderasse. Deum quis videt nisi Deus? A quo enim petis Deum sicut panem, sicut aquam, sicut aurum, sicut argentum, sicut frumentum? A quo petis Deum nisi à Deo? Ipse petitur à seipso, qui promittit seipsum. Extendat anima cupiditatem suam, & sinu capaciore quærat comprehendere, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Desiderari potest, concupisci potest, suspirari in illud potest: dignè cogitari, & verbis explicari non potest. *Ib: Tract: 34. de c: 8.*

Ps. 37. 10.

Æterna bona non possunt explicari.

Matt. 5.

Unde pascetur mens nostra? unde optatus ille lætabitur? unde erit illud gaudium quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit? Quid videbimus? Obsecro vos, amate mecum, currite credendo mecum: patriam supernam desideremus, supernæ Patriæ suspiremus, peregrinos nos esse hic sentiamus. Quid tunc videbimus? Dicat nunc Evangelium: In principio erat Verbum & verbum erat apud Deum; & Deus erat Verbum. Unde tibi ros inspersus est, ad fontem venies: unde radius per obliqua, & anfractuosa tibi ad cor tenebrosum missus est, nudus ipsam lucem videbis, cui videndæ ferendæq; mundaris. *Ibid: Tract: 35. de cap: 8.*

Quoniam videbimus cum sicuti est. Magna promissio, sed merces est fidei. Quæris mercedem? opus præcedat. Si credis, mercedem exige fidei. Si autem non credis, fidei mercedem qua fronte quæris? Si ergo manseritis in verbo meo, verè discipuli mei eritis; & contemplemini ipsam veritatem sicuti est, non per verba sonantia, sed per lucem splendentem, cum signaverit nos, quod legitur in psalmo: signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Moneta Dei sumus, nūmus à thesauro Dei aberravimus. Errore detritum est, quod in nobis fuerat impressum: venit qui reformet, quia ipse formaverat. Quærit & ipse nummum suum sicut Cæsar nummum suum, ideo ait: Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt. Cæsari nummos, Deo vos ipsos. *Ibid: Tract: 40. de cap: 8.*

Lumen gloriæ est merces fidei.

Matt. 22 21

Et vidit inquit, & gavisus est. Quis explicat hoc gaudium fratres mei? si gavisi sunt illi quibus Dominus oculos carnis aperuit, quale gaudium fuit videntibus cordis oculis, lucem ineffabilem, verbum manens, splendorem pijs mentibus refulgentem, sapientiam indeficientem, apud Patrem manentem Deum, & aliquando in carne venturum, nec de Patris gremio recessurum? Totum hoc vidit Abraham. Nam quod ait, Diem meum, incertum potest esse unde dixerit, utrum diem Domini temporalem quo erat venturus in carne, an diem Domini qui nescit ortum, nescit occasum. Sed ego non dubito, Patrem Abraham totum scisse. *Ibid: Tract: 43. de cap: 8.*

Io. 8. 56.

Mundemus corda per fidem ut illi ineffabili, & ut ita dicam invisibili visioni præparemur: Beati enim mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. *Ibid: Tract: 53 de cap: 12.*

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Ergo visuri sumus quandam visionem fratres, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Visionem quandam visionem, præcellentem omnes pulchritudines terrenas, auri argenti nemorum atq; camporum, pulchritudinem maris & aëris, pulchritudinem stellarum, pulchritudinem Angelorum, omnia superantem, quia ex ipsa pulchra sunt omnia. Quid ergo nos erimus

Eorum qui sunt mundi corde merces maxima videre Deum.

erimus quando hoc videbimus? Quid nobis promiſſum eſt? Similes ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Quomodo potuit, lingua ſonuit, cætera corde cogitentur. Quid enim vel ipſe Joannes dixit ad comparationem rei quæ eſt? vel à nobis dici poteſt hominibus, longè imparibus meritis ipſius. *Tom. 9. in Epiſt: Ioan: Tract: 4. de c: 3.*

VITA ÆTERNA.

NUnquam tanta ac talia pro nobis divinitùs agerentur, ſi morte corporis, etiam vita animæ conſumaretur. Quid cunctamur igitur relicta ſpe ſæculi, conferre nos totos ad quærendum Deum & vitam beatam. *T: 1. lib: 6. conf: c: 11.*

Quomodo ergo te quæro Domine? cùm enim te quæro, vitam beatam te quæro, vivit enim corpus meum de anima mea, & vivit anima mea de te. *T: 1. lib: 10 conf: c: 20.*

Sicut tota vita corporis, eſt anima; ſic beata vita animæ Deus eſt. *Tom: 1 lib: 2. de lib arb: c: 16.*

Multi cruciatus ſuſcipiuntur certi, ut pauci dies adjiciantur incerti, & cùm omninò non eligant vitam finire nè doleant, ſed dolere nè finiant, accidit eis ut doleant & finiant. Habet enim hoc magnum malum ac vehementer execrandum & horrendum amor hujus vitæ; quòd multi dum volunt paulò diutiùs vivere, graviter offendunt Deum, apud quem eſt fons vitæ, atq; ita dum ab eis fruſtra, qui neceſſariò futurus eſt, vitæ finis metuitur, illinc prohibentur, ubi ſine fine vivitur. Huc accedit, quia vita miſera etiamſi poſſet eſſe perpetua, nullo modo beatæ vitæ etiam breviſſimæ comparanda eſt; & tamen iſti amando miſerrimam atq; breviſſimam, perdunt beatiſſimam ac ſempiternam. *Tom: 2. epſt: 45*

Amor vitæ præſentis æternæ jactura.

An verò dignum eſt vel ferendum, cùm contemnuntur omnia quæ amantur in mundo, ut vita poſt paululum finienda, ſaltim ipſum paululum teneatur in mundo; & non contemnitur mundus, ut obtineatur vita, quæ ſine fine apud ipſum eſt, per quem factus eſt mundus. *Ibidem.*

Narrabo aliquid breviter. Frater Gennadius, notiſſimus ferè omnibus mihiq; cariſſimus, medicus, atq; erga pauperum curam benigniſſimus, cum adhuc eſſet adoleſcens, dubitabat utrum eſſet ulla vita poſt mortem? Apparuit ei in ſomnis conſpicuus juvenis, eiq; dixit: ſequere me. quem dum ſequeretur, venit ad quandam civitatem, ubi audire cæpit à dextra parte ſonos ſuaviſſimæ cantilenæ, ultra ſolitam notamq; ſuavitatem. tunc intento quidnam eſſet? ait hymnos eſſe beatorum atq; ſanctorum. Evigilavit & ſomnium fugit. Alia nocte idem ipſe Iuvenis Gennadio apparuit, atq; ab illo utrum cognoſceretur interrogavit; reſpondit iſte, quod eum benè cognoſceret, totumq; viſum illud, hymnoſq; ſanctorum, ad quos audiendos eo duce venerat, narravit. Hic ille percontatus eſt, utrum, nam id quod narraverat in ſomnis vidiſſet an vigilans: reſpondit: in ſomnis; tunc ille, qui ſunt ergo iſti oculi, quibus me vides? ad hoc iſte non inveniens quid reſponderet, obticuit: cui hæſitanti aperuit continuò: ſicut inquit illi oculi carnis tuæ, utiq; in dormiente atq; in lectulo jacente nunc vacant, nec aliquid operantur, & tamen ſunt iſti, quibus me intueris, & iſtâ uteris viſione; ita cùm defunctus fueris, nihil agentibus oculis carnis tuæ, vita tibi inerit, quâ vivas, ſenſuſq; quo ſentias. Cave jam deinceps nè dubites vitam manere poſt mortem. *Ibid ep: 100.*

Gennadio Angelus per ſomnium dubitationem de immortalitate animæ diſcuſſit.

Omnes

Omnes in Christo vivificabuntur, cùm tam multi æterna
1. Cor. 15.22. morte puniantur: ideo dictum est, quia omnes quicunque vitam æternam percipiunt, non percipiant nisi in Christo, ita quod dictum, omnes homines vult Deus salvos fieri, ideo dictum est, quia omnes homines qui salvi fiunt, nisi ipso volente non fiunt. *Tom: 2. epist: 107.* *Christus vita nostra.*

Job. 42 10. Job cuncta quæ amiserat, duplicata sunt restituta, ubi etiam commendata est resurrectionis fides. Nam filij non dupli, sed totidem redditi, etiam illos, quos amiserat, resurrecturos significaverunt. Sic ipsi quoq; illis prioribus juncti, à restitutione duplici non invenientur alieni *Ibid: ep: 120. c: 10.*

Si deliciæ sæculi hujus breves ac sordidæ sic amantur, quantò vehementiùs futuri sæculi gaudia pura & infinita quærenda sunt. *Ibid: epist: 138.*

Ibi etsi nescimus quæ bona futura sunt, non tamen de parva re certi sumus, quod ista mala ibi non erunt. *Ib: ep: 250.*

Cum ex hac vita ventum fuerit ad beatam, tunc erit verè quod nunc esse nullo modo potest, ut sic homo vivat, quomodo vult. Non enim volet malè vivere in illa felicitate, aut volet aliquid quod deerit, aut deerit, quod voluerit. Quidquid amabitur aderit: nec desiderabitur, quod non aderit: omne quod ibi erit, bonum erit, & summus Deus, summum bonum erit, atq; ad fruendum amantibus præsto erit. Et quod est omninò beatissimum, ita semper fore certum erit. *T: 3. lib: 13. de Trin: c: 7.*

Inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ &c: quoniam apud
Ps. 15. 9. te est fons vitæ. Talis ebrietas non evertit mentem; sed tamen rapit sursum, & oblivionem præstat omnium terrenorum: sed si possumus toto affectu jam dicere; quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Quodsi fortè adhuc propter ægritudinem animæ, quas de sæculi amore concepit, nec gustare sumus idonei, quàm dulcis est Dominus; vel credamus Divinæ authoritati, quam voluit esse in scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei de semine David secundùm carnem ut loquitur Apostolus. *T: 3. lib: de agon: Christiano c: 9.* *Vita æterna oblivionem inducens terrenorum.*

Non negligenter considerandum puto, tantam miseriam in
Gen 45 4. 3. hac perturbatione fratrum suorum quos Ioseph quamdiu voluit, tenuit; & totum hoc quod agebat, ut eorum gaudium differretur, ob hoc agebat, ut eadem dilatione cumularetur; tanquam non essent condignæ passiones eorum, in illo toto tempore quo turbabantur ad futuram illam gloriam exultationis, quæ in eis fuerat revelanda, fratre cognito, quem à se perditum esse arbitrabantur. *T: 4. lib: 1. quæst: in Gen: quæst: 146.*

Qui parcè seminat parcè & metet. Quid fratres potentiùs,
2. Cor. 9. quàm ut Regnum cælorum non solùm Zachæus emat, dimidio rerum suarum, sed & vidua duobus minutis: & tantundem uterq; ibi possideat? Quid potentiùs quam ut idem Regnum & thesauris divitis, & calice aquæ frigidæ pauperis valeat? *Tom: 4. lib: de 8. Dulcitij quæst: quæst: 4.* *Facile cæli pretium.*

Ps. 72. 28. Mihi autem adhærere Deo bonum est, non longè ire neq; per plurima fornicari. Adhærere autem Deo, tunc perfectum erit, cùm totum quod liberandum est, fuerit liberatum. Nunc verò fit illud quod sequitur: ponere in Deo spem meam. *Tom: 5. lib: 10. de Civit: Dei c: 25.*

Quo sermone potest terminari in cæli & terræ & maris multimoda & varia pulchritudine, in ipsius lucis tanta copia, tamq; mirabili specie in sole ac luna syderibus; in opacitatibus nemo-

rum, in coloribus & odoribus florum, in diversitate ac multitudine volucrûm garrularum atq; pictarum : in multiformi specie, tot tantorumq; animantium, quoniam illa plùs habent admirationis, quæ molis minimùm, [plùs enim formicularum & apicularum opera stupemus quàm immensa corpora balenarum] in ipsius quoq; maris tam grandi spectaculo, cum sese diversis coloribus induit, velut vestibus; & aliquando viride, & hoc multis modis aliquando purpureum, aliquando cæruleum est? *Et post multa præclara tandem infert.* Et hæc omnia miserorum sunt damnatorumq; solatia, non præmia beatorum, Quæ igitur illa sunt, Si tot ac talia & tanta sunt ista ? Quid dabit eis, quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit etiam eis, quos prædestinavit ad mortem ? Quæ bona in illa beata vita faciet eos sumere, pro quibus in hac miseria, Unigenitum Filium suum voluit usq; ad mortem mala tanta perferre ? Unde Apostolus de ipsis in illud Regnum prædestinatis loquens : Qui proprio inquit Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam, cum illo omnia nobis donavit? Cùm hæc promissio complebitur, quid erimus ? quales erimus ? quæ bona in illo Regno accepturi sumus, quandoquidem Christo moriente pro nobis, tale jam pignus accepimus ? qualis erit spiritus hominis, nullum omninò habens vitium, nec sub quo jaceat, nec cui cedat, nec contra quod saltim laudabiliter dimicet, pacatissima virtute perfectus ? Rerum ibi omnium quanta, quàm speciosa, quàm certa scientia, sine errore aliquo vel labore, ubi Dei sapientia de ipso suo fonte potabitur cum summa felicitate, sine ulla difficultate. Quale erit corpus, quod omni modo spiritui subditum & sufficienter vivificatum, nullis alimoniis indigebit. Non enim animale sed spirituale erit, habens quidem carnis, sed sine ulla carnali corruptione substantiam. *ibid: lib: 22. cap: 24.*

Admirabilior natura in exiguis.

Rom 8.

Pignus est Christus, vitæ æternæ.

Scientia sine errore & labore.

Quanta erit illa felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus. Nam quid aliud agetur, ubi neq; ullâ desidiâ cessabitur, neq; ullâ indigentiâ laborabitur, nescio. Admoneor etiam sancto Cantico ubi lego & audio: Beati qui habitant in Domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Omnia membra & viscera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus per usus necessitatis varios & motus distributa, quoniam tunc non erit ipsa necessitas, sed plena, certa, secura, sempiterna felicitas, proficient in laudibus Dei. Qui motus illic talium corporum sint futuri, temerè definire non audeo, quod excogitare non valeo. Tamen & motus, & status, sicut ipsa species decens erit, quicunq; erit, ubi quod non decebit, non erit. Certè ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus, nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum posset decere nec corpus. Vera ibi gloria erit, ubi laudantis nec errore quisquam, nec adulatione laudabitur. Verus honor, qui nulli negabatur digno, nulli deferretur indigno : sed nec ad eum ambiget ullus indignus, ubi nullus permittetur esse, nisi dignus. Vera pax ibi est, ubi nihil adversi, nec à se ipso, nec ab alio quisquam patietur. Præmium virtutis erit. Ipse qui virtutem dedit, eiq; se ipsum, quo meliùs & magìs nihil possit esse, promisit. Quid est enim aliud, quod per Prophetam dixit ? Ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs, nisi ego ero, unde satientur, ego ero, quæcunq; ab hominibus honestè desiderantur. Et vita & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona : sic enim & illud rectè intelligitur, quod ait Apostolus, ut sit Deus omnia in omni-

Vera gloria cum nec errore laudantis nec adulatione laudamur.

omnibus. *Et infra.* Alioquin si se fuisse miseros nescituri sunt: quomodo, sicut ait Psalmus; misericordias Domini in æternum cantabunt? quo cantico in gloriam gratiæ Christi, cujus sanguine liberati sumus, nihil erit profectò illi jucundiùs Civitati. Ibi perficietur; vacate & videte, quoniam ego sum Deus; quod erit ibi verè maximùm sabbatum non habens vesperam. Quod commendavit Dominus in primis operibus mundi, ubi legitur: Et re-
Gen. 2 2. quievit Deus die septimo, & benedixit Deus diem septimum & sanctificavit eum: Dies enim septimus etiam nos ipsi erimus, quando ejus fuerimus benedictione & sanctificatione pleni atq; refecti. Ibi vacantes videbimus, quoniam ipse est Deus, quod nobis ipsi esse volumus, quando ab illo cecidimus, audientes à seductore, Eritis sicut Dij, & recedentes verò à Deo, quo faciente, Dei essemus ejus participatione non desertione. Quid enim sine illo fecimus, nisi quod in ira ejus defecimus, à quo refecti & gratia majore perfecti vacabimus in æternum, videntes quia ipse est Deus, quo pleni erimus, quando ipse erit omnia in omnibus. *Tandem hoc ingens opus concludens, illud admirabile Organum Spiritûs sancti, & sonora vox Ecclesiæ Doctor Sanctissimus Augustinus ait:* Ibi vocabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine. Nam quis alius noster est finis, nisi pervenire ad Regnum, cujus nullus est finis: Videor mihi debitum ingentis hujus operis adjuvante Domino reddidisse: quibus parum, vel quibus nimium est, mihi ignoscant: quibus autem satis est, non mihi, sed Domino mecum gratias congratulantes agant, Amen. *Ibid: lib: 22. c: 30.*

Anima sabbatum in quo Deus requiescit.

Actiones beatificæ cognoscere & amare & laudare Deum.

Ps. 83. 5. Beati Domine qui habitant in Domo tua. Finitâ quippè omni indigentiâ, & novissimâ inimicâ morte destructâ, perpetua Dei laus erit otiosorum negotium: quo jam nemo accedet, unde jam
Ps. 147 2. nemo discedit Quod alibi Propheta ita commemorat, confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te: Clausis portis nullus intrabit, nullus exibit, quod & ipse sponsus in Evangelio dicit, fatuis virginibus etiam pulsantibus, se non aperturum. *Tom: 6. lib: 15. con: Faust: c: 11.*

Status beatificus laudare Deum.

Ps. 57. Adhærere bonum est, ut bonum Dei quod diligunt, Deus sit ipse quem diligunt, inter quem & homines, nisi peccata non separant, quæ non nisi per eandem gratiam dimittuntur *Ib: c: 25*

Alia erat immortalitas, ubi homo poterat non mori, alia est ista mortalitas, ubi homo non potest nisi mori, alia erit summa immortalitas, ubi homo non poterit mori. *Tom: 7: lib: 1. imperf: con: Iulian: cap: 70.*

Pauci sunt qui salvantur in eorum comparatione qui pereunt, Nam sine illorum comparatione per seipsos, etiam ipsi multi sunt; eorum quippè multitudinem dicit Apocalypsis, numerare neminem posse. *T: 7. lib: 2. imperf: con: Iulian: c: 205.*

Magnus numerus salvandorum

Neq; absurdum est ut sit in illa vita etiam caro spiritualis, si potuit esse in hac vita, in his qui adhuc carnalia sapiunt, esse ipse spiritus carnalis. *Ibid: lib: 1. ad Bonifac: c: 9.*

Liberari ergo est à corpore mortis hujus, sanato languore concupiscentiæ carnis, non ad pænam corpus recipere, sed ad gloriam. *Ibidem cap: 11.*

Matt. 6. 10. Veniat Regnum tuum. Regnum Dei dicitur, ubi cum illo fidelis familia ejus, beatè ac sempiternè tota regnabit. Nam secundùm potestatem quæ illi super omnia est, etiam nunc utiq; regnat. Quid ergo est quod oramus, ut veniat, nisi ut cum illo regnare mereamur. Aliud enim est, Regni Dei muneribus hono-

Iusti reges.

rari, aliud Regni Dei legibus coerceri. *Ibid: l: 3. de anima c,* 11.

Innocentiæ cælum patet. Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus & mundo corde? Ascendet innocens manibus, & mundus corde stabit. *Tom: 7. lib: de perfect: Iustit: cap:* 15. *Ps.* 23. 3. 4.

Videbimus eum sicuti est. Tunc peccatum nullum erit, quia infirmitas nec interior, nec exterior permanebit. *Ib: c:* 18.

Itaq; fratres charissimi, si vita bona nostra nihil aliud est, quàm Dei gratia? sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est. & ipse enim gratis datur, quia gratis data est illa cui datur. *T: 7. l: de gratia & lib: arbitr: c:* 9.

Via Christi Notas mihi fecisti vias vitæ. Notas fecisti per me humilitatis vias, ut ad vitam redirent homines, unde per superbiam ceciderunt. *Tom: 8. in psal:* 15. *Ps.* 15. 11.

Cæli sunt sancti. Cæli enarrant gloriam Dei. Enarrarunt, enarrant, enarrabunt cæli, gloriam Dei. Enarrabunt inquam cæli, hoc est sancti, gloriam Dei, à terra suspensi, Deum portantes, præceptis tonantes, sapientiâ coruscantes: illam ut digni gloriam Dei qua salvi facti sunt indigni. Hanc indignitatem, id est qua digni non fuimus, agnoscit filius minor, egestate constrictus. *Ib: Expos: 2. in psal:* 18. *Ps.* 18. 1.

Domus justorum æternitas Unam petij à Domino hanc requiram. Videamus quid petit qui nihil timet? Magna securitas cordis. Vultis nihil timere hanc unam petite. Quid est hoc? quæ est illa una? ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ, hæc est una. Domus enim ea dicitur, ubi semper manebimus. Quid autem acturi sumus in illa domo? Habes evidenter expressisse alium psalmum: Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Hac ille si dicendum est cupiditate ardens, & amore isto æstuans, desiderat omnes dies vitæ suæ in domo Domini habitare. In domo Domini omnes dies vitæ suæ, non quasi finiendos sed æternos: sic enim dicuntur dies, quomodo anni, de quibus dictum est, Et anni tui non deficient. Nam dies vitæ æternæ, unus dies est sine occasu. Hoc ergo dixit ad Dominum, Unam petij hanc requiram. Et quasi diceres ei. Et quid ibi facturus es? quæ ibi delectatio? quod avocamentum cordis? quæ ibi deliciæ? unde gaudia suppetent? Non enim ibi perdurabis nisi felix eris. Tunc enim erit manè nostrum, nocte transacta. Unde alio loco Psalmus dicit, mane astabo tibi & contemplabor te. Modo ideo non contemplor quia cecidi: tunc astabo tibi & contemplabor. Hæc vox humana est. Cecidit enim homo, & non mitteretur qui erigeret nisi cecidissemus. Nos cecidimus ille descendit. Ille ascendit, nos levamur, quia nemo ascendit nisi qui descendit. Et non ideo desperemus quia ille solus ascendit. Levat enim nos ad quos cadentes descendit. Cognoscite infirmitatem cordis vestri, & quidquid occurrerit quod cogitare possitis dicite, non est illud. Non etiam, si illud esset, mihi jam occurrisset. Ita desiderabitis quoddam bonum. Quale bonum? omnis boni bonum, unde omne bonum cui non addatur, quid sit ipsum bonum. Dicitur enim bonus homo, & bonus ager, & bona domus & bonum animal & bona arbor, & bonum corpus & bona anima. Adjunxisti, quoties dixisti bonum est, Bonum. Simplex ipsum bonum quo cuncta sunt bona, ipsum bonum ex quo cuncta sunt bona, ipsa est delectatio Domini: hanc contemplabimur. *Ib. Enar: 2. in psal:* 26. *Ps.* 26 4. *Ps.* 5. 4 *In cælo omne bonum expletivum appetitus.*

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine. Hic homo impius si dicat: ubi est ista multitudo dulcedinis? respondebo: *Ps.* 30. 20.

bo: quomodo tibi ostendam multitudinem hujus dulcedinis, qui palatum de febre iniquitatis perdidisti? Mel si non nosses quam bene saperet non clamares: nisi gustasses, palatum cordis non habes. Ad hæc bona gustanda quid tibi faciam? Non est cui dicam: Gustate & videte quoniam suavis est Dominus. Nihil enim dulcius est immortalitate sapientiæ. Sed initium sapientiæ timor Domini. *Ibid: Con: 3. In psal: 30.*

Quanta est opulentia in ipsa sanitate, si potest tanta esse in imagine? *Ibid: Con: 2. in psal: 32.*

Rugiebam à gemitu cordis mei. Abstulit nescio quid hujus, Ps 17. 9. rugiebat, sed non à gemitu cordis: alius quia abstulit filium, alius quia uxorem; alius quia grandinata est vinea, alius quia damnum aliquod passus est, alius quia timet hominem inimicum. Omnes isti à gemitu carnis rugiunt. At verò servus Dei quia ex recordatione sabbathi rugit, ubi est regnum Dei quod caro & sanguis non possidebunt, Rugiebam inquit à gemitu cordis mei. Et quis agnoscebat unde rugiebat? subjecit: & ante te omne desiderium meum. Non enim ante homines qui cor videre non possunt. *Ibidem.* *Desiderium æternitatis beatæ,*

Etenim nostis, mercenarios vel operarios diversis temporibus ductos ad vineam; mercedem tamen pariter acceperunt. Et Prophetæ ergo, & Apostoli, & Martyres, & nos, & qui post nos erunt, usq; in finem sæculi, in ipso fine accepturi sumus salutem sempiternam, ut contemplantes gloriam Dei & ejus faciem intuentes eum laudemus in æternum, sine defectu, sine aliqua pæna iniquitatis, sine aliqua perversitate peccati: laudantes Deum & non jam suspirantes, sed inhærentes illi cui usq; in finem suspiramus, & in spe lætati sumus. In illa enim Civitate erimus, ubi bonum nostrum Deus est, lumen Deus est, panis Deus est, vita Deus est. Quidquid est bonum nostrum à quo peregrinantes laboramus, in illo inveniemus. *Ibidem.* *Quæ habemus in mundo, etiam in cælo habebimus, in Deo.*

Ps. 38. 5. Notum fac mihi Domine finem meum. Hoc desiderium ultra solem est non est sub sole. Sub sole omnia visibilia: quidquid visibile non est, sub sole non est. Non est visibilis fides, non est visibilis spes, non est visibilis charitas, non est visibilis benignitas, non est visibilis postremo timor ille castus permanens in sæculum sæculi. *Ibid: In psal: 38.* *Finis noster.*

Ps 48. 15. Dominabuntur eis rectè manè. Tolera noctem desidera manè. Nè putes quia nox habet vitam, & manè non habet vitam. Non tibi videntur quasi tenebræ? Facit malè, vivit, floret, terret honoratur: facit bene reprehenditur, blasphematur, accusatur, laborat, terretur. quasi tenebræ sunt. In radice autem vigor; fructus, opulentia, vita, nondum est in ramis sed radix non aruit. *Ibid: Con: 2. in psal: 48.*

Ps 37. 23. Deus Deus salutis meæ. Ostendit quia cum fuerit salus perfecta in isto corpore, corruptio in eo non erit. Nam modo quomodo sanum est quod labitur, quod indiget, quod habet perpetuam quandam ægritudinem famis & sitis? Erit forma corporis perfecta ex Deo, absorptâ morte in victoriam, nulla remanente corruptione, nulla subrepente defectione, nullis mutata ætatibus nullo labore lassata, ut nullo cibo fulciatur, & aliquâ escâ reficiatur. Sed non erimus sine esca & potu. Ipse erit cibus noster Deus, & potus noster. Solus ille cibus reficit & non deficit. *Ibid: in psal: 50.* *In seculo sumus semper ægri*

Præparat nos Deus cuidam hereditati incorruptibili & magnæ. Si unam cuppam aut unam cellam tuam, aut si quid habes in do-

in domo tua, cogitas dimittere filio tuo, & nè perdas illud erudis illum, & flagellis eum ad disciplinam corrigis nè perdat nihil tuum, quod & ipse hic dimissurus est sicut & tu: Non vis ut nos erudiat Pater noster in flagellis etiam necessitatum aut tribulationum, qui nobis talem hereditatem daturus est, & qui transire non possit? Hereditatem enim nobis dabit seipsum Deus, ut ipsum possideamus & ab ipso possideamur in æternum. Ergo appareamus illi in sancto desiderio, ut appareat nobis in potentia, & gloria Filij Dei. *Ibid: In ps: 62.*

Filij, Patres exulare faciunt e seculo. Ad hoc nascitur puer ut dicat majori. Quid hîc agis? necesse est ut qui succedunt, & qui nascuntur, excludant eos qui se præcesserunt. Ibi omnes pariter vivemus. non ibi erit successor quia nullus decessor. qualis ista Patria! Sed divitias hic amas? Ipse Deus tibi erit divitiæ tuæ. Sed amas fortè bonum: quid præclariùs illâ sapientiâ? quid lucidiùs? Quidquid hîc poteit amari, pro omnibus tibi erit qui fecit omnia. Tanquam adipe & pinguedine repleatur anima mea. Et labia exultationis laudabunt nomen tuum. *Ibid: In psal: 62.* *Ps. 62. 6.*

Erunt æquales Angelis Dei. Domonstravit quod ibi non sic necessaria successio, ubi deletur decessio. Ibi quia decessores non erunt, nec sucessores quærentur. *bid: In psal: 65.* *Luc. 20 36.*

Melior est una dies in cælo quam mille hica Melior ibi dies una super millia dierum. Millia dierum desiderant homines, & multum volunt hic vivere. Contemnant millia dierum, desiderent unum diem, qui non habet ortum & occasum. Unum diem, diem sempiternum, cui non cedit hesternus, quem non urget crastinus. Ipse unus dies desideretur à nobis. Quid nobis est cum millibus dierum? Imus à millibus dierum ad unum diem. ad unum diem festinemus sicut imus à virtutibus in virtutem. *Ibid: in psal: 83.* *Ps. 83. 11.*

Quæ sit regio mortuorum. Placebo Domine in regione vivorum. Ista regio mortuorum est. Transit regio mortuorum, venit regio vivorum. In regione mortuorum venit regio vivorum. In regione mortuorum labor, dolor, timor, tribulatio, tentatio, gemitus suspirium. Hîc falsi felices, veri infelices: quia falsa felicitas, vera miseria est. Qui vero agnoscit in vera esse miseria, erit etiam in vera felicitate. Et tamen nunc quia miser es Dominum audi dicentem, beati lugentes. O beati lugentes: nihil tam conjunctum miseriæ quàm luctus: nihil tam remotum & contrarium miseriæ quàm beatitudo. Quare beati? In spe. Quare lugentes? In re. *Et infra.* Cum autem transierit gemitus noster, omnes una voce in uno populo in una Patria consolabimur. Millia millium conjuncta psallentibus Angelis, choris cælestium potestatum, in una Civitate viventium. Quis ibi gemit? Quis ibi suspirat? Quis ibi laborat? Quis ibi eget? Quis ibi moritur? Quis ibi misericordiam præbet? Quis ibi frangit panem esurienti, ubi omnes pane justitiæ saginantur? Nemo tibi dicet: hospitem suscipe; Peregrinus ibi nemo erit: omnes in patria sua vivunt. Nemo tibi dicit: Concorda amicos tuos litigantes: in pace sempiterna, Dei vultu perfruuntur. Nemo tibi dicit, visita ægrotum; sanitas immortalitasque permanet. Nemo tibi dicit; Sepeli mortuum, omnes in vita æterna erunt. Cessant opera misericordiæ, quia miseria ibi non invenitur. Et quid ibi faciemus? *Et infra.* Quid ibi erit? Quod negotium nostrum? Psalmus nobis dicat. Beati qui habitant in domo tua; Unde? In sæcula sæculorum laudabunt te. Hæc erit actio nostra laus Dei. Amas, & laudas: Desinis laudare, si desinis amare: non autem desines amare quia talis est quem vides, qui

Ps. 114 11. *Matt. 5.* *Hospites nunc sumus.* *Occupatio in cælis laus Dei.* *Ps. 83. 5.*

qui nullo te offendat fastidio. Et satiat te & non satiat. Nam de sapientia dictum est. Qui te manducant iterum esurient, & qui de te bibunt iterum sitient. *Ibid: In psal* : 85.

Rex ipsius Civitatis se fecit viam, ut ad Civitatem perveniremus, *Tom: 8. In psal* : 86.

1. Io. 3 2. Similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est. Ibi totum negotium nostrum non erit nisi laudare Deum & frui Deo. Et quid alium quæremus ubi solus sufficit, per quem facta sunt omnia. Habitabimur & habitabimus, subjicientur illi omnia ut sit Deus omnia in omnibus. *Et infra.* Tanquam jucundatorum omnium habitatio in te. Quid est tanquam? Quare tanquam? Quare talis ibi erit jucunditas qualem hic non novimus? Video hic multas jucunditates & multi gaudent in sæculo, alij hinc alij inde, & non est quod illi gaudio comparet sed tanquam jucunditas erit. Nam si dicam jucunditas incipit homini occurrere talis jucunditas qualem solet habere in poculis, in prandiis, in avaritia, in honoribus sæculi. Extolluntur enim homines & lætitia quadam insaniunt. Sed non est gaudere impiis dicit Dominus. Est enim jucunditas quædam quam nec auris audivit nec oculus vidit, nec in cor hominis ascendit. Tanquam jucundatorum omnium habitatio in te. Ad aliud gaudium nos paremus. *Ibidem.*

Panegyristæ erimus in cælo.

Vmbra mundi deliciarum ad cælestia gaudia.

Psal. 62. 6. Luc. 20 36.

Ps. 83. 11. Æternam vitam tibi daturus est Deus, cogita quantò labore emenda sit. Intendite fratres venale est. Venale est quod habeo dicit tibi Deus eme illud. Quid habet venale? Requiem venalem habeo eme illam. *Et infra,* Dicis quantum valet? Pretium ipsius labor est: quomodo si diceret pretium illius aurum est. *Et infra.* Quantò labore digna est requies, quæ non habet finem? Si verum vis comparare & verum judicare æterna requies æterno labore rectè emitur. Verùm hoc est sed noli timere, misericors est Deus. Si enim haberes æternum laborem nunquam pervenires ad æternam quietem. *Et infra.* Ergo ut aliquando pervenias ad id quod emis non in æternum laborandum est: non quia non valet tanti, sed ut possideatur quod emitur. Digna est quidem emi labore perpetuo, sed necesse est ut labore temporali ematur. Certe tantus debuit esse id est sempiternus labor pro requie sempiterna. Decies centena millia annorum in labore quid valent? Decies centena millia annorum habent finem: Quod tibi dabo dicit Dominus non habet finem. Qualis misericordia Dei? Nec dicit decies centena millia annorum labora, non dicit vel mille annos labora, non dicit quingentos annos labora: cum vivis labora in paucis annis. Inde jam requies erit & finem non habebit. Et adhuc audi consonantia. Domine secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo exhortationes tuæ jucundaverunt animam meam. Et paucos annos laboras: & in ipsis laboribus non deest consolatio, non desunt gaudia quotidiana. Sed noli gaudere in sæculo? gaude in Christo, gaude in verbo ejus, gaude in lege ejus. *in psal*: 93.

Cælum venale.

Quisque habet par pretium emendo cælo.

Laboris præmia.

Ps. 114 11. Matt. 5.

Istam lucem vident te cum iniqui, vident tecum latrones, vident tecum impudici, vident tecum bestiæ, muscæ, vermiculi. Qualem lucem justo servat, qui & istis istam dat? Meritò hanc lucem in fide Martyres viderunt. Qui enim istam contempserunt, aliquam viderunt quam desideraverunt. Quia hanc respuerunt: Lux orta est justo & rectis corde jucunditas. Nolite putare quia verè in miseria fuerunt, cum in catena ambulaverunt. Lætus fuit carcer fidelibus leves fuerunt catenæ confitentibus. Habebant

Martyrum dolores initia felicis æternitatis.

Ps. 96 11.

gaudia in catasta qui Christum prædicabant inter tormenta. Lux orta est justo. Quæ lux orta est justo? Quæ non oritur in justo. Non ista lux quàm facit oriri super bonos & malos: & alia lux quæ oritur justo. De qua luce non sibi orta in fine dicent injusti. Ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol non ortus est nobis. *Ibid: In psal: 96.*

Cum mortale hoc induerit immortalitatem, tunc erit perfecta jucunditas, tunc illa perfecta jubilatio, tunc laus sine defectu, tunc amor sine scandalo, tunc fructus sine timore, tunc vita sine morte. Quid hic nullumnè gaudium? Si nullum gaudium nulla jubilatio. Quomodo jubilate Deo omnis terra. Est planè & hic gaudium de spe futuræ vitæ. Gustatur hic unde ibi satiemur.

Tribulatio in hoc seculo est gaudium nostrum. Sed necesse est ut multa perferant frumenta inter zizania. Sunt grana inter paleam, est lilium inter spinas. Quid enim audit Ecclesia: Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. *Cant. 2. 2.* Non est dictum in medio alienarum: Sed in medio filiarum. O Domine quomodo consolaris, quomodo confortas, quomodo terres: quas dicis spinas ipsas filias respondet. Spinæ sunt propter mores suos, filiæ propter sacramenta mea. *Ibidem Expos: psal: 99.*

Mei dies sicut umbra declinaverunt, & tu in æternum permanes. Temporalem salvet æternus. Non enim quia ego cecidi & tu senuisti: nam viges ad me liberandum qui viguisti ad me humiliandum. *Ib: serm: 1. de 1. parte ps: 101.*

Vacationes cælestes. In sæcula sæculorum laudabunt te. *Ps. 83.* Erit hoc otiosorum negotium, hoc opus vacationum, hæc actio quietorum, hæc cura securorum. Sicut enim dies isti, præteritis diebus quadragesimæ quibus ante resurrectionem Dominici corporis vitæ hujus significatur mæror, solenniter grata hilaritate succedunt: sic dies ille qui post resurrectionem dabitur plenario corpori Domini hoc est sanctæ Ecclesiæ, cunctis vitæ hujus ærumnis atq; doloribus exclusis perpetua beatitudine succedet. *Ib: Enar: in psal: 110..*

Mandavit in æternum testamentum suum. *Ps. 110. 9* Sed quid nisi novum? cujus hæres quisquis esse volueris nolo te fallas nec terram trahentem lac & mel carnaliter cogites: Non amæna prædia non hortos fructiferos, & opacos, non tale aliquid mediteris adipisci, quale solet hic oculus avaritiæ concupiscere. Cum sit radix omnium malorum cupiditas, perimenda est ut hic consumatur: non differenda ut ibi satietur. Primò pœnas fuge, gehennas devita: antequam desideres promittentem Deum, cave minantem. Sanctum & terribile nomen ejus. Pro deliciis autem omnibus hujus sæculi quales vel expertus es, vel augere ac multiplicare cogitando potes. Immortalium deliciarum concupisce sapientiam. Sed initium sapientiæ timor Domini. *Ib. in psal: 110.*

Cælum est eleemosyna. Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus eum. *1. Cor. 2. 9.* Quanti valet hoc quod non videtur & emitur? Tanti quantum quisq; habere potuerit. Propter hoc & ille sparsit dedit pauperibus. Non videbat & emebat. Sed ille thesaurum servabat in cælo qui esurire & sitire in pauperibus dignabatur in terra. Non mirum est igitur si justitia ejus manet in sæculum sæculi custode illo qui condidit sæcula. *in psal: 111.*

Dolor gradus ad cælum præparat. Ascensiones in corde ejus disposuit in convallem plorationis, in locum quem disposuit. *Ps. 83. 3.* Dixit ascensiones, Ubi? in corde. Unde à convalle plorationis. Et jam quod ascendatur tanquam deficit sermo humanus, nec explicari potest, fortè nec cogitari.

Audistis

Audistis modo cum Apostolus legeretur : quod oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, In cor hominis non ascendit. *Ibid. Enar: in psal: 119.*

Ps. 35. 9. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente deliciarum tuarum potabis eos. Ecce sitientes, ecce inebriati. Ecce sitiunt, ecce bibunt; sed non à se bibunt nec ipsi sibi sunt fontes. *Ibid: Expos: psal: 120.* *Convivium cæleste.*

Ps. 121 2. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem. Cogita qualis ibi futurus sis. Et quamvis adhuc in via sis non tibi pone ante oculos, quasi ibi stes, quasi jam inter Angelos indeficientes gaudeas : & fiat in re quod dictum est. Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te. *Ibid: Expos: psal: 121.* *Stabimus in cælo.*

Ibid. Hierusalem quæ ædificatur ut Civitas. Cujus participatio ejus in id ipsum. Quid est in id ipsum? Quod semper eodem modo est : quod non modo aliud & modo aliud est. Quid est ergo in id ipsum nisi quod est? Quid est quod est? Quod æternum est. Nam quod semper aliter atq; aliter est, non est : quia non manet. Non omninò non est, sed non summè est. Et quid est quod est nisi ille qui quando mittebat Moysen dixit illi Ego sum qui sum? *Ibidem.*

Ps. 123 1. Nisi quia Dominus erat in nobis. Respexerunt in quasdam tribulationes quas passi, & consideraverunt in eo jam loco, & in beatitudine, & in securitate constituti, qua transierint quo venerunt : & quia difficile erat inde liberari nisi adesset manus liberantis in gaudio dixerunt. Nisi quia Dominus erat in nobis. Sic cæperunt cantare. Nondum dixerunt unde evaserunt. Tanta est exultatio. *Et infra.* Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem. Nondum ibi erant, sed in vita erant. Tanta autem lætitia erat festinantium, & tanta perveniendi spes, ut adhuc in via positi & laborantes jam sibi illic constituti viderentur. Sic & nunc ponamus nos in illo triumpho qui erit in futuro sæculo quando insultabimus morti jam finitæ, jam consumptæ, quando dicemus. Ubi est mors contentio tua, ubi est mors aculeus tuus? Jam conjuncti Angelis exultantes cum Rege nostro qui primus resurgere voluit, quamvis prior mori noluit. Multi enim ante illum mortui sunt, sed nemo ante illum resurrexit in æternum. Exultantes autem cum illo etiam ibi spe & corde constituti quia evasimus, cogitemus quid evasimus : quæ scandala, quas tribulationes mundi, quas persecutiones omnium Paganorum, quos dolos omnium hæreticorum, quas suggestiones Diaboli, quas cupiditatum conflictationes. Omnia ista quis evaderet nisi quia Dominus erat in nobis? Dicat nunc Israel. *Ib: Expos: ps: 123.* *Tribulatio præsentis apud nos Dei signum.* *Ps. 83.* *Ps. 121 2.* *Ps. 110 9* *Dei auxilio seculi adversa superamus.*

Nec Cives nostri Angeli dimiserunt nos in peregrinatione, sed annuntiaverunt nobis ipsum Regem venturum ad nos : & venit ad nos & contemptus est inter nos à nobis : & postea nobiscum fuit & docuit nos contemni quia contemptus est : docuit nos tolerare quia toleravit : docuit pati quia passus est, & promisit resurrecturos quia resurrexit, in seipso ostendens quid sperare debeamus. Si ergo fratres Prophetæ antiqui, Patres nostri, Antequam Dominus Jesus Christus veniret in carne, antequam mortuus resurrexisset, & ascendisset in cælum, suspirabant tantum illi Civitati : quantum oportet nos desiderare, quo nos ipse præcessit & unde nunquam recessit? *Ib Enar: in psal: 125.*

O pax illa quam videbimus apud Deum! ô illa sancta æqualitas Angelorum! ô illa visio & spectaculum pulchrum; Ecce in Babylonia, pulchra sunt quæ tenent: non te teneant, non decipiant. *In seculo captivum solatium.*

ant. Aliud eſt ſolatium captivorum, aliud gaudium liberorum. *Ibid: Enar: In pſal:* 136.

Si non præpoſuero Hieruſalem in principio jucunditatis meæ. Ps.136 6.
Ibi eſt enim ſumma jucunditas ubi Deo perfruimur: ubi de fraternitate cohærente, & civica ſocietate ſecuri ſumus. Nullus ibi tentator nos violabit, nullum vel aliqua illecebra percellere poterit: nihil ibi delectabit niſi bonum. Morietur ibi omnis neceſſitas, orietur ibi ſumma felicitas. *Ibidem.*

Tribulatio præſens eſt occaſio meditandi æterna.

Quid ergo in illa vita nulla ſunt bona? Imò verò ibi ſola ſunt bona, non malis mixta bona, ſecuritates in quibus gaudeas quantum vis & nemo dicat tibi, temperare. Hic autem de bonis terrenis gaudere moleſtum eſt, & periculoſum nimis. Nè ſic gaudeas ut hæreas, & gaudendo malè pereas. Nam unde Deus miſcet tribulationes gaudiis terrenis, niſi ut tribulationem ſentientes & amaritudinem, diſcamus æternam deſiderare dulcedinem. *Ibid: Enar: in pſal:* 137.

Portio mea non eſt hic ſed in terra viventium. Dat Deus Ps.141
portionem in terra viventium, ſed non aliquid à ſe extra ſe. 6.
Quid dabit amanti ſe niſi ſe? Intendo ad orationem meam quia humiliatus ſum nimis. Humiliatus à peccatoribus, humiliatus in confeſſione. Humiliat te inviſibiliter, humiliatus ab hoſtibus viſibiliter. Erigitur ergo ab illo viſibiliter & inviſibiliter. Inviſibiliter erecti ſunt jam martyres: viſibiliter erigetur cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, in reſurrectione mortuorum cum & hoc ipſum in quod ſolum perſecutores ſævire potuerant, inſtaurabitur. *Ib: Enar: in pſal:* 141.

In carcere ſumus modo.

Educ de carcere animam meam, educ de anguſtia. Gaudenti enim homini & carcer latus eſt, & triſti paratum anguſtum eſt. Ps.141 8
Ergo orat ſeduci ab anguſtia. Quamvis enim in ſpe laſſitudinem habeat, in re tamen præſenti anguſtatur. *Ibidem.*

Quia ergo poſt iſtas corruptiones anguſtas habitabimus in domo Dei, tota vita noſtra non erit niſi laus Dei. Jam ſæpè vobis expoſitum eſt, quia recedente neceſſitate omnia negotia neceſſitatis intercidunt: quoniam non erit quod ibi agamus. Non dico die ac nocte ubi nox non eſt: ſed toto die: cum unus dies eſt, non erit quod ibi agamus, niſi laudemus quem diligimus, quia tunc & videbimus. Modo in viſum deſideramus & laudamus: tunc viſum quod amamus quomodo laudabimus? Sine fine erit laus quia ſine fine amor. Quia ergo hoc ibi agemus ideo de carcere educ animam meam, ut confiteatur nomini tuo. Beati enim qui habitant in domo tua Domine in ſæcula ſæculorum laudabunt te. *Ibidem.*

Tene quod tenes, tunc erit planè quod vis cum abſorpta fuerit mors in victoriam: quando reſuſcitatum mortale hoc corpus transferetur in habitationem Angelicam, & in cæleſtem ſubvolabit qualitatem. *Et infra.* Ubi eſt mors aculeus tuus? Non enim relinquetur nec in animo nec in corpore quod rebellet adverſus amorem Dei. Plena victoria, plena pax. *Et infra.* Quis eſt homo qui vult vitam & diligit videre dies bonos? Quis eſt qui non dicat ego ſum? Ibi vita ibi dies boni, ubi caro nihil concupiſcit adverſus ſpiritum: ubi non dicitur pugna, ſed gaude. Sed quis eſt qui hos dies non velit? Omnis homo certè dicit ego. Audi quid ſequitur. Video quia laboras, video quia in pugna, in periculo diverſaris. Audi quid ſequitur. Docet manus ad prælium, digitos ad bellum. Contine linguam tuam à malo, & labia Ps. 36.
tua nè loquantur dolum. Declina à malo & fac bonum. Quo- 29.

modo

modo enim poteris facere bonum nisi declinaveris à malo? Quid quæro ut vestias quando adhuc expolias? Quid quæro ut dones
Ps.136 6. quando adhuc rapis? Declina à malo & fac bonum. Qua mercede? Non sub te ploret primo pauper, ut gaudeat de te pauper. *Ibid: Expos: psal: 143.*

Quale decus est illius Regni ubi tecum non vivunt nisi Angeli? *Ibid: Expos: psal: 144.*

Psallam Deo meo quamdiu sum. Videte fratres mei quale erit illud esse. Ubi sempiterna laudatio erit, sempiternum esse erit. *Ibid: Enar: psal: 145.*

Regnabit Dominus in æternum. Gaude quia tibi regnabit:
Ps.145 10. gaude quia tu eris regnum ejus. Vide enim quid sequitur. Est certè Civis de Sion non de Babylonia: id est non de Civitate peritura hujus sæculi, sed de Sion ad tempus laborante, & peregrinante, in æternum autem peritura. *Ibidem.* *Regnabit super nos in cœlo Deus.*

Conspice oculis fidei vitam futuram propter quam credidisti,
Ps.141 6. propter quam signaris signo ejus qui propterea duxit hanc vitam ut tibi ostenderet quàm sit contemnenda quàm diligebas, & quàm sit speranda quàm non credebas. *Ibid: Enar in psal: 147.*

Habebunt etiam tunc sancti Dei differentias suas consonantes, non dissonantes: id est consentientes non dissentientes: sicut fit suavissimus concentus ex diversis quidem sed non inter se adversis sonis. Stella enim à stella differt in claritate, sic & resur-
Ps.150 5. rectio mortuorum. Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis. Cymbala invicem se tangunt, ut bene sonent, ideo à quibusdam labiis nostris comparata sunt. Sed melius intelligi puto in cymbalis quodammodo lauda- *Laus Dei cymbalum aut tuba.*
Ps.148 8. re Deum, dum quisq; honoratur à proximo suo, non à seipso: & invicem honorantes dant laudem Deo. Nè quis autem cymbala intelligeret quæ una anima sonant, ideo puto additum in cymbalis jubilationis. Jubilatio namq; id est ineffabilis laus, non nisi ab anima proficiscitur. Nec prætereundum existimo quod Musici dicunt, & res ipsa manifesta est, tria esse genera sonorum, voce, flatu & pulsu. Voce, ut est per fauces & arterias, sine organo aliquo cantantis hominis. Flatu, sicut per tibiam, vel quid ejusmodi. Pulsu, sicut per cytharam vel quid ejusmodi. Nullum itaq; genus hic prætermissum est. Nam vox est in choro, flatus in tuba, pulsus in cythara, tanquam mens, spiritus, corpus, sed per similitudines non per proprietates. Quid ergo proposuit,
Ps.150 1. Laudate Dominum in sanctis ejus? Quibus hoc dixit nisi eis ipsis. Vos enim sancti ejus inquit, virtus ejus estis, sed quam fecit in vobis, Et potentatus ejus & multitudo magnitudinis ejus quam fecit & ostendit in vobis. Vos estis tuba, psalterium, cythara, tympanum, chorus, chordæ & organum & cymbala jubilationis bene sonantia, quia consonantia. Vos estis hæc omnia: nihil hic vile, nihil hic transitorium, nihil hic ludicrum vel lubricum cogitetur. Et quia sapere secundum carnem mors est. Omnis spiritus laudet Dominum. *Ib: Expos: psal: 150.* *Cytharædorum sumus instrumenta.*

Considerate fratres quantum amanda sit vita, ubi nunquam finias vitam? Amans ergo istam vitam, ubi tantum laboras, curris, satagis, anhelas, & vix enumerantur quæ necessaria sunt in misera ista vita: seminare, arare, novellare, navigare, molere, coquere, texere: & post hæc omnia finire habes vitam. Ecce quæ pateris in misera ista quam diligis vita: & putas te semper victurum, & nunquam moriturum? Templa, saxa, marmora, ferro plumboq; consolidata, tamen cadunt: & homo nunquam se *Vitæ amor temporalis cœlestem suadet.*

putat moriturum? Discite ergo fratres quærere æternam vitam, ubi ista non tolerabitis, sed in æternum cum Deo regnabitis. *Et infra.* Vita itaq; non est nisi beata, Et vita beata esse non potest, nisi æterna, ubi sunt dies boni: nec multi, sed unus. Ex consuetudine hujus vitæ appellati sunt dies Dies ille nescit ortum, nescit occasum. Illi diei non succedit crastinus, quia non præcedit hesternus. Hunc diem vel hos dies, & hanc vitam & veram vitam in promissis habemus. Alicujus ergo operis merces est: Si enim mercedem amamus, in opere non deficiamus: & in æternum cum Christo regnabimus. *T: 10. serm: de verb: Domini ser: 17. Si vis venire ad vitam, serva mandata &c.*

Æternitas dies unus

Mementote in quocunq; sexu sitis, sive mares; sive fæminæ, Angelorum vitam ducere vos in terra. Angeli enim non nubunt, neq; uxores ducunt. Hoc erimus cum resurrexerimus. Quantò vos meliores, qui id quod erunt homines post resurrectionem, hoc vos incipitis esse ante mortem? Servate gradus vestros: servat enim Deus vobis honores vestros. Comparata est resurrectio mortuorum stellis in cælo constitutis: Stella enim ab stella differt in gloria, ut Apostolus dicit: sic & resurrectio mortuorum. Aliter ibi lucebit virginitas. aliter ibi lucebit castitas conjugalis, aliter ibi lucebit sancta viduitas. Diversè lucebunt: sed omnes ibi erunt. Splendor dispar, cælum commune. Cogitantes ergo gradus vestros, servantes & professionem vestram accedite ad carnem Domini, accedite ad sanguinem Domini. *Ibid: serm: 46. Qui manducant carnem meam, &c.*

In terris Angelorum vita

Castitas in hac vita nobilior futura post resurrectionem.

Non ergo magnum est diu vivere, aut semper vivere: sed magnum est beate vivere. *Et infra.* Quantum laborat homo quando mors imminet, fugiendo, latendo, quidquid habet dando, & se redimendo, laborando, cruciatus, molestiasq; sustinendo, medicos adhibendo & quidquid aliud homo potest: videte quam consumptis laboribus & facultatibus suis, ut aliquantum vivat potest facere, ut semper vivat, non potest. Si ergo labore tanto, tanto conatu, tantis impendiis, tanta instantia, tanta vigilantia, tanta cura agitur, ut aliquantulum plùs vivatur: quomodo agendum est, ut semper vivatur? Et si prudentes dicuntur qui omnibus modis agunt, ut differant mortem, & vivant paucos dies: quàm stulti sunt, qui sic vivunt, ut perdant diem æternum? *Et infra.* Et hoc eme si vis, noli quærere quid habeas, sed qualis sis. Res ista te valet. Tantum valet quantum es tu. Te da & habebis illam. Quid exæstuas? quid turbaris? Nunquid quæsiturus es te, aut empturus es te? Ecce tu qui es, qualis es, da te illi rei & habebis illam. Sed malus sum, inquies: & forte me non accipit. Dante te illi bonus eris. *Ibid: serm: 64 Amen amen dico vobis, &c.*

Vitæ æternæ pretium ipse emptor.

Ut sit Deus omnia in omnibus. Quid est omnia? Quidquid hic quærebas, quidquid hic pro magno habebas, ipse tibi erit. Quidquid hic volebas, quidquid hic amabas, manducare, & bibere, ipse tibi erit cibus, ipse erit tibi potus: quidquid hic volebas, sanitatem corporis fragilem, transeuntem, ipse tibi immortalitas erit. Quid hic quærebas? Divitias amabas? Avare. Quid enim tibi sufficit, si Deus ipse non sufficit? sed quid amabas? Gloriam? honores? Deus tibi erit gloria: cui & modo dicitur, gloria mea & exaltans caput meum. Jam enim exaltavit caput meum. Caput nostrum Christus est. Sed quid miraris? Quo caput & cætera membra exaltabuntur, tunc erit Deus omnia in omnibus. Hoc modo credimus, hoc modo speramus: cum venerimus, tenebimus, & jam res visio erit non fides: cum venerimus tenebimus.

Deus sanctis in cælo est omnia.

bimus, & jam res visio erit non fides: cum venerimus, tenebimus, & jam res erit, non spes. Charitas quid? Nunquid & ipsa modo est, & tunc non erit? Si amamus credendo, & non videndo: quomodo amabimus videndo & tenendo? Ergo charitas erit sed perfecta erit. *T: 10. serm: 16,*

Regnum cælorum parvo cōstat Zachæo & viduæ.

Quàm parvo constat regnum cælorum, quàm vili pretio tanta possessio proponitur? Proponitur enim in terra, quod possideas in cælo: proponitur in tempore, quod possideas in æternum. Non potes dicere, non habeo unde emere possim, quia tanta est illa possessio, quod ad pretium congruum invenire non possim. Nonnè tantum valet, quantum habere potueris? Et hoc superfluum. Quantum valuit Zachæo? Dimidium patrimonij:
Luc.19 erat enim dives. *Et infra.* Duobus enim minutis emit quædam
Luc.21 vidua regnum cælorum, quæ misit in gazophylacium duos num-
2. mos. *Et infra.* Ecce quod timebas nè carum esset, & non esses idoneus. En duobus nummis valet. Si terrebat te pretium, quod dedit Zachæus, consoletur te hoc pretium quod dedit hæc vidua.
Matt: Plùs addo, charissimi, valet & vilius. Vilior est calix aquæ fri-
10.42. gidæ; vilior est sola bona voluntas. Audi clamantes Angelos: In terra pax hominibus bonæ voluntatis. An fortè non bene diximus, viliorem bonam voluntatem: Imò ipsa est omnibus charior, & totum habet, qui bonam voluntatem habet: quia in dimidio rerum suarum Zachæus si bonam voluntatem non haberet, nihil dedisset. Bona enim voluntas ipsa dicitur charitas. Et quid ait Apostolus? Si distribuero omnia mea pauperibus, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Totum ergo habet, qui bonam voluntatem habet. Ipsa est quæ potest sufficere, si cætera non sint. Si autem sola desit, nihil prodest, quidquid habitum fuerit. Sola sufficit, si adsit. Cætera omnia nihil prosunt, si sola charitas desit. Si haberes in domo tua thesauros, unde securus esses, gauderes & exultares: in corde tuo habes bonam voluntatem, & tristis es? In arca posses timere furem; in corde tuo quem times? Te noli pati hostem in corde tuo: bonam voluntatem habens nihil times. Fortè aliquis cogitat & dicit: si res magnas pauperibus dare cæpero, & de adversariis meis pro Dei amore me vindicare noluero, & humilis ac mansuetus esse contendero, statim mihi necesse erit persecutiones hominum malorum sustinere, Qui hæc times, non legisti, quia per multas tribulationes oportet nos introire in Regnum Dei. *Tom: 50 Homil: Homil: 8.*

Cæli pondus calix frigidæ vel sola voluntas.

Bona voluntas thesaurus

Per tribulationes introitus in cælum.

Terra ista morientium est, illa verò viventium est de qua
Ps 26. Propheta dicebat, Credo videre bona Domini in terra viventi-
13. um. In illa autem terra semper vivetur, & nunquam morietur. Lucet terra illa plùs, quàm species argenti, ubi Cives justorum Angeli sunt, Illi in terra illa gaudent, nos in terra ista lugeamus. ut ad illorum gaudia pervenire mereamur. *Ibid: serm: 233. feria 4. quatuor Temp:*

Cælum terra viventium est, & gaudentium.

Eccl.2. Crescat in novissimis vita tua. Non ut modo, sed ut in no-
3. vissimo: ut crescat in novissimis vita tua. Quantum putamus, crescit? ut fiat æterna. Modo enim vita humana quamdiu videtur produci, decrescit potiùs quàm crescit. Attendite & videte, quoniam decrescit, Natus est homo: verbi gratia constituit illi Deus vitæ suæ septuaginta annos, accedit illi vita, dicimus, crescendo: accedit, an decedit? Ecce de septuaginta annis vixit annos sexaginta, remanserunt decem. Diminutum est quod erat propositum: & quantò plùs vivit, tantò minùs illi restat. Ideoq; vivendo hic decrescit vita, non crescit. Tene quod tibi promisit Deus,

Vita humana in morte longissima.

Quo diutiùs vivit eo plus de vita diminutum.

Deus, ut in novissimis crescat vita tua. *Ibid: serm:* 245. *Dnica* 23. *post idem festum serm:* 1.

Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Ac si dicat, sæviat mundus: fremat mundus, concrepet linguis, coruscet armis, quidquid potest faciat, quid faciet ad id quod accepturi sumus? Appendo quod patior contra id quod spero. Hoc sentio illud credo: & tamen plùs est quod credo, quàm quod sentio. Quidquid est quod sævit pro nomine Christi, si potest vinci, tolerabile est: si non potest vinci, migrare hinc facit. Non extinguit, sed accelerat ipsum præmium, ipsam dulcedinem. Quæ cum venerit, sine fine erit. Opus cum fine, merces sine fine. Nam & operatus deficeret in via, nisi attenderet, quod accepturus esset. Cum enim attenderis quid sis accepturus omnia tibi erunt vilia quæ pateris, nec digna æstimabis, pro quibus illud accipias. Miraberis tantum dari pro tanto illo labore. Vita nostra Christus est, Christum attendite. Pati venit, sed glorificari, contemni sed etiam exaltari, mori, sed etiam resurgere. Ista cogitantes fratres charissimi, non desperemus, quia & si peccatores sumus magnum medicum habemus: ipsum medicum audite: Non enim veni vocare justos, sed peccatores ad pænitentiam. *T:* 10. *serm: de sanctis serm:* 14. *In festo conversionis S. Pauli.*

Rom 8. 18.

Attendenti cæleste præmium, omnia sūt vilia quæ patitur.

Beati mites quoniam ipsi hereditate possidebunt terram. Jam vis possidere terram: vide nè possidearis à terra. Possidebis mitis, possideberis immitis. Nec cum audis præmium propositum, ut possideas terram, extendas avaritiæ sinum, quia vis possidere modo terram, excluso etiam utcunq; vicino tuo: non te ista fallat opinio. Tunc verò possidebis terram quando inhæseris ei, qui fecit cælum & terram. Hoc est enim esse mitem, non resistere Deo tuo: ut in eo quod bene facis, ipse tibi placeat, non tu tibi: in eo quod mala juste pateris, ipse tibi non displiceat, sed tu tibi. *Et infra.* Beati lugentes quoniam ipsi consolabuntur. In luctu opus est, in consolatione merces est. Nam qui lugent carnaliter, quas consolationes habebunt? Molestias metuendas. Ibi consolatur lugens, ubi timet rursus nè lugeat. v. g. Contristat filius elatus, lætificat natus. Illum extulit, hunc suscepit. In illo tristitia, in illo timor: in nullo ergo consolatio. Ergo illa erit vera consolatio, qua dabitur quod non amittitur: ut illi se postea gaudeant consolari, qui modo se lugent peregrinari. *Ibid: Decem & septem serm: serm:* 14. *In festo Omnium SS.*

Matt. 5.

Mites possidēt terram, immites possidentur à terra.

Matt. 5.

In cælo verum solatium

Nihil indecorum erit ibi, summa pax erit, nihil discordans, nihil monstruosum, nihil quod ostendat aspectum, in omnibus Deus laudabitur. Nam si nunc in ista infirmitate carnis, & tenera operatione membrorum apparet tanta corporis pulchritudo, quæ illicit libidinosos, & ad quærendum excitat sive studiosos, sive curiosos: & si inveniatur in corpore ratio numerorum, non alius artifex horum, alius invenitur esse cælorum, sed idem ipse laudatur infirmorum atque summorum: quantò magis ibi, ubi erit libido nulla, nulla corruptio, nulla deformis pravitas, nulla ærumnosa necessitas, sed interminata æternitas, pulchra veritas, summa felicitas. *Ibid: serm:* 6 *feria* 5. *Paschæ.*

Summus ordo in cælo, & verùm omnium pulchritudo.

Ecce Hierusalem Mater illa cælestis in viis hilariter invitans occurrit & obsecrat ut velitis vitam, & diligatis videre dies bonos, quos nunquam habuistis, nec unquam in hoc seculo habebitis. Ibi enim deficiebant sicut fumus dies vestri, quibus augeri, minui, & quibus crescere deficere, & quibus ascendere varietate fuit,

Cælum offert dies bonos.

fuit. Qui vixistis peccato annos multos & malos, desiderate vivere Deo. Non multos annos quandoq; finiendos; & ad intereundum in umbra mortis currentes: sed bonos, & in veritate vivacis vitæ propinquos, ubi nulla fame, nulla siti lassabimini; quia cibus vester fides, potus sapientia erit. Nunc enim in Ecclesia in fide benedicitis Dominum: tunc autem in specie affluentissime rigabimini de fontibus Israel. *Ibid: serm: 8. ad competentes.*

In cælo vivet omnes Deo

Rom 8. 18.

Ibi secura immortalitas, ibi immortalis securitas, & unde hæc nisi de immutatione dexteræ excelsi, qui benedicet filios tuos in te, qui ponit terminos tuos pacem. Excitamini ergo ad hæc, concreti, discreti. Concreti bonis, discreti à malis. Electi, dilecti, præsciti, vocati, justificandi, glorificandi: ut crescentes, juvenescentes, ac senescentes in fide ac maturitate virium, non corruptione membrorum. *Ibidem.*

Matt. 25. 34. Venite benedicti Patris mei percipite regnum. Hoc est quod optamus & rogamus, quando dicimus, veniat regnum tuum, ut nobis veniat. Nam si non reprobi fuerimus, illud regnum alijs est venturũ non nobis. Si autem in eo numero fuerimus, qui pertinet ad membra unigeniti Filij ejus, nobis veniet regnum ejus, & non tardabit. Nunquid enim secula tanta restant, quanta transierunt? Apostolus Joannes dixit, Filioli novissima hora est. Sed pro ipso die magno longa est hora, & ipsa hora novissima, videte quot annos ducat: tamen sic vobis sit, quasi qui vigilet, dormiat, surgat & regnet. Modo vigilemus, morte dormiemus, in fine resurgemus, sine fine regnabimus. *Ibid: serm: 9. de oratione Dominica ad Cathechumenos.*

Reprobis non adveniet regnum Dei.

Gratis amandus est Deus: nec anima potest nisi in eo quod diligit requiescere. Æterna autem requies ei non datur, nisi in dilectione Dei, qui solus æternus est, & ipsa est perfecta sanctificatio, & spirituale sabbatum sabbathorum. *T: 10 eorund: serm: 17 de illo quod apparuit Dominus Moysi in rubo.*

Amor gratuitus.

Sabbatum cæleste.

Ps. 141 6. Spes mea es tu, portio mea in terra viventium. Hæc enim terra morientium est. Lac & mel quæritis? Gustate & videte, *Ps. 33. 8.* quoniam suavis est Dominus. Gratia ejus significata est nomine lactis & mellis: dulcis & nutritoria est. Hæc autem gratia in veteri testamento figurata, in novo revelata. *Ibid: serm: 19. de verb: psal: Beatus homo. quem tu erudieris.*

Io. 12. 26. Pater volo, ut ubi ego sum, & illi sint mecum. Esse ubi est Christus, quæ potest comprehendere cognitio? Cujus ad hoc explicandum sufficit sermo? Fidei commendetur, à lingua non expectetur. *Tom: 10. eorund: ser: 51. de S. Stephano.*

Et ostendi me ipsum illi. Magnum donum, magna promissio! Non tibi servat Deus præmium aliquod suum: sed seipsum. Avare quare tibi non sufficit, quod Christus promittit? Tu dives tibi videris. Et si Deum non habes, quid habes? Alter pauper. Et si Deum habet, quid non habet. Descende Petre, requiescere cupiebat in monte: descende, prædica verbum, insta opportunè, argue, hortare, increpa, cum omni longanimitate & doctrina. Labora, desuda, patere aliqua tormenta: ut quod in candidis vestimentis intelligitur, per candorem & pulchritudinem rectæ operationis in charitate possideas. *Tom: 10. parte 2. de diver serm: 68. Sab: post 1. Dnicam Quadragesimæ.*

Quid eligimus? Vitam. Primò hic bonam, post hanc æternam: Primò hic bonam, sed nondum beatam. Bona modo agatur, cui postea beata servitur. Bona vitâ opus est: beata merces est. Age bonam, accipies beatam. Quid justiùs? quid ordinatiùs?

Bonæ vitæ beata vita merces est.

ùs? Ubi es amator vitæ? bonam elige. Si uxorem velles, non nisi bonam velles. Amas vitam, & eligis malam? Dic mihi quid malum velis. Quidquid volueris, quidquid amáveris, bonum vis. Prorsus non jumentum malum, non servum malum, non vestem malam, non villam malam, non domum malam, non uxorem malam, non filios malos. Omnia bona quæris: esto bonus qui quæris. Quid te ostendisti ut inter omnia quæ vis bona solus velis esse malus? Cara est tibi villa, uxor tua, vestis tua, & ut ad extremum veniamus caliga tua, & viluit tibi anima tua. *Et infra.* Vera veritas promittit vitam, non solùm æternam, sed etiam beatam, ubi nulla molestia, nullus labor, nullus timor, nullus dolor. Ibi plena & tota certa securitas: Vita sub Deo, vita cum Deo, vita de Deo, vita ipse Deus. Talis nobis æterna promittitur: & huic temporalis & ista, hoc est misera & ærumnosa præponitur. *Ibid: serm: 107.*

Homo omnia bona quærit, ut se bonum inveniat, non curat.

Sanctorum in cælo vita ipse Deus.

Hæc est possessio, quam omnes quærunt, nemo est qui non quærat. Malus sit, bonus sit, ipsam quærit. Sed bonus fidenter malus impudenter. Quid quæris bonum malè? Nonnè tibi respondet ipsa postulatio tua, quàm sis improbus, cum quæris bonum malus? Nonnè rem quæris alienam? Si ergo bonum summum quæris, hoc est vitã: bonus esto, ut ad bonum pervenias. Si vis venire ad vitam, serva mandata. *Et infra.* Et regnabit eorum Dominus in perpetuum. Erimus ergo in regno magno & sempiterno, & ideo magno & sempiterno, quia justo. Nemo fallit ibi, nemo fallitur: non est illic ut malè suspiceris de fratre tuo. Pleraq; mala generis humani aliunde non oriuntur, nisi de suspicionibus falsi. Credis de homine quod oderit te, qui fortè amat te: & per pravam suspicionem sis inimicissimus amicissimo. *Et infra.* Ideo securum te facere voluit ab eo peccato, qui tibi dixit: Diligite inimicos vestros. Christianè dilige inimicos tuos, nè incautus oderis & amicos. Corda ergo nostra in hac vita videre non possumus, donec veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis. *Et infra.* Qui fallere velint, quàm multi inveniuntur! qui falli, nemo. Compone tecum, non vis falli, noli fallere. Quod pati non vis, noli facere. Vis venire ad vitam, ubi non fallaris, age modo vitam ubi non fallas. *Et infra.* Veraci merces reddetur veritas: & temporaliter bene viventi, merces reddetur æternitas. *Et infra.* Ipse Christus est. Quâ ire quæris? Ego sum inquit via. Quo ire quæris? Et veritas vita. Ecce quod Martyres amaverunt, ideo præsentia & transitoria contempserunt. Nolite mirari fortitudinem, amor vicit dolorem. *Ibid: serm. 112 de massa candida.*

Malus vitam æternam quærit impudenter.

In cælo nullæ suspiciones.

Cor hominis in hac vita inscrutabile.

Matt. 5.44.

Amor martyrum vicit dolorem.

Sursum cor: & quasi contrarium audias, tu mergis in terram cor tuum. Migrate si habetis unde, facite bene. Non habetis unde? Adversus Deum nolite murmurare. Audite me ô pauperes. Quid non habetis, si Deum habetis. Audite me ô divites. Quid habetis si Deum non habetis? *Ibid: serm: 115. de festo S. Cypriani Martyris.*

Erunt æquales Angelis Dei: Magna virtus Dei. Quare non nubent, neq; uxores ducent? Quia non incipient mori. Ibi enim successor, ubi decessor. Nulla ergo ibi talis corruptio. *Ibidem.*

Si quæris qualis erit vita, quis hominum hoc poterit explicare? Vita erit Angelorum. Quicunq; tibi potuerit ostendere vitam Angelorum, ostendet vitam eorum, quia æquales futuri erunt Angelis. Si autem Angelorum vita occulta est, nemo quærat ampliùs: nec per errorem non perveniat ad id quod quærit,

sed

ſed ad quod ſibi ipſe confinxerit. Præpropere enim quærit, & feſtinans quærit. Tu in via ambula, venies ad Patriam, ſi non deſeras viam. *Et infra.* Dices, quomodo vivunt Angeli? Sufficit tibi ſcire hoc quod non corruptibiliter vivunt. Faciliùs enim tibi poteſt dici, quid ibi non erit, quàm ibi quid erit. *Et infra.* Quid ergo ibi non erit? Ducere uxorem, ut filij propagentur, quia non eſt ibi mors: non ibi erit creſcere: quia nec ſeneſcere: non erit refectio, nec defectio: non ibi erunt negotia, quia nec indigentia nec ipſa laudabilia opera hominum innocentium, quæ cogit operari egeſtas & neceſſitas hujus vitæ: non enim dico tantummodo non ibi futura opera latronum aut fæneratorum, ſed ipſa quæ innocentes homines operantur, propter indigentiam ſublevandarum humanarum neceſſitatum, non ibi erunt. Sabbathum erit perpetuum, quod à Judæis celebratur temporaliter, à nobis autem in æternum intelligitur: quies erit ineffabilis, quæ explicari non poteſt, ſed ut dixi utcunq; explicatur, cum dicuntur, quæ ibi non erunt. *Ibidem.*

In cælo vita Angelorum.

Sabbathum in cælo perpetuum.

Pſ. 35. 8. Filij hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt. Quid deſideramus pro magno ea Dei beneficia, quæ donat & beſtiis? Beneficia quidem ipſius ſunt, quis dubitat: A quo ſalus vel minima, niſi ab illo de quo dictum eſt: Domini eſt ſalus. *Et infra.* Homines inquit & jumenta ſalvos facies Domine: filij autem hominum. Quid ergo? Filij hominum ſub tegmine alarum tuarum ſperabunt. Hoc non cum jumentis. Quare ergo iſti & illi homines? An non etiam homines filij hominum? Profectò & homines filij hominum. Unde igitur iſta diſtinctio, niſi quia eſt homo qui non erat filius hominis. Homo non filius hominis, Adam: homo filius hominis Chriſtus. Sicut in Adam omnes moriuntur, ſic in Chriſto omnes vivificabuntur. Quærunt ſalutem cum jumentis qui moriuntur, & non victuri moriuntur: & non quærunt ſalutem cum filiis hominum ut nunquam moriantur. *Et infra.* Inebriabuntur inquit ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quo vino, quo muſto, qua unda, quo melle, quo nectare quæris? Quoniam apud te eſt fons vitæ. Bibe ſi potes vitam. Conſcientiam para non gulam, mentem non ventrem. Si audiſti, ſi intellexiſti, ſi dilexiſti, quantum potuiſti jam inde bibiſti. Attende quid biberis: charitatem bibiſti. Si noſti illam, Deus charitas eſt. Si ergo charitatem bibiſti, dic mihi in quo loco bibiſti. Si noſti illam, ſi vidiſti illam: ſi amas, unde amas? Quidquid enim bene amas, amas charitate. Quomodo autem charitate? Aut quid amas, qui charitatem amas? Ergo ſi amas, unde amas? Venit ad te, & noſti eam, & vides eam: & non in loco videtur, nec corporalibus oculis quæritur, ut vehementiùs ametur, nec auditur affatu: & quando ad te venit, non ſentiebatur inceſſu. Nunquid deambulantis in corde tuo aliquando plantas ſenſiſti charitatis? Quid ergo eſt? Cujus hoc eſt, quod jam eſt in te, & non capitur à te? Sic diſce amare Deum. *Ibid: ſerm: 122 de verſu pſalmi Tenuiſti dextram manum meam.*

Matt. 5. 44.

Deus in cælo vinum ſanctorum.

Potus ſanctorum charitas.

1. Io. 3. 2. Scimus quia cum apparuerit ſimiles ei erimus, quando eum videbimus ſicuti eſt. Tunc ergo magna & perfecta jucunditas, & tunc plenum gaudium, ubi jam non ſpes lactat, ſed res nutrit. Tamen etiam nunc antequam res ipſa veniat nobis, antequam nos ad rem ipſam veniamus, jucundemur in Domino. Neque enim parvam jucunditatem habet ſpes, cujus poſtea erit res. Et in iſtis temporalibus rebus, in jucunditate non Domini, ſed ſeculi, nonnulli multa amant, & ad ea quæ amant, nondum pervenerunt.

Perfecta jucunditas ex viſione Dei.

Spes vitæ cæleſtis jucunda.

venerunt. Et tamen ardor in spe currit, rem nondum tenet. Verbi gratia, amas pecuniam; non amares, si non sperares: amas uxorem non ductam, sed adhuc ducendam: & forte ducenda amatur, ducta odio habebitur. Quare hoc? quia talis non apparuit ducta, qualis ab animo pingebatur ducenda. Deus autem non vilescit præsens, amatur absens. *Et infra.* Publicanus de longè stabat, & ideo Deus illi faciliùs propinquabat. Nec oculos levare audebat ad cælum; & jam secum habebat qui fecerat cælum. Unde ergo jucundamur in Domino, si à nobis tam longè est Dominus? Ut non sit longè, & ut longè sit tu facis. Ama & propinquabit: ama & habitabit. Dominus in proximo est, nihil soliciti fueritis. Vis videre quam si amaveris tecum sit? Deus charitas est. *T. 10. serm: novor: serm: 5.*

Amanti se Deus propinquus est. *Luc. 18*

Ille qui potens fuit mutare aquam in vinum, potens est mutare fænum in aurum, & de carne facere Angelum. Si de sordibus fecit hominem, de homine non facit Angelum? Attendat enim charitas vestra, unde factus est homo, & videte si vel cogitare illud volumus. De istis sordibus fecit hominem, & præfecit alijs animalibus, de homine non facit Angelum? Faciet prorsus. Amicos suos sibi fecit homines, non illos facturus est Angelos? Jam non dicam vos servos, sed amicos. Adhuc carnem portantibus, adhuc morientibus, adhuc in ista egestate, & fragilitate vitæ versantibus dixit. Jam vos non dicam servos, sed amicos. Et quid est daturus amicis? quod in seipso ostendit resurgente. Coronabuntur & convertentur in gloriam cælestem, & erunt æquales Angelis Dei. Nulla erit corruptio, nulla titillatio. Non ibi nobis dicetur, mundate vos ab omni coinquinatione carnis & spiritus. *Et infra.* Hic pænitentia & pressura & gemitus: ibi laudes, lætitia & gaudium. *Ibid: serm: 12. de illo Esaiæ. Qui dediti sunt mihi possidebunt terram &c.*

Sancti in cælo fiunt Angeli. *Io 2. 9.*

O felix illud alleluja! ô securum! ô sine adversario! ubi nemo erit inimicus, & nemo perit amicus. Ibi laudes Deo, & hic laudes Deo: sed hic à sollicitis, ibi à securis: hic à morituris, ibi à semper victuris: hic in spe, ibi in re: hic in via, illic in Patria. Modo ergo fratres mei cantemus non ad delectationem quietis, sed ad solatium laboris. Quomodo solent cantare viatores, canta, sed ambula: laborem consolare, pigritiam noli amare: canta & ambula. Quid est ambula? profice, in bono profice. Sunt enim secundum Apostolum quidam proficientes in pejus. *Tom: 10. eorund: serm: 18. feria 6. post Pascha.*

Nullus in cælo metus, nec ullum periculum. *1. Tim: 3. 13.*

In isto seculo videtis quomodo trituratur hæc area, sed palea frumento ita permixta est, ut difficilè discernatur, quia nondum ventilata est. Sic ergo post ventilationem diei judicij apparebit massa Sanctorum, fulgens dignitate, & præpotens meritis, & misericordiam liberatoris sui præ se gerens. *Ibid: serm: 19. Dominica in Albis.*

Dies judicij ventilabit paleam à frumento.

Absorpta est mors in victoriam. Nusquam mors, non infra, non supra, intra, non extra. Absorpta est enim mors in victoriam: ubi est mors contentio tua? *Tom: 10. ex Fragm: Operum D. Augustini, fragm: ex serm: de natali Apostolorum.*

1. Cor. 15. 34

Quid erit hæc vis animæ; cum & corpus hoc induerit corruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem? si tanta potest per carnem corruptibilem, quid non poterit per corpus spirituale post resurrectionem mortuorum. *Tom: 9. in Evan: Ioan: Tract: 8. de cap: 2.*

Tantum poterit corpus immortale quantum nunc anima.

Tunc erumpet velut matutina lux tua. Lux tua Deus tuus est,

Is. 58. est, tibi matutina quia post noctem sæculi tibi veniet: nam ille
8. nec oritur nec occidit, quia semper manet. Erit tibi matutinus redeunti, qui tibi occasum fecerat pereunti. *Ib: Tract: 17. de c: 5.*

Omne quod dat mihi Pater ad me veniet, & eum qui ve-
Io. 6. 17. niet ad me non ejiciam foras. Quale est intus illud unde non exitur foras? Magnum penetrale & dulce secretum. O secretum sine tædio, sine amaritudine malarum cogitationum, sine interpellatione tentationum & dolorum? Nonne illud secretum est quo intrabit ille cui dicturus est Dominus servo bene merito. Euge serve bone & fidelis intra in gaudium Domini tui? Et eum qui veniet ad me non eijciam foras. Quia descendi de cælo, ut non faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me. Ideo ergo eum qui veniet ad te non eijcies foras, quia descendisti de cælo non facere voluntatem tuam, sed voluntatem ejus qui te misit. Magnum Sacramentum. *Ibid: Tract: 25. de cap: 6.*

Vita æterna est secretum sine tædio.

Vita æterna mortem assumpsit, vita æterna mori voluit: sed de tuo non de suo accepit à te, ubi moreretur pro te: ab hominibus enim carnem assumpsit, sed non more hominum: Nam Patrem habens in cælo, Matrem elegit in terra, & illic natus sine Matre, & hic sine Patre. Assumpsit ergo vita mortem, ut vita occideret mortem. Nam qui in me credit inquit, habet vitam æternam: non quod patet, sed quod latet. Vita enim æterna Verbum in principio erat apud Deum, & Deus erat verbum: & vita erat lux hominum. Ipse vita æterna, dedit & carni susceptæ vitam æternam. Mori voluit, sed die tertio resurrexit. Inter verbum suscipiens & carnem resurgentem mors media consumpta est. Ego sum inquit panis vitæ. *Ibid: Tract: 26. de cap: 6.*

Mors Christi est interitus mortis nostræ.

Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis
Ps. 35. 9. tuæ potabis eos. Quale vinum est unde inebriari laudabile est? Quale vinum est quod non turbat, sed dirigit mentem? Quale vinum est quod facit perpetuo sanum, non inebriando facit insanum? Inebriabuntur. Unde? Ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Unde? Quoniam apud te est fons vitæ. Ipse fons vitæ ambulabat in terra, ipse dicebat, Qui sitit, veniat ad me. Ecce foras. *Et infra.* Bibe & vive. *Ib: Tract: 34. de c: 8.*

Vinum beatitudo

Ubi est mors contentio tua? Jam vivemus, jam non moriemur, in illo qui pro nobis mortuus est & resurrexit: ut qui vivunt inquit, jam non sibi vivunt. sed ei qui ipsis mortuus est, & resurrexit. *Ib: Tract: 41. de c: 8.*

Ad hoc debet unicuiq; prodesse bene vivere, ut detur illi semper vivere: nam cui non datur semper vivere, quid prodest bene vivere? Quia nec bene vivere dicendi sunt, qui finem bene vivendi, vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt. Non est autem cuiquam spes vera & certa semper vivendi, nisi agnoscat vitam, quæ est Christus: & per januam intret in ovile. *Ibid: Tract: 45. de c: 10.*

Ingressi sumus credendo, aggredimur moriendo, sed quomodo per ostium fidei ingressi sumus, sic fideles de corpore exeamus: sic enim per istud ostium eggredimur, ut pascua invenire possimus. Bona pascua vita æterna dicitur: ibi nulla herba arescit, totum viret, totum viget. Solet quædam herba dici semper viva: ibi solum vivere invenitur, vitam æternam inquit dabo eis, ovibus meis. *Ibid: Tract: 48. de c: 10.*

Vita æterna herba semper viva.

Gaudium ejus de salute nostra, quod in illo semper, fuit, cum præscivit, & prædestinavit nos, cæpit esse in nobis quando vocavit nos: hocq; gaudium merito nostrum dicimus, quo &

nos beati futuri sumus : sed hoc gaudium nostrum crescit & proficit, & ad suam perfectionem perseverando pertendit. Ergo inchoatur in fide renascentium, implebitur in præmio resurgentium. *Ibid: Tract: 38. de cap : 15.*

Ibi finis qui sufficit nobis æternus erit: neq; enim nobis sufficit finis nisi cujus nullus est finis. *Ibid: Tract: 101. de cap: 16*

Si cognitio Dei est vita æterna, tantò magis vivere tendimus, quantò magis in hac cognitione proficimus. Non autem moriemur in vita æterna. Tunc ergo Dei cognitio perfecta erit, quando nulla mors erit: Summa tunc Dei glorificatio: quia summa gloria. *Et infra.* Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te. Ibi erit Dei sine fine laudatio, ubi erit Dei plena cognitio : & quia plena cognitio, ideo summa clarificatio, vel glorificatio. Sed prius hic clarificatur Deus, dum annuntiatus hominibus innotescit, & per fidem credentium prædicatur *Ibid: Tract: 105. de cap : 17*

Vita æterna sabbatum. Omnis ibi securitas omnis quies: ubi & ipsa misericordiæ opera cessabunt quia nulla ibi erit indigentia miserorum. Erit ergo illic sabbathum sabbathorum : ut quod hic desideramus, ibi inveniamus. Amen. *T: 9. de 10. chordis cap: 13.*

Ibi omnis dextera est, quia ibi nulla est misericordia. Inde venturus judicare vivos & mortuos. Vivos qui superfuerint: mortuos qui præcesserint, potest & sic intelligi. Vivos, justos, mortuos, injustos. Utrosq; enim judicat sua cuiq; retribuens. Justis dicturus est in judicio. Venite benedicti Patris mei percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi. Ad hoc vos parate, hæc sperate, propterea vivite, propterea credite, propterea baptisamini, ut possit vobis dici venite benedicti Patris mei percipite regnum quod vobis paratum est à constitutione mundi. *Matt. 25. 34* *T: 9, lib: 1. de symb: ad Cathech: cap: 4.*

Non aliter hic exactus est pauper, aliter dives, aliter Dominus, aliter servus : quia unus est omnibus introitus ad vitam. Et si sic ad hanc fragilem, & caducam, quantò magis ad illam immortalem & sempiternam? *T: 9. lib: 2. de symb: ad Cathech: c: 1.*

Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. In corruptio hæc virtus, & gloria, & spiritus vivificans, faciet nos sicut *1. Cor. 15. 44* ipse Dominus promittere dignatus est æquales Angelis Dei : ut vivamus cum ipsis in æterna vita, in una immortalitate ac sempiterna Patria. In qua Patria vita nostra æterna ipse Christus erit, ipse enim est verus Deus, & vita æterna. *Et infra.* Et vitam æternam. Non nostri jam dominatur corruptio, immortaliter viventibus, & cum ipsa æterna vita manentibus. Neq; enim indigebimus illic vestimento, ubi erimus immortalitate vestiti. Nec cibus nobis deerit quando ipse panis vivus qui propter nos de cælo ad terras usq; descendit sui præsentia nostras animas satiabit : nec potus nobis deerit præsente fonte vitæ. *Et infra.* Vacate & videte quoniam ego sum Deus. *Ps. 45. 11.* Vacuitas ista contemplationis, erit opus nostræ actionis: ut contemplantes delectemur, & delectabiliter contemplemur videre. Quid videre? Bona Domini. Quæ bona? Possumus exprimere illud quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. *Ibid: c: 11. & 12.*

Quod sit illud bonum quod promittit Deus sanctis suis quis explicet verbis suis? facilius tamen possumus dicere in illa vita æterna quod ibi non sit, quàm quod ibi sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames: nulla sitis nullus æstus, nulla corruptio, nulla indigen-

tia,

tia, nulla mæstitia, nulla tristitia. Ecce diximus quid ibi non sit. Quid autem ibi sit vultis nosse? Hæc nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. Si in cor hominis non ascendit, cor hominis illuc ascendat. Mundetur cor ab omni immunditia: ut possit portare Deum, qui est vera sempiternaq; justitia. Manet enim Deus in corde credentis, & se diligentis: & manet homo in Deo, id est in æterna vita, quod est præmium Deum amantis. Nec amare, nec diligere quis potest qui in Ecclesia ejus non est: quoniam omnis qui præter illam est, nec cum Deo est, qui vita æterna est. *T: 9. lib: 3 de symbolo ad Cathech: c: 12.*

1. Cor. 2. 9.

Vita æterna dilectissimi nunquam vilescat, semperq; dulcescat. Si amatur vita talis quæratur quæ nunquam finiatur. Et si amatur quare non quæritur? Aut si quæritur quia hic non est, ad eum locum ubi est, quare non festinatur? Quid quod etiam ultro se nobis vita ingessit? Christus est enim Deus verus, & vita æterna. *Et infra.* Venit ad te vita, responde vicem, veni & tu ad illam. Suscepit vehiculum mortis, ut transiens liberaret te: suscipe & tu mortem, ut cum ad illam veneris, ita ab illo suscipiaris, ut nunquam moriaris. *Ibid: lib: 4. c: 12.*

Currite velociter rectam viam, ipsa enim vos perducit ad Patriam illam, cujus cives Angeli sunt, cujus templum Deus, cujus splendor filius, cujus charitas Spiritus sanctus, Civitas sancta, Civitas beata, Civitas ubi nullus perit amicus, quo nullus admittitur inimicus: ubi nullus moritur, quia nullus oritur: nullus infirmatur quia incorrupta salute lætatur. Cum illuc venerimus non ibi esuriemus, aut sitiemus. Visio ipsa satietas nostra erit. Non ibi dormiemus, quia non ibi laborabimus. Nulla cujuslibet rei necessaria erit refectio, ubi nulla erit defectio. Vivemus, regnabimus, lætabimur. Si tantum delectat cum de ea loquimur, quid erit & videre? Videre Deum vivere cum Deo, vivere de Deo. Vita enim nostra erit laudare Deum, & sine defectu amare. *T: 9. lib: de Cantico novo, Tract: 2. c: 10.*

O tu vita quam præparavit Deus his qui diligunt eum, vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, nescia tristitiæ, vita sine labore, sine dolore, sine anxietate, sine corruptione, sine perturbatione, sine varietate, & mutatione, vita totius elegantiæ, & dignitatis plenissima, ubi non est adversarius impugnans, ubi nulla peccati illecebra, ubi est amor perfectus, & timor nullus, ubi dies æternus, & unus omnium spiritus, ubi Deus facie ad faciem cernitur, & hoc vitæ cibo mens sine defectu satiatur. *Et infra.* O tu vita felicissima, ô regnum vere beatum carens morte, vacans fine cui nulla tempora succedunt per ævum: ubi continuus, sine nocte dies, nescit habere tempus, ubi victor miles, illis hymnidicis Angelorum sociatus choris cantat Deo sine cessatione canticum de Canticis Sion.

Cælum est regnum vere beatum.

Nobile perpetua caput amplectente corona.

Utinam concessa mihi peccatorum venia moxq; hâc carnis sarcinâ depositâ in tua gaudia, veram requiem habiturus, intrarem. *Tom: 9. lib: Meditat: cap: 22,*

Speciosa facta es, & suavis in deliciis tuis Mater Hierusalem. Nihil in te tale, quale hic patimur, qualia in hac misera vita cernimus. Non sunt in te tenebræ aut nox, aut qualibet diversitas temporum. Non lucet in te lux lucernæ, aut splendor lunæ, vel jubar

jubar stellarum, sed Deus, de Deo, lux de luce, sol justitiæ semper illuminat te: agnus candidus & immaculatus, lucidum & pulcherrimum est lumen tuum. Sol tuus & claritas tua, & omne bonum tuum hujus pulcherrimi regis indeficiens contemplatio. Ipse Rex Regum in medio tui, & pueri ejus in circuitu ejus. Ibi hymnidici Angelorum chori, ibi societas supernorum Civium. Ibi dulcis solennitas omnium, ab hac tristi peregrinatione ad tua gaudia redeuntium. Ibi Prophetarum providus chorus, ibi duodenus Apostolorum numerus, ibi innumerabilium Martyrum victor exercitus, ibi Sanctorum Confessorum sacer conventus, ibi veri & perfecti Monachi, ibi sanctæ mulieres quæ voluptates sæculi, & sexus infirmitatem vicerunt: ibi pueri & puellæ qui annos suos sanctis moribus transcenderunt. Ibi sunt oves & agni qui jam hujus voluptatis laqueos evaserunt, exultant omnes in proprijs mansionibus, dispar est gloria singulorum, sed communis est lætitia omnium. Plena & perfecta ibi regnat charitas, quia Deus est ibi omnia in omnibus: quem sine fine vident, & semper videndo in ejus amore ardent, amant & laudant, laudant & amant. Omne opus eorum laus Dei: sine fine, sine defectione, sine labore, *Ibid: cap: 25.*

Ad perennis vitæ fontem mens sitivit arida,
Claustra carnis præsto frangi clausa quærit anima.
Hyems horrens, æstus torrens, illic nunquam sæviunt.
Flos perpetuus Rosarum ver aget perpetuum.
Candent lilia, rubescit crocus, sudat balsamum,
Virent prata, vernant sata, rivi mellis influunt,
Pigmentorum spirat odor: liquor & aromatum,
Pendent poma floridorum non lapsura nemorum.
T: 9. lib: Meditat: hymno de gloria paradysi cap: 26.

VITA TEMPORALIS.

NEmo securus debet esse in ista vita, quæ tota tentatio nominatur. Utrum qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior. Una spes, una fiducia, una firma promissio misericordia tua. *T: 1. lib: 10. conf: c: 32.*

Terrenorum nausea gustũ excitat cælestium.

Itaq; quando fueris talis, ut nihil te prorsus terrenorum delectet, mihi crede eodem momento, eodem puncto temporis videbis quod cupis. *Tom: 1. solil: cap: 14.*

Corpus nostrũ habitaculum Dei.

Præter hoc ædificium, quod beatificandum construitur ad æternam habitationem Dei vita hominis omnis infelix, & mors est potiùs appellanda, quàm vita. *T: ep: 57.*

Charitatem officij mei si non aspernaris, spero in ipsa fide Christiana, ut hujus fumi vel vaporis temporalis, quæ vita humana dicitur, ultimum diem quem nulli evitare conceditur, vel avidus, vel securus, vel certè non desperatè sollicitùs, non in vanitate erroris, sed in soliditate veritatis expectes. *Ib: ep: 237.*

Sæpè autem vita præsens etiam bonorum Dei judicio malis eripienda permissa est, nè talia perpeti putaretur malum. Mori quippè in carne quid potest obesse morituris? aut quid agunt qui mori timent, nisi ut paulò posteriùs moriantur. Quidquid obest morientibus ex vita non ex morte contingit, in qua si tales animas habuerint, qualibus Christiana gratia subvenitur, non

sanè

ſanè mors eorum vitæ bonæ occaſus fuit, ſed melioris occaſio. *Ibid: epiſt: 260.*

Ex quo incipit homo vivere, ex illo utiq; jam mori poteſt, *Tom: 3. Enchirid: cap: 86.*

Nec iſta beata eſt vita, quæ talis eſt, ut quem beatum facit, amore ejus indigna ſit. Quomodo eſt beata vita, quam non amat beatus? aut quomodo amatur, quod utrum vigeat an pereat; indifferenter accipitur. *Tom: 3. lib: 13. de Trin: c: 8.*

Ipſe Dominus cui miniſtrabant Angeli, tamen propter exemplum, nè quis poſtea ſcandalum pateretur, cum aliquem ſervorum ejus animadvertiſſet iſta neceſſaria procurare, loculos habere dignatus eſt. cum pecunia, unde uſibus neceſſarijs, quidquid opus fuiſſet, præberetur: quorum loculorum cuſtos & fur, ſicut ſcriptum eſt Judas fuit. *T: 4. lib: 2. de ſerm: in mon: c: 17.*

Non metuunt toto cælo irato vivere. *Tom: 5. lib: 4. de Civit: Dei cap: 11.*

Temporalibus magìs utendum eſt quàm fruendum, ut frui mereamur æternis. Non ſicut perverſi, quoniam frui volunt, nummo, uti autem Deo, quoniam non nummum propter Deum impendunt, ſed Deum propter nummum colunt. *Ib: l: 11. c: 25.* *Temporalium uſus præmium fruitio æternorum.*

Dixit Plinius eſſe adhuc gentem ubi ducentos annos vivitur. *T: 5. l: 15. de Civit: Dei cap: 9.*

Talis eſt vita mortalium, ut nec ipſe Dominus aliter ab illa exierit, niſi per mortem. *Ibid: lib: 17. c: 18.*

Rariſſimi ſunt qui nullas in hac vita, ſed tantum poſtea pænas luant. Fuiſſe tamen aliquos, qui uſq; ad decrepitam ſenectutem, nè leviſſimam quidem febriculam ſenſerint, quietamq; duxerint vitam, ipſi novimus & audivimus: quanquam vita ipſa mortalium tota pæna ſit, quia tota tentatio eſt; ſicut ſacræ literæ perſonant, ubi ſcriptum eſt: nunquid non tentatio eſt, vita humana ſuper terram. *Ibid: lib: 21. c: 14.*

Quis non exhorreat & mori eligat, ſi ei proponatur, aut mors per patienda, aut rurſus infantia. Quæ quidem non à riſu, ſed à fletu orditur hanc lucem; quid malorum ingreſſa ſit neſciens prophetat quodammodo. Solum quando natus eſt, ferunt riſiſſe Zoroaſtrem, nec ei boni aliquid monſtroſus riſus ille portendit. Nam magicarum artium fuiſſe perhibetur inventor. *Ibid:* *Infantium fletus malorum augurium.*

Quod ad primam originem pertinet, omnem mortalium progeniem fuiſſe damnatam, hæc ipſa vita, ſi vita dicenda eſt tot & tantis malis plena teſtatur. Quid enim aliud indicat, horrenda quædam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error exiſtit. Quid amor ipſe tot rerum vanarum atq; noxiarum, & hoc mordaces curæ perturbationeſq;, mærores, inſaniæ, gaudia, diſcordiæ, bella, perfidia, crudelitas, ſævitia, & quidquid talium malorum in mentem venit, & tamen de vita iſta hominum non recedit? *Et infra.* Quid eſt quod cum labore meminimus, ſine labore obliviſcimur, cum labore diſcimus, ſine labore neſcimus, cum labore ſtrenui, ſine labore inertes ſumus. Quantus metus, quanta calamitas ab orbitatibus atq; luctu, à damnis & damnationibus, à deceptionibus & mendaciis hominum, à ſuſpicionibus falſis, ab omnibus violentis facinoribus, & ſceleribus alienis. *Et poſt multa infra.* Jam verò de ipſo corpore tot exiſtunt morborum mala, ut nec libris Medicorum cuncta comprehenſa ſint, in quorum pluribus ac pènè omnibus etiam ipſa adjumenta & medicamenta tormenta ſunt, ut homines à pænarum exitio pænali eruantur excidio. *Ibid: lib: 22. cap: 22.* *Vita præſens omnium malorum ſentina.* *Corpus malorum ſeminarium.*

Famis est locus seculum.

Ut eruat à morte animas eorum, vitam æternam promittit. Quid in ista peregrinatione nunquid deserit? Vide quid sequitur. Et aluit eos in fame. Tempus famis est modo: tempus saturitatis erit post. Qui nos in fame hujus corruptionis non deserit immortales factos quomodo satiabit? Sed quamdiu est tempus famis tolerandum est, durandum est, perseverandum est usq; in finem. *T: 8. Con: 2 in psal: 32.* *Ps 12. 19.*

Omnis ætas nostra malis condita.

Quis est homo qui vult vitam? & diligit dies videre bonos? Interroga: Nonnè omnis in vobis respondet, Ego? Nonnè quotidie hoc murmuratis, & hoc dicitis: quamdiu ista patimur quotidie pejora & pejora? Apud parentes nostros fuerunt dies lætiores, fuerunt dies meliores. O si interrogares ipsos parentes tuos, similiter tibi de parentibus murmurarent. Quis est homo qui vult vitam & diligit dies videre bonos? Non hic quærat dies illos: bonam rem quærit, sed non in regione ejus illam quærit. Quomodo si aliquem justum quæreres, sed in ea Patria ubi non habitaret diceretur tibi. Bonum virum quæris, magnum virum quæris, quære illum sed noli hic: superfluo hic eum quæris nunquam eum inventurus es. Dies bonos quæris simul eos quæramus, nolite hic. Sed habuerunt illos Patres nostri. Fallimini. Omnes hic laboraverunt. Legite scripturas. *Et paulò infra.* Semper dies mali in sæculo, sed semper dies boni in Deo. Habuit dies bonos Abraham, sed intus in corde. Habuit dies malos quando à fame mutavit regionem, & quærebat cibum. Sic omnes quæsierunt. Paulus habuit dies bonos qui dicit: In fame & siti, in frigore & nuditate? Sed non irascantur servi. Ipse Dominus non habuit dies bonos in hoc sæculo, contumelias, injuriam, crucem, & tanta mala patiebatur. Non ergo Christianus murmuret, videat cujus vestigia sequatur. *Ib: Expos: ps: 33. Vide de hac materia sub titulo stultitia.* *Ps. 33. 12.*

Stabulum præsens seculum.

Consolatur quando nobis ista non desunt. Consolatur tanquam in via: sed si nos intelligamus viam quia tota ista vita & omnia quibus uteris in hac vita sic tibi debent esse tanquam stabulum viatori non tanquam domus habitatori, memento peregisse te aliquid, restare aliquid: divertisse te ad refectionem non ad defectionem. *Ibid: Con: 1. in psal: 34.*

Via impiorum sepulchra dealbata.

Tanquam viventes sic in ira absorbet eos. Quare non dixit viventes, sed tanquam viventes, nisi quia falsa est hæc vita impiorum? Neq; enim vivunt neq; vivere sibi videntur. Et quare non in ira, sed tanquam in ira, nisi quia tranquillus hoc facit Deus. Nam & hoc scriptum est. Tu autem Domine virtutum cum tranquillitate judicas. *Ibid: In psal: 57.* *Ps. 57. 10.*

Percussit Edon. Interpretatur Edon terrenus. Debuit percuti terrenus iste: ut quid enim viveret terrenus qui cælestis debet vivere? Interfecta est ergo vita terrena, vivat cælestis. *Ibid: in psal: 59.* *4 Reg. 14. 7.*

Paucis diebus hic vivimus, & transimus. Inquilini enim sumus hic, habitatores in cælo erimus. Ibi es Inquilinus unde auditurus es vocem Domini Dei tui migra: nam de domo illa æterna in cælis, nemo te jubebit migrare. *Ibid: In psal: 60.*

In deserto omnes manemus exules.

Sæculum istud hoc est desertum Idumææ. In terra deserta & sine via & sine aqua. Parum est deserra ubi nullus hominum habitat: insuper & sine via & sine aqua. Malum desertum horribile & timendum: & tamen Deus misertus est nostri, & fecit nobis consolationem in deserto mittendo ad nos prædicatores verbi sui, & dedit nobis aquam in deserto implens Spiritu sancto præ- *Ps. 62. 3.*

cto præ;

cto prædicatores ſuos ut fierent in eis fons aquæ ſalientis in vitam æternem. *Ibid : In pſal : 62.*

Quid eſt flumen? Flumen eſt omnis mortalitas ſæculi. Videant flumen:alia veniunt & tranſeunt, alia tranſitura ſuccedunt. Nonnè ſic fit in aqua fluminis quæ de terra naſcitur & manat? Omnis qui natus eſt cedat opportet naſcituro : & omnis iſte ordo rerum labentium fluvius quidam eſt. In iſtum fluvium non ſe mittat cupida anima, non ſe mittat, ſtet. Et quomodo tranſiet delectationes rerum periturarum. Credat in Chriſtum, & facilè pertranſibit pede : tranſibit illo duce pede tranſibit. *Ib in pſal: 65.*

Pſ. 89. 6. Manè id eſt priùs ſicut herba tranſeat. Manè floreat & pertranſeat. Veſpere id eſt poſtea decidat, dureſcat & areſcat. Decidat utiq; in mortem - dureſcat in cadavere, creſcat in pulvere. Quæ niſi caro ubi eſt concupiſcentia damnata carnalium. *Ibidem In pſal : 89.* *Ex pulvere prodimus in lucem.*

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei. O dies ſi dies : ubi *Pſ. 101 5.* enim dies auditur, lux intelligitur. Sed defecerunt ſicut fumus dies mei. Dies mei tempora mea. Unde ſicut fumus niſi propter elationem ſuperbiæ? Tales dies dignus fuit accipere ſuperbus Adam, unde carnem Chriſtus accepit. Ergo in Adam Chriſtus, & Adam in Chriſto. Liberavit profecto & à diebus fumi qui dignatus eſt habere vocem dierum fumi. Qui defecerunt ſicut fumus dies mei. Videte fumum ſuperbiæ ſimilem, aſcendentem, tumeſcentem, vaneſcentem : meritò ergo deficientem, non utiq; permanentem. *Ibid: ſer: 1. de prima parte pſ: 101.* *Famoſi ſuperbi fumoſi.*

Pſ. 101 12. Dies mei ſicut umbra declinaverunt. Potuerunt enim eſſe dies tui non declinantes, ſi tu à die verò non declinaſſes. Declinaſti & accepiſti dies declinantes. Qnid mirum ſi dies tui facti ſunt ſimiles tui? Ipſi ſunt enim dies declinantes quia deviaſti qui ſunt dies fumi quia tumuiſti. *Ibidem.* *Dies umbræ defectuoſi.*

Ipſe Dominus loculos habebat quo mittebantur neceſſaria & poſſidebantur nummi propter uſus eorum qui cum illo erant, & ejus. Non enim cum dicitur eſurivit JESUS, Evangeliſta mentitur: voluit eſurire propter te nè tu eſurias in illo. *Et infra.* Cum enim videret & Paulum iſta non eſſe quæſiturum, prævidit nè damnaret quæſiturum, & præbuit exemplum infirmo : quomodo cum videret multos pronos & gaudentes ituros ad Martyrium paſſionis, exultaturos in ipſa paſſione forte centenarios maturos ad horreum, quorundam tamen infirmorum quos videbat poſſe conturbari ventura paſſionis preſſura, nè deficerent tamen ſed potiùs voluntatem humanam voluntati creatoris conjungerent, ipſorum perſonam voluit ſuſcipere in paſſione Chriſtus dicens. *Matt. 26.38* Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. *Tom: 8. Con: 3. de 2. parte pſal : 103.* *Nos cibamus cibãdo Ieſum in pauperibus*

Vide cum accedit una altera moritur. Veniente pueritia moritur infantia : veniente adoleſcentia moritur pueritia : veniente juventute moritur adoleſcentia : veniente ſenectute moritur juventus: veniente morte moritur omnis ætas. Quod optas gradus ætatis, tot ſimul optas & mortes ætatum. *Ibid : Expoſ : pſal : 127.*

Mimus eſt enim generis humani in tota vita tentationis, quia dictum eſt. Univerſa vanitas omnis homo vivens. Et tamen ſi gaudetur ad filios ſucceſſuros : quantò gaudendum eſt ad filios cum quibus permanebimus, & ad illum Patrem cui nati ſumus non morituri, ſed ut nos cum illo ſemper vivamus. *Ibidem.*

In medio tribulationis es & neſcis? Vita iſta parva tribula-

tio est? Si non est tribulatio, non est peregrinatio. Si autem peregrinatio est, aut parum Patriam diligis, aut sine dubio tribularis. Quis enim non tribuletur non se esse cum eo quod desiderat? sed unde tibi non videtur ista tribulatio? Quia non amas. Ama alteram vitam, & videbis quia ista vita tribulatio est: quacunq; prosperitate fulgeat, quibuslibet delicijs abundet, abundet atq; circumfloreat. Quando nondum est illud gaudium sine ulla tentatione certissimum quod nobis in fine servat Deus: sine dubio tribulatio est. Ergo intelligamus & hujus tribulationem fratres. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me. *Ibid: Enar: in psal*: 137.

Æternæ comparata vita præsens est tribulatio.

In mendicitate es cum omnibus his quæ accepisti & nescis. Pannosam carnem mortalitatis adhuc portas, stolam illam gloriæ immortalitatis nunquid accepisti, & quasi jam satiatus non rogas? Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quia ipsi saturabuntur. Ergo si bonus est Deus quia ista tibi dedit: quanto beatior eris cum se ipsum tibi dederit? Desiderasti tanta ab illo rogo te desidera & ipsum. Neq; enim vere dulciora sunt & ista quam ille, aut ex aliqua parte comparanda sunt illi, *Ibid: Expos: psal*: 144.

Maximi divites mendici.

Ille liberalis qui sua dando non negat se.

Meditatio præsentis vitæ nostræ in laude Dei esse debet: quia exultatio sempiterna futuræ nostræ vitæ laus Dei erit. Et nemo potest idoneus fieri futuræ vitæ qui se ad illam modo non exercuerit. Modo ergo laudamus Deum, sed & rogamus Deum. Laus nostra lætitiam habet, oratio gemitum. Promissum est enim nobis aliquid quod nondum habemus: & quia verax est qui promisit in spe gaudemus: quia tamen nondum habemus in desiderio gemimus. *Ibid: Enar in psal*: 148.

Veniunt ut abeant anni nostri: veniunt inquam ut eant. Non enim veniunt ut stent nobiscum: sed cum transeant per nos, terunt nos, & minus, minusq; valere nos faciunt. *T*: 10. *serm: de verb: Domini serm*: 1. *De illo Evangelij secundum Mathæum, Agite pænitentiam*:

Anni transeundo atterunt nos.

Quid est diu vivere, nisi diu torqueri? Quid est aliud diu vivere quàm malos dies malis diebus addere? Et cum crescunt pueri, quasi accedunt illis dies, & nesciunt quia moriuntur: & ipsa est falsa computatio. Crescentibus enim decedunt dies potiùs, quàm accedunt. Constitue alicui homini nato verbi gratia octoginta annos: quidquid vivit, de summa minuit. Et inepti homines gratulantur pluribus natalitijs, tam suis quàm filiorum suorum. O virum prudentem! Si tibi vinum minuatur in utre, tristaris: dies perdis & gaudes? Mali ergo sunt dies: & eo pejores, quia diliguntur. Sic blanditur hic mundus, ut nemo velit finire ærumnosam vitam. *Ibid: serm*: 17. *de illo Si vis venire ad vitam &c.*

Diu vivere est diu torqueri.

Ærumnosa est vita præsens, & tamen amatur.

• Similes estote hominibus expectantibus Dominum suum quando veniat à nuptijs. Habentes autem ista præcepta & promissa, quid quærimus in terra dies bonos? Ubi eos invenire non possumus? Scio enim quia eos quæritis, quando aut ægrotatis, aut in tribulationibus estis, quæ abundant in isto sæculo: quoniam quando ætas vergit ad finem, & senex plenus est querelis, & nullis gaudijs: inter omnes tribulationes quibus conteritur genus humanum, non quærunt homines nisi dies bonos, & vitam volunt longam, quam hic habere non possunt: quia & longa hominis vita tanta brevitate constringitur ad universi seculi illius latitudinem, quasi una gutta ad universum mare. *Et infra*. Ipsum autem diu vivere quid est, nisi ad finem currere. Habuisti hesternum diem, habere vis & crastinum diem. Sed cum iste transierit &

Luc. 12.

Frustra quæruntur in terra dies boni.

Diu vivere est ad finem currere.

rit & crastinus, minus illos habes. Ideo optas ut lucescat dies, ut propinquet tibi, quo tu non vis pervenire. Exhibes aliquam solennitatem amicis tuis, audis ibi à bene optantibus dici tibi, multos annos vivas, & veniat quod illi dixerunt. Quid? ut veniant anni, & anni, & non vis veniat finis annorum? Studia tua contraria sunt. Ambulare vis, & pervenire non vis? verumtamen ut dixi si tanta cura inest hominibus, ut quotidianis, magnis, perpetuisq; laboribus, cupiant, ut tardius moriantur, quanta cura agendum est, ut nunquam moriantur? Inde nemo vult cogitare. Quotidie quæruntur in isto seculo dies boni, ubi non inveniuntur: & nemo vult sic vivere, ut illuc perveniat ubi inveniuntur. *Et infra.* Ipsi dies non sunt, tu quare cum illis vis stare? *Ibidem ser: 39. de illo Sint lumbi vestri accincti.*

Homines ut tardius moriantur, laborant, ut nunquam morian tur nō curant

Dies transitorij hominem stare non sinunt.

Agamus potius Domino Deo nostro gratiam, quia hujus vitæ ultimum diem, & brevem esse voluit, & incertum. A prima infantia usq; ad decrepitam senectutem spatium breve est. Quod tam diu vixerat, quid profuisset ei, si Adam hodie mortuus esset? Quid diu est, ubi finis est? Hesternum diem nemo revocat: hodiernus crastino urgetur ut transeat. Ipso parvo spatio bene vivamus, ut illo eamus, unde non transeamus. Et modo cum loquimur utiq; transimus. Verba currunt, & horæ volant: sic ætas nostra, sicut actus nostri, sic honores nostri, sic miseria nostra, sic ista felicitas nostra. Totum transit, sed non expavescamus: verbum Domini manet in æternum. *Ibid: serm: 42. de jacente ad piscinam.*

Omnia cum tempore transeunt.

Quis me liberabit? Mortalis loqueris, moriturus loqueris.
Rom. 7. 14. Separatio mentis à carne quandoq; ventura est, propter brevitatem vitæ nunquam longe est, propter quotidianos casus, quando sit, nescis. Ergo sive festines, sive tardes, omnis vita humana brevis est. Quid pro magno gemis & dicis, quis me liberabit de corpore mortis hujus? *Tom: 10. serm: de verb: Apost serm: 5. Lex peccatum est? &c.*

Mors hominis nunquam ab illo longe est.

Quisquis es amator longæ vitæ, esto potius bonæ vitæ. Nam si malè vivere volueris, longa vita non erit verum bonum, sed erit longum malum. Vide autem quam sis absurdus atq; perversus, cum te villam fateris plus amare quàm vitam. Villam vis potius habere quàm vitam. *Et infra.* Cur igitur non sic amatur vita, ut sit etiam bona, qua abs re omnibus tuis bonis præfertur vita mala? Cupis certè ut longa sit, licet mala sit: imò fac ut bona sit, & noli timere, nè brevis sit. Nam si te sollicito bene agitur, te securo cito finietur. Succedet ei namq; vita æterna, sine metu beata, sine fine longa. *Tom: 10. 50. Homil: Homil: 1. De illo Prophetæ. Quis est homo qui vult vitam &c.*

Mala longa vita longum malum est.

Bona brevis vita longa est.

Nondum finita est via. Quod heri non est factum, fiat hodie: nondum finita est via. Quid expectatis quousq; finiatur? Cum finita fuerit, non erit alia, ubi cum adversario concordetis. Judex restat, minister & carcer. Multis hæc via cum sibi plures promitterent in annos, subito finita est. *Ibid: Homil: 5. De illo prædica verbum, &c.*

Istaquæ te delectat, falsa vita est: quasi in somnis hic vivis. Si quasi in somnis hic vivis, evigilaturus es quando morieris, & sic nihil habes in manibus tuis invenire. Quomodo si mendicus dormiat, & in somnis illi veniat hereditas, nihil illo felicius antequam surgat. Videt se in somnis tractare manibus vestes egregias, pretiosa vasa, aurea & argentea, intrare in amænissima & amplissima prædia, obsequi sibi magnas familias. Evigilat, & plorat.

Vita præsens somnus.

Et quomodo vigilans accusat hominem qui illum expoliavit, sic illum accusat, qui illum excitavit. Apertissimè hinc locutus est Psalmus. Dormierunt inquit somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis, posteaquam finierunt somnum suum. Quia ergo nihil attulisti, nihil hinc ablaturus es. *Ibid: Homil:* 13. *de illo Nè tardes converti, &c.* Ps. 75. 6.

Vita indies prorogata ad correctionem vitæ juvare debet.

Qui malus fuit heri, bonus sit hodie. Malus fuit heri, & non est mortuus. Si mortuus esset, & malus esset, inde non redisset. Malus fuit heri, vivit hodie: profit illi quod vivit, non malè vivat. Quare ergo diei hesterno, hodiernum vult addere malum? Longam vitam vis habere, bonam non vis? Quis longum ferat malum vel prandium? Usq; adeo cæcitas mentis occubuit, usq; adeo surdus est homo interior, ut omnia bona velit habere præter seipsum? Vis habere villam? Nego te habere velle malam villam. Uxorem vis habere? Non vis nisi bonam, domum non nisi bonam. Quid curram per singula? Caligam non vis habere malam, & vis habere vitam malam? *Ibid: Homil:* 25. *De anniversario Episcopalis ordinationis.*

Prius ergo recolite quod Deo propitio, soletis audire, vitam justi in isto adhuc corpore bellum esse, nondum triumphum. *Tom: ser: de Temp: ser:*45. *Dnica* 3. *post Octavas festi Epiphaniæ ser:* 2

Nec prolatam viam diu gaudetur, nec per angustam, & asperam longo tempore laboratur: quia & isti post brevem tristitiam accipiunt vitam æternam, illi post parvum gaudium patiuntur sine fine supplicium. *Ibid: ser:* 55. *feria* 4. *in capite jejunij ser:* 1.

Solicitudo præsentis vitæ retardat venientem ad vitam.

Spinæ non sunt cupiditates seculi, solicitudines vitæ vitiosæ. Quid enim pejus solicitudine vitæ, quæ pervenire non permittit ad vitam? Quid miserius, quàm curando vitam. amittere vitam? Quid infelicius, quàm timendo mortem, cadere in mortem? Extirpentur spinæ, paretur ager, suscipiantur semina, perveniatur ad messem, horreum desideretur, non ignis timeatur. *T:* 10. *ser: de sanctis ser:* 42. *In festis SS. Apostolorum ser:* 1.

Vita præsens obnoxia multis malis, & amatur.

Vera infelicitas, mendosa felicitas. Humilis cupit ascendere, sublimatus timet descendere. Qui non habet invidet habenti, qui habet, contemnit non habentem. Et quis explicet verbis hujus vitæ tantam, & tam conspicuam fæditatem? Et tamen ista fæditas habet amatores suos, tales, ut vix invenire possumus paucissimos, qui sic diligant vitam æternam, quam finire non possunt, quomodo ista diligitur, quæ & cito finitur, & si protendatur, quotidie timetur, nè per horas singulas finiatur. *Tom:* 10, *parte* 2. *serm: de diver: serm:* 111. *de Sancto Laurentio,*

AMatores seculi ut mortẽ differant satagunt, non ut auferant.

Alloquamur amatores præsentis vitæ. Quid agis, quid festinas, quid trepidas, quid fugis, quid latebras quæris. Ut vivam, inquit. Certe ut vivas? Ut vivas semper victurus. Non ergo mortem satagis auferre sed differre. Qui tanta agis, ut paulo serius moriaris, age aliquid ut nunquam moriaris. Quàm multos invenimus qui dicant, tollat fiscus res meas, ut serius moriar: quàm raro invenimus qui dicat, tollat Christus res meas, ut nunquam moriar. Et tamen ô amator temporalis vitæ, si tollat fiscus, te spoliat in hoc seculo: si tollat Christus tibi servat in cælo. *Et infra.* Das unde vivis, mendicare paratus ut vivas. Paratus es datis etiam necessariis mendicare in hoc mundo; & non es paratus erogatis superfluis regnare cum Christo. Rogo appende, si aliqua statera æquitatis invenitur in arca cordis tui, profer illam, & hæc duo impone in illam, & appende, mendicare in hoc mundo, & regnare cum Christo? Non est quod appendere. Non enim

in illius

in illius rei comparatione habet hoc aliquod pondus. Si dicerem regnare in hoc mundo, & regnare cum Christo, nam esset quod appendere. Pænitet me dixisse, appende. Prorsus non est quod appendere. Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Qui autem non passus fuerit detrimentum animæ suæ, ipse regnabit pro Christo. Quis autem in hoc mundo regnat securus? Fac quia regnat securus, nunquid regnat æternus? Illud advertite quod proponebam, quales amatores habeat præsens vita, temporalis vita, brevis vita, fæda vita, quales habeat amatores. Et plerumque homo propter hanc vitam nudus, mendicus. Quæris ab eo quare? Sic respondet, ut viverent. Quid amasti, & quid amaris quo pervenisti? Quid dicturus es male amator, perverse amator? quid dicturus es huic amatæ vitæ tuæ? Dic, alloquere, blandire si potes. Quid dicturus es? Ad istam nuditatem me perduxit pulchritudo tua. Clamat tibi, fæda sum, & tu amas? Clamat: Dura sum, & tu amplecteris? Clamat: volatica sum, & tu sequi conaris? Ecce respondet tibi amata tua. Non tecum stabo. Et si aliquantum tecum ero, non tecum permanebo. Nudare te potui, beare non potui. Ergo quoniam Christiani sumus implorato adjutorio Domini Dei nostri adversus blanditias male amatæ, amemus illius pulchritudinem vitæ, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Hanc enim præparavit Deus diligentibus se, & ipsa vita, ipse Deus est. Acclamastis, suspiratis. Amemus hanc fortiter. Donet Dominus, ut amemus. Illi lacrymas pro hac non solum adipiscenda sed etiam diligenda fundamus. *Et infra.* Quæ enim est vita nostra? Vapor est ad modicum apparens, deinceps exterminabitur. Vivebat heri, non est hodie: paulo ante videbatur, modo non est qui videbatur. Ducitur homo ad sepulchrum: redeunt tristes citò obliviscentes. Dicitur quàm nihil est homo. Ex hoc dicit ipse homo, & non corrigit se homo: ut non nihil, sed aliquid sit homo. *Ibidem.*

Vita præsens movet hominē ne se amet.

Iac. 4. 15.

Vita præsens vapor est ad modicum parens.

Quanta faciunt homines, ut vivant paucos dies? Quis enumerare poterit conatus, & molimina omnium vivere volentium, post paululum morientium? Quanta agunt pro ipsis paucis diebus? Quid tantum agimus pro æterna vita? *Et infra.* Ut modicum vivatur, non dimittitur unde vivatur. *Et infra.* Homo bone quare timebas mortem, nisi amando vitam? Christus est vita. Quare appetis parvam, ut perdas securam? *Et infra.* Nemo potest animam suam perdere propter Christum, nisi eam prius invenerit: & nemo potest animam suam invenire in Christo, nisi eam prius perdiderit. Inveni, ut perdas. *Et infra.* Non ait, qui perdiderit eam, inveniet eam: sed qui perdiderit eam propter me. Naufragi forte negotiatoris corpus cum in littore inspexeris, reddis lacrymas miseratus, & dicis, væ huic homini, propter aurum perdidit animam suam. Bene plangis, bene miseraris. Redde illi fletum, cui non præstas auxilium. Propter aurum enim perdere animam suam potuit, propter aurum invenire non poterit. Ad damnum animæ suæ idoneus fuit, ad eam lucrandam minus idoneus extitit. Non enim cogitandum est quod perdidit; sed quare perdidit. Si propter avaritiam, ecce ubi jacet caro, ubi est quod erat carum? Et tamen jussit avaritia, & propter aurum perdita est anima, & propter Christum non perit anima, neq; pereat. Stulte, noli dubitare, audi consilium Creatoris. Ipse te instituit ut sapias, qui te fecit antequam esses, qui sapias. Audi, noli dubitare pro Christo animam perdere. Fideli creatori commen-

Majoribus impendiis quæritur præsens, quam æterna vita.

Luc. 14

Anima propter Christum lucrandum perdenda.

commendas, quod diceris perdere. Tu quid perdes, si ille suscipit, cui nihil perit? *T*: 10. *ser*: *nov*: *ser*: 31. *De amore Dei & seculi.*

Alia vita terrena, alia vita cælestis : alia vita pecorum, alia vita hominum, alia vita Angelorum. Vita pecorum terrenis voluptatibus æstuat, sola terrena conquirit, in hæc prona atque projecta est. Vita Angelorum sola cælestis : Vita hominum media est inter Angelorum & pecorum. Si vivit homo secundum carnem pecoribus comparatur. Si vivit secundum spiritum, Angelis sociatur. *Tom*: 9. *in Evan*: *Ioan*: *Tract*: 18. *de cap* : 5.

Si vita esset ista non diceret Dominus cuidam : si vis venire ad vitam, serva mandata. Non enim ait illi, si vis venire ad vitam æternam, non addidit æternam, sed tantum dixit vitam. Ergo ista nec vita nominanda est, quia non est vera vita, Quæ est vera vita, nisi æterna vita. *Ibid*: *Tract*: 22. *de cap*: 5.

Vita moderna modica valde; respectu æternæ. Hoc modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur : cum finitum fuerit, tunc sentiamus, quàm modicum fuerit. Non ergo sit gaudium nostrum quale habet mundus, de quo dictum est, Mundus autem gaudebit : nec tamen in hujus desiderij *Io. 16. 20.* perturbatione sine gaudio tristes simus, sed sicut ait Apostolus, spe gaudentes, in tribulatione patientes, quia & ipsa parturiens cui comparati sumus, plus gaudet de mox futura prole quàm tristis est præsenti labore. *Ibid*: *Tract*: 101. *de cap* : 16.

Promissa deceptoria. Mors ista vitalis, & vita mortalis, licet his, alijsq; sit respersa amaritudinibus proch dolor quàm suis cupit illecebris, & quàm multos suis falsis promissionibus decipit. Et cum ita per se sit falsa & amara ut etiam suos amatores cæcos latere non valeat : tamen infinitam stultorum multitudinem, aureo calice quem in manu habet, potat, & prorsus inebriat. Felices illi, & ipsi rari, qui familiaritatem ejus recusant, perfunctoria gaudia spernunt, societatem abjiciunt, nè cum pereunte deceptrice, & ipsi perire cogantur. *Tom*: 9. *lib*: *Meditat*: *cap*: 21.

VOLUNTAS.

O Putredo! ô monstrum vitæ, & mortis profunditas potuit nè liberè quod non licebat.. *T*: 1. *lib*: 2. *conf*: *c*: 7.

Compedes ferreæ perversa voluntas. Suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate, quippè ex voluptate perversa facta est libido, dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas, velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. *Ib*: *lib*: 8. *c*: 5.

Facilis ad Deum aditus. Fremebam quod non irem in pactum tecum Deus meus, nam non solùm ire, verùm etiam pervenire illuc, nihil erat, quàm velle ire, sed velle fortiter & integrè, non semisauciam hac atq; hac versare & jactare voluntatem, parte assurgente, cum alia parte cadente luctantem. *Ibid*: *cap*: 8.

Imperat animus corpori & paretur statim, imperat animus sibi & resistitur, unde hoc monstrum & quare istud? Non monstrum partim velle, partim nolle, sed ægritudo animi est, quia non totus assurgit veritate sublevatus, consuetudine prægravatus. *Ibid* : *lib* : 8. *cap* : 9.

Optimus minister tuus est, qui non magìs intuetur, hoc à te audire, quod ipse voluerit, sed potiùs hoc velle, quod à te audierit. *Ibid*: *lib* : 10. *c*: 26.

Plùs mali pravitas voluntatis affert, quàm fortuna cuiquam boni. *Tom*: 1. *lib*: 1. *de vit*: *beata dic* 7.

Quis-

Quisquis rectè honestq; vult vivere, si id se velle præ fugacibus bonis velit, assequatur tantam rem tanta facilitate, ut nihil aliud ei, quàm ipsum velle, sit habere quod voluit. *Ib: c: 13.*

Uni voluntati beata vita debetur. *T: 1. Ib: c: 14.*

Non enim aut peccatum esset, aut rectèfactum, quod non fieret voluntate. Ac per hoc & pæna injusta esset, & præmium si homo voluntatem non haberet liberam. *Ib: lib: 2. c: 1.*

Vbi nulla libertas ibi nullum peccatū, nullum meritum.

Voluntas aversa ab incommutabili & communi bono, & conversa ad proprium bonum, aut ad exterius aut ad inferius peccat. *Ibid: cap: 19.*

Si voluntas mala suæ permittenda est libertati, quare Paulus non est permissus uti pessima voluntate, quâ persequebatur Ecclesiam, sed prostratus est ut excæcaretur, & excæcatus est, ut mutaretur, mutatus ut mitteretur, missus ut qualia fecerat in errore, talia pro veritate pateretur. *T: 2. ep: 204.*

Tu fecisti secundùm voluntatem tuam, sed in perniciem tuam: illi contra voluntatem tuam, sed propter salutem tuam, si ergo salus ista corporis sic custodienda est, ut etiam in nolentibus, ab eis, qui eos diligunt, servetur: quantò magìs illa spiritualis in cujus desertione mors æterna metuitur. *Ibidem.*

Voluntati propriæ obsequi certa pernicies.

Sicut mori est in hominis potestate cùm velit, nemo est enim qui non seipsum possit occidere: ad vitam verò tenendam voluntas non satis est, si adjutoria desint. Sic homo in Paradiso ad se occidendum relinquendo justitiam idoneus erat per voluntatem, ut autem ab eo teneretur vita justitiæ parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat, adjuvaret. *T: 3. Enchirid: c: 106.*

Velle quod non deceat, id ipsum miserrimum est, nec tam miserum est non adipisci, quod velis, quàm adipisci velle quod non oporteat. Mala enim voluntate, vel sola quisq; efficitur miser, sed miserior potestate, quâ desiderium malæ voluntatis impletur. Beatus igitur non est, nisi quia & habet omnia quæ vult, & nihil vult malè. *T: 3: lib: 13. de Trin: c: 5.*

Maxima misèria velle quod non deceat

Nec fieri potest ut voluntas propria non grandi ruinæ pondere super hominem cadat, si eam Dei voluntati se extollendo præponat. Hoc expertus est homo contemnens præceptum Dei, & hoc experimento didicit, quid interest inter bonum & malum, bonum scilicet obedientiæ, malum autem inobedientiæ, id est superbiæ & contumaciæ, perversæ imitationis Dei & noxiæ libertatis. *T: 3. l: 8. de Gen: ad liter: c: 14.*

Gradus ad ruinam inobedientia.

Ex 7. 13. Induratum est cor Pharaonis. In voluntate quippè hominis est origo vitiorum, moventur à causis corda hominum, alia sic, alia verò sic, etiam non diversis causis, sæpè diverso modo secundum proprias qualitates, quæ ex voluntatibus veniunt. *T: 4. lib: 2. quæstionum in Exodum quæst: 29.*

Propria hominis voluntas vitiorum origo.

Melior homo est, qui voluntate quàm qui necessitate bonus est, voluntas igitur libera danda homini fuit. *Tom: 4. lib: 8 trium quæstionum quæst: 2.*

Voluntas ipsa nisi aliquid occurrerit, quod delectet atq; invitet animum, moveri nullo modo potest. Hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate. Quid volebat Saulus, nisi ut invaderet & traheret, vinciret & necaret Christianos. Quàm rabida voluntas, quàm furiosa, quàm cæca, qui tamen una voce desuper prostratus occurrenti utiq; tali viso, quo mens illa & voluntas, refractâ sævitiâ retorqueretur, & corrigeretur ad fidem repente ex Evangelij mirabili persecutore, mirabilior prædicator effectus est. *T: 4. lib: 1. ad simplic: quæst: 2, circa finem.*

Voluntas in bonis cupiditas in malis. Voluntas namq; non est nisi in bonis. Nam in malis flagitiosisq; factis cupiditas propriè dicitur non voluntas. *Tom: 4. lib: 2. de sermon: in monte cap: 22.*

Bona in Deum voluntas Angelis homines facit superiores. Tantùm valet in naturis rationalibus quoddam veluti pondus voluntatis & amoris, ut cum ordine naturæ Angeli hominibus, tamen lege justitiæ, boni homines malis Angelis præferantur. *T: 5. l: 11. de Civit: Dei c: 16.*

Nemo ergo quærat efficientem causam malæ voluntatis. Non enim est efficiens sed deficiens, qua nec illa effectio est, sed defectio; deficere namq; ab eo quod summum est, ad id quod minus est, hoc est incipere, habere voluntatem malam. Causas verò defectionum istarum, cum efficientes non sint; sed deficientes, velle invenire tale est, ac si quisquam vellet videre tenebras vel audire silentium. Nemo ergo ex me scire quærat, quod me nescire scio nisi fortè ut nescire dicat, quod sciri non posse sciendum est. *Ibid: lib: 12. c: 6.*

Ad malum quippe ejus, prior est voluntas ejus, ad bonum verò ejus, prior est voluntas Creatoris ejus, sive ut eam faceret, quæ nulla erat, sive ut reficeret, quæ lapsa perierat. *Ib: l: 13. c: 15.*

Quid bona & quid mala voluntas. Recta itaq; voluntas est bonus amor, & perversa voluntas malus amor. *Ibid: lib: 14. c: 7.*

Cupiunt, timent, lætantur, boni & mali: sed illi benè, isti malè. Sicut hominibus seu recta seu perversa voluntas est. *Ib: c: 18.*

Intelligite si potestis, quantùm distet inter necessitatem & voluntatem. Si quis Verbi gratia merito peccati sui in carcerem jubente justitia mittitur, alius adsit Vir Sanctus, qui eundem carcerem ingrediatur propter illius consolationem aut liberationem; nunquid ambo in carcere ex una causa constituti sunt? ille missus est, ille ingressus, ille pœnam patitur, ille misericordiam facit, & hoc homines facere possunt & præstant liberè beneficium, cùm aliquando nihil sibi cupiant præstari. Cogitate ergo jam si Deus potest pati aliquam necessitatem, cùm possint homines benefacere voluntate, nulla mercede conducti, nulla necessitate compulsi. Nullam ergo necessitatem patitur Deus, neq; necessitate facit, quæ facit, sed summa & ineffabili voluntate & potestate. *Tom: 6. lib: 16. Manich: c: 27.* *Matt. 6. 10.*

Conversio voluntatis repentè mutavit non solùm in telonio peccatorem, sed etiam in cruce latronem, nisi putas quod Christus in Paradiso secum esse voluisset cruentum sceleratumque hominem, si non illa conversio continuò faceret innocentem. Ut eo die ex eo loco, ex eo ligno, transiret ad immortale fidei præmium, in quo exceperat mortis pro iniquitate supplicium: sive enim ad malum, sive ad bonum parvo momento animus commutatur, sed non ideo parvum est quod meretur. In ipsis corporalibus & temporalibus pœnis & beneficiis diu nutritam quamlibet ætatem, unus ictus interimit; & triginta & octo annorum ægritudinem mox, ut Dominus dignatus est, jubere sanavit. Crede certè rebus non verbis inanibus. Mutati vestri ad nos transeunt [loquitur de hæreticis] absit ut ipsi sint, qui fuerunt. *Tom: 7. lib: 2. contra Crescon: Gram: c: 9.* *Gal. 2. 20.*

Regula voluntatis nostræ voluntas divina. Duæ voluntates sunt: sed voluntis tua corrigatur ad voluntatem Dei, non Dei voluntas detorqueatur ad tuam. Prava est tua: regula est illa. Stet regula, ut quod pravum est, ad regulam corrigatur. *Tom: 8. Enar: 2. in psal: 31.*

Voluntas Dei est aliquando ut sanus sis, aliquando ut ægrotes. Si quando sanus es dulcis est voluntas Dei; & quando ægrotas

tas amara est voluntas Dei, non recto corde es. Quare? Quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, sed Dei vis curvare ad tuam. Illa recta est sed tu es curvus. Voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curvanda est ad te & rectum habebis cor. Benè est in hoc sæculo, benedicatur Deus qui consolatur: laboratur in sæculo benedicatur Deus qui emendat & probat, & eris recto corde dicens, Benedicam Dominum in omni tempore. Semper laus ejus in ore meo. *Ibid: In psal*: 35.

Parum est quia voluntatem suam tortuosam habent, etiam voluntatem Dei volunt tortuosam facere, secundum cor suum: ut hoc faciat Deus quod ipsi volunt, cum ipsi hoc debeant facere quod Deus vult. *Ibid: In psal*: 93. *Non est inflectendus Deus in nostram voluntatem sed nos in illius.*

Desiderio bono levamur ad Deum, & desiderio malo ad prima præcipitamur, sed quia jam malo desiderio lapsi cecidimus, superest nobis si agnoscamus quis ad nos non ceciderit, sed descenderit, hærendo illi ascendere quia viribus nostris non possumus. *Ib Enar: in psal*: 122.

Nihil tam facilè bonæ voluntatis est, quàm ipsa sibi: & hæc sufficit Deo. Quantumlibet ergo sæviat iste mundus, verissimè Angeli nato in carne Domino clamaverunt, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: quia qui natus erat, suave jugum est, & sarcina levis. *Tom. 10. serm: de verb: Dom: serm*: 9. *Venite ad me omnes qui laboratis. &c.* *Bona voluntas sufficit Deo.*

Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Serviunt tibi Angeli in cælo, nos serviamus tibi in terra. Non te offendunt Angeli in Cælo, non te offendamus in terra. Quomodo illi faciunt voluntatem tuam, sic faciamus & nos. *Et infra* Fiat voluntas tua *Matt. 6. 10.* sicut in cælo & in terra? ut cælum ponamus Ecclesiam, quia portat Deum: terram autem infideles: quibus dictum est, terra es, & in terram ibis. Quando ergo oramus pro inimicis nostris, inimicis Ecclesiæ, inimicis nomini Christiano, hoc oramus ut fiat voluntas ejus, sicut in cælo, ita & in terra: idest sicut in tuis fidelibus, sic & in tuis blasphematoribus, ut omnes cælum fiant. *Tom*: 10. *Homil*: 50. *Homil*: 42 *de Orat: Dominica*. *Angelos æmulantur, qui voluntatem Dei faciunt in terra.* *Ecclesia cælum: infideles terra sunt*

Gal. 2. 20. Vivit verò in me Christus. Quid est ergo, nega te? Noli tu ipse vivere in te. Quid est noli tu ipse vivere in te: noli facere voluntatem tuam, sed illius, qui habitat in te. *Tom*: 10. *serm: nov: serm*: 29. *In Natali plurimorum Martyrum*.

Faciunt homines voluntatem suam non Dei: quando faciunt quod volunt, non quod jubet Deus. Quando autem ita faciunt quod volunt ut tamen sequantur voluntatem Dei, non faciunt voluntatem suam, quamvis quod volunt faciant. Volens fac quod juberis, atq; ita & hoc facies quod vis, & non voluntatem tuam facies, sed voluntatem jubentis. *Tom*: 9. *In Evan: Ioan: Tract*: 19. *de cap*: 5. *Voluntas Dei præponenda est propriæ.*

Filius unicus dicit: Non quæro voluntatem meam, & homines volunt facere voluntatem suam? Ille tantum se humiliat qui æqualis est Patri: & tantum se extollit qui in imo jacet, & nisi ei manus porrigatur, non surgit? Faciamus ergo voluntatem Patris, voluntatem Filij, voluntatem Spiritus Sancti: quia Trinitatis hujus una voluntas, una potestas, una majestas est. *Ibid: Tract*: 22. *de c*: 5.

VOLUPTAS.

Satellites voluptatum divitias perniciosè populi appetebant: pauper esse Christus voluit. Honoribus & imperiis inhiabant: *Satellites voluptatis divitiæ*

Rex fieri noluit. Carnales filios magnum bonum reputabant: conjugium talemq; prolem contempsit, contumelias superbissimè horrebant, omne genus contumeliarum sustinuit &c. Omnia quæ vitare cupientes, à studio deviabamus veritatis, perpetiendo dejecit, omnia quæ habere cupientes, non rectè vivebamus: carendo vilia fecit. *T: 1, lib: de vera Relig: c: 16.*

Mundo contraria Christi studia.

Etiam in ista corporis voluptate invenimus, unde commoneamur eam contemnere, non quia malum est natura corporis, sed quia in extremi boni dilectione turpiter volutatur, cui primis inhærere fruiq; concessum est. *Ibid: c: 45.*

Voluptas dux ad interitum.

Quid æstuas? quid fluctuas? quid imaginationibus mortiferarum voluptatum aurem accommodas? mentiuntur, moriuntur, in mortem trahunt. Non dicit verum, nisi veritas: quia Christus est veritas. Veniamus ad eum nè laboremus, ut ipse nos reficiat, tollamus jugum ejus super nos, & discamus ab eo, quoniam mitis est & humilis corde. *T: 2. ep: 39.*

Ex contemptu voluptatis quærere gloriam stultitia.

Continendus est animi appetitus à voluptate oculorum, à voluptate aurium, à voluptate olfaciendi, gustandi, tangendi. Sed quia ista continentia partim coram Deo fit, ut illi placeatur in interiori gaudio conscientiæ; partim coram hominibus tantùm, ut gloria humana capiatur, quinq; dicuntur sapientes, & quinq; stultæ; utræq; tamen virgines, quia utraq; continentia est, quamvis diverso fomite gaudeant. *Tom: 4 lib: 8trium quæstionum quæst: 59.*

Quodammodo familiari contractu atq; connexu, ad experiendam ejus suavitatem, adjacet amanti creaturæ amata creatura. Voluptas autem Creatoris, de qua scriptum: Et torrente voluptatis tuæ potabis eos; longè alterius generis est: neq; enim sicut nos, creatura est. Nisi ergo amor ejus detur inde nobis, non est unde possit esse in nobis. Ac per hoc voluntas bona, id est voluntas Deo fideliter subdita, voluntas sanctitate superni ardoris incensa, voluntas, quæ diligit Deum & proximum propter Deum, in homine non potest esse nisi in quo Deus operatur & velle. *Ibid: lib: de patien: c: 25:*

Secundùm desiderium animæ tuæ occide & manduca omnem carnem: quando sequitur juxta voluptatem, quam dedit tibi Dominus. Immoderatam enim voluptatem non dedit tibi Dominus, sed quanta sustentationi naturæ salutiq; sufficiat. *Tom: 6. lib: con: Adiman: c: 14.*

Luc: lib: 2.

Intuere honesto corde, si potes quid de Catone, Poëta cecinerit.

Voluptatis contemptus.

Urbi inquit Pater est, Urbiq; maritus
Iustitiæ cultor, rigidi servator honesti.
In commune bonus, nullosq; Catonis in actus
Subrepsit, partemq; tulit sibi nata voluptas.

Tom: 7. lib: 5. con: Iulian: cap: 9.

Divitiæ nunquam satiare possunt.

Non sunt istæ veræ divitiæ, plus augent cupiditatem ei qui eas possidet. Non est illa vera corporis sanitas, quia portatur infirmitas ubiq; defectiva. Quocunq; se verterit deficit. In ipso adjutorio non invenies firmamentum. Lassatur stando sedere vult, nunquid vel sedendo durabit. *Tom: 8. in psal: 122.*

Delectatio admissa vulnerat, et transit

Delectatio occidit & præteriit, vulneravit & transivit, miserum fecit & abiit, infelicem reddidit & reliquit. Quàm speciosus est animæ nitor, quàm felix conscientia bonis operibus plena? Si

Si beatum se credit, qui hoc possidet quod dimissurus est post mortem: quam securus est, qui illud præmium sperat, quod nunquam amissurus est per æternitatem. Si potens est qui mundo imperat, quàm beatus est qui Deum in conscientia portat? *Tom: 10 serm: de Temp: ser: 7. In festo Nativitatis Salvatoris.*

Primò vincendæ sunt delectationes, & postea dolores. Quomodo potest superare mundum sævientem, qui non potest superare blandientem? Blanditur hic mundus pollicendo honores; divitias, voluptates: minatur hic mundus intendendo dolores, egestates, humilitates. Qui non contemnit quod pollicetur, quomodo superare potest quod minatur. *Tom: 10. serm: de sanctis serm: 50. In festis plurium Martyrum serm: 6.* *Qui mundum non vincit blandientem, nec persequentem vincet.*

Aqua in puteo voluptas sæculi est in profunditate tenebrosa. *Et infra.* Pone hydriam cupiditatem: & aquam de profundo voluptatem. Cum pervenerit quisq; ad voluptatem sæculi hujus, cibus est, potus est, lavacrum est, spectaculum est, concubitus est. Nunquid non iterum sitiet: Ergo de hac aqua qui biberit, sitiet inquit iterum. Si autem acceperit à me aquam, non sitiet in æternum. Satiabitur inquit in bonis domus tuæ. De qua ergo aqua daturus est, nisi de illa de qua dictum est, apud te est fons vitæ? Nam quomodo sitient qui inebriabuntur ab ubertate domus tuæ? Promittebat ergo saginam quandam & satietatem Spiritus sancti, & illam nondum intelligebat. *T: 9. in Evan: Ioan: Tract: 15. de cap: 4.* *Voluptas sæculi aqua, accendit sitim.*

VOTUM.

Ps. 75. 12. VOvete & reddite Domino Deo vestro. Quanquam etsi non vovisses, quid aliud tibi suadendum fuit, aut quid meliùs ab homine fieri potest, quam ut ei se restituat, à quo institutus est: præsertim quia charitas erga nos Dei tantùm apparuit atq; eluxit indicium, ut Filium suum unigenitum mitteret, qui pro nobis moreretur. *Tom: 2 epist: 45.*

Matt. 22. 21 Reddite ergo Cæsari quæ Cæsaris snnt, ut hinc intelligerent quod Deus exigeret ab homine, imaginem suam in homine ipso, sicut Cæsar suam exigebat in nummo. Quantò magìs ergo reddenda est cum promittitur, cui etiam non promissa debetur. *Ibidem.* *Major post votum reddendi obligatio.*

Nec ideo te vovisse pæniteat: imò gaude jam tibi sic non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaq; intrepidus, & dicta imple factis; ipse adjuvabit, qui vota tua expetit. Felix est necessitas, quæ in meliora compellit. *Ibidem.*

Non dubitaverim dicere lapsus & ruinas à castitate sanctiore quæ vovetur Deo, ad ulterius esse pejores. Si enim quod nullo modo dubitandum est ad offensionem Christi pertinet, cum membrum ejus fidem non servat marito, quantò graviùs offenditur, cùm illi ipsi non servatur fides in eo quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum? cùm enim quisq; non reddit, quod non imperio compulsus, sed consilio commonitus vovit: tantò magìs fraudati voti auget iniquitatem, quantò minus habuit vovendi necessitatem. *Tom: 4. lib: de bono vid: c: 11.*

Ps. 55. 12. In me sunt Deus vota tua quæ reddam laudis tibi. In te est quod voveas & reddas. De cordis arca profer laudis incensum, de celario bonæ conscientiæ profer sacrificium fidei. Quidquid profers accende charitate. In te sunt vota quæ reddas laudis Deo. Cujus laudis? Quid enim tibi præstitit? Quoniam eruisti animam meam de morte. Ipsa est illa vita quam enuntiat illi *In corde vota procedunt.*

Vota pro vita conservata. Deus: vitam meam enuntiavi tibi. Qui enim eram mortuus, per me ipsum eram mortuus. Per te quid sum? vivus. Ideo in me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudis tibi. Et amo Deum meum, nemo hunc mihi eripiet. Quod illi dem, nemo eripit, quia in corde inclusum est. Et merito dicitur in illa superiore fiducia quid faciat mihi homo? Sæviat homo permittatur sævire, permittatur efficere quod conatur. Quid est ablaturus? Aurum, argentum, pecora, servos, ancillas fundos, domos. Auferat omnia, nunquid auferet vota quæ in me sunt quæ reddam laudis Deo. *Tom*: 8. *in psal*: 55.

Vovete & reddite Domino Deo nostro. Quisq; quod potest voveat & reddat. Nè voveatis & non reddatis, sed quisq; quod potest voveat & reddat. Non sitis pigri ad vovendum: non enim viribus vestris implebitis. Deficietis si de vobis præsumitis: si autem de illo cui vovetis, vovete, securi redditis. Vovete & reddite Domino Deo nostro omnes communiter. Quid debemus vovere? Credere in illum, sperare ab illo vitam æternam, bene vivere secundum communem modum. *Et infra*. Nemo ergo positus in monasterio frater dicat: Recedo de Monasterio: Neque enim soli qui sunt in monasterio perventuri sunt ad Regnum Cælorum, & illi qui ibi non sunt ad Deum non pertinent? Respondetur ei sed illi non voverunt tu vovisti, tu retro respexisti. De die judicij cum Dominus minaretur quid ait? Mementote uxoris Lot omnibus dixit. Quid enim fecit Lot? Liberata est à Sodomis & in via posita retrorsum respexit. Ibi respexit, ibi remansit. Facta est autem statua salis ut illius contemplatione condiantur homines, cor habeant, non sint fatui, non retro respiciant: nè malum exemplum dantes ipsi remaneant & alios condiant. *Ib. in psal*: 75.

Ps. 75. 12.

Solvitur objectio è Religiosis exeuntium.

Luc. 17 32.

Votum practicum sit. Vovete & reddite. Quia audisti reddite non vis vovere? Ergo vovere volebas & non reddere? Imo utrumq; fac unum fit ex professione tua, aliud ex adjutorio Dei perficietur. Aspice eum qui te ducit, & non respicies retro unde te educit. Qui te ducit ante te ambulat: unde te educit post te est. Ama ducentem, & non te damnat retro respicientem. *Ibidem*.

Ps. 75. 12.

Alieno malo sapere. Mementote uxoris Lot. Ut quid enim statua salis effecta, si non homines condit ut sapiant? Ergo exemplum illius malum tibi sit bonum, si caveris. Mementote inquit uxoris Lot. Respexit enim retro unde liberata erat à Sodomis, & ibi remansit unde respexit: ipsa in loco mansura & transeuntes alios conditura. Liberati ergo à Sodomis præteritæ vitæ, non respiciamus retro. Nam hoc festinare est non attendere quod promisit Deus, quia longè est: & respice ad id quod proximum est inde jam liberatus es. *Et infra*. Si canis hoc faciens horret oculis tuis: tu quid eris oculis Dei? Unusquisq; autem fratres charissimi de loco itineris sui ad quem proficiendo pervenit, & quem vovit Deo inde respicit retro cum ipsum dimiserit. *Ibid*: *In ps*: 83.

Luc. 17 32. *Ibid.*

Vocationem deserens canis in vomitu.

Voventes se potius offerũt. Sacrificabo sacrificium laudis. Et revera quisquis bene cogitat quid voveat Domino & quæ vota reddat, seipsum voveat, seipsum reddat. Hoc exigitur, hoc debetur. Inspecto nummo Dominus dicit. Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt & Deo quæ Dei sunt. Imago sua reddatur Cæsari: imago sua reddatur Deo. *Ibid*: *Expos*: *psal*: 115.

Votorum auxilium. Nemo præsumat viribus suis se reddere quod voverit. Qui te hortatur ut voveas, ipse adiuvat ut reddas. *Ibid*: *Enar*: *psal*: 131.

USURA

USURA.

DE usuris quid dicam, quas etiam ipsæ leges & judices reddi jubent, an crudelior est, qui subtrahit aliquid vel eripit diviti, quàm qui trucidat pauperem fænore? Hæc itaq; hujusmodi malè utiq; possidentur, & vellem ut restituerentur, sed non est quo Judice repetantur. *Tom: 2. epist: 45.* *Usurarius pejor homicida*

Nolo sitis fæneratores. Et ideo nolo quia Deus non vult: nam si ego nolo & Deus vult agite. Si autem Deus non vult etiamsi ego vellem, malo suo ageret, qui ageret. Unde apparet Deum hoc nolle? Dictum est alio loco. Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. Et quam detestabile sit, quam odiosum, quam execrandum puto quod & ipsi fæneratores noverunt. Si fæneraveris homini id est mutuam tuam pecuniam dederis, à quo aliquid plus quàm dedisti expectas accipere: non pecuniam solam sed aliquid plus quam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sivè quodlibet aliud: Si plùs quàm dedisti expectas accipere fænerator es, & in hoc improbandus non laudandus. *Ib: Con: 3. In psal: 36.* *Deus non vult usuras.* *Quid sit usura.*

Ps. 15. 12.

UXOR.

Luc. 17 32.

NIhil de tua veste, nihil de tuo auro vel argento, vel quacunque pecuniâ, aut rebus ullis terrenis tuis sine arbitrio ejus (intellige mariti) uxor facere debuisti, nè scandalisares hominem. An cujusquam tibi vitæ temporalis salus carior esse debuerat, quàm hujus æterna? nonnè si ampliorem misericordiam cogitans, ideo pauperibus res tuas erogare differres? nè scandalisatus maritus tuus Deo periret? ut tecum Christo sanctiore castitate serviret. Uberiores tibi Deus eleemosynas imputaret. Si enim habet ibi magnum locum panis fractus esurienti, quantum locum ibi credenda est habere misericordia, quâ homo eripitur Diabolo tanquam leoni rugienti, & quem devoret inquirenti. *T: 2. ep: 199*

Ps. 11. 12.

Pariter ergo consilium [intellige de marito & uxore] de omnibus haberetis, pariter moderaremini, quid thesaurisandum esset in cælo, quid ad vitæ hujus sufficientiam vobis vestroque filio relinquendum, nè aliis esset refectio, vobis autem angustia. *Ibidem.*

Est quidam pro modulo personæ habitus matronalis à viduali veste distinctus, qui potest fidelibus conjugatis salva religionis observantiâ convenire. Absit ut hinc displiceres Deo, quod conjuge tuo nondum defuncto non indueteris sicut Anna, sed sicut Zuzanna, & posses habere in superbo cultu cor humile. *Ibidem.*

Gen. 2. 16. Et præcepit Dominus Deus Adæ, non dixit præcepit eis An quod ei facturus esset mulierem, ita præcepit ordinatissimè ut per virum præceptum Domini ad fæminam perveniret. Quam disciplinam & in Ecclesia servat Apostolus dicens. Si quid autem discere volunt, domi viros suos interrogent. *Tom: lib: 8. de Gen. ad lit: cap: 17.* *Maritus uxoris præceptor*

Quanquam jam emissi de Paradiso convenisse & genuisse commemorentur; tamen non video quid prohibere potuerit, ut essent eis etiam in Paradiso honorabiles nuptiæ & thorus immaculatus. Hoc de Deo præstante fideliter justèq; viventibus, eiq; obedienter sanctèq; servientibus, ut sine ullo inquieto ardore libidinis, sine ullo labore & dolore pariendi, fætus ex eorum semine gigneretur. *Ibid: lib: 9. c: 3.*

Utriusqs

Utriusq; sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honestate nuptiarum, ut quod sanis posset esse officium, fit ægrotis remedium: neq; enim quia in continentia malũ est ideo connubium? imò verò non propter id malum, culpabile est hoc bonum, sed propter hoc bonum veniale est illud malum: quoniam id quod bonum habent nuptiæ, & quo bonæ sunt nuptæ, peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripartitum est: Fides, Proles, Sacramentum. *Ibid: c: 7.*

Nuptiæ incontinentiæ remedium.

Difficilè est namq;, ut dum perversè homines vitia devitant, non in eorum contraria perniciter currant, sicut exhorrens avaritiam, fit profusus: aut exhorrens luxuriam, fit avarus. Ita dum nesciunt homines, quid in adulteriis & fornicationibus Divino jure damnetur etiam causa procreandi conjugalem concubitum detestantur. Nec attendunt, si rectè potuerunt successores quæri morituris; multò rectiùs socios quæri potuisse victuris. Loquitur de statu innocentiæ. *Ibid: cap: 8. & 9.*

Matrimonium adversus mortem præsidium

Mulierem non permittit Apostolus dominari in virum. Hoc enim viro potiùs Dei sententia detulit, & maritus habere Dominium meruit mulierisnon natura, sed culpa. Quod tamen nisi servetur depravabitur ampliùs natura, & augebitur culpa. *Ibidem lib: 11. cap: 38.* *1. Tim 2.*

Salomon vir tantæ sapientiæ nunquidnam credendum est, quod in simulacrorum cultu credidit aliquid esse utilitatis? sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non evaluit faciens quod sciebat non esse faciendum, nè suas quibus deperibat atq; diffluebat mortiferas delicias contristaret. Ita & Adam non quidem carnis victus concupiscentiâ, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ: sed amicabili quadam benevolentiâ, quâ plerumq; fit ut offendatur Deus, nè homo ex amico fiat inimicus, quod eum facere non debuisse Divinæ sententiæ justus exitus indicavit. *Ib: l: 11. c: 24.*

Connubia propter filios, filij propter successionem, successio propter mortem. Ubi ergo mors non est, neque connubia. *Tom: 4. lib: 2. quæst: Evan: quæst: 49.*

Unusquisq; propriam habet domum à Deo. Vides & pudicitiam conjugalem, & thori Christiani matrimonialem fidem donum esse, & hoc à Deo: ut illud quod ultra liberorum procreandorum necessitatem, modum concubendi aliquatenus carnalis concupiscentia excedit, non nuptiarum hoc sit malum, sed veniale sit propter nuptiarum bonum. *T: 4. l: de bono viduit: c: 4.*

Hîc enim maximè Cataphrygarum ac Novatianorum hæreses tumuerunt, quas buccis sonantibus non sapientibus, etiam Tertulianus inflavit, dum secundas nuptias tanquam illicitas, maledico dente concidit, quas omninò licitas sobria mente Apostolus concedit. *Ibid: c: 4.*

Secundæ nuptiæ licitæ.

Nuptiarum bonum semper est quidem bonum: sed in populo Dei fuit aliquando legis obsequium, nunc est infirmitatis remedium, in quibusdam humanitatis solatium. *Ibid: c: 8.*

Matrimonium infirmitatis remedium.

Benedictio nuptiarum ut conjugati crescerent & multiplicarentur, & replerent terram, quamvis & in delinquentibus manserit, tamen antequam delinquerent data est, ut cognosceretur procreationem filiorum, ad gloriam connubij, non ad pænam pertinere peccati. *T: 5. l: 14. de Civit: Dei cap: 23.*

Matrimonium ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat fæmina nubere, quàm ut mater fiat. *Tom: 6. lib: 19. con: Faustum cap: 27.*

Matrimonium unde dictum.

Melius

Melius sine filiis remaneret, quàm sine jure matrimonij mater fieret. *Ibid: lib: 22. c: 61.*

Concumbitur etiam causâ libidinum, nubitur autem nonnisi filiorum. *Ibid: lib: 30 c:* 11.

Nunc verò in bono licet annoso conjugio, & si emarcuit ardor ætatis inter masculum & fæminam, viget tamen ordo charitatis inter maritum & uxorem: quia quantò meliores sunt, tantò maturiùs à commixtione carnis suæ pari consensu se continere cœperunt, non ut necessitatis est, postea non posse quod vellent sed ut laudis esset primum noluisse, quod possent. Si ergo servatur fide honoris & obsequiorum invicem debitorum ab alterutro sexu, etiamsi languentibus, & propè cadaverinis utriusq; membris, animorum tamen ritè conjugatorum, tantò sincerior, quantò probatior, & tantò securior, quantò placidior, castitas perseverat. Habent etiam id bonum conjugia, quod carnalis vel juvenilis continentia, etiamsi vitiosa est, ad propagandæ prolis redigitur honestatem, ut ex malo libidinis aliquid boni faciat, copulatio conjugalis. Deinde quia reprimitur, & quodammodo verecundiùs æstuat concupiscentia carnis, quam temperet parentalis affectus; Intercedit enim quædam gravitas fervidæ voluptatis, cum in eo ipso quod sibi vir & mulier adhærescunt, Pater & Mater esse meditantur. *T: 6. l: de bon: coniug: c: 6.*

Connubii Christiani multiplex bonum

1. Tim 1.

Sunt viri usq; adeo incontinentes, ut conjugibus nec gravidis parcant. Quidquid ergo inter se conjugati immodestum, inverecundum, sordidumq; gerunt, vitium est hominum non culpa nuptiarum. *Ibid: c: 6.*

Nuptiæ fidelium meliores virginitate impiorum.

Conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam, concupiscentiæ verò satiandæ, sed tamen cum conjuge, propter fidem thori venialem habet culpam. Adulterium verò sive fornicatio lethalem habet culpam, ac per hoc melior est quidem ab omni concubitu continentia, quàm vel ipse matrimonialis concubitus, qui fit causa gignendi. *Ibidem.*

Sicut autem jejuniis sacrilegorum meliora sunt prandia justorum, ita nuptæ fidelium virginitati anteponuntur impiorum: Verumtamen ibi neq; prandium jejunio, sed justitia sacrilegio: neque hîc nuptiæ virginitati, sed fides impietati præfertur. *Ibidem cap:* 8.

Quid si, inquiunt, omnes velint ab omni concubitu continere: unde subsistet genus humanum? utinam omnes hoc vellent, duntaxat in charitate de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta multò citius Dei Civitas compleretur, & acceleraretur terminus sæculi. Quid enim aliud hortari apparet Apostolum ubi ait: vellem omnes esse, sicut me ipsum. *Ib: c: 10.*

Pudicitia sanctam complet voluntatem.

Decus ergo conjugale est castitas procreandi, & reddendi carnalis debiti fides, hoc est opus nuptiarum, hoc ab omni crimine defendit Apostolus dicendo: etsi conceperis uxorem, non peccasti. *Et infra.* Sancta sunt ergo etiam corpora conjugatorum fidem sibi & Domino servantium. *Ibid: c:* 11.

Multi hodie faciliùs se tota vita ab omni concubitu abstinent, quàm modum teneant, non coëundi nisi prolis causa, si matrimonio copulantur. *Ibid: c: 13.*

Quid sit nuptiarum considerandum est, non quid sit nubentium, & immoderatiùs nuptiis utentium? neq; enim tyrannicæ factionis perversitas laudabilis erit, si Regia clementia tyrannus subditos tractet, nec vituperabilis ordo Regiæ potestatis, si Rex crudelitate tyrannica sæviat. Aliud namq; est injusta potestate,

justè velle uti, & aliud est justa potestate injustè velle uti. Ita nec concubinæ ad tempus adhibitæ, si filiorum causa concūbant, justum faciunt concubinatum suum, nec conjugatæ si cum maritis lasciviant, nuptiali ordini crimen imponunt. *Ib: c: 14.*

Neq; enim sic habet unus servus plures Dominos, quomodo plures servi unum Dominum. Ita duobus seu pluribus maritis vivis nullam legimus serviisse Sanctarum, plures autem fœminas uni viro legitimè conjunctas, cum gentis illius societas sinebat & temporis ratio suadebat. *Ibid: c: 17.*

In nostrarum quippè nuptiis plùs valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas uteri. *Ibid: c: 18.*

Quocirca sicut non est impar meritum patientiæ in Petro qui passus est, & in Joanne, qui passus non est; sic non est impar meritum continentiæ in Joanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham, qui filios generavit. Et illius enim cælibatus, & illius connubium pro temporum distributione Christo militarunt: sed continentiam Joannes in opere, Abraham verò in solo habitu habebat. *Ibid: c: 21.*

Melior castitas cælibum, quam castitas nuptarum.

Ego quidem non sum melior, quam Abraham, sed melior est castitas cælibum, quàm castitas nuptiarum, quarum Abraham unam habebat in usu, ambas in habitu. *Ibid: c: 22.*

Res ipsas si comparemus, nullo modo dubitandum est, meliorem esse castitatem continentiæ, quàm castitatem nuptialem, cùm tamen utrumq; sit bonum. Homines verò cum comparamus, ille est melior, qui bonum amplius, quàm alius habet. *Et infra.* Fieri enim potest, ut alius non habeat aliquid, quod alius habet, sed aliud habeat, quod pluris æstimandum est. Majus enim bonum est obedientiæ, quàm continentiæ. Nam connubium nostrarum scripturarum authoritate nusquam damnatur, inobedientia verò nusquam absolvitur. *Et infra.* Meliùs est autem habere omnia bona, vel minora, quàm magnum bonum cum magno malo; quia & in corporis bonis meliùs est habere Zachæi staturam cum sanitate, quàm Goliæ cum febre. *Ibid: c: 23.*

Bonum obedientiæ majus bono continentiæ.

Bona nuptiarum.

Hæc omnia bona sunt, propter quæ nuptiæ bonæ sunt, Proles, Fideles, & Sacramentum. *Ibid: c: 24.*

Ambo rei, ambo damnandi sunt, & quæ nupsit vivo marito, & qui duxit eam, cujus vivit maritus. *T. 6. l: 2 de adul: coniug: c: 10*

Meliùs est, inquit Apostolus, nubere quàm uri, non dixit: meliùs est mæchari, quàm uri. *Ibid: c: 13.* 1. Cor. 7. 9.

Tam certum apertumq; est pudicas nuptias non debere damnari, quàm certum apertumq; est sanctam scripturam non posse mentiri. *Tom: 6. lib: de sancta virg: c: 19.*

Bonum conjugij, non est fervor concupiscentiæ, sed quidam licitus & honestus illo fervore utendi modus, propagandæ proli, non explendæ libidini accommodatus. Voluntas ista non voluptas illa nuptialis est. *Tom: 7 l: 1. de pec: merit: & remiss: c: 29.*

Essent proculdubio nuptiæ etiam non præcedente peccato, quia non ob aliam causam viro adjutorium non alius vir sed fœmina facta est. Et illa verba Dei: crescite & multiplicamini, non est damnandorum prædictio peccatorum, sed fœcundarum benedictio nuptiarum. *Ibid: lib: 2. con: Pelag: de pec: orig: c: 35.*

Illud est nuptiarum bonum, unde gloriantur nuptiæ, id est proles, pudicitia & Sacramentum: illud autem non esse nuptiarum, sed carnalis concupiscentiæ malum, de quo erubesunt & nuptiæ. *Tom: 7. ibid: cap: 37.*

Copulatio maris & fœminæ generandi causa, bonum est naturale

turale nuptiarum, sed isto bono malè utitur, qui bestialiter utitur, ut sit ejus intentio in voluntate libidinis, non in voluntate propaginis. *T: 7. lib: 1. de nupt: & concup: c: 4.*

Abusus nuptiarum.

Qui habent uxores secundùm Apostolum, ita esse velint ac si non habentes. Nec vocare dubitat etiam uxoris adulterium, intemperantem maritum omne connubij bonum pensans non cupiditate carnis, sed fide potiùs castitatis: non morbo passionis, sed fœdere conjunctionis, non voluptate libidinis, sed voluntate propaginis. *Ibid: lib: 2. con: Iulian: c: 7.*

Intemperans maritus adulter.

Sine motu corporum & sine necessitate sexuum, quis unquam illas nuptias cogitavit? Sed bellum quod in se castí sentiunt, sive continentes, sive etiam conjugati, hoc dicimus in Paradiso ante peccatum nullo modo esse potuisse. Adhæreret ergo etiam tum vir uxori, ut gignerent filios, non tamen haberent in carne motum libidinis turbidæ, sed tranquillæ tantummodo voluptatis, quàm spectamus in cæteris membris. *Ibid: lib: 3. c: 25.*

Felicitas nuptiarum ante peccatum.

Voluptatis causa, non prolis, facit concubitum culpabilem, sed in conjuge venialem. *Ibid: lib: 5. c: 16.*

1. Cor. 7. 27. Alligatus es uxori nè quæsieris solutionem. Durum est, ferreum est. Nam quando Dominus hoc ait, ostendit quia vinculum hoc est ferreum. Adolescentes audite. Vincula ferrea sunt nolite pedes mittere, nè cum miseritis arctius constringamini compedibus Tales compedes consolidant vobis Episcopi manus. Nunquid non fugiunt in Ecclesiam compediti & solvuntur hic? Hi viri fugiunt huc volentes dimittere uxores suas, & hic arctius colligantur. *T. 8. Expos: psal: 149.*

Reddite quod exigitis. Vir à fæmina exigis castitatem, præbe illi exemplum, non verbum. Tu es caput, quâ is vide. Nec enim debes ire qua illi periculosum sit sequi: imò tu ipse quà vis eam sequi, illuc debes ambulare. Ab imbecilliore sexu exigis fortitudinem: carnis concupiscentiam ambo habetis: qui fortior est, prior vincat. Et tamen quod dolendum est, multi viri à fæminis vincuntur. Servant fæminæ castitatem, quam viri servare nolunt: & in eo quod non servant, se viros videri volunt, quasi propterea sit fortior sexus, ut eum facilius subjuget inimicus. *T: 10. ser: de verb: Dom: ser: 46. Qui manducat carnem meam, &c.*

Vir exemplum fæminæ in bono sit.

Fæminæ multæ multis viris in servanda castitate fortiores.

Qui quamvis à furtis, à rapinis, à fraudibus, ab adulteriis & fornicationibus omniq; luxuria, à crudelitate odiorum, & inimicitiarum pertinacia, ab omni deniq; idololatriæ fæditate, spectaculorum nugacitate hæresum atq; schismatum impia vanitate, atq; ab omnibus hujuscemodi flagitiis & facinoribus immunes, puri, atq; integri esse debeant, tamen propter administrationem rerum familiarium, & conjugiorum arctissima vincula tam multa peccant, ut non tam de istius mundi pulvere aspergi, quàm luto oblinire videantur. *Et infra.* Sola enim generandi causa est inculpabilis sexus utriusq; commixtio. *T: 10. 50. Homil: Homil: 50.*

Io. 2. 3. Vocatus est Dominus JESUS ad nuptias, & Mater sua, Nec dedignatus est conversationem hominum, qui usum carnis exceperat. Nec secularia instituta contempsit, qui ad hæc venerat corrigenda. Interfuit nuptiis ut concordiæ jura firmaret. Interfuit nuptiis, & commessationes non tenuit nuptiarum, ut psalmos & timpana ad Dei Patris gloriam prædicandam concitaret, ut Pater honoraretur in filio, & à Patre filius nasceretur. *T: 10. serm: de Temp: serm: 41. Dnica 2. post Oct: festi Epiph: serm: 1.*

Nuptiæ canenses.

Temporibus Christianis concubinas habere nunquam licuit, nunquam licebit. *Ib: ser: 243. Dnica 22. post festum SS. Trinit: ser: 1.*

Unaquæq; conjunx bona, maritum ſuum, Dominum vocat: Prorſus non ſolum vocat, ſed hoc ſapit hoc ſonat, hoc geſtat corde, hoc profitetur ore, tabulas matrimoniales inſtrumenta emptionis ſuæ deputat. *Et infra.* Ipſa enim quanquam materfamilias, tamen ancillam ſe non dedignatur. Attendat pretium ſuum, diligat Dominum ſuum. Agnoſcat inquam ſe ancillam, nec timeat conditionem. Nec enim dedignatur ille conjugem facere, quam tanti emit. *T: 10. ſer: de diver: ſer: 45. In proverbia Salomonis.*

Maritus uxoris Dominus.

Una ancilla mariti.

Quod Dominus invitatus venerit ad nuptias etiam excepta myſtica ſignificatione confirmare voluit, quod ipſe fecit nuptias. *Io. 2. 3.* *Et infra.* Ac per hoc ergo Dominus invitatus venit ad nuptias, ut conjugalis caſtitas firmaretur, & oſtenderetur ſacramentum nuptiarum: quia & illarum nuptiarum ſponſus, perſonam Domini figurabat, cui dictum eſt. Servaſti vinum bonum uſq; adhuc. Bonum enim vinum Chriſtus ſervavit uſq; adhuc: id eſt Evangelium ſuum. *Tom: 9. in Evan: Ioan: Tract: 10. de cap: 2.*

Matrimonium eſſe Sacramentum à Chriſto confirmatur.

Querelæ quotidie ſunt, quanquam ipſæ fæminæ nec jam audent, conqueri de viris ſuis. Ita invadens omnia conſuetudo pro lege obſervatur: ut jam & mulieribus forte perſuaſum ſit, licere hoc viris, non licere mulieribus. Solent enim audire adductas eſſe mulieres ad forum, quæ forte cum ſervis inventæ ſunt: adductum virum in forum, quia inventus eſt cum ancilla ſua, nunquam audierunt, cum ſit par peccatum. In peccato pari innocentiorem facit videri virum, non divina veritas, ſed humana perverſitas. *Tom: 9. lib. de 10: chordis cap: 4.*

ZELUS.

Zelus bonus eſt, de amore veniens non livore. *Tom: 8. Con: 30. in pſal: 118.*

Unumquemq; Chriſtianum zelus domus Dei comedat, in qua *Pſ. 68. 10.* domo Dei membrum eſt. Non enim magis eſt domus tua, quàm domus ubi habes ſalutem ſempiternam. Domum tuam intras propter requiem temporalem: domum Dei intras propter requiem ſempiternam. Si ergo in domo tua nè quod perverſum fiat, ſatagis: in domo Dei ubi ſalus propoſita eſt, & requies ſine fine, debes pati quantum in te eſt, ſi quid forte perverſum videris? *Et infra.* Tamen ſi amicus eſt, admoneatur leniter: uxor eſt, ſeveriſſime refrenetur: ancilla eſt, etiam verberibus compeſcatur. Fac quidquid potes pro perſona quam portas: & perficis zelus domus tuæ comedit me. Si autem fueris frigidus, marcidus, ad te ſolum ſpectans, & quaſi tibi ſufficiens, & dicens in corde tuo: Quid mihi eſt curare aliena peccata? Sufficit mihi anima mea, ipſam integram ſervem Deo. Eja non tibi venit in mentem ſervus ille, qui abſcondit talentum & noluit erogare? Nunquid *Luc. 19. 21.* enim accuſatus eſt, quia prodidit, & non quia ſine lucro ſervavit. *Tom: 9 In Evan: Ioan: Tract: 10 de cap: 2.*

Vulnera amoris.

Non ſolum propria verum etiam aliena corrigenda ſunt peccata.

Zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Obſequium ſe putant præſtare Deo, interficiendo famulos Dei. O error *Io. 16. 2.* horrendus! Itanè ut placeas Deo percutis placentem Deo: & templum Dei vivum, te feriente proſternitur, nè Dei templum lapideum deſeratur? O execrabilis cæcitas! ſed ex parte in Iſrael facta eſt ut plenitudo gentium intraret; ex parte, inquam, facta eſt nox ex toto. *Ibidem Tract: 93. de cap: 16.*

INDEX

INDEX
Rerum & Materiarum.

bon-

S

Stulti-





